Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVIII
D
44
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

P. GASPARIS SCHOTTI
E SOCIETATE JESU

PHYSICA
CURIOSA

Aucta & Correcta,

SIVE

MIRABILIA
NATURÆ ET ARTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



I Sandrart sculp.

Digitized by Google

P. GASPARIS SCHOTTI
REGIS CURIANI E SOCIETATE JESU,

Olim in Panormitano Siciliæ, nunc in Herbipolitano Franconiæ Gymnaſio ejuſdem SOCIETATIS JESU Matheſeos Profeſſoris,

PHYSICA CURIOSA,
SIVE
MIRABILIA NATURÆ ET ARTIS
LIBRIS XII. COMPREHENSA,

Quibus pleraque, quæ de Angelis, Dæmonibus, Hominibus, Spectris, Energumenis, Monſtris, Portentis, Animalibus, Meteoris, &c. rara, arcana, curioſaq; circumferuntur, ad Veritatis trutinam expenduntur, variis ex Hiſtoria ac Philoſophia petitis diſquiſitionibus excutiuntur, & innumeris exemplis illuſtrantur.

AD SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM PRINCIPEM

CAROLUM LUDOVICUM,
S.R.I. ELECTOREM, &c.

Cum figuris æri inciſis, & Privilegio.

Editio altera auctior.

HERBIPOLI,
Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ ENDTERI & WOLFGANGI Jun. Hæredum.
Excudebat JOBUS HERTZ *Typographus Herbipol.*
Anno M. DC. LXVII.
Proſtant Norimbergæ apud dictos Endteros.

Digitized by Google



Digitized by Google

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

D. CAROLO LUDOVICO,

COMITI PALATINO RHENI,

SAC. ROM. IMPERII ARCHITHESAURARIO, ET PRINCIPI ELECTORI, DUCI BAVARIÆ,

Domino meo clementissimo.

SERENISSIME AC POTENTISSIME PRINCEPS. Carolum Magnum ferunt, cùm devictis hostibus Provincias pacâsset, nihil habuisse antiquius, quàm ad extruẽdas Ecclesias,

Digitized by Google

clesias, instituendasque Scholas & Academias, locupletibus instructas Bibliothecis, animum adjicere. Eodem Augustissimo Imperatore in Galliis degente, duo ex Scotia doctissimi Viri, Monachorum institutum professi, Britannorum Mercatorum onerariis advecti, ad Galliæ oras appulerunt. Negotiatoribus merces suas impensè dilaudantibus, & magno quæstu divendentibus, cœperunt & ipsi valentissimè clamare, ut, si quis avidus scientiæ esset, ad se accederet; vænalem esse. Quæ cùm sæpiùs iterarent, non effugerunt suspicionem emotæ mentis, potiusque videbantur ipsi elleboro indigere, quàm alii sapientiâ. Res tamen ad Cæsaris venit

nit aures. Accersiti ergò, ac de venali sapientia & pretio interrogati, affirmâ-runt constanter, penes se omnino thesaurum illum esse, séq; inæstimabiles illas opes perexiguo pretio addicturos; tria duntaxat sibi ad id necessaria esse, locum opportunum, animos ingeniosos, victus ac vestitus subsidia; his habitis velle se gratuitam operam strenuè impendere omnibus sapientiæ Candidatis, nec aliud minerval postulare, quàm ut studium licitantium par esset voluntati gratuitò addicentium; sapientiam accipere, emptæ pretium fore. Gavisus est magnoperè Imperator, cognitâ utriusq; ingenuâ ac liberali voluntate, & illius, quam reipsa secum ha-

bebant, sublimis sapientiæ mercibus. Peramanter igitur atque honorificè utrumque excepit, alterumq; Ticinensi Academiæ instituendæ præfecit, alterum Lutetiæ Parisiorum retinuit, ephebium quoddam nobilium Adolescentum curaturum.

Augustissimum hunc Principem SERENISSIMOS AC POTENTISSIMOS Palatinæ Electoralis Familiæ PRINCIPES ab omni jam ævo imitari solitos, Mundo notum est universo. Testatur id (si alia deessent) celeberrima Heydelbergensis Academia, in Electorali Urbe, ante annos prope trecentos, ab immortalis memoriæ Principe RUPERTO Seniore instituta primùm, atque dotata, ac deinde ab

Digitized by Google

de ab aliis ejusdem Familiæ Principibus, SERENISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ Antecessoribus, adeò aucta atque illustrata, ut amplissimis privilegiis, largissimis stipendiis, eruditissimis scientiarum Antistitibus, Scholasticorum frequentiâ, omnibus denique nobilium Academiarum ornamentis ac prærogativis, vel cum nobilissimis Germaniæ Lyceis certaret. Testatur & nobilissima, totóq; orbe celebratissima Bibliotheca Palatina, ab iisdem Antecessoribus, eâdem in Urbe, eâdemque munificentiâ erecta, ac tot linguarum omnium libris quà manu exaratis, quà typo excusis exornata, ut vel sola ad alias plurimas easq; amplissimas Biblio-

 thecas

thecas non modò exornandas, ſed adimplendas quoque ſufficeret.

Nec ab horum glorioſis Veſtigiis deviat SERENISSIMA CELSITUDO VESTRA. Cùm enim utraque, Academia dico, & Bibliotheca ſuperiorum annorum furore bellico, qui totam Germaniam noſtram involverat, disjecta ac disſipata fuiſſet, communi correpta infortunio; SERENISSIMA CELSITUDO VESTRA ingenti auſu, regiâq; munificentiâ, difficillimis licèt temporibus, reſtaurare aggreſſa eſt ambas, magna omnium admiratione, & ingenti patriæ utilitate; certè non minore, quàm ſi Urbes mœnibus, munimenta propugnaculis, & armamentaria Martiis communiret

Digitized by Google

instrumentis. Sunt etenim Academiæ & Bibliothecæ Medica animarum officina, ut Osimanduas, Ægypti Rex, appellabat; sunt Pharmacum immortalitatis, ut Hermes vocabat Trismegistus; sunt sapientiæ Emporium, ut Themistius ajebat. Sunt eædem togatæ militiæ Armamentarium, Palæstra scientiarum, ingeniorum Gymnasium, Curia sapientum, auraria & gemmaria verarum divitiarum Fodina. Meritò igitur SERENISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ heroicos in tanto molimine conatus, in restituendis Academiæ privilegiis pristinis liberalitatem, in accersendis undique Facultatum omnium Professoribus doctissimis munificentiam, in

Digitized by Google

comparandis magno ſumptu per Italiam, Galliam, Germaniamq; utramq; libris ſedulitatem, miratur & laudat ſæculum noſtrum, & ſeri mirabuntur ac laudabunt Nepotes. Gemmea erant ſæcula, quando Philippus & Alexander Macedones, Ptolemæus Philadelphus, Cæſar Julius, Octavianus Auguſtus, Magnus Conſtantinus, Magnus Theodoſius, Carolus Magnus, Philippus Prudens, aliique litterarum Fautores Principes, Academiarum excitandarum, Bibliothecarum condendarum, comparandorum librorum ſtudioſiſſimi imperabant: gemmea redirent, ſi eundem animum & conatum noſtri ævi Principibus, quem SERENISSI-

MÆ CELSITUDINI VESTRÆ, cœlum afflaret.

At quorſum hæc? ut mihimet ipſe animos addam; majori fiduciâ ad SERENISSIMAM CELSITUDINEM VESTRAM licentiore hac epiſtolâ accedendi, & Curioſam Phyſicam novitâ fœturâ nuper conceptam, & glorioſiſsimo tanti PRINCIPIS nomini inſcriptam, offerendi. Si enim fuêre Palatinæ Electoralis Familię Principes ab omni ævo artium ac ſcientiarum Amatores eximii, litterarumq; ac Litteratorum munificentisſimi Fautores; Si CELSITUDO VESTRA SERENISSIMA eorundem calcat veſtigia tantò glorioſiùs, quantò in difficiliora incidimus tempora; ſpem meritò concipio acceſſum

Digitized by Google

acceſſum haud difficulter obtinendi. Auget ſpem humanitas illa, quâ CELSITUDO VESTRA SERENISSIMA alia mea opuſcula antehac humiliter oblata clementiſsimè acceptare, & liberalitas, quâ ſtudia mea benigniſsimè promovere eſt dignata. Unum absterret, quod indigna res eſt, quam Tanti PRINCIPIS Magnitudini nuncupo. Sed ſi dignum munus Tanto Faſtigio offerendum, nec mihi, nec fortaſſe aliis acceſſus foret tentandus. Quis enim, quod PRINCIPEM in celſo loco poſitum, ſummo ingenio, acri judicio præditum, omnigenâ inſuper eruditione ornatum decet, inveniat?

Si

Si tamen conveniens Tali PRINCIPI quæritur argumentum; hoc quod verſo, CELSITUDINEM VESTRAM SERENISSIMAM Patronum deſiderat, ac Mecænatem, ſi modò pennam nactum eſſet feliciorem. Semper Magnorum Principum curæ fuit, naturalium rerum ſtudium aut excolere ſeipſis, aut ab aliis excolendum procurare. Magnus Alexander Diſciplinæ Ariſtotelis, qui jam tum Naturæ ſecretarius audiebat, à Patre Philippo traditus, adeò cùm in aliarum rerum naturalium, tum præcipuè in animalium cognitionem fuit propenſus, ut vix alia ejus major liberalitas, quàm in Præceptorem ad condendam animalium hiſtoriam, ce-

lebretur: octingenta quippe Talenta contulit, & insuper aliquot ei millia hominum quos venatus, piscatus, & aucupium delectabat, parere jussit, nè quid uspiam gentium esset, quod ignoraret. Idem Alexander aureos torques, nomine suo inscriptos, cervis addebat, ac dimittebat, quò posteris aliquando de diuturnitate vitæ illorũ constaret. Fridericus II. Imperator, Latinè & Græcè apprimè doctus, & Philologiæ studio incẽsus, libros Aristotelis omnes, universamque Philosophiæ supellectilem ex Græco atque Arabico vertendam curavit, & Academiis legendam obtulit. Hic idem Alexandrum imitatus, Lucio pisci annulum ex ære Cyprio, Græcis litteris inscri-

inſcriptum, ac ſuo nomine, reiq; geſtæ tempore notatum circumligavit, & ſtagno prope Heilprunam impoſuit. Æolus, qui Liparenſibus imperitabat, ventorum Rex audiit, quòd eorum noſſet cauſas, naturam, & ortum. Ergamenus, Rex Æthiopum, Philologię deditus fuit. Ægyptiorum Reges ex bellacibus deſignati, in Sacerdotum, hoc eſt, illius temporis ac loci Philoſophorum Collegium allegabantur, ut in Philoſophię conſortium venirent. Eorundem Rex Hermes Mercurius Triſmegiſti nomen obtinuit, quòd maximus Rex, maximus Sacerdos, maximus eſſet Philoſophus. Lyſimachus Thracię Rex, militari gloriâ & ingenii laude clarus, Philo-

ſophiæ addiſcendæ ergò Calliſthenem audiit. Marcus Antonius Imperator Oppiani poëma de animalibus adeò æſtimavit, ut pro ſingulis verſibus ſingulos numerarit aureos. Plinius, Naturalis Hiſtoriæ Conditor, Veſpaſiano, Ælianus, Hiſtoriæ Animaliũ Scriptor, Nervæ & Adriano Imperatoribus, cari ac familiares fuerunt. Dionyſius, Syracuſanorum in Sicilia Tyrannus, Platonem Philoſophum honore eximio excepit, & tanquam magno bono imperium ſuum eſſet auctum, Diis ſacrificavit. Salomon (quem primùm nominare debueram) de omni natura à Cedro Libani usque ad hyſſopum diſſeruit.

Digitized by Google

Omitto alios, & concludo, Reges ac Principes, quibus volupe erat ſceptri onus levitate calami recreare, & gubernandi moleſtias librorum tractatione temperare, nullo alio ſtudio ita occupatos, nec tantâ mora, tantóq; ardore, ut rerum naturalium inquiſitione. Si Regum ergo ac Principum eſt quod dixi, ſtudium, nec illorum Majeſtati ac Magnitudini inconveniens, quod hoc opere verſo, argumentum: offerre illud, tametſi rude & incultum, audeo, quia ſplendorem non dare, ſed accipere à SERENISSIMA CELSITUDINE VESTRA geſtit. Accipiet, ſi glorioſiſsimum Nomen ſuum fronti affixum non refigat.

 Vale

Digitized by Google

Vale Magne Princeps quàm diutissimè DEO, Imperio, Patriæ, & Bonis omnibus. Ita Vovebam Herbipoli Kal. Jan. Anni à Christo nato M. DC. LXII.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ

Devotus Servus

Casparus Schott,
Societatis JESU.

Digitized by Google

FACULTAS
R. P. Provincialis Societatis JESU per Rheni superioris Provinciam Auctori facta.

RICQUINUS GÖLTGENS
Provincialis Societatis Jesu Rheni superioris.

CUm Physicam Curiosam, compositam à P. Casparo Schott nostræ Societatis Sacerdote, tres ejusdem Societatis Sacerdotes, quibus id commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultate nobis ab Admodum Reverendo Patre N. Goswino Nickel Præposito Generali communicatâ concedimus, ut eadem typis mandetur. In cujus rei fidem has litteras, manu nostrâ subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus. Herbipoli 13. Martii 1661.

L. S. Ricquinus Göltgens.

FACULTAS
R. P. Provincialis Societatis JESU per Rheni superioris Provinciam, Bibliopolæ facta.

RICQUINUS GÖLTGENS
Provincialis Societatis Jesu Rheni superioris.

EGo Ricquinus Göltgens, Societatis Jesu per Rheni superioris Provinciam Præpositus Provincialis, potestate mihi ab Admodum Reverendo P. N. Goswino Nickel Præposito Generali concessâ, facultatem do Joanni Andreæ Endtero, & Wolffgangi Junioris hæredibus, suis sumptibus excudendi P. Caspari Schott è Societate Nostrâ Physicam Curiosam. In cujus rei fidem hoc ei testimonium, manu nostrâ subscriptum, & Sigillo nostro munitum dedimus. Herbipoli 13. Martii 1661.

L. S. Ricquinus Göltgens.

NICOLAUS LUTZ
Provincialis Societatis Jesu per Rhenum superiorem.

CUm Appendices ad Physicam Curiosam, compositas à P. Casparo Schott nostræ Societatis Sacerdote, tres ejusdem Societatis Sacerdotes, quibus id commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultate nobis ab admodum Reverendo Patre Nostro Joanne Paulo Oliva Præposito Generali communicatâ, concedimus, ut eædem typis mandentur. In cujus rei fidem has litteras, manu nostrâ subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus Badenæ die decimo Januarii, anno 1666.

L. S. Nicolaus Lutz.

AD

Digitized by Google

AD CURIOSUM

IN ARCANIORE NATURARUM PHILOSOPHIA,

M. Adami Adamandi Kochánnski

Polono-Dobriniaci, Soc: JESU.

Matheseos in Alma Universitate Moguntina Professoris

ELEGEIA.

HÆc Lechici Vatis, Mogono de littore Rheni
Est, SOPHE, missa TIBI Littera scripta manu.
Qui legis, offendi peregrino Nomine noli;
Æquior hac ipso quin magis, esse potes.
Dat mihi nomen (*) Amor, *gentem (†) Dobrinia Tellus;*
Ex Bonitate sibi scribere cogit Amor.
Hic, velut omne Bonum, sese communicat ultrò;
Cùmq; sibi pretium sit, petit ille nihil.
Si tamen & nostro Tuus est qui certet Amori;
Certabis, gratâ si mea mente legas.
At si tam memori cupias superare duello;
Quæ tua pando Tibi damna cavere velis.
O quid dissimulo! Tuus est lachrymabilis error,
Qui jubet hæc calamum metra ligare meum.
Erras, ex sola Sophici trieteride Cursus
Dum te Doctorem singula nosse putas.
Erras, dum PHYSICES MARE (nam quid vastius illa?)
Vis fortasse tua non superesse rati.
Herculeas posuit NATURÆ nemo columnas;
Et si quis studeat ponere, vanus erit.
O plures esset fas hic numerare Columbos!
Quot NOVA venatrix regna carina daret!

(*) Polonis Amor *Honestus* est Kochánie: Charus *κεχαρισμένος* Kochány. & Kochywam frequentativum planè corripit abusum, & *ἀντίφασιν τῷ κοχάνω.*
(†) Bonus Dobry Heb. טוב Tob. Utrumq; à Chaldaico טאב Bonus suavis.

Forti-

Fortiter audendi superat calor ardua quævis,
Cunctaq; CONATUS scandere summa potest.
Magnus Alexander non magnis viribus Orbem,
Ausibus at magni pectoris edomuit.
Æsonius Colchis cum Jason vela dedisset,
Vellera pro Velis abstulit ille suis.
VELLERA quæ rutilo densabat lana metallo,
Et quæ si capias Tu Sophe, dico; Sapis.
Sic timidos fugiunt, AUDACES MAGNA sequuntur;
Et si nil tentes vincere, fungus eris.
O quis id enumeret, toti quàm grandia mundo
CURA sagax, & mens perstudiosa dedit?
Quotquot præclaras humanum condidit Artes
Ingenium, CURÆ partus is omnis erat.
Quin etiam casus si quam fors edidit Artem,
Haud animi proles desidis illa fuit.
Quare age, si qua tuam torpens INCURIA mentem
Detinet, abjecto subtrahe colla jugo.
En PHYSICÆ Campum, quo non opulentior alter
Floribus, audaci carpito rara manu.
Hic optata tibi LONGÆ medicamina VITÆ,
Dummodò quis nôrit promere, cruda latent.
Hic latet Ingenii Vires quæ perficit Herba;
Vel qui dat memores cuncta tenere Lapis.
Hic latet Aurificis reticendus Pulveris ortus;
Regia cùi quamvìs stirps, tamen ille latet.
Adde graves Gemmas, Adamantes, flexile Vitrum,
Et quæcunq; suis Ars parat illa modis.
Singula quid referam? satìs est edicere; quidquid
Expetis, id Physicis crescere sponte jugis.
Tu modò NATURÆ Dominum cognoscito temet,
Atq; vide quâ sis conditione satus.
Imperio Mundi quia te fortuna beavit,
A famulis Rebus non patiare regi.

d Utere

Utere jure tuo; tibi quæ servire tenetur,
Verna sit, obsequiis mancipiumq; tuis.
Tantum quippe potes, quantum scis dura tenacis
NATURÆ ingenio frena movere tuo.
Credite mortales; Humana Potentia SCIRE est:
Utq; scias brevis est Regula; Scire Velis.
Audebo (cur non quod suadeo?) dicere; Nemo
Naturam coluit, qui nihil inde tulit.
Fertilis usque adeò variis Natura redundat
Fructibus; hic semper quod ferat Hortus habet.
Utq; sit exiguum (quod me quoq; judice vile est,
Dedecet atq; Sophos) Utile, SCIRE SAT EST.
Si tamen es talis qui misces utile dulci,
Nec, quas præstaret spernere, temnis opes:
Cernis ut hac Cybele plenas ferat undiq; mammas;
In quodcunq; latus flexeris, uber habet.
Ambrosiâ divûm, dulci vel nectare pasci
Si cupis, en ultrò prodiga vena fluit.
Nec procul à Cereris conspectu filius almæ
Plutus, qui proprias suppeditabit opes.
Deniq; si pigeat venando subire laborem,
SCHOTTUS Natura Prodigiosa dabit.
Hac lege; namq; ego nunc DIVUM Mysteria volvo,
Vel quæ Secreti plena Mathesis habet.
Non equidem celo stimulat quod ad abdita calcar,
Sed mihi cùm noceat, Te juvet, addo tibi.
Quisquis es ARCANI quem pernox cura fatigat,
Te demùm quisquis sis, Amo; Perge; VALE.

Perpen-
DICULUM.

PRÆ-

PRÆLOQUIUM
AD LECTOREM.

Paucis te convenio, LECTOR BENEVOLE. *Insitam Naturæ & Artis arcana perscrutandi aviditatem, quâ à puerili ad hanc usq; ætatem exstimulor, nec Magia Universalis quadripartito Opere nuper edita, nec Opuscula alia in lucem hactenus emissa exsaturarunt. Aliud ergo bipartitum molior Opus, Physicam inquam Curiosam, & Technicam Curiosam: quorum alterum Naturæ, alterum Artis Mirabilia atq; Arcana complectetur. In ea Opera conjiciam, quæ vel in Magia aliisq; Operibus omissa, vel à Viris doctis pòst communicata, vel de novo à me fuère comperta. Primum nunc do, in libros distributum duodecim; quorum hic est Syllabus, & Ordo.*

- *I.* *Mirabilia Angelorum ac Dæmonum.*
- *II.* *Mirabilia Spectrorum.*
- *III.* *Mirabilia Hominum.*
- *IV.* *Mirabilia Energumenorum.*
- *V.* *Mirabilia Monstrorum.*
- *VI.* *Mirabilia Portentorum.*

VII. Mirabilia Animalium in genere.
VIII. Mirabilia Animalium Terreſtrium.
IX. Mirabilia Animalium Volatilium.
X. Mirabilia Animalium Aquatilium.
XI. Mirabilia Meteororum.
XII. Mirabilia Miſcellanea.

Plura dare poteram, ac etiam volebam; ſed temporis anguſtia, & occupationes aliæ, his me metis coarctârunt. Latiùs exſpatiabitur, ſi quem exemplum meum (quod opto, & ſpero) ad idem ſtudium excitaverit.

At vetera ſunt hæc, inquis; ego nova exſpectabam. Vetera ſunt pleraque, ſed non veteri pertractata modo. Referunt & alii non pauca eorum, quæ hìc enarro Mirabilia; at referunt tantùm; ego pleraq; ad veritatis trutinam expendo, ac vera à falſis, genuina à ſpuriis diſcerno primùm, tum ſingulorum cauſas indagare adnitor. Turpe eſt Philoſopho, temerè fidem adhibere cuivis Thaumatographo; turpius, eorum perſcrutari cauſam Thaumatum, quorum an ullibi & unquam ſit, fueritvè exiſtentia, ignorat. Hoc fecêre, quotquot portentoſam illam Echeneidis virtutem ad naves contra ventorum impetum retinendas aut retardandas prodiderunt: & quotquot prodigioſam Britannicarum avium, quas Brantas appellant, geneſim ex lignis aut fructibus arborum putridis hacte-

hactenus crediderunt. Quæ tamen, aliaq́ʒ his similia, quàm sint vana, perspiciet, qui hæc nostra leget.

Trita nihilominùs das, ais iterum, & passim obvia; ego mira exspectabam, & curiosa. Trita esse multa, & obvia, non diffiteor; mira non esse, nec curiosa, hoc nego. Quid enim admirandum magis, quid dignius humanâ curiositate, hoc est, accuratâ ac sollicitâ perscrutatione, quàm (ut cætera taceam) Dæmonum opera stupenda, vim omnem Naturæ, ut apparet, excedentia cognoscere, ac singulorum causam è Philosophia petitam reddere? Quis scire non aveat, ac penitiùs perspicere, quæ de Dæmonibus incubis ac succubis, de paredriis ac familiaribus, de montanis ac metallicis, de sagarum ac magorum translatione, sexûs mutatione, brutorum ac hominum resuscitatione passim circumferuntur? Hæc, aliaq́ʒ his similia multa, solo primo libro à nobis non indiligenter pertractantur. Taceo reliqua, reliquis libris comprehensa. Tu lege sis, & judica. Curti, ac penè dixerim puerilis ingenii est, nova ac peregrina mirari, & æstimare, tametsi vilia; obvia despicere, tametsi pretiosa. Auri glebas, gemmarum cumulos, aromatum fasces & plaustra commutasse aliquando pro vitrorum fragmentis, & puerorum nostrorum crepundiis Indiarum Barbaros, miramur meritò: plùs delectatam olim Romanorum curiositatem, cùm Heliogabalus in spectacu-

 lum

lum dedit mille mustelas, mille sorices, decem millia murium, totidem aranearum & muscarum pondo, monstrosâ utiq; prodigalitate, & inutili vanitate; quàm cùm Probus mille jubatorum, mille leopardorum, mille cervorum, mille aprorum, mille ibicum, mille struthionum in theatrum produxit; ridemus, & tantùm non execramur. Damnabilior est curiositas nostra, & sciendi prurigo, si novis tantùm, si raris, si exoticis, & persæpe inutilibus impenditur. Latet in his, quæ ob oculos nostros versantur quotidie, quod miremur. Est in Naturæ majestate, quod humanam pascat curiositatem. Non solitudini paravit DEUS hoc rerum theatrum, tam amplum, tam varium, tam comptum, tam multis dignum spectatoribus, in quod nos introduxit. Hæc lustret intellectus noster; per hæc liberè ac salubriter exspatietur. Utinam qui hodie Philosophorum nomine gloriantur, spinosum illum ac sterilem philosophandi morem, cui domi & in Scholis impallescunt, ad amœniorem hunc ac longè utiliorem traducerent; nec generosam juventutem ad nescio quas eruditas ineptias coarctarent. Sed ad institutum redeo.

Utor toto ferè Opere, ut vides LECTOR, scribendi genere tessellato. Variorum enim scriptorum loca non refero tantùm, sed integra appono; nec rarò sententiam meam non meis, sed aliorum verbis reddo. Nil tamen pecca-

tum

tum à me existimo, quoniam, quod gravissimi ante me fecère Authores, & quod res ipsa postulat, præstiti. Non rationibus tantùm veritatem propugnandam, sed auctoritate quoque rerum gestarum fidem stabiliendam, suscepi. Fidem autem nullam mererer, si fidem alienam negligerē. Benignum etiam, & plenum ingenui pudoris est, ut Plinius ait, in suo ad Naturalem Historiam Præloquio, fateri per quos profeceris; obnoxii verò animi, & infelicis ingenii, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere; cùm præsertim sors fiat ex usura. Dici autem vix potest, quanto labore ac tempore istiusmodi scribendi norma mihi constiterit. Cùm enim incredibilem ac prorsus pudendam corruptelam apud plerosq; scriptores in aliorum locis ac verbis citandis animadvertissem, nè horum errorem transcriberem, in ipsos fontes ubiq; inquisivi; ac sæpe non nisi post diuturnam inquisitionem vix tandem, non sine magno temporis dispendio deprehendi. Vbi deprehendere non potui, ex fide aliorum (quorum ubiq; nomina appono) exscripsi. Si erratum; non mihi, sed illis errorem adscribi velim.

Dæmonum Mirabilibus præmisi nonnulla Angelis ac Dæmonibus communia, non tam ut Mirabilia & Curiosa, quàm ut solida dicendorum fundamenta. Quæ tamen Curiosus Lector, si minùs placent, omittere sine secuturorum dispendio potest. Sed hæc satis.

Vnum

Unum ſum oblitus. Primum ac præcipuum, quod præ oculis in hiſce ſcribendis, ac luci publicæ parandis habui, fuit, ut alios, qui nobiliori ingenio pollent, & majori otio abundant, exemplo meo adſimile ſtudium excitarem. Et verò magna me ſpes tenet, fore ut hoc ſæculo noſtro, quo Artes ac Scientiæ omnes ad ſummum gradum perveniſſe videntur, vera quoq; & genuina Philoſophia priſtinum ſuũ recuperet decus. Magnâ certè animi voluptate percepi, quod nuper ad me ſcripſit Nobiliſſimus atq; Ampliſſimus Dominus Philippus Erneſtus Vegelin de Claerbergen, Celſiſſimi Guilielmi Friderici Naſſoviæ Principis, &c. Aulæ-Præfectus, & Conſiliarius primarius, ex litteris ad Nobiliſſimam & Eruditisſimam Virginem Schuirmannam Londino datis, de Viro Nobilisſimo Dn. Boyles, fratre Germano Comitis de Carke, eum videlicet rariora quædam Specimina nuper edidiſſe obſervationum & experimentorum naturalium circa aërem: item Diſquiſitionem practicam de fluidorum & ſpiſſorum corporum naturâ, novo planè, & illuſtri æquè ac felici conatu: & ſperari ſubinde ſimilia, imò & majora, tam ab ipſo, quàm à cæteris Nobiliſſimæ non ita pridem Londini initæ Societatis Aſſeclis, hoc unum agentibus & verſantibus, ut Naturæ receſſus undique ſolerti omnimodâque indagine magis magisque patefiant. *DEUS Optimus Maximus ſecundet conatus, meq; eorum fructu gaudere aliquando concedat.*

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS
LIBRORUM ET CAPITUM,
SIVE
TOTIUS OPERIS
SYNOPSIS.

LIBER PRIMUS
DE
MIRABILIBUS ANGELORUM AC DÆMONUM
PARS I.
Angelis ac Dæmonibus communia.

Digitized by Google

PARS II.

Dæmonibus propria. 25

CAP.

APPENDIX
AD
LIBRUM PRIMUM.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS
DE
MIRABILIBUS SPECTRORUM.

PARS I.

PARS II.

PARS III.

CAP.

PARS V.

De modis Spectra pellendi. 303

APPENDIX AD LIBRUM SECUNDUM.

LIBER

LIBER TERTIUS DE MIRABILIBUS HOMINUM.

PARS I.

De hominibus dubiis.

PARS II.

De variis hominum formis. 374

PARS III.

De rarioribus hominum vitiis, virtutibus, & accidentibus. 403

CAP.

APPENDIX
AD
LIBRUM TERTIUM.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS DE MIRABILIBUS ENERGUMENORUM.

Digitized by Google

LIBER QUINTUS
DE
MIRABILIBUS MONSTRORUM
PARS I.

CAP.

Digitized by Google

PARS II.

Monstrorum causa. 619

APPENDIX
AD
LIBRUM QUINTUM.

LIBER SEXTUS
DE
MIRABILIBUS PORTENTORUM.

LIBER SEPTIMUS
DE
MIRABILIBUS ANIMALIUM
IN GENERE.

CAP.

Digitized by Google

LIBER OCTAVUS DE MIRABILIBUS ANIMALIUM TERRESTRIUM.

Digitized by Google

CAP.

CAP.

Digitized by Google

LIBER NONUS

DE

MIRABILIBUS ANIMALIUM VOLATILIUM.

CAP.

Digitized by Google

LIBER DECIMUS
DE
MIRABILIBUS ANIMALIUM AQUATILIUM.

CAP.

Digitized by Google

APPENDIX

AD

LIBRUM VII. VIII. IX. X.

LIBER

Digitized by Google

LIBER UNDECIMUS
DE
MIRABILIBUS METEORORUM.

PARS I.
De iis, quæ Meteoris omnibus sunt Communia.

PARS II.
De Meteoris Igneis.

Digitized by Google

PARS III.
De Meteoris Aëris.

PARS IV.
De Meteoris aqueis.

LIBER DUODECIMUS
DE
MIRABILIBUS MISCELLANEIS.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX
AD
LIBRUM DUODECIMUM.

PARS I.

PARS II.

PHY-

Digitized by Google

PHYSICÆ
CURIOSÆ
PARS I.

Complectens ſex priores libros, videlicet

I. *Mirabilia Angelorum ac Dæmonum.*
II. *Mirabilia Spectrorum.*
III. *Mirabilia Hominum.*
IV. *Mirabilia Energumenorum.*
V. *Mirabilia Monſtrorum.*
VI. *Mirabilia Portentorum.*

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

De

MIRABILIBUS ANGELORUM AC DÆMONUM.

PROOEMIUM.

Angelorum ac Dæmonum nomine, missis aliis significationibus, intelligimus hoc loco entia quædam intellectualia, Deo conditore omnium inferiora, homine verò, si naturam spectes, longè excellentiora. Ab his Physicam nostram Curiosam auspicamur, quoniam vix alia sunt in toto entium naturalium censu, quorum operationes atque affectus ut mirabiliores, ita humano generi aut utiliores sunt, aut perniciosiores, ac diligentiori indagine dignæ. Quæ hoc libro dicemus, quædam sunt Angelis atque Dæmonibus communia, quædam singulis propria. Inter utrosque hoc intercedit discrimen, quòd tametsi utrique, & Angeli & Dæmones appellari queant, ac verò etiam sæpè, à veteribus præsertim Poëtis & Philosophis, utrâque nomenclaturâ indiscriminatim afficiantur: quoniam tamen boni alii, alii mali sunt, uti fides divina nos docet, & ex dicendis constabit; usus apud nostros obtinuit, ut bonis Angelorum, malis Dæmonum nomen impertiamur.

PARS I.

ANGELIS AC DÆMONIBUS COMMUNIA.

Angelis ac Dæmonibus communia sunt, essentia, existentia, multitudo, cognitio, locutio mutua, sphæra extensionis, potentia motiva, assumptio corporum, aliaq; multa. De his primo loco agendum, quoniam subsequentia dæmonum opera, quæ præcipuè hoc libro ad examen vocamus, explicari sine his atq; intelligi nequeunt. Argumentis utemur non in Natura tantùm, ac Fide humana, sed potissimùm in divina fundatis

quoniam cùm spirituales, ut videbimus, sint substantiæ, ratio naturalis ac humana Philosophia non minùs ad illas intelligendas cæcutiunt, quàm noctuæ oculi ad Solis splendorem intuendum. Domina ergò ancillæ præluceat oportet, Theologia dico Philosophiæ; non hæc illi.

CAPUT I.

An sint Angeli, ac Dæmones.

Veterũ opinio de Angelis & Dæmonibus.

EUgubinus *lib. 3. de Perenni Philosophia à cap. 12. & lib. 8. per totum* ostendit, antiquissimos melioris notæ Philosophos Angelorum ac Dæmonum (quos & Genios, & Deos quoq; appellant) mentionem fecisse, illosque non tantùm possibiles esse, sed etiam de facto dari agnovisse. Certè *Plato* non uno in loco illorum meminit, sed luculentissimè omnium in *Timæo*, ubi promiscuè illos & δαίμονας & θεοὺς, Dæmones ad Deos appellat; Deos inquam, à summo, & singulari, omniumq; rerum effectore (quem agnovit, ac fassus est) distinctos, cœlestium corporum ac siderum præsides; præterque hos, alios etiam Dæmones per elementa distributos agnoscit, ut *Alcinous Platonicus cap. 14. 15. & 16.* exponit. Idem verò *Plato in Symposio*, sibi Diotimæ persona, secernit Dæmones à Diis, illosq; medios inter mortale & immortale genus, hoc est, inter hominem ac Deum constituit; & officium illorum ait esse, tanquam interpretes ac sequestres, humanas res ad Deos, divinas ad homines transmittere, hoc est, preces hominum & sacrificia Diis offerre, ac Deorum vicissim mandata, & pietatis præmia ad homines reportare: putabat enim, non per sese misceri cum hominibus Deum, sed per intermedios Dæmones amborum commercium & colloquium perfici. Hisce Platonis testimoniis utuntur contra Gentiles *Tertullianus in Apologetico cap. 22. Cyprianus lib. de Idolor. vanit. Lactantius lib 2. cap 14.* & alii. *Athenagoras in Oratione pro Christianis*, ait, Thaletem trifariam divisisse superiores substantias, in Deum, Dæmones, & Heroas. Citantur & ex *Orphei* carminibus isti versus à Clemente Alexandrino:

Σῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρεστᾶσιν πολύμοχθοι
Ἄγγελοι, οἷσι μέμηλε, βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται.
Throno tuo ignito adstant laboriosi
Angeli, quibus curæ est quemadmodum à mortalibus omnia gerantur.

Similia habet *Hesiodus*, antiquissimus Ethnicorum Theologus ac Poëta, in lib. 1. Operum. Meritò igitur *Psellus* in Quæstionibus ad Michaëlem Ducam Imperatorem Græcorum, quæst 82. ait, Græcorum sapientes dixisse, *in quodam divinitatis stare vestibulo Angelos, ac mali esse omnis expertes &c.* Omitto alia Antiquorum testimonia, quæ congerit *P. Dionysius Petavius Tom. 3. Theologicor. Dogmatum lib. 1. cap. 1.* Sententiam *Aristotelis*, qui *lib. 8. Physic.*

Physic. sub nomine Motorum cœlestium, & ex Professo *lib. 12. Metaphys. cap. 8.* sub nomine intelligentiarum de Angelis ait, infra cap. 3. adducemus. Sanctos Patres, Theologos, ac Philosophos nostros, qui omnes unanimi consensu, divinæ Scripturæ auctoritate suffulti, & naturali ratione inducti, Angelos Dæmones dari fatentur, non adduco: hoc tantùm addo, ex tanto sapientum virorum, etiam gentilium, consensu id effici, rem esse confessam, ac pænè naturali instinctu cognitam, Angelos ac Dæmones esse, hoc est, substantias quasdam homine superiores, Deo verò inferiores, cujuscunq; sint naturæ; quam nunc inquirimus, dum quærimus.

CAPUT II.

Corpusnè habeant Angeli ac Dæmones, an incorporei sint.

Angelos ac Dæmones corpus habere putarunt Veteres nonnulli.

PLato cum Academicis, & antiquissimi quique Theologi Christiani, constare corporibus Angelos ac Dæmones arbitrati sunt, non crassis huic nostro similibus, sed æthereis, ac adeò subtilibus, ut simul invisibilia essent, incorruptibilia, ideòque nihil prohiberent quò minùs Spiritus appellarentur, cùm & ventos, & aërem nostrum, & tenuissimas in corpore humano sanguinis partes, per quas ceu vehicula quædam vegetandi ac sentiendi vis per nervos atque arterias, totumque corpus diffunditur, πνεῦμα seu spiritus vocabulo rectè, ob subtilitatem eorum, appellemus. Unde vera animalia illos esse credebant, ratione prædita, sed immortalia: & nunc substantias animales, nunc animalia aërea & æatherea appellabant. Nomina eorum, qui ita senserunt, unà cum testimoniis ex illorum libris depromptis, fusè referunt *Suarez lib. 1. de Angelis cap. 6. & Petavius loc. cit. cap. 1. & 2.* Inter Theologos ac Patres sunt, *Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, & in Apolog. 1. initio; Methodius apud Photium Cod. 234. paginâ 489. Origenes lib. 1. de Principiis cap. 6. & lib. 2. cap. 8. & lib. 4.* sub finem; *Theognostus apud Photium Cod. 106. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 16.* (tametsi alibi aliter sentiat;) *Macarius Homil. 4. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Joannem*; & alii multi apud citatum Suarez ac Patavium, quos inter sunt *Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Petrus Chrysologus, Cassianus, Fulgentius, Gennadius, Rupertus*, & alii. Non tamen merum corpus dixêre Angelos ac Dæmones, sed præter corpus aliud præstantius ac merè spirituale illis attribuêre dicti Auctores, præsertim D. Augustinus, alioquin hominibus longè deteriores esse censuissent; quod nefas est existimare, cùm inter Deum ac hominem medios statuant.

Angeli ac Dæmones sunt incorporei.

Alii tamen omnes antiqui Patres, cum universis Theologis ac Philosophis, negant Angelos ac Dæmones aut corpora esse, aut corpore præditos; ac meros esse spiritus arbitrantur, eosq; ἀσωμάτους, id est, incorporeos, & νόας, id est, *Mentes* seu *Intelligentias*, & deflexis ab illo vocabulo nominibus νοητὸς

Digitized by Google

& *νοητά*, *Intelligibiles* seu *Intelligentes* appellant. Nomina illorum ac testimonia longo ordine recitant citati *Suarez cap.6.* & *Petavius cap. 3.* Solus Cajetanus & Eugubinus ex recentioribus, & nonnulli ex antiquis, aliter de Dæmonibus sentiunt, quos iidem citant. Contrariam sententiam, quæ Angelos ac Dæmones vel mera esse corpora putat, vel illigatos corpori spiritus, non prorsus quidem hæreticam, hæresi tamen proximam judicant, ob decretum Concilii Lateranensis *cap. Firmiter*, quo definiri videtur illos esse meros spiritus. Et certè Scriptura Sacra eos sæpè spiritus ac spirituales nominat. *Nonnè omnes sunt administratorii spiritus?* Hebr. 1. 14. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & potestates, adversus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Ephes.6. 12. Sic etiam Dæmones *immundi spiritus* appellantur, vel absolutè *spiritus*, Luc.6. 18. & cap.11.26.

Spirituales creaturas dari probatur.

Dari ergò de facto naturas quasdam purè spirituales, inter Deum ac hominem medias (ac proinde intellectu, voluntate, ac virtute se movendi præditas) ex Scriptura Sacra videtur colligi. Idem colligit *Suarez in Metaph. disp.35. num.5.* ex eo, quòd omninò conveniens sit ad ordinem & perfectionem Universi, hunc gradum creaturarum in eo reperiri; & *D. Thom. 1. par. quæst.50. art. 1. in corp.* ex eo, quòd congruum sit, creaturas aliquas DEO assimilari, quantum assimilari possunt. Sed hæc & similia non nisi congruentiæ sunt: verisimilius id ipsum suadetur ex variis effectibus, quos in mundo videmus, qui vires omnes humanas, & corporeas excedere videntur, adeòque arguere principium aliquod sublimius ab omni corpore secretum, à DEO tamen, qui per causas secundas agit, distinctum. Inter hos effectus sunt primò antiqua idolorum oracula. Secundò ea, quæ fiunt in energumenis, præsertim ex ignoti idiomatis pronuntiatione; quæ quidem semper DEO attribui non possunt, cùm sæpè sint blasphema & impia, quæ proferuntur. Sed hæc licèt efficaciter probent dari naturas ratione præditas, humano corpori non illigatas, neque hæc posse phantasiæ viribus attribui (ut passim Athei, & nonnulli nimiùm Philosophi cum Cardano & Levino Lemnio faciunt) tamen non convincunt demonstrativè naturas horum effectuum auctores esse merè simplices ac spirituales: dicet enim aliquis, ea præstari posse aut ab animabus damnatis, aut à Geniis Platonicis, quorum ætherea corpuscula, ob subtilitatem, non obsint, quin citra dimensionum penetrationem in corpora humana se insinuent, & in iis prædictos effectus operentur. Hæc tamen ultima responsio satis refellitur ex *Marci cap.5.* ubi legitur, integram legionem Dæmonum possedisse unum corpus; quod fieri non potuisset, si corpora essent Dæmones; nisi affingere quis velit illis corpuscula instar atomorum. Legi potest *Theophilus Raynaudus* in Theolog. Natur. Dist.2.q.2. art.2.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

An, quando, ubi, in quo statu, producti sint Angeli, ac Dæmones.

§. I. Angeli ac Dæmones omnes à DEO sunt conditi.

ANgelos ac Dæmones à DEO fuisse productos, fatentur non solùm Catholici omnes, sed etiam antiqui Gentilium Philosophi, maximè Platonici, quorum Princeps in Timæo minores à summo DEO esse conditos refert. Et tametsi antiquorum quidam (quos inter videtur fuisse *Gregorius Nyssenus lib. de opificio homin. Cæsarius in Dialogo 3. ac Moyses Bar-cepha lib. de Paradiso*) opinati sunt, productis nonnullis primùm à Deo, alios ab aliis deinceps propagatos modo nobis non cognito; obsoleta tamen, & à nullo jam recepta est opinio illa, ac pro certo omnes tenent, universam Angelorum multitudinem eodem momento procreatam à DEO extitisse.

Angeli ac Dæmones producti fuerunt à Deo.

ADDITIO.

COntendunt aliqui, Aristotelem saltem ex Antiquis negasse, Intelligentias fuisse productas. Nam lib. 12. Metaph. tex. 41. & 44. sentit, Intelligentias esse infinitæ perfectionis; quod pugnat cum dependentia ab alio. Et lib. 8. Metaph. tex. 15. cùm asseruisset, in compositis & corporibus, causam cur hæc sint per se unum, esse materiam & formam, ex quibus ab agente adunatis existit compositum; negat rem ita se habere in substantiis immaterialibus, eò quòd eorum unaquæque statim sit id quod est, nec aliud quidquam sit causa cur hæ substantiæ sint ens, aut unum. Ita de Aristotele sentit *Holcot* quæst. 11. Determinationum art. 1. & *Gregorius* in 2. distinct. 1. q. 1. art. 1. cujus sententiam esse admodum probabilem censet *Vasquez* 1. par. disp. 81. cap. 1.

Sed contrarium meritò sentit doctissimus *Theophilus Raynaudus* in Theol. Natur. dist. 2. q. 2. art. 1. num. 37. cum *S. Thoma, Valentia, Suarez, Majore, Isidoro de Isolanis, Javillo, Soncinnate, Scoto, Nicolao de Orbellis*, & aliis, quorum loca allegat. Et videtur sanè mens Aristotelis apertè haberi ex lib. 2. Metaph. tex. 4. ubi dicitur, *Quod maximè est ens, esse causam aliorum omnium, sicut ignis quia maximè est calidus, est fons caloris.* Et lib. 5. Metaph. tex. 6. dicitur, *dari duplex ens necessarium, quoddam à se, quoddam ab alio.* Ubi nomine entis necessarii ab alio, intelliguntur Intelligentiæ, & cœli, eò quòd naturaliter non possunt destrui. Et lib. 1. Cœli cap. 9. ait Philosophus, *cæteras Intelligentias habere esse & vivere à prima.* Responsiones ad loca in contrarium allata lege apud citatum Raynaudum.

§. II. Angeli non sunt conditi ante mundum corporeum.

AD tempus quod attinet, nihil certi statui potest, cùm nec Scripturæ Sacræ auctoritas, nec naturalis ratio ea in re nobis suffragetur. Tametsi enim

Angeli non sunt creati ante mundū corporeum.

Digitized by Google

enim veteres aliqui procreationis Angelorum meminisse putârint Mosen, idque vel sub cœli nomine, ut *Origenes*, *Beda*, & *Strabo*; vel sub nomine lucis, quod *D. Augustinus* non reprobat, nec *Petrus Lombardus*; alii tamen multi fatentur illam prætermissam, eò quòd corporalia tantùm ac visibilia scribendo prosequi animus illi fuerit. Ita sentit *D. Chrysostomus*, *D. Basilius*, & alii apud *Petavium lib. 1. de Angelis cap. 15.* Itaque quando illi producti fuerint, hoc est, utrum ante res omnes aspectabiles, totumque illud opificium, quod initio Geneseos traditur à Mose, an cœlo ac mundo posteriores sint, perantiqua est & celebris quæstio. Nam alii ante cœlum, & ante omnia mundana corpora conditos esse volunt; alii post cœlum. Priorem sententiam antiquissimi quique Patrum amplexi sunt, maximè Græci, & qui Græcos sequi solent, Latini. Inter hos enumerat Petavius *loc. cit. Græcum quendam Scriptorem in vetusto codice manuscripto; Basilium Homil. 1. in Hexaëmeron; Gregorium Nazianzenum Orat. 28. & 42. Chrysostomum tom. 5. homil. 2. p. 7. & tom. 6. p. 86. Damascenum lib. 2. cap. 3. Dionysium lib. de Divinis nom. cap. 5. S. Ambrosium, Hilarium, Hieronymum, Cassianum, Bedam*, & alios. At verò nequaquam ante corpoream omnem & aspectabilem creaturam extitisse Angelos ac Dæmones, quidam è Græcis, plures è Latinis Patribus affirmant, nempe *Epiphanius*, *Theodorus Mopsuestenus*, *Theodoretus*, *Basilius Seleuciensis*, *Procopius Gazæus*, *Augustinus* multis in locis, quamvis alicubi dubius maneat; *Junilius Africanus*, *Eucherius*, *Gennadius*, & alii.

In hac ancipiti quæstione ego hæc statuenda censeo. *Primò*, Angelos non fuisse creatos ab æterno, quia Concilium Lateranense *cap. Firmiter*, docet, DEUM *simul ab initio temporis utramq; de nihilo condidisse creaturam, spiritualem, & corporalem.* *Secundò*, non esse creatos post mundum corporeum, quia *Job. cap. 14.* dicitur Behemoth, id est, Diabolus initium viarum DEI, nempè secundùm naturam, ut dicetur: & quia homini, qui sexto die creatus fuit, statim adfuit tentator Diabolus. *Tertiò*, creatos esse cum mundo corporeo, quia tametsi dissentiant multi Patres Græci, & Latini, ut vidimus, est tamen modò communis opinio, eamque tradit *D. Tho. 1. p. quæst. 61. art. 3.* Probatur ex Concilio Lateran. paulò antè relato, in quo ponderanda sunt verba, *simul ab initio temporis*, ob quam conjunctionem videtur omninò simultas temporis indicari. Non est tamen de fide; tum quia verba illa possunt explicari aliter, tum quia dubium est, an Concilium id definire intendat. Congruentia potest esse, quòd Angeli sint præcipua pars Universi, ac proinde simul cum illo productos esse decet.

Nec post mundũ corporeum: Sed cum mundo corporeo.

§. III. Angeli creati sunt in cœlo sidereo.

Angeli creati sunt in cœlo sidereo.

POsito quòd cum mundo corporeo conditi sint, meritò quæritur ubi sint conditi. Hæc circumstantia est æquè ac prior incerta. Mihi videtur conveniens asserere, Angelos creatos intra universum tanquam pars ejus; & qui-

Digitized by Google

& quidem in eo locò, qui propriè cœlum dicitur, quia Scriptura satis id insinuare videtur Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* Luc. 10. *Videbam Satanam quasi fulgur è cœlo cadentem.* Apocal. 10. dicuntur boni Angeli contra malos in cœlo præliari, eo nimirum, in quo creati sunt. Aliqui tamen negant hæc loca firmum suppeditare argumentum, eò quòd non sit in illis sermo de primo Diaboli casu. Sed in quo cœlo sunt conditi? empyreo, vel sidereo? *D. Thomas* 1. *p. qu.* 62. *art.* 4. vult in cœlo empyreo esse conditos, quia nobilissimas creaturas conveniens fuerit in nobilissimo loco creari. *P. Suarez* vult in cœlo sidereo, quia sic meliùs explicari putat, quomodo mali de cœlo deciderint, & tamen Lucifer dixerit Isa. 14. *In cœlum conscendam*, nempe ex sidereo in empyreum. Deinde quia inconveniens videtur, cœlum empyreum, qui locus est gloriæ, in quem *nihil coinquinatum introibit*, aliquando labe peccati in ipso commissi infectum fuisse. Mihi videtur probabilior hæc secunda sententia, præsertim quia etiam initio mundi sidereum cœlum immediatè infra empyreum extitit, ut in Mundo Mirabili probabo. De lapsu Angelorum mox erit sermo.

§. IV. Angeli fuerunt producti in statu gratiæ.

Circa statum, in quo creati sunt Angeli, & circa dona, quibus instructi, hæc statuo. *Primò.* Angeli creati fuêre à DEO ad finem supernaturalem per merita sua consequendum, qui in DEI visione beatificâ consistit, quia de facto nunc Sancti Angeli illâ fruuntur. *Secundò.* Ad hunc finem consequendum, eguerunt supernaturali gratiâ DEI, quia media debent esse proportionata fini; unde illa simul cum gratia sanctificante habuerunt omnes in primo creationis instanti. *Tertiò.* Hæc media fuerunt ab aliquibus adhibita, ab aliis verò neglecta; unde illi beatitudinem sunt consecuti, hi illâ unà cum gratia & omnibus donis supernaturalibus exciderunt. Probant hoc ultimum communiter ex variis Scripturæ locis; quæ tamen non videntur irrefragabilia, cùm de excellentia naturali in rigore intelligi possint. *Quartò.* Tempus, quo fuerunt in via, hoc est, in statu ad promerendam beatitudinem, videtur fuisse æquale in omnibus, quia non est credibile malis jam damnatis bonos ac fideles mansisse adhuc dubios de sua salute. Certum etiam videtur, tempus illud non excessisse multos dies, quia non multò post creationem hominis adfuit in serpente energumento tentator Diabolus. Nec etiam videtur fuisse planè breve unius aut alterius momenti, quia ex communi consensu SS. PP. & Doctorum, magno ex Scripturis fundamento, postquàm boni & mali primò innocenter egissent, Lucifer ex præcipuis unus rebellavit primus contra DEUM, tum alios ad rebellionem excitavit, cui consenserunt multi, & verosimiliter non omnes æquè primò; restiterunt boni submittentes se DEO, & zelantes honorem ejus, & factum

Angeli fuerunt producti in statu gratiæ.

Angelorum via quàm diu duraverit.

factum est prælium magnum in cœlo, Michaële bonorum duce illam fidelitatis tesseram ingeminante: *QUIS UT DEUS?* In hoc prælio deturbati sunt rebelles de cœlo, fideles translati in empyreum, & consecuti gloriam. Rebelles Angelos vocamus toto hoc libro Angelos malos, & Dæmones; fideles appellamus Angelos bonos, & simpliciter Angelos.

CAPUT IV.

Quanta sit multitudo Angelorum ac Dæmonum.

§. I. Quid veteres ea de re senserint.

Angelorum magnus est numerus.

MAgno numero bonos Angelos esse, sacræ Literæ passim nos docent, velut Daniel. 7. v. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Apoc. 5. v. 11. *Et erat numerus eorum μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων.* Quibus verbis significatur innumerabilis multitudo, quam Latinus interpres ita concepit: *Et erat numerus eorum millia millium.* Psal. 67. vers. 18. *Currus DEI decem millibus multiplex.* Job. 25. cap. *Nunquid est numerus militum ejus?* His omnibus locis incertus numerus, & propemodum infinitus exprimitur. Igitur nonnullis Veterum placet, eam esse rationem multitudinis Angelorum ad hominum numerum, quæ est nonaginta novem ad unum, quoniam id suadere videtur parabola illa hominis *Matth. 18. & Luc. 15.* qui centum oves habens unam amisit, eamque relictis nonaginta novem quæsitum abiit, & inventam humeris reportavit. Ita sensit *S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Gregorius Nyssenus, Cyrillus Hierosolymitanus, Didymus cæcus* apud Maximum Martyrem, *Titus Bostrensis,* & alii. Imò *S. Dionysius lib. de Cœlesti Hierarchia* cap. 14. *Cyrillus, & Severinus Gabalitanus* existimant, Angelorum numerum esse innumerabilem; quos *S. Thomas* sequitur *in 1. par. q. 50. a. 3.*

§. II. Nostra de eadem re sententia.

IN hac disceptatione de Angelorum multitudine ut aliquid statuam, Suppono I. Quantuscunque sit numerus Angelorum, magnum aut parvum dici non posse, nisi comparativè, hoc est, comparando illum cum aliquo numero; cùm absolutè magnus aut parvus nullus sit numerus: quantuscunque enim concipitur, si fiat ut unitas ad illum, sic ille ad alium, hoc est, si is multiplicetur per se, non erit major respectu producti, quàm unitas respectu illius. Ut ergò statuamus magnum esse numerum Angelorum; illum cum alio quodam magno numero comparare debemus, & videre utrum sit illo major.

Suppono II. Nullum esse numerum rerum de facto existentium, qui numerari à nobis, & aliqualiter exprimi nequeat, etiam distinctè, ut de facto numeravit Archimedes numerum arenularum, quarum decem millia granum

granum papaveris æquarent, qui repleret totum ſpatium mundanum uſque ad firmamentum; & nos *3. par. Magiæ Univerſal. lib. 8.* numeravimus grana papaveris, quæ decem milliones mundorum noſtro æqualium implerent, imò tot mundos, quot globus terreſtris capax eſt granorum papaveris; & alios his longè majores numeros diſtinctè expreſſimus.

Numerus Angelorum major eſt, quàm hominum qui fuerunt, ſunt, & erunt.

His ſuppoſitis, Dico probabile eſſe, numerum Angelorum eſſe majorem numero omnium hominum qui ſunt, fuerunt, & erunt. Omiſsâ aliorum congruentiâ, quòd nobiliores creaturæ ſuperare debeant ignobiliores, aut mole, aut numero; probo id aliâ congruentiâ in hunc modum. Non eſt veriſimile, Angelos cœli empyrei incolas tam paucos eſſe, ut totum ferè relinquerent vacuum, etiamſi quilibet totum illud ſpatium occuparet, quod ſphæræ ſuæ latitudo expleret: nam cùm aula illa cœleſtis à DEO condita ſit propter incolas, proportio aliqua inter illam & illos quoad habitationem ſervanda eſt; quis enim urbem ingentem, aut ingens palatium, unius ſolius aut paucorum hominum gratiâ ædificet? Atqui ſi Angelorum numerus hominum numero non eſſet multò major, id ſequi neceſſe eſt; ergò &c. Probatur minor. Hominum de facto exiſtentium numerus multùm abeſt ab eo, qui milleſimam partem ſuperficiei Terraquei globi occuparent, ſi ſingulis quinque pedum quadratum tribueretur; quod facilè quivis dabit, ſi attenderit, quanta ſint ſpatia ab hominibus vacua, marium, camporum, ſylvarum, deſertorum, & quòd nè in populatiſſimis quidem urbibus tot ſint homines, qui expleant earum ſuperficies, etiamſi ſingulis tribuatur quadratum quinque pedum; Ergò ut tot ſint homines, qui totam Terraquei globi ſuperficiem dicto modo occuparent, oporteret ſaltem millies plures eſſe homines, quàm de facto exiſtunt. Ponamus jam triginta annorum ſpatio omnes mundi homines eſſe novos, æquatione ſcilicet factâ eorum, qui infra & ſupra trigeſimum annum moriuntur: triginta ergò annorum millibus (quàm diu veroſimiliter generationes non fient) habebitur numerus hominum non major, quàm quot ſunt in terraquea ſuperficie quinque pedum quadrata; quæ aſſumptâ Terræ perimetro milliarium Italicorum 21600, ſunt 743040000000000, id eſt, ſeptingenti quadraginta tres milliones millionum, & quadraginta millia millionum. Etenim ſi perimetro Terræ demus milliaria Italica 21600, erit diameter milliarium Italicorum ſimplicium 6880, ſuperficies convexa milliarium quadratorum 148608000, ſeu paſſuum quadratorum 148608000000000, pedum verò quadratorum 3715200000000000; ultimus numerus, ſi dividatur per 5, habebis quadrata quinque pedum 743040000000000.

Si jam hic numerus ad vaſtitatem cœli empyrei transferatur, cùm Terra reſpectu Firmamenti puncti inſtar ſit, ac proindè multò magis reſpectu

 empy-

empyrei; patet quantulam ejus partem sit occupaturus: nimirum longè minorem quàm millesimam. Quod ut pateat, assumatur cum Alphragano diameter convexi Firmamenti (linea nimirum ab ejus convexo per centrum mundi ad convexum ejusdem) milliarium Italicorum 323769887 (quamvis revera longè major sit, ut in Mundo Mirabili dicam; (erit, *per ea, quæ diximus in Cursu Mathem. l. 6. par. 2.* peripheria circuli maximi illius milliarium 1017562502 simplicium, area verò milliarium quadratorum 31485898667603693, superficies denique convexa milliarium itidem quadratorum 125967594670414772, passuum verò quadratorum 125967594670414772000000, pedum denique quadratorum 31491898667619300000000; in quo numero numerus suprà positus, qui totam Terræ superficiem in pedibus quadratis exprimit, continetur plus quàm millies millies. Ac tot vicibus superficies convexa Firmamenti continet convexam superficiem Terræ, positis superioribus hypothesibus. Cùm ergò vera superficies convexa Firmamenti sit longè major, quàm ea, quam posuimus, cœli verò empyrei superficies sit adhuc sine comparatione major, quàm Firmamenti superficies; quam proportionem habebit Terra ad Empyreum? certè longè minorem, quàm 1. ad 1000000000. Ac tot Angelos ponere, quoties millesima pars superficiei terrenæ continetur in superficie convexa empyrei, nullum videtur inconveniens. Quare si demus Angelum quemlibet (æquatione factâ inter summos & infimos) occupare sphæram extensionis millesimæ terrenæ superficiei parti æqualem (quæ admodum magna est) vix totam empyrei cœli superficiem occupabunt.

§. III. An plures sint Angeli boni, quàm mali.

Angeli boni sunt plures, quàm mali.

ASsertio nostra circa multitudinem Angelorum procedit de omnibus Angelis, tàm bonis, quàm malis, simul sumptis. Quæri solet, an plures sint Angeli boni, quàm mali. Respondetur, plures esse bonos, quàm malos: primò, quia æquum est misericordiam DEI & remunerativam justitiam in pluribus, quàm vindicativam relucere: secundò, quia ita declaratur *Apoc. cap. 12.* ubi dicitur *Draconem*, id est, Luciferum, *traxisse tertiam partem* stellarum, id est, Angelorum, *cœli caudâ suâ.* Verùm hæc non convincunt. Non primum, alioquin dicendum foret, plures homines salvari, quàm damnari; quod falsum videtur. Nec secundum, quia multi per Draconem intelligunt Anti Christum, & per stellas intelligunt fideles ab ipso seductos. Quod tamen ad draconem attinet, videtur omninò designari Lucifer, quia draco hic idem est manifestè cum illo, qui in fine ejusdem *cap. 12.* dicitur persequi mulierem, uti & initio capitis dicitur; is autem de quo in fine, haud dubiè est Lucifer, idem nempe, qui paulò antè refertur contra Michaëlem in cœlo pugnasse. Si igitur tertia pars Angelorū de cœlo tracta est à Lucifero, Angeli boni excedent malos circiter in duplum.

Ex

Ex dictis colligitur I. erraſſe *Ariſtotelem*, qui *lib. 8. Phyſic. & lib. 12. Metaphyſ.* non plures Intelligentias ſeu Angelos admittit, quàm ſint diverſi motus corporum cœleſtium. Colligitur II. errare omnes, qui certum Angelorum numerum adſignant, cùm nihil certi hac in re ſtatui queat.

Ariſtotelis error circa numerum Intelligentiarum.

CAPUT V.

Quid Angeli ac Dæmones naturaliter cognoſcere poſſint.

CUm Angeli ac Dæmones inter Deum ac homines mediæ ſint ſubſtantiæ, homineque perfectiores; longè nobiliore, quàm hic intelligendi vi ac modo præditos eſſe concedendum eſt. Inter alia tamen objecta, de quibus dubium eſt, an extendat ſe Angelicus intellectus, ſunt ſequentia.

Cognitio Angelorum ad quæ ſe extendat.

§. I. An Angeli ac Dæmones poſſint cognoſcere occultas aliorum Angelorum ac hominum cogitationes, ac volitiones.

OCcultas inquam, quas nullo ſigno manifeſtant, & arcanas apud ſe continere volunt. Has alii ſecreta cordis appellant. Qua in re communis eſt Patrum ac Theologorum opinio, non poſſe Angelos ac Dæmones cordium ſecreta immediatè in ſe, & nullo ſigno aut effectu præcedente, abſque conſenſu elicientis, cognoſcere naturaliter ac propriis viribus. Colligitur ex ſacris Scripturis, quæ multis in locis tanquam peculiare hoc DEO concedunt, ac pro divinitatis argumento afferunt, quòd abditas in corde cogitationes ac volitiones introſpicit. Sic 3. Reg. cap. 8. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Jerem. cap. 17. *Pravum (juxta LXX. Interpr. profundum) eſt cor hominum, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.* Quibus in locis, aliiſque, quæ omitto, *cordis* nomine veniunt tàm internæ ac ſecretæ mentis cogitationes, quàm voluntatis motus, tàm hominum, quàm Angelorum: ſi enim nemo præter DEUM novit abſcondita hominum, multò minùs Angelorum ſecreta quiſpiam cognoſcet, cùm utrobique æqua militet ratio.

Angeli ac Dæmones non cognoſcunt ſecreta cordium.

Quæ quidem ratio hujus occultationis non eſt, quod actus illi non ſint naturales, id eſt, neceſſarii, ſed liberi; nec quòd ſoli DEO, & ſuppoſito elicienti ſubdantur; nec quòd naturâ ſuâ ſint indifferentes; nec quòd ſint in profundo animæ; nec quòd eorum non habeantur ſpecies; nec quòd Deus deneget concurſum ſuum ad illos cognoſcendos (has omnes cauſas aliqui afferunt;) ſed eſt ipſa natura talium actuum, quæ talis eſt, ut citra voluntatem elicientis nequeant objectivè concurrere ad ſui cognitionem in intellectu alterius; poſitâ autem hâc voluntate, ut naturali conditione applicante, poſſint. Hanc autem eſſe naturam talium actuum, cognoſcimus

Digitized by Google

partim per revelationem ex Scriptura sacra locis cit.& aliis, partim ratione naturali, quia nimirum omninò conveniens est, imò necessarium ad confusionem vitandam, ut in societate invicem subordinata,ad quam natura intellectualis ordinata est, possit quilibet sua consilia & intentiones pro arbitrio alterum celare, aut manifestare. Ita *P. Ignatius Der Kennis disput. 2. de Angelis cap. 5. §. 3.* Nec mirum aut novum videri debet,quòd ad talium actuum naturam recurramus, nec aliam ulteriorem causam talis naturæ adsignemus; omnis enim causarum series, quæ ad effectum aliquem explicandum adducitur, tandem in natura alicujus sistere debet, quâ ulterior ratio non datur, nec dari potest à nobis. Sic quærenti, quare sol producat lumen,ignis calorem,&c. nihil aliud responderi potest, quàm illam esse naturam talium entium: & licèt aliæ immediatæ causæ afferrentur,tamen eò tandem venire necesse est. Quòd autem voluntas claudat & aperiat mentis arcana tanquam necessaria conditio, illustrari potest per alias multas operationes, quæ à potentiis suis egredi non possunt, nisi applicante voluntate, aut appetitu; sic enim potentia locomotiva in animali otiosa est,nisi applicata; & potentia intellectiva respectu objectorum non evidentium nequit elicere assensum,nisi imperante voluntate &c.

Secreta cordium quænam sint, quæ Angelos ac Dæmones latent.

Sub nomine porrò *secreti cordium*,intelliguntur actus liberi,& judicia eorum directiva,ut sunt consilia,deliberationes,&dictamina practica:item omnes illi actus intellectus ita connexi cum actibus liberis, ut cognosci nequeant nisi & illi cognoscantur, ut sunt actus reflexi super actus liberos & dictamina prædicta, species memorativæ, & habitus ex secretis actibus relicti. Actus verò seu intellectus,seu voluntatis,planè necessarii, cum libero arbitrio non connexi, non videntur esse secreti: uti nec actus phantasiæ,& appetitus sensitivi,etiam imperati; imperium tamen ipsum latet. Scio, ante non multos annos dæmonem ex quadam persona energumena loquentem revelasse multas accedentium cogitationes occultissimas, & nullo externo signo proditas: Sed dicendum est,illos,qui curiositate ducti experiri volebant, num dæmon illas sciret, hoc ipso voluisse ut sciret, ac proindè non voluisse esse occultas.

§. II. An Angeli ac Dæmones futura præcognoscere possint.

Futurorum quatuor sunt genera.

Quatuor sunt genera futurorum,de quibus quæstio instituitur. Primi generis sunt illa, quæ necessariis & eodem semper modo se habentibus causis continentur,nisi ab Auctore naturæ impediantur; ut sunt cœlestium corporum conversiones atque concursus, Solis ac Lunæ defectiones & alia hujusmodi,quæ non solùm naturali necessitate,sed etiam rectâ & constanti lege contingunt. Secundi generis sunt,quæ naturales quidem causas habent,sed multas ac varias, quarum concursus facilè impediri potest ab aliis etiã necessariis causis,ac proindè vel rariùs contingũt, vel non eodem

Digitized by Google

eodem ſemper modo; cujusmodi ſunt cometæ, terræ motus, pluviæ, ſiccitates, tempeſtates, aëris infectiones, elementorum ac corporum affectiones, & alia, quæ caſu evenire dicuntur. Tertii generis ſunt, quæ tota ex libera voluntate pendent, vel hujus impulſu geruntur extrinſecùs; ut ſunt homicidia, aliaque ſcelera, aut benè geſta, electiones ad certa officia ac dignitates &c. Quarti generis ſunt miſta quædam ex neceſſario ac libero, quorum efficiens cauſa eſt quidem libera hominum voluntas, ſed cum iis externa quoque concurrunt velut diſpoſitiva & inclinantia, ut ſunt aëris diſpoſitiones, corporum qualitates ac temperamenta, aliaque, quæ extrinſecus adjacent, & magnam vim habent ad commutandos, & quodammodo afficiendos hominum animos. Tales effectus ſunt bella, ſeditiones, privati cujusque mores, & alia hujus generis.

Futura an, & quænam cognoſcant Angeli ac Dæmones.

Quæritur, an, & quænam ex hiſce præcognoſcant Angeli ac Dæmones. Ratio dubitandi eſt, quia ex una parte communis fuit ſemper, & etiam num eſt, mortalium omnium perſuaſio, dari quandam futurorum præſenſionem, ut docent non ſolùm Prophetarum DEI, ſed Gentilium etiam vatum prædictiones, ac Dæmonum ex oraculis reſponſa. Ex alia verò parte prædictio futurorum videtur eſſe divinitatis nota, ac DEI propria, unde & apud Latinos divinatio appellatur, & in Scriptura ſacra ſoli DEO adſcribitur. Nam apud *Iſaiam cap. 41. verſ. 22.* Dominus DEUS æmulos divinitatis ſuæ ad hanc cognitionem provocat: ***Accedant, & nuntient nobis quæcunq; ventura ſunt: priora, quæ fuerunt, nuntiate: & ponemus cor noſtrum, & ſciemus noviſſima eorum; & quæ ventura ſunt indicate, indicate nobis. Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos.*** Et alio loco apud eundem *Iſaiam cap. 44. verſ. 6.* ait Dominus: ***Ego primus, & ego noviſſimus, & abſque me non eſt DEUS. Quis ſimilis mei? vocet, & annuntiet &c. ventura, & quæ futura ſunt, annuntient eis.*** Hac in controverſia ſtatuo ſequentia.

I. Effectus primi generis, hoc eſt, neceſſarios ex cauſa naturaliter inimpedibili orituros, poteſt Angelus ac Dæmon certò præſcire, ſub hac tamen conditione, ſi DEUS communem curſum non impediat. Sic poteſt præſcire eclipſes Solis ac Lunæ, & reliqua motuum cœleſtium phænomena. Patet, quia homines hæc poſſunt præſcire, & de facto præſciunt Aſtronomi; ergo & Angeli. Et ratio eſt, quia hujusmodi effectus in ſuis cauſis determinati ſunt.

II. Effectus ſecundi generis, qui pendent ex complexione multarum cauſarum neceſſariarum, quibus libera cauſa non intervenit, poſſunt etiam certò præſcire Angeli ac Dæmones, ſi totam illam cauſarum complexionem penetrent. Sic ſcire poſſunt, meſſem poſt annum futuram copioſam, aut ſecus; tali loco ac tempore futuram pluviam &c.

III. Iidem effectus ſecundi generis poſſunt aliquando ab adeò multis

 cauſis

causis dependere, ut superent vim naturalem cognitivam Angelorum, v.g. quot folia futura sint in arbore post annos aliquot, quot muscæ nasciturae intra illos, & similia. Ratio est, quia multis modis una aut plures talium causarum mutari aut impediri queunt intra tempus illud, quod nunc latere potest Angelum.

IV. Effectus tertii generis, qui nimirum toti pendent à causa libera proximè, vel remotè, non possunt Angeli vi naturæ certò præscire. Et de his intelligenda sunt loca Scripturæ allata; nam alios effectus jam antea recensitos præcognoscere non est signum divinitatis, cùm etiam ab Angelo præsciri queant. Ratio optima videtur hæc, quòd hujusmodi effectus neque præsciri possunt in causa, neque in se ipsis; ergo nullo modo. Non in causa, quia hæc, cùm sit voluntas libera, indifferens est ad effectus ponendos, vel non ponendos, ac proinde nullum effectum determinatè continet; unde nec DEUS prænoscit illos in causa. Non in seipsis, quia cùm non existant, non possunt movere aut determinare intellectum; neque hic ex se determinatus est ad illos cognoscendos: non enim, cùm limitatus sit, ad omnes cognoscendos determinatus est, qui à voluntate produci possunt; neque ad hunc vel illum præ aliis, cùm omnia indifferenter se habeant quoad intelligibilitatem.

Ex contraria ratione DEUS futura libera cognoscit, tum quia ex illimitatione sua determinatus est ad cognoscendum omne verum, tum quia illa æternitati divinæ præsentia sunt modo à Theologis explicari solito, dum de cognitione DEI tractant in 1. parte Summæ S. Thomæ.

Si dicas, posse non solùm Angelos, sed etiam homines cognoscere actus liberos præteritos, qui tamen non magis existunt, & sunt ens, quàm futuri; cur ergò saltem Angeli non possunt præcognoscere futuros? Respondeo, eandem esse rationem actuum præteritorum, quæ futurorum, si præteriti nunquam fuerunt cogniti; tam enim, quando desierunt, sunt non ens, ut dictum, quàm futuri: at si cogniti fuerint, reminiscendo iterum recognosci possunt virtute specierum memorativarum.

Si iterum dicas, Angelos habere humanorum actuum liberorum species infusas, aut saltem illas à DEO habere; cur ergo non possent actus prædictos naturaliter præcognoscere? Respondeo, Angelos non habere illas species, nec si haberent, illis prodessent, ob rationem dictam §. præcedenti. Quòd si à DEO illis infunderentur, cognoscerent quidem futuros illos actus, sed non naturaliter, seu ex natura potentiæ cognoscitivæ, sed præter exigentiam ipsius.

V. Effectus quarti generis possunt Angeli ac Dæmones præcognoscere conjecturaliter sub aliqua probabilitate, vel verisimilitudine. Ratio est, quia possunt intimè perspectam habere complexionem hominis, atque

ex

Digitized by Google

ex hac natam propensionem, mores, decreta animi externis signis manifestata, conspirationibus mutuis roborata, & his similia.

Ex his Dæmones futura prædicunt, sed fallibiliter. Unde, ut suam ignorantiam celent, sæpè utuntur amphibologiis; aut si DEUS permittat, ipsimet à se prædicta procurant, ut fiant. Habent etiam longam rerum experientiam, & illâ freti multa prædicunt Dæmones, aut per se in oraculis, aut per suos. Præterea illa, quæ procul fiunt, aut jam jam imminere certò sciunt, alio in loco sitis aperiunt. Demum, quæ ipsi facturi sunt, aliquando velut divinando prædicunt. His modis fallunt miseros mortales.

Futura quomodo prædicant Dæmones.

An, & quid ex astris prænoscere ac prædicere queant Dæmones, examinabimus, cùm de Mirabilibus cœli agemus suo loco.

CAPUT VI.

An, & quomodo Angeli ac Dæmones inter se loquantur.

ANgelos ac Dæmones loqui inter se, id est, internos conceptus & mutua consilia invicem manifestare, certum est ex Scriptura sacra, quæ passim eorum inter se colloquia refert; & naturali constat ratione, propterea, quòd membra sint unius Reipublicæ spiritualis, inter quæ intercedere debet moralis quædam societas & communicatio.

Angeli ac Dæmones inter se loquuntur.

De modo, quo hæc locutio contingit, magna est opinionum varietas, adeò, ut ad decem facilè reperiantur. Nonnullas breviter referam, ac rejiciam; deinde quam judico veriorem, afferam.

Tres proprietates requirere videtur Angelorum locutio mutua. Prima est, ut sit libera, possitque ab illis fieri, quando volunt, & non fieri, quando non volunt: hanc enim conditionem habet hominum inter se locutio; ergo multò magis Angelorum. Secunda est, ut unus ita possit loqui cum alio, ut alii, etiam præsentes, non percipiant: hoc enim debitus ordo manifestandi unis, & celandi alios secreta exigit; & cùm hominibus id concessum sit, Angelis non est denegandum. Tertia est, ut loquens possit excitare illum ad audiendum, cui loqui vult, etsi aliis rebus aut cogitationibus sit intentus: hoc enim hominibus est concessum, & misera esset Angelorum conditio, si nullus posset alium vocare, vel interpellare, hoc est, ad audiendum excitare, sed vel exspectare deberet, donec alter ad audiendum se applicaret, vel in incertum dirigere locutionem suam. Illa ergo sententia circa modum Angelicæ locutionis optima est judicanda, quæ has tres conditiones meliùs salvat; illa inconveniens, quæ in aliquo deficit.

Locutio Angelorum, quas conditiones requirat.

Primò igitur, Angelorum locutio non fit imprimendo certos characteres

res cœlis, aut formando voces in aëre, aut per alia signa sensibilia; nec etiam per signa instrumentalia spiritualia, sive hæc ponantur naturaliter significativa, sive ad placitum. Ratio est, quia hic modus repugnat secundæ conditioni. *Secundò*, non fit præcisè per cognitionem reflexam super conceptum, vel quasi reflexam super actum voluntatis, quem loquens alteri insinuare vult. Ratio est, quia hic modus nec secundam, nec tertiam conditionem salvat: imò nec primam semper. *Tertiò*, non fit per meram ablationem velaminis ipsius conceptus, quod sit nolitio, vel potiùs carentia volitionis, quâ loquens velit suum conceptum alteri patere, ita ut nihil agat in audientem, quo ipsum excitet. Ratio est, quia hic modus non salvat tertiam conditionem: si tantùm enim auferatur prædictum velamen, habebit se alter ad actum jam detectum eo tantùm modo, quo ad alia quævis objecta, quæ ex natura sua nullum velamen habent.

Locutio Angelorum quomodo fiat.

Rejectis his sententiis, statuo, Angelicam locutionem fieri per directionem liberam cóceptuum ac voluntatum internarum, quâ loquens vult actus suos alteri patere. Et quidem si volens loqui alteri, & dirigere actus suos internos ad ipsum, advertat illum esse applicatum ad audiendum; loquitur, hoc est, dirigit ad ipsum actus suos, sine alia prævia excitatione; sicuti inter homines etiam contingit: si autem advertat illum non esse applicatum; excitat, sed non aliter ordinariè quàm locutione, eâque vel distinctâ ab illa, quam vult alteri manifestare, vel illâ ipsâ; quam manifestare cupit. Præterea, sicut homo loqui volens, excitat alterum quandoque aliis signis à locutione distinctis, ut nutibus, trusionibus, & similibus; ita & Angelus loqui volens, potest excitare alterum Angelum aliis signis à locutione distinctis. Ratio hujus sententiæ est, quia salvat tres conditiones suprà positas: nam talis locutio fit liberè, ut patet; & non percipitur, nisi ab illo, cui vult loqui Angelus, ut constat ex dictis cap. præcedenti §. 1. & fit præviâ excitatione, ubi opus fuerit. Æstimo tamen, sicut unus Angelus non potest excitare alterum in quavis distantia, sic nec loqui ipsi posse, sed in illa tantùm, in qua illum excitare potest: ad eum modum ferè quo idem inter homines contingit.

CAPUT VII.

De sphæra extensionis Angelicæ, & quomodo possint se intra & extra illam movere.

ANgelorum substantia capax est alicujus extensionis, seu diffusionis per reale spatium, cui coëxistit. Ratio est, quia ex nullo alio capite desumi potest repugnantia diffusionis, quàm ex indivisibilitate conjuncta cum spiritualitate: at ex illo capite peti non potest in Angelis, cum constet animam indivisibilem, imò & DEUM diffundi; ergo &c.

§. I. Quanta

§. I. Quanta sit sphæra extensionis Angelicæ.

Sphæra extensionis Angelicæ, quanta sit, & cujus figuræ.

EXtensio seu diffusio Angelica est certis limitibus circumscripta, pro ratione perfectionis, quos naturaliter non potest excedere Angelus. Quòd limitata sit, patet ex eo, quòd sit quædam perfectio, utpote participatio immensitatis divinæ; omnis autem perfectio creaturæ communicata, limitata est de facto. Quòd autem connaturaliter tantò sit major, quantò substantiæ perfectio major est, communis est sensus, licèt ratio convincens afferri non possit, nisi quòd quemadmodum potentia locomotiva, tàm respectu sui, quàm respectu mobilis, perfectioni proportionari conveniens est, ita & sphæra extensionis.

Quanta porrò sit sphæra Angelicæ diffusionis, nè conjecturâ quidem assequi possumus, nisi quòd maximorum gigantum moles etiam infimos Angelos excedere doceat nos animæ rationalis expansio, quæ molibus illis coëxtendi potest, ac solet. Ex quo colligimus, supremorum Angelorum sphæram esse valdè amplam. Nullum tamen posse in infinitum extendi, docet repugnantia infinitudinis actualis in creatura.

Quæri solet, an sub quacunque figura latitudinem sphæræ suæ explere possint Angeli; ut si adæquare possint sphæram, cujus diameter sit decempedalis, v. g. possint etiam quamcunque aliam figuram sphæræ isti æqualem, v. g. cylindrum cujuscunque longitudinis datæ, & latitudinis tantò minoris. Mihi non videtur Angelis naturaliter competere hujusmodi sub quacunque figura extensionem: nam alioquin Angeli boni possent simul esse in cœlo & in terra in tenuissimum cylindrum se extenuando: Dæmones item ab una parte Terræ in aliam se continuò extenderent, ut pluribus præsentes simul nocerent.

§. II. Quomodo Angeli possint se movere intra sphæram suæ diffusionis, vel per aliud medium.

Angelus intra sphæram suam potest se contrahere, & dilatare.

POsse se Angelos movere, dubitari nequit. Posse etiam intra sphæram suam contrahere sese, ac dilatare pro libitu, & non necessariò occupare debere totam sphæram suam, communis & vera est opinio: nam uti pro arbitrio se sistere possunt huic vel illi spatio, ita etiam minori vel majori, cùm ab illo non dependeant. Imò etiam ex hac independentia à spatio sequitur, posse existere indivisibiliter, &, ut ita dicam, punctualiter absque ulla extensione: eo ipso enim quòd substantia indivisibilis est, neque habet absolutam extensionem intrinsecam, neque præsens est corpori, existit indivisibiliter, carens omni formâ extendente. Id autem quo pacto fiat, dicetur postea Assertione sextâ. His positis ceu fundamentis, statuo sequentia cum *P. Ignatio Der Kennis Disp.* 3. de Angelis.

I. Non potest se Angelus quacunque celeritate movere. Ratio est, quia

Angelus non potest


Digitized by Google

se quacunque celeritate movere.

quia si id posset, haberet potentiam motivam actu infinitam; omnis enim potentia, quæ effectum respicit sub infinitudine potentiali, infinita est, utpote quæ à nullo determinatur ac limitatur. Imò, si posset se quacunque celeritate movere, posset etiam alia quæcunq; mobilia ita movere: nam quatenus se sic determinatè movere potest, potest & aliud quoddam aliquâ celeritate; non enim quælibet resistentia sistere potest omnino potentiam motricem in certo gradu determinatam: ergo movere potest idipsum celeritate majori, quatenus se potest majori quàm illâ, quæ primò comparabatur cum mobili, & sic in infinitum procedendo. Hinc efficitur quòd sequitur.

Nec potest in instanti deserere totum spatium quod occupat.

II. Non potest Angelus simul & instantaneè totum spatium quod occupat, deserere, & ponere se in proximo totaliter alio. Ratio est, quia alioquin movere se posset quacunque celeritate datâ, hoc est, posset dato tempore percurrere spatium quodcunque datum. Sit enim datum tempus A. & spatium percurrendum sit B: concipiatur tempus divisum in tot partes, quoties continetur spatium, quod simul occupat Angelus, in spatio decurrendo, quod



sit v. g. trium leucarum: potest qualibet parte dati temporis conficere spatium æquale sphæræ suæ, aut illi quod primò occupabat, si simul & instantaneè potest; ergo potest totum spatium datum decurrere omnibus partibus temporis dati, hoc est, dato tempore, quantumvis exiguo; ergo quâcunque celeritate potest se movere; quod est contra primum assertum.

Eodem argumento demonstratur, nec posse Angelum simul & instantaneè occupare spatium quantumcunque exile.

Nec in instanti se expandere intra sphæræ suæ latitudinem.

III. Non potest Angelus intra latitudinem sphæræ suæ se instantaneè expandere. Sequitur ex proximè dictis. Sit enim sphæra tota, quam occupare potest Angelus, exempli gratiâ decempedalis, & occupet primò Angelus spatium pedale tantùm: deinde diffundat se, si fieri potest, simul ad alios pedes novem, & occupet totam sphæram, quam potest; poterit etiam eosdem novem occupare deserendo spatium pedale priùs occupatum, nam non necessariò totam sphæram occupat, & poterat tantùm octo aut pauciores pedes de novo occupare: Ergo occupatis novem pedibus de novo, poterit deserendo primum rursus ad decimum proximum se extendere instantaneè, cùm hic compleat sphæram, & sic semper; ergo consequuntur omnia absurda in præced. Assertione relata.

Nec intra eandem se contrahere instantaneè.

IV. Nec potest Angelus intra eandem latitudinem sphæræ suæ se instantaneè contrahere. Ratio est, tum quia contractio illa est motio quædam, non minùs quàm dilatatio: tum præcipuè quia Angelus posset etiam alia mobilia secum quacunque celeritate trahere: nam quatenus se

con-

Digitized by Google

contrahere poteſt determinatâ celeritate, poteſt & aliud quoddam aliquâ celeritate ſecum trahere; ergo & majori; ergo quacunque, ut diximus in Aſſertione prima.

V. Non poteſt Angelus tranſire ab extremo ad extremum ſpatium ſine medio. Ratio eſt, quia ſi id poſſet, poſſet etiam ſpatium quod occupat, deſerere inſtantaneè, & ponere ſe in proximo; nam ſi poſſit inſtantaneè ſe ponere in ſpatio diſtanti, à fortiori poteſt in proximo: atqui hoc non poteſt, ut probatum eſt Aſſertione ſecunda; ergo.

Nec tranſire ab extremo ad extremum ſine medio.

VI. Poteſt Angelus eſſe in indiviſibili, ſeu carens omni extenſione. Ratio eſt, quia extenſio omnis ſpirituali ſubſtantiæ accidentaria eſt, & abſque ea omnes immanentes actiones æquè expeditè elicere poteſt, utpote à loco planè independens; ergo &c. Nec refert, quòd fortaſsè extenſio neceſſaria ſit ad operandum tranſeunter in corpora, quia hæc operatio planè eſt Angelo libera, & poteſt ab omni ceſſare.

Angelus poteſt eſſe in indiviſibili.

VII. Hujuſmodi ſtatum indiviſibiliter exiſtendi poteſt obtinere Angelus contrahendo ſe ſucceſſivè ad punctum ſphæræ ſuæ; imò aliter non poteſt ex vi Aſſertionis quartæ. Ratio eſt, quia poteſt ſe contrahere ad dimidium ſphæræ aliquo tempore A; ergò tempore B dimidio ipſius A ad dimidium extenſionis reliquæ, & rurſum tempore C dimidio ipſius B ad reliqui dimidium, & ſic conſequẽter ſemper tempora proportionatè accipiendo ad ſpatia contractionis: hâc autem progreſſione tempore duplo ipſius A devenitur ad punctum ſeu nihilum extenſionis; tempore enim minore, quàm duplo devenitur ad extenſionem quâlibet datâ minorem; ergo &c.

VIII. Poſſunt plures Angeli eſſe ſimul in eodem loco. Ratio eſt, quia ſunt penetrabiles invicem, utpote indiviſibiles; & nihil eſt extrinſecum, quod impediat hanc coëxiſtentiam Angelorum cum eodem corpore. Imò, quando Dæmones poſſident corpora humana, de facto ſunt ubi eſt anima; ergo & anima & Dæmon ſunt in eodem loco; quid ni ergo id queant plures Angeli?

Angeli plures poſſunt in eodem loco ſimul eſſe.

CAPUT VIII.

De potentia Angelorum ac Dæmonum movendi ac detinendi alia à ſe.

ANgelos ac Dæmones movere ac detinere poſſe ac ſolere alia à ſe, indubitatum eſt, & patebit ex multis exemplis in ſequentibus. Ea verò vel ſunt corpora, vel ſpiritus. Singulos caſus examinabimus, ut dicendis in ſequentibus præludamus.

§. I. Quomodo Angeli ac Dæmones moveant ac detineant corpora.

CErtum eſt id aliter fieri ab Angelo aſſiſtente, quàm ab anima informante: nam hæc nihil poteſt in extrinſeca corpora, niſi mediante ſuo cui præ-

Angeli quomodo moveant corpora.

Digitized by Google

præsidet, quod movens alia movet; Angelus autem assistens extrinsecum corpus movet immediatè absque instrumento. Modus, quo id faciat, duplex excogitari potest: primò, ut aliquam virtutem motivam aut detentivam imprimat corpori, quæ deinde movere aut detinere pergat: secundò, ut ipse motus aut quies ab ipso immediatè dependeat. Ego sequentia statuo cum *P. Ignatio DerKennis Disput. 4. de Angelis cap. 3. §. 2.*

I. Angelus potest movere ac detinere corpora, nullum impetum à se distinctum iis imprimendo. Ratio est, quia potest corpus antea quiescens secum rapere dum movetur; & corpus antea motum, se interponendo, aut illi se præsentem ac quietum statuendo, sistere, ad eum ferè modum, quo utrumque potest homo. Frustra igitur nonnemo, ut Angelus detineat lapidem in aëre, necessarium esse ait, ut producat impetum in lapide tàm fortiter nitentem ad motum sursum, quantum gravitas trahit deorsum.

II. Potest etiam Angelus imprimere impetum corpori à se moto, quo durante, & Angelo jam absente, moveri pergat. Ratio est, quia ut corpori mobili imprimat impetum, nullo alio opus est, quàm ut per aliquod spatium deferat mobile, quod eo ipso impetum illum concipit, aut à semet sub motu tanquam conditione, aut à causâ motrice productum: non enim aliter lapis projectus in altum concipit impetum, quàm à manu ac brachio celeriter se movente, ac lapidem secum deferente; nec aliter sagitta, quàm à chorda arcûs se perniciter retrahentis aliquòusque mota; & sic de cæteris. Atqui magnâ velocitate deferre potest Angelus corpora, ut diximus; ergo & impetum motivum illis imprimere, quo deinde nihil operante Angelo corpus pergat moveri tantò diutiùs ac velociùs, quantò motus delationis concitatior fuit, & per justum spatium continuatus.

III. Si nullus impetus detur, quo projecta moveantur (ut nonnulli putant) potest nihilominùs Angelus efficere, ut corpus moveatur, quamvis illi non maneat præsens. Ratio est, quia in illa hypothesi homo potest movere alia corpora dicto modo; ergo & Angelus, si motum ipse inchoet per se in illis corporibus; nam undecunque oriatur movente homine corpus, eadem adsunt principia ejus continuandi, sive illud sit medium, sive ipsa natura motus, sive aliud quidpiam.

Potest ergo Angelus auctor esse motus in mobili distante, cui non est præsens, si antea præsens motum inchoavit. Non tamen potest inchoare motũ in mobili distante, quia non est verisimile posse eum inchoare motũ in distãti aut solâ suâ voluntate im̃ediatè, aut aliquid in ipsum trajiciendo.

IV. Non potest Angelus quâcunq; velocitate, aut quodcunque mobile, movere. Ratio est, quia virtus ejus motiva est limitata; ergo tanta potest esse resistentia mobilis, quam superare non possit; & tanta velocitas, quam attingere nequeat.

V. Di-

Digitized by Google

V. Dicendum videtur, Angelum movere absque defatigatione, illa quæ movet. Ratio eſt, quia in Spiritu applicatio virium ſolâ eget ſubſtantiâ ſimplici & voluntate, absq; inſtrumentorum ſubſidio, quæ uſu ipſo conſumuntur, ut in animali contingit, quod connitendo & continuando, vires ſeu ſpiritus exhaurit, ipſosque nervos contentione nimiâ debilitat.

§. II. An, & quomodo Angeli ac Dæmones poſſint movere ac detinere alios ſpiritus.

Angeli ac dæmones quomodo moveant ac detineant alios ſpiritus.

CErtum eſt ex Scriptura Sacra, Angelos utrumque poſſe: nam *Luca cap. 16.* dicitur anima Lazari deportata ab Angelis in ſinum Abrahæ; & *Tobiæ cap. 8.* Raphael Angelus ligavit dæmonem Asmodæum. Quæſtio eſt, quomodo id fiat. Nonnemo negat id fieri phyſicè, ſed tantùm moraliter, DEO alliſtente ad voluntatem alterius. Ego hæc ſtatuo cum *P. Ignatio DerKennis loc cit. §. 3.*

I. Angelus ſuperior poteſt inferiorem invitum virtute phyſicâ movere, ac detinere. Ratio eſt, quia Angelus quilibet eſt capax motus merè paſſivi ab extrinſeco, & quietis involuntariæ; poteſt enim à DEO moveri, ac detineri; ergo etiam capax eſt talis motus ac detentionis ab altero Angelo perfectiore: cùm ergo Angelus ille perfectus poſſit talem paſſionem cauſare in corpore, cur non poſſit in alio Angelo ſe imperfectiore? Deinde, quia ſuperioritas in natura videtur aliquam prælationem adferre & poteſtatem in inferiores, fundatam in natura; hæc autem non poteſt eſſe moralis jurisdictionis, quæ in natura non fundatur; ergo phyſica, quæ intelligi nequit ſine vi coactiva & coërcitiva, cujus pars eſt virtus motiva, ac detentiva. Demùm ſæpè Dæmones potentiores coërcent Dæmones alios, evertendo eorum machinationes, ut patet ex multis exemplis ſuo loco afferendis; hoc autem non fit moraliter, DEO ad voluntatem potentiorum compeſcendo inferiores; ergo fit phyſicè.

II. Modus, quo unus Angelus aut Dæmon movet alium, aut detinet, ſimilis eſt illi, quo corpus movet, aut detinet, nullum impetum à ſe diſtinctum illi imprimendo, prout diximus §. præcedenti Aſſertione I. Ratio eſt, quia poſitis illis, quæ diximus, ſequitur neceſſariò motus & quies, & alia qualitas ſpiritualis quaſi impreſſa, eſt difficilis intellectu, & ſuperflua.

Itaque Angelus Angelum ut moveat aut detineat phyſicè, debet illi eſſe præſens, & non poteſt alium loco diſtantem ita afficere per ſolam voluntatem. Quare ſi Spiritus alium loco diſtantem detinere aliquando contigit, id moraliter fieri dicendum eſt ab Angelo alligante, ſi abſens ſit, phyſicè autem à ſolo DEO, uti Sancti aliqui Dæmones alligaſſe ac detinuiſſe leguntur.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De assumptione corporum per Angelos ac Dæmones.

Corpus assumere possunt ac solent Angeli ac dæmones.

ANgelos ac Dæmones sæpè in variis hominum & animalium formis apparuisse hominibus, illisque locutos, & alias similes operationes sensibiles exercuisse, indubitatum est, constatque ex Sacra Scriptura, ac multis historiis sacris & profanis. Nam *Genes. cap. 3.* apparuit Dæmon Evæ sub specie serpentis, & locutus est. Et *cap. 18.* tres Angeli sub specie trium virorum apparuerunt Abrahæ. Et *cap. 19.* duo Angeli venerunt Sodomam in figura peregrinorum. Et *cap. 32.* Angelus in forma viri luctatus est cum Jacob totâ nocte usque manè. Raphael in figura Juvenis apparuit Tobiæ, & diu eum comitatus fuit, mirasque operationes exercuit. Gabriel apparuit B. MARIÆ Virgini, & locutus est; Dæmon Christo, & eum tentavit; Angeli mulieribus, & illas de resurrectione Christi instruxerunt. Omitto alia multa, quæ passim occurrunt, & in sequentibus referentur. Hæc dum faciunt Angeli ac Dæmones, dicuntur assumere, hoc est, ad se sumere corpora. Circa hanc rem sequentia brevissimè examino.

§. I. Quid requiratur, ut Spiritus dicatur assumere corpus.

Corporis assumptio per Angelos quid requirat.

I. NOn sufficit eum esse corpori præsentem, aut illud localiter movere: neque enim Angeli, si cœlestia corpora moveant, aut Dæmones, si energumenos possideant, aut aliis modis aliis corporibus præsentes sint, aut illa pertranseant, vel moveant, dicuntur illa assumere.

II. Non requiritur, ut illis uniantur per modum formæ: quia cùm formæ informativæ non sint, sed substantiæ completæ, repugnat ut per informativam unionem corporibus uniantur. Eadem de causa non requiritur unio hypostatica, quia hæc, ex communi Theologorum consensu, impossibilis est creaturis.

III. Requiritur ergo, ac sufficit, ut præter intimam ac substantialem præsentiam ad corpus, per illud personas suas ac proprietates repræsentent, & operationes speciales exerceant. Ratio est, quia his conditionibus positis omnes intelligunt verè apparere Spiritum in corpore assumpto, illis verò deficientibus nemo id intelligit.

§. II. Qualia corpora assumant Angeli, ac Dæmones.

Corpora qualia assumant Angeli ac Dæmones.

D. *Isidorus* & *Beda* volunt, Angelos bonos assumere corpora formata è materia cœlesti; *Tertullianus* dixit, eos materiam novam sibi creare. Sed primum nec necessarium, nec conveniens est, etsi non impossibile: secundum verò falsum, & impossibile.

Dicen-

Dicendum ergo, utrosque aſſumere corpora ex materia ſublunari formata. Dæmon etiam aſſumit ſubinde cadavera mortuorum, ſed reproborum; Sanctorum verò cadavera non aſſumit, tum quia DEUS id non permittit, tum quia illa exhorreſcit ac fugit. Angeli boni tametſi cadavera aſſumere queant, id tamen nunquam facere credibile eſt: nam reproborum cadavera non dignantur aſſumere, Sanctorum verò cadavera venerantur.

Ordinariè tamen tàm boni, quàm mali Angeli, formant ſibi corpora aërea, ita ex variis vaporibus & exhalationibus, cæterisq; mixtis facilè ſolubilibus compacta, ut colores animalis aſſumpti & figuram extrinſecùs referant. Duritiem, mollitiem, ſcabritiem, aliasque tales qualitates perfectè imitari poſſunt variis modis, applicando activa paſſivis

Organizare an poſſint corpora Angeli ac Dæmones.

An verò Angeli ac Dæmones poſſint organizare corpora humana & brutalia, quæ aſſumunt, peculiaris eſt difficultas, pendetque reſolutio à variis opinionibus de organici corporis natura & cauſis. Nam ſi tota viventium machina corporea, & organorum diverſitas ab invicem, & ab aliis rebus, oritur à ſolo motu, figura, quantitate partium materiæ; poſſunt ea organizare: nam quidquid ex tribus his pendet, poſſunt exequi, & quidem immediatè, ſi ſibi relinquantur, cùm à ſola motrice facultate pendeant. Si verò organizatio oritur ex primarum qualitatum temperie, & certâ combinatione, iisq; quæ inde reſultant, additâ configuratione partium ad inſtrumenti rationem; iterum ea organizare poſſunt: nam tunc organicas partes formare queunt, ſaltem mediatè applicando activa paſſivis, ex quibus præcisè is gradus oriatur, qui requiritur. Si denique requirantur diſpoſitiones aliæ, ſive accidentales, ſive ſubſtantiales, nempe formæ partiales, quæ tamen ab influxu animæ informantis neceſſariò non pendeant, ſed ab aliis cauſis activis ac paſſivis; iterum poſſunt corpora organizare, applicando quidquid ex parte corporis in animali requiritur. At ſi hæc vel illa, quæ ad corporis organizationem requiruntur, pendeant à ſolius animæ influxu, ut producantur & conſerventur (influxu dico animæ non introducendæ, quia hæc poſterior eſt organizatione, ſed generantium, tàm ex parte patris per virtutem ſeminalem, quàm ex parte matris;) non poſſunt organizare corpora, ſed recurrendum eſt ad DEUM. Quid autem abſolutè dicendum ſit, non eſt hujus loci determinare.

§. III. An Angeli ac Dæmones mediantibus corporibus aſſumptis exerceant operationes vitales.

Angeli ac Dæmones in corporibus aſſumptis

NOn poſſunt Angeli ac Dæmones in aſſumptis corporibus humanis aut ferinis exercere operationes vitales videndi, audiendi, loquendi &c. Ratio eſt, quia ad vitales operationes exercendas requiruntur corpora organica, qualia non ſunt illa, quæ aſſumunt. Et licèt organica eſſent, nec dum

Digitized by Google

non exercent operationes vitales.

id possent, quia non sunt formæ informantes; quod tamen requiritur: nullam enim in illis habent potentiam vitalem, quæ naturaliter non separatur ab anima informante, & vitam dante. Non ergo vident, audiunt, aliasque sensationes producunt, sed loco visus, auditus, & aliorum sensuum intellectu utuntur. Locutio etiam, quæ motu labiorum cæterorumque instrumentorum ad verba proferenda necessariorum perficitur, non est vitalis operatio, quia non est ab anima informante Intellectiones ac volitiones, quas in assumptis corporibus eliciunt, sunt quidem operationes vitales, sed non tales, quæ per corpus assumptum fiunt; de quibus solis est quæstio.

De corporibus, à dæmone assumi solitis, lege etiam, quæ dicimus libro sequenti cap. 29. & 32.

CAPUT X.

Quo pacto fiat, ut Angeli ac Dæmones in assumptis corporibus videantur, audiantur, tangantur ab uno, & non ab aliis præsentibus.

Angeli ac Dæmones cur in assumptis corporibus non videantur ab omnibus præsentibus.

SI verum esset, quòd, ut aliqui volunt, immediatum objectum sensationum sit ipsa immutatio organi, non à productione novæ alicujus qualitatis, sed ab allapsu certorum corpusculorū causata; facilis esset & hujus rei, & quarumcunque fascinationum ac præstigiarum, quibus Dæmones aut magi ope Dæmonum sensibus illudunt, explicatio: tunc enim, ut benè notat *P. DerKennis Disp. 4. de Angelis cap. 4. §. ult.* non est opus alio, quàm respectu unius impedire hunc allapsum, aut immutationem organi (ad quod solâ virtute motrice opus est.) & non respectu alterius. Hâc autem ratione efficere possent, ut etiam alia quæcunque, non à se, sed ab aliis dicta aut facta, vel nullo modo audirentur; aut audirentur, vel tantùm ab his, & non ab aliis: imò ut nullo objecto posito afficerentur quomodocunque sensus, si nempe organa ita movendo afficerent, ut affici nata sunt à tali vel tali objecto, v. g. auditûs tympanum ita concutiendo, ut pulsari solet à tonitru, vel suavi Musicâ &c.

At positâ receptâ sententiâ de specierum sensibilium productione, major est difficultas. Nam sicuti (ut passim supponitur, & infrà de Dæmonibus specialiter probabitur) nihil præter localem motum, & ex hoc resultantem figuram possunt causare; ita nec aliam causarum efficientiam, si subjecto capaci applicatæ sint, possunt impedire: hæc enim duo, producere scilicet, & directè seu immediatè impedire, videntur esse ejusdem facultatis: quomodo ergo unus videt, & audit objectum verè sensibile, & species quaquaversum sphæricè diffundens, alius verò vicinus apertis oculis & auribus nihil videt, aut audit? quomodo item ultra objectum redditum in-

invisibile, quod tamen verè opacum est, ut supponitur,& species visibiles alterius retrò positi intercipit, alia objecta retrò posita æquè apparent, ac si nihil foret interpositum? *P. Ignatius DerKennis loc. cit.* ait, si in dictis casibus reales sunt apparentiæ, & non merè phantasticæ, dicendum necessariò esse, tale simulacrum ab Angelo aut Dæmone (qui summi sunt in naturalibus artifices) obtrudi oculis ex legibus perspectivæ efformatum, ut appareat eo modo, quo objecta remotiora apparere nata sunt, eoque obtegi corpus quod invisibile redditur. Posse autem objecta propè posita, apparere ac si remotissima forent, patet inter alia ex eo, quòd ita contingat, si lentem concavam tubo inseras, & per tubum ac lentem objectum aspicias. Ego dicerem, in utroque casu impediri emissionem specierum ab objecto, vel saltem transmissionem eorundem in oculum illius, qui non videt objectum. Nec refert, quòd objectum interpositum, cujus species impediuntur, opacum sit; sine enim speciebus illius videri nequit. Objectum tamen retropositum debet esse in tali situ, ut species suas in oculum mittere queat. Idem dic de speciebus audibilibus, aut de ipso sono per medium ac cum medio delato. Sed de hac re iterum infrà redibit sermo, lib. 2. cap. 29. ubi alium philosophandi novum modum adducemus.

P A R S II.
DÆMONIBUS PROPRIA.

Tametsi plurima, quæ in sequentibus capitibus exagitabimus, Angelis quoque aut conveniant, aut convenire queant; dæmonibus tamen attribuuntur, quoniam illi soli aut eo modo, aut eo fine perpetrasse, vel perpetrare posse credunt, quo an perpetrata sint vel perpetrari queant, dubitatur. In multis non tàm de possibili, quàm de facto erit quæstio; quam aliter probare ac stabilire non poterimus, quàm idoneis testibus, qui relata à se vel ipsi inspexerunt, vel ab iis, quos fide dignos judicavère, didicerunt. Horum cùm summa sit in rebus aliis ac apud alios auctoritas, imprudens meritò, nè dicam impudens censebitur, qui illam temerè elevare attentaverit.

CAPUT XI.

De Dæmonibus in particulari varia; ac inprimis an aliqui extra infernum degant.

Ethnici Dæmonum nomen bonis ac malis Angelis attribuebant, Christiani malis tantùm; quos & Diabolos, & Spiritus immundos, aliisque variis

Dæmonum varia nomina.

Digitized by Google

variis nominibus appellant. Multi, qui bonos Angelos cum verissima & communi sententia simplices Spiritus esse concedunt, Dæmonibus corpora tribuunt: multi etiam, qui bonos ac malos Angelos corpore præditos asserunt, subtiliora Angelis corpora tribuunt, velut ex pura & cœlesti materia delibata; Dæmonibus verò densiora vel crassiora, velut ex materia aërea concreta. Auctores magno numero refert *P. Petavius lib. 3. de Angelis*; quorum plerique nidore ac fumo victimarum pasci illos arbitrati sunt: quod an verum sit, infrà examinabimus in Mirabilibus Energumenorum.

Dæmonum primum peccatum quale fuerit.

Qui corpora vel Angelis omnibus, vel solis Dæmonibus adsignant, tale eorum peccatum fuisse censent, ut cùm Orbi huic administrando præpositi essent à DEO in Mundi exordio, mulierum capti specie stupri consuetudinem cum illis habuerint, ac propter impuritatem ac flagitium cœlo fuerint ejecti, & DEI consortio privati. In hujus suæ sententiæ confirmationem adducunt illud Genes. cap. 6. *Cùmq; cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent; videntes filii DEI filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Putant hi filios DEI esse Angelos. Sed communis & sana interpretatio per filios DEI intelligit filios ac nepotes Seth, per filias verò hominum posteras Caini; & Angelorum peccatum, non diu post illorum creationem perpetratum in cœlo sidereo, fuisse superbiam, ut suprà cap. 3. docuimus.

Rebellium Angelorum princeps, qui nimirum exemplo & hortatu suo cæteros in ruinam pertraxit, Diabolus, & Satanas, & vulgò etiam Lucifer nominatur. Communiter tamen etiam quilibet Dæmon, & Diabolus, & Satanas seu Satan appellari solet, idest, accusator seu calumniator, & tentator. Luciferum plures credunt fuisse omnium Angelorum principem; alii tamen infra supremum illum gradum & ordinem collocant. Prior sententia communior est, quæ etiam vult, ex omnibus Angelorum ordinibus aliquos cecidisse.

Dæmonum locus qui nam nunc sit.

Post admissum peccatum suum Dæmones non statim ad infernum, locum videlicet in Terræ medio, ac damnatorum omnium carcerem, fuisse præcipitatos, multorum est Veterum opinio, qui in aëre illos degere putant, donec extremi judicii dies adveniat. Auctorum nomina ac testimonia invenies apud *Petavium lib. 3. de Angelis cap. 4.* Alii non tantùm in aëre, sed & in igne seu æthere, in aqua, in cavernis terræ, aliisque variis locis illos degere asserunt. Alii illorum partem in inferno, partem in aëre, & aliis extra infernum locis constituunt. At enim divina Scriptura Dæmones omnes in tartarum præcipitatos esse, & ibidem velut in carcere vinculis constrictos asservari in extremum judicii diem, asserere videtur. Nam *S. Petrus in Epistola Canonica 2. cap. 2. v. 4.* sic scribit: *Si enim DEUS Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in*

judicium

Digitized by Google

judicium reservari. Cui *S. Judas in Canonica sua cap. 6.* consonat, dicens: *Angelos verò qui non servaverunt principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Tametsi enim his locis propositio de Angelorum rebellium damnatione ad infernum, indefinita sit, universali tamen æquivalere videtur. Tametsi præterea nonnulli *tartarum*, & *infernum*, & *caliginem*, pro inferiori parte aëris accipiant, hæc tamen interpretatio non videtur esse probabilis; quia voces illæ communiter apud omnes, *inferos* significant. Nihilominùs eadem Divina Scriptura alibi innuit, etiam extra infernum, in aëre, ac alibi Dæmones degere. Nam & à *D. Paulo in Ep. ad Eph. c. 2.* Diabolus, hoc est Dæmonum Princeps vocatur *princeps potestatis aëris hujus*, cui scilicet subjecti sint & obsequantur Dæmones, qui in aëre degunt. Ibidem *cap. 6. v. 12.* dicitur, non esse nobis colluctationem adversus carnem & sanguinem &c. sed *contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, hoc est, *in aere*, ut D. Hieronymus citatum locum interpretatur. Et apud *D. Lucam cap. 8. vers. 31.* cùm se viderent Dæmones ex insessis corporibus exturbandos à Christo, *rogaverunt illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent*, hoc est, in tartarum seu infernum. Et ut desint alia argumenta, certè cùm videmus à Dæmonibus invadi occuparíque hominum ac jumentorum corpora, fatendum est illos aut non omnes in inferno detineri, aut saltem subinde egredi.

Dicendum videtur, reprobos Angelos statim à lapsu detrusos ad infernum, & vinculis perpetuis addictos, ut Sancti Apostoli Petrus & Judas innuunt; non tamen omnes ita ibidem detineri, ut non subinde egrediantur, & in aëre, vicinisque locis stationem habeant, ut S. Paulus innuit, nec abnuit S. Petrus, qui in Epist. 1. cap. 5. ait, *Diabolum circuire instar leonis rugientis, & quærere, quem devoret.* Certè Lucifer ipse, qui *Apocal. cap. 20.* ligatus dicitur in abysso, solvendus erit modico tempore sub tempora Anti-Christi. Probabile etiam est, vicissim dæmones mutare sedes, & qui in inferis sunt, illinc emitti; & qui aërem terræque vicina incolunt loca, illuc penetrare, atque ultrò citròque commeare. Ita verum esse potest, quod Petrus & Judas scripserunt, desertores illos Angelos tartaro velut carceri ac vinculis æternis addictos, quoniam & pars major ibi habitat, & si qui subinde emittuntur, eò etiam redeunt. Nam & qui perpetuò damnati sunt carcere homines, tametsi ad tempus exsolverentur, eòdem postea reversuri; rectè in perpetuo esse carcere dicerentur.

Probabile tamen videtur, non omnes à principio fuisse ad infernum detrusos, sed illos tantùm, quorum major fuit malitia, ob excellentiorem naturam, & majora naturæ ac gratiæ dona à DEO accepta. Moveor, quia ex una parte certum est, nunc non omnes in inferno esse; ex alia verò parte non est necessarium asserere, sententias à S. Petro & S. Juda prolatas, esse universales. Et illi fortassis semper fuerunt & erunt in inferno; non alii.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De variis Dæmonum generibus, officiis, operationibus, ac nominibus, ex Psello & Trithemio.

Dæmonum varia sunt genera.

VAria sunt Dæmonum vel genera, vel nomina, à variis officiis seu operationibus desumpta. Nonnulla in medium proferam. Marcus quidam apud *Muhaelem Psellum lib. de natura Dæmon.* magnus Dæmonum cultor, dividit eos in sex genera, à locis quæ inhabitant, desumpta. Primum vocat *igneum*, seu ut alii, æthereum, atque cœleste, quòd in sublimiori aëre, quem alii ignem, ælii æthera, alii cœlum appellant, pervagari sit solitum. Secundum vocat *aëreum* quòd in terræ proximo aëre obvolitet. Tertium *terreum*, quòd in terræ ipsius regionibus versetur. Quartum *aqueum* seu *aquatile* ac *maritimum*, quòd in aquis ac maribus, locisque palustribus habitet. Quintum *subterraneum*, quòd in locis subterraneis, ac ipsis terræ visceribus, ac præcipuè in fodinis metallicis degat. Sextum *lucifugum* seu *tenebrosum*, quòd lucem fugiat, & in perpetuis tenebris hæreat. Eorundem generum prior meminit Orpheus, scribens ad Musæum, & vocans δαίμονας οὐρανίους, καὶ ἠερίους, καὶ ἐνυδρίους, καὶ χθονίους, καὶ ὑποχθονίους, *Dæmones cœlestes, & aëreos, & aqueos, & terrestres, et subterraneos.* Ubi per cœlestes intelligit æthereos seu igneos, per subterraneos verò etiam lucifugos, orcum videlicet inhabitantes. Eorundem meminit etiam ipse Apollo apud *Eusebium lib. 4. de demonstratione.* Aëreos agnovit etiam *Plato in Phædro*, imò Scriptura Sacra, ut vidimus, & plerique Veteres. Terrestres videtur agnoscere *Zoroaster in Oraculis* circa finem, ubi ait: *Ergo ex finibus terræ exiliunt terrestres canes, nunquam verum corpus mortali homini monstrantes.* Et alibi: *Tuum enim vas bestiæ terræ incolent,* Psellus terrestres canes. & bestias terræ, exponit Dæmones, qui circa terram oberrant; quos Plethon vult apparere solitos caninâ vel aliâ fœdâ specie.

Trithemii locus de variis Dæmonum generibus explicatur.

Quæ de Dæmonum generibus à loco desumptis breviter scribit Orpheus, & Psellus ex Marco, fusissimè persequitur *Joannes Trithemius lib. 8. quæstionum ad Maximil. Cæsarem quæst. 6.* Quem locum adducit etiam *P. Martinus Delrio lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 37. Sect. 2.* suisque Commentariis interjectis vel illustrat, vel castigat: sed pro *quæst. 6.* citat *quæst 5.* Ego breviter, quæ ad rem præsentem pertinent, inde decerpam, & notatiunculis propriis illustrabo Sic ergo scribit Trithemius: *Multa enim sunt genera Dæmonum, & certis inter se gradibus distant, ratione locorum, in quæ cadentes à principio sunt detrusi.* Putat ergò, non omnes à principio ad tartara detrusos; quæ multorum est opinio. *Primum quidem genus Dæmonum appellat*

Dæmones ignei.

igneum, quòd circa superiorem pervagatur aërem, quem alii æthera, nos putatum

tatum ignem appellamus; *nec unquam ante judicii diem ad inferiora demergitur, sed continuè sub regionibus permanentes lunaribus, nullum habent cum hominibus in terra commercium &c.* Quòd sub Luna aliqui habitent, non abnuo; quòd nunquam ante extremi judicii diem descendant inde, non concedo, quia cum subterraneis infernalibus saltem aliquando sedes commutare verisimile est. *Nulla sunt eis cum maleficis consortia, quoniam cùm demorentur in igne, propter subtilitatem suam non possunt induere corpus crassum sive aëreum.* Vana ratio: omnes enim Dæmones, seu ignei vocentur, seu aërei, seu aquatici, seu terrei, substantiæ sunt spiritualis; si ergo reliqui corpora possunt assumere, possunt & illi.

Dæmones aerei.

Secundum genus aëreum dicitur, quòd in aëre oberrans nobis propinquo commoratur. Hi quidem possunt ad inferiora descendere, & assumptis de crassiore aëre corporibus, quandoq; visibiles hominibus apparere. Aëra permittente DEO *sæpius turbant, tonitrua & tempestates concitant, & omnes simul in perniciem humani generis conspirant: more hominum affectionibus moventur passionum, superbiâ maximè, & invidiâ, tanguntur perturbationibus continuis: & nec solido vestiuntur corpore, nec uno consistunt loco. Neq; unam omnes formam habent, sed plurimas, easq; sæpius mutant, secundùm varietatem affectionum, quibus vel occurrunt maleficarum carminibus evocati, vel impulsi perturbatione ad nocendum &c.* Erroris hîc arguit Delrio Trithemium, quasi asserat Dæmonibus esse propria vel adnata corpora; quod tamen non dicit, ut legenti patet. Pergit Trithemius, & ait, in vita D. Antonij asserere D. Athanasium, aërem plenum esse Dæmonibus: & ante ipsum dixisse Mercurium Trismegistum, nullam mundi partem (sublunaris scilicet) Dæmonum præsentiâ esse destitutam. Addit deinde: *Unde Platonici, Dæmones in aëre volantes in modum densissimæ nivis ignitæ, cupientibus tradidêre visibiles, si aliquamdiu versus cœlum Sole splendente irreverberatis oculis continuaverint obtutus. Sed nescio, an in aëre causetur objectum ex consistentia reali, vel certè oculorum motus interclusus repræsentet imagines falsas. Non sine detrimento sensus tamen levi promissorum accepi experimentum.* Hoc experimentum vocat Delrio fallax, nequam, & graviore dignum detrimento, utpote cuius mater curiositas, pater ignorantia, cùm vel pueri advertant, solarem splendorem sic oculos perstrinxisse. Sed licèt curiosum sit, non tamen dignum videtur graviori pœnâ, quàm non levi oculorum detrimento, quoniam ipsemet Trithemius satis apertè fatetur esse fallax, & nil aliud quàm oculorum ludibrium. Solùm ergo curiositate quadam ductus voluit rem experiri, cui nullam adhibebat fidem. Adde, quòd multorum Veterum, non gentilium modò, sed fidelium etiam opinio fuerit, Dæmones vel in propriis, vel in assumptis corporibus, subtilibus tamen, per aëra volare. Quod ergo tantum crimen admisisset, si id quoque credidisset, & experiri voluisset? Pergit Trithemius,

Digitized by Google

Dæmones terrestres.

Tertium genus Dæmonum terrestrium dicimus, quos prolapsos de cælo in terram pro suis demeritis minimè dubitamus &c. Ex his autem Dæmonibus alii versantur in silvis atque nemoribus, qui venatoribus ponunt insidias: alii verò patulis degunt in campis, qui nocte aberrare faciunt itinerantes: nonnulli demorantur in locis abditis atq; cavernis: reliqui cæteris minùs furiosi ac perturbati, demorari cum hominibus in obscuro delectantur. Huc pertinere ait Delrio Faunos, Satyros, Onoscelides, Cererem, Dianam cum sodalibus, Nappæas, Driades, Hamadriades, Trophonios, & similes Pseudotheos, de quibus in sequentibus. *Commorantur tamen interdum* (pergit Trithemius) *& pollicentur vesanis, in vitro, aut crystallo, sive speculo: & carminibus concitati responsa dant mulierculis: & si quis venturus in via eis maledixisset, pronuntiant.* Pergit ulteriùs.

Dæmones aquatici.

Quartum genus Dæmonum denominatur aquaticum, quoniam se humoribus immergens, circa fluvios & lacus inhabitat, irâ plenum, turbatum, inquietum, & fraudulentum; quod in mari tempestates concitat, navigiaq; demergens in profundum, multis vitam aufert in Aquis. Et isti Dæmones quoties assumunt corpus visibile, in sexu frequentiùs apparent fœminino, in masculino rariùs videntur, propterea quòd in locis versantur humidis, & molliorem vitæ ductum sequuntur, nec virile schema facilè cæterorum consuetudine possunt assumere. Unde Najades, Nereidesq; Nymphas aquarum, non masculino, sed fœminino dudum nominavit antiquitas; à nostris autem aquaticæ mulieres, id est, Wasserfrauen / *communi vocabulo dicuntur.* Ratio cur faciliùs hi possint assumere schema fœmininum, quàm masculinum, infirma est: æquè enim facilè illis est, ex aquea materia masculini, quàm fœminini sexus effingere corpus. Certè antiquitas meminit Neptuni, Nerei, Protei, Phorci, Glauci, Palæmonis, Tritonum, Acheloi, Alphei, Eridani, Tiberis &c. Et Dæmones aquatici fuerunt, qui pastoribus Peloponnesiis prope paludem, eodem quo Syracusæ à Saracenis captæ die, id nuntiârunt, ut *Fazellus Decade 2. Rerum Sicul. lib. 6.* refert. Hujusmodi etiam Dæmonum ministeria, qui olim pejerabant ad Palicorum lacum in Sicilia, in eum demergebantur, ut *Aristoteles, Diodorus,* & *Macrobius* referunt. Dictus lacus adhuc extat hodie in campis inter Catanam & Mænas, & olim à Græcis Naphta, nunc à Siculis corruptè Naphtia dicitur, nec nisi hyeme ferè aquam continet, æstate verò fermè exsiccatur, & è multis foraminibus flatum fœtidum inter exiguam aquam efflat, ut sæpe vidi, & expertus sui. Pergit Trithemius.

Dæmones subterranei.

Quintum genus subterraneum dicitur, quod in speluncis, & cavernis, montiumq; remotis concavitatibus demoratur. Et isti Dæmones affectione sunt pessimi, eosq; invadunt maximè, qui puteos & metalla fodiunt, & qui thesauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratissimi. Hiatus efficiunt

terræ,

Digitized by Google

terræ, ventosq; flammivomos suscitant, & fundamenta ædificiorum concutiunt. Ex hoc genere opinatur Delrio fuisse illos Dæmones, qui Salmanticæ & Toleti in spelunca maleficas & curiosas artes adhuc avorum suorum memoriâ docebant. *Noctibus* (subdit) *aliquando de montibus turmatim egressi, mirandas stupendasq; in campis ducunt choreas, & quasi unius ducis metuentes imperium, subitò evanescunt ad signum, & ad sua diverticula revertuntur. Interdum nolarum inter eos auditur sonitus, & se nonnunquam spiritus hominum vitâ defunctorum mentiuntur.* De hoc ultimo sermo erit infrà in lib. sequenti. De choreis & sonitu vario narrat exemplum de Atlante monte *Plinius lib. 5. Natur. histor. cap. 1.* & *Solinus Polyhist. cap. 37.* Hæ tamen ac similes apparitiones contingere possunt propter varias parastases naturales, ut notavimus 1. *Par. Magiæ lib. 4. cap. 1. Parastasi. 1.* Dæmonum choreum describit *Saxo Grammaticus lib. 1. Histor. Danicæ.* De turmarum militarium apparitionibus agemus *libro sequenti cap. 4. 10. & 12. Nihil magis quærunt* (pergit Trith.) *quàm metum hominum & admirationem, unde habemus compertum, quòd simpliciores hominum quosdam nonnunquam in sua latibula montium duxerunt, stupenda mirantibus ostendentes spectacula, & quasi beatorum ibi sint mansiones, amicos vivorum se mentiuntur.* Delrius putat, ex hujusmodi ludibriis natas esse fabulas de monte Veneris, spelunca Sybillæ, monte albarum fœminarum, specu Nursino & Sybilla ibi degente; de quibus infrà suis locis.

Ex his quoq; Dæmonibus quidam incubones sunt thesaurorum, quos avaritia mortalium in terra abscondit: & ne rursus in usus perveniant hominum, eos subducunt, furantur, & custodiunt, & quandoque de loco in locum transportant. De his etiam infrà agetur. Prosequitur Trithemius.

Dæmones lucifugi.

Sextum genus Dæmonum appellatur Lucifugum, propterea quòd lucem maximè horrent, & detestantur; quia nec diebus unquam apparent, nec alio modo corpus quàm de nocte possunt assumere. Hoc est negotium, quod in tenebris ambulat: genus Dæmonum imperscrutabile, ac penitus tenebrosum, passionibus frigidis agitatum (affectibus scilicet similibus illis passionibus) malitiosum, inquietum, & perturbatum: quod occurrentes homines violenter comprimit nocturnis horis, sæpiusq; DEO permittente aut flatu quodam interficit, aut contactu. De his Dæmonibus infrà agemus. Quæ de ministeriis singulorum generum dicta sunt ex Trithemio, examinabuntur in sequenti capite. Similia habet *Cornelius Agrippa lib. 3. Philos. Occulta cap. 16.* & seqq.

CAPUT XIII.

De Dæmonum proprio munere ac velut ministerio circa Homines.

NOn frustra Angeli mali post lapsum permittuntur à Deo regionem aëream inhabitare, & circa ac intra terram vagari usq; ad ultimũ judicii diem,

diem, sed propter aliquem finem à DEO ipsis præstitutum, atque adeo ad munus aliquod seu ministerium exercendum. Quæritur, quod nam illud sit.

§. I. Proprium ac præcipuum Dæmonum munus seu ministerium & occupatio est, homines tentare, & ad periculum inducere.

Dæmonum ministerium præcipuum, tentare homines.

COlligitur ex Sacra Scriptura. Nam *Genes. cap.* 3. tentavit Evam sub figura serpentis, & ad peccatum induxit; & *Job. cap.* 1. & 2. tentavit Jobum; & *Joan. cap.* 13. Judam; & *Matth. cap.* 4. Christum Dominum; & alibi alios. Unde dicto capite Matthæi vocatur *tentator*; & 1. Thessal. 3. *is qui tentat*; & 1. Pet. 5. *adversarius circuiens tanquam leo rugiens, & quærens quem devoret*; & Apoc. 12. *Diabolus, & Satanas, qui seducit universum orbem.* Hanc veritatem omnes Sancti Patres fatentur; qui & duas rationes adducunt ex parte Dæmonis, ob quas homines persequitur: Una est, quia invidet homini felicitatem suam, quòd possit gloriam consequi, quâ ipse excidit: altera, ut gloriam regis sibi vendicet apud ignorantes.

§. II. Cur potestas tentandi homines sit concessa Dæmonibus à DEO.

Dæmonibus cur concessa potestas tentandi homines.

NOn tamen habent potestatem tentandi homines à se, sed à DEO, quia teste *D. Paulo Rom. cap.* 13. non est potestas nisi à DEO, non solùm inter homines, sed etiam inter Angelos. Quod confirmat *S. Augustinus in Psalm.* 61. & *Psal.* 100. *Cyprianus, Damascenus, Bernhardus*, & alii communiter. Sed cur DEUS hanc illi concessit potestatem? nunquid non alienum hoc est à divina bonitate? nunquid non ideo DEUS auctor est & particeps ejusdem officii? Theologi duplicem distinguunt potestatem, unam physicam, alteram moralem. Physicam appellant, potestatem ad illas materiales actiones exercendas, per quas Dæmon homines tentat. Hæc naturalis est Dæmoni; unde à DEO tanquam auctore naturæ illam habet, nec mala est nisi ex malo usu Dæmonis, quia non aliter tentat, nisi immittendo pravas cogitationes, vel interiùs phantasmata immutando, vel exteriùs objecta sensibilia excitantia ad malum offerendo, vel etiam aliquando exteriùs sub diversis figuris apparendo, & loquendo &c. neque enim aliam majorem habet potestatem efficaciùs homines ad malum pertrahendi. Moralem potestatem subdistinguunt in positivam, & negativam. Positivam vocant illam, per quam vel consilium, vel aliqua moralis facultas datur, vel obligatio imponitur, vel aliquid huiusmodi fit, ut Dæmon ad utendum dictâ physicâ potestate inclinetur, vel ordinetur. Negativam vocant illam, quæ relinquitur in voluntate libera, per hoc solùm, quòd non impeditur, sed sinitur agere, quod aliàs potest absolutè, etiam-

Digitized by Google

etiamsi non possit licitè. Priorem non dat DEUS Dæmoni, sed solùm posteriorem, permittendo scilicet ut hominem tentet, & suâ potestate naturali utatur. Et quia in lege gratiæ DEUS minus permittit Dæmonibus, quàm in lege antiqua, ideo dicitur, quòd illorum potestas nunc sit ligata, moralis scilicet negativa, non physica & positiva, quæ æquè nunc magna est ac olim. Hoc etiam sensu magis ligata dicitur potestas Dæmonum respectu Christianorum, quàm Ethnicorum, saltem ordinariè. Causæ porrò cur DEUS permittat Dæmonibus tentare homines, multæ sunt, tenentque se vel ex parte DEI, vel ex parte hominis, vel ex parte Dæmonis, v. g. ut excellentia divinæ gratiæ fiat illustrior quoad efficaciam, & DEI sapientia potentis elicere bona ex malis; ut homines contineantur in humilitate, excitentur ad orandum, augeant gloriam; ut Diabolus confundatur, & vincitur &c.

§. III. An omnia hominum peccata proximè & immediatè à tentatione Diaboli oriantur.

CErtum est primò, multas tentationes à Diabolo inchoari, & compleri. Certum est secundò, hominem habere in se tentationum radices, scilicet concupiscentiam & passiones, atque ab illis impelli posse ad peccata, Dæmone nullatenus se immiscente; uti & ab aliorum hominum improborum suasione & exemplo. Difficultas ergo est, an Diabolus semper se tentationibus aliunde inchoatis ex sua nequitia ingerat, eas promovendo, & roborando, ut censent nonnulli Sancti Patres apud *P. Suarez lib. 8. de Angelis cap. 19.*

Dæmon non est auctor omnium peccatorum hominum.

Respondetur negativè. Ratio est, quia aliquæ tentationes sunt à cogitationibus mentis merè internis, quas Dæmones nisi ex signis externis percipere non possunt, ut suprà cap. 5. probavimus: quæ tamen signa aut non dantur semper, aut antequam dantur, jam tentatio effectum sortita est, & consensum extorsit. Deinde incertum est, an Dæmonum aliquis semper adsit homini, ut fovere possit tentationes aliunde exortas; & an quando adest, DEUS aut Angelus bonus semper permittat fovere.

§. IV. An ad ministerium Dæmonum pertineat, hominibus alia nocumenta inferre.

Dæmon multa mala infert homini.

CErtum est multa mala inferri hominibus à Diabolis, ut patet ex *Job. cap. 1. & 2.* & ex *Tobiæ cap. 2. 3. 6. 7. & 8.* Historiæ passim in sequentibus adducentur, aut insinuabuntur. Multas etiam refert *Cottius* in Tom. 1. *Thesau. lib. 4. art. 5. & 6.*

Certum etiam est, Deum uti ministerio Dæmonum ad affligendos homines, vel illos puniendo propter commissa peccata, vel medendo illorum morbis spiritualibus, vel ob alios fines. Constat ex *Job. cap. 1. & 2.* Et notatur

tant Patres, non tantùm pœnas exteriores ac temporales Deum immittere per Angelos malos, sed etiam internas obdurationes voluntatis, & deceptiones mentis permittendo, videlicet propter præcedentia peccata. Et adducunt illud *lib. 3. Reg. cap. 22.* ubi Spiritus malus se obtulit DEO ad decipiendum Achab, dicens: *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum;* cui respondit DEUS: *Decipies, & prævalebis; egredere, & fac.* Omitto alia loca. Lege *P. Suarez lib. 1. de Angelis cap. 20.*

CAPUT XIV.

An inter Dæmones sit aliqua forma reipublicæ, mutuaque dependentia in ministeriorum distributione.

ANgelos bonos quoad naturalem perfectionem differre inter se, ac propter varia munia & ministeria distributos esse in varias hierarchias ac ordines, convenit inter omnes rectè sentientes de Angelis. Et quoniam ex omnibus hierarchiis atque ordinibus aliquos cecidisse credibile est, ut suprà diximus cap. XI. ideoque magna quoque inter malos Angelos varietas est quoad naturalia, quæ in illis post lapsum manserunt integra; meritò dubitatur, an hi etiam aliquem ordinem in suis ministeriis observent, mutuamque dependentiam, atque adeo an formam aliquam reipublicæ habeant. Nam licèt *in inferno nullus sit ordo, sed sempiternus horror inhabitet;* tamen quamdiu Dæmones in hoc aëre versari, & ministeria aliqua circa homines exercere permittuntur, necessarium videtur, ut aliquem ordinem in eis servent, quia hoc & ad bonum regimen divinæ providentiæ, & ad finem ab ipsismet malis Angelis intentum expedire videtur.

§. I. Inter Dæmones est aliqua reipublicæ forma.

Dæmones inter est aliqua forma reipublicæ.

COmmunis consensus est, varios esse inter Dæmones gradus dignitatis quasi politicæ & moralis, ad reipublicæ formam, ita ut alii aliis superiores sint sub uno capite Lucifero. Colligitur ex variis locis S. Scripturæ, in qua sæpe Diabolus antonomasticè nominatur, tanquam omnium malorum Angelorum caput. Et *Lucæ c. 11.* respondens Christus Dominus Judæis objicientibus, *quòd in Beelzebub principe Dæmoniorum ejiceret Dæmonia*, ait: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* Ubi supponit, Dæmones inter se quasi unam rempublicam, & unum regnum componere, cui præsit Satanas ut rex, qui suum regnum conservare studeat. Et hoc idem supponebant Judæi, tanquam communem illius populi consensum, & traditionem, dum prædicto modo objiciebant Christo. Et de hoc principe videtur loqui Christus, quando *Joan. 14. & 16.* dicebat:

bat: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Et quando *Matth. 25.* dicebat, ignem esse paratum *Diabolo & Angelis ejus*: non enim dici possunt cæteri Angeli mali esse Diaboli alicujus, nisi quia sunt ei subditi, tanquam milites duci, aut tanquam membra reipublicæ summo principi. Omitto alia loca, & varia Patrum testimonia, quæ vide apud *P. Suarez. lib. 8. de Angelis cap. 21.*

§. II. In quo fundata sit subjectio mutua Dæmonum.

Difficultas est, quod sit fundamentum mutui dominii ac subjectionis Dæmonum. *D. Thomas Aquinas* 1. par. Summæ q. 109. art. 2. censet, esse perfectionem naturæ, cui pari proportione potestas illa moralis commensuretur. Sed hoc non videtur subsistere posse: nam perfectio naturæ nullam habet connexionem cum perfectione seu præeminentia morali, nisi unum ab alio procedat, aut conservetur, aut unum sit alteri regula moris; quorum nihil habet in Angelis malis locum, alioquin sicut unus esset alteri naturaliter superior, sic quilibet Angelus esset cuilibet homini naturaliter quoque superior, cui hic obedire teneretur, & tot haberet tam homo, quàm Angelus superiores, quot supra se in natura perfectiores; quod esset servitus longè miserrima.

Dæmonum subjectio mutua in quo fundetur.

Alii dictam reipublicæ formam inter Dæmones tribuunt DEO, quasi designanti summum principem, cui alii Dæmones obedire teneantur. Sed hoc dici non potest: nam cùm non imperentur nisi mala, & ad malum finem, nulla potest esse obtemperandi obligatio; quin imò est obligatio non obtemperandi: unde illa superioritas & subordinatio à DEO ut Auctore proficisci nequit, sed tantùm permitti.

Meliùs sentiunt, qui dicunt, omnem illam formam reipublicæ, quæ est inter Dæmones, ab ipsismet proficisci, atque ex mutuo illorum consensu, sic ut non sit merè tyrannica & coactiva ex parte Luciferi, & aliorum virtute naturali præcellentium, sed voluntaria ex parte inferiorum in unum caput conspirantium. Nam licèt Dæmones omnes sint superbissimi, atque inter se oderint, proindeque ex hoc capite à subjectione omni spontanea retrahantur; prædominantur tamen alii affectus, qui subjectionem absolutè suadeant, ut odii & invidiæ erga DEUM, Christum, homines; intelligunt quippe, subordinationem illam maximè conducere, ut bellum suum contra DEUM efficaciùs promoveant, animas perdant, regno & gloriæ Christi obsint, honores illi debitos ad Luciferum transferendo. Hunc verò potiùs quàm alium in principem elegerunt; quia primæ

 rebel-

rebellionis ducem secuti sunt, & quia naturæ eminentia præcellit; uti latrones, dum inter se grassandi societatem ineunt, illum solent in ducem eligere, qui rebus gestis, & vigore corporis ac animi apparet reliquis antecellere; & rebelles principi suo legitimo illum, qui rebellionis fuit auctor, si cætera dona naturalia adsint. Vidimus id præteritis annis in rebellione Neapolitana, & Panormitana, in quarum illa piscator, in hac coriarius à populo rebelli fuit electus in caput & principem, quia uterque fuerat præcipuus rebellionis auctor. Ita *P. Ignatius Derkennis disp. 7. de Angelis cap. 1. §. 1.*

Est ergo naturæ excellentia inchoatio quædam principatus Luciferi in cæteros Dæmones, consensus verò & conspiratio aliorum est ejus complementum.

§. III. Quænam sit forma reipublicæ Dæmonum, seu quinam sit inter illos ordo.

Reipublicæ Dæmonum quænam sit forma.

PRincipatu Luciferi hoc modo constituto, reliquus ordo prælationis inter illos, mutuæque subjectionis, sine dubio ab ipso summo principe descendit, qui alios aliis præfecit, prout vel dignitate naturę eminebát, vel magis strenuam navârant operã in rebellionis principio, æmulãdo mores divinos in munerum distributione, ut sicut DEUS bonos Angelos ordinavit, ita Lucifer suos asseclas. Quis verò sit inter Dæmones ordo, & quæ munerum distributio, incertum est. Aliqui, inter quos est *Cornelius Agrippa lib. 3. Philos. Occulta* cap. 18. putant, malos Dæmones, non secus ac bonos, in novem distinctos esse ordines. Quod quamvis incertum sit, aut saltem non illo modo factum ut Agrippa scribit; lubet tamen ejus verba adscribere. Sic ergo orditur prædictum caput.

Dæmonum novem ordines. Primus.

Sunt etiam ex Theologorum schola, qui malos Dæmones in novem gradus distribuunt, veluti ipsis novem Angelorum ordinibus adversantes. Horum itaq; primi sunt, qui Pseudothei, hoc est, falsi Dii nuncupantur, qui Dei nomen usurpantes, pro Diis coli volunt, sacrificia & adorationes expetunt, sicut Dæmon ille, qui ait ad Christum: Si cadens in terram adoraveris me, dabo tibi hæc omnia: ostendens illi omnia regna Orbis terrarum: Atq; horum princeps est ille, qui dixit: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo; qui ideò vocatur Beelzebub, hoc est, vetustus Deus. Hos secundariò sequuntur Spiritus mendaciorum; cujusmodi fuit ille, qui egressus est Spiritus mendax in ore Prophetarum Achab. Et horum princeps est serpens ille Python, à quo Apollo Pythius dictus est; & mulier illa Pythonica apud Samuelem; & alia in Evangeliis, quæ Pythonem habebat in ventre. Hoc ergo Dæmonum genus sese oraculis immiscet, & divinationibus, & prædictionibus hominibus illudit, quòusq; decipiat. Tertio ordine sunt vasa iniquitatis, quæ & vasa iræ dicuntur. Hi sunt inventores malorum, omniumq; malarum artium, qualis apud Platonem Theatus ille Dæmon, qui ludos & aleam docuit:

Secundus.

Tertius.

ex

Digitized by Google

ex ipsis enim omne scelus, malitia, & deformitas procedit; de quibus in Genesi in benedictionibus Simeon & Levi ait Jacob. Vasa iniquitatis in habitationibus eorum, in consilium eorum non veniat anima mea. Quos Psalmista vocat vasa mortis, Esaias vocat vasa furoris, & Jeremias vocat vasa iræ, Ezechiel vasa interfectionis & interitus. Et princeps eorum Belial, quod interpretatur sine jugo, sive inobediens, prævaricator, & apostata: de quo Paulus ait ad Corinthios: Quæ conventio Christi ad Belial? Sequuntur quartò Ultores scelerum. Princeps eorum Asmodæus, videlicet faciens judicium. Post quos quinto ordine veniunt Præstigiatores, qui imitantur miracula, & inserviunt cacomagis, & maleficis, & seducunt populum in miraculis suis, sicut serpens Evam seduxit. Et princeps eorum Satan, de quo in Apocalypsi scriptum est, quòd seducit universum orbem, faciens signa magna, & ignem de cœlo descendere in terram in conspectu hominum, seducens habitantes in terra, propter signa, quæ data sunt illi facere. Sextò sese offerunt Aëreæ Potestates. Hæ se miscent tonitruis, fulminibus, & fulguri, corrumpentes aërem, pestilentias & alia multa inducentes: è quorum numero sunt, quos narrat Apocalypsis quatuor Angelos, quibus datum est nocere terræ, & mari, tenentes quatuor ventos à quatuor angulis terræ. Et Princeps eorum dictus Meririm. Hic est Dæmon meridianus, Spiritus æstuans, & Dæmon furens in meridie; quem Paulus ad Ephesios vocat principem potestatis aëris hujus, & Spiritum qui operatur in filios diffidentiæ. Septimam mansionem tenent Furiæ, seminatrices malorum, & discordiarum, & bellorum, & vastationum: quorum princeps in Apocalypsi vocatus est græcè Apollion, hebraicè Abaddaon, hoc est, exterminans, & vastans. Octavo loco stant Criminatores, sive Exploratores; quorum princeps Astaroth, hoc est, Explorator; græcè dictus Diabolus, hoc est, Criminator, vel Calumniator, qui in Apocalypsi vocatur Accusator fratrum nostrorum, accusans illos ante conspectum DEI nostri die & nocte. Porrò ultimum locum habent Tentatores, sive Insidiatores, qui singulis hominibus singuli adsunt; quos idcirco malos Genios vocamus: & princeps eorum Mammon, qui interpretatur cupiditates. Hæc Agrippa: quæ tametsi conficta esse existimem, donec fundamentum aliquod certitudinis aut probabilitatis afferatur, si, ut jacent, accipiantur; similem tamen huic ordinem, Angelorum bonorum ordini æmulum, inter malos quoque Angelos reperiri, non videtur à vero alienum. *Petrus Thyræus* lib. de locis infestis cap. 6. partis I. putat, Dæmones distribui posse in tres Hierarchias, & novem choros.

Quartus. Quintus. Sextus. Septimus. Octavus. Nonus.

CAPUT XV.

An singulis hominibus, regionibus, ac civitatibus, singuli Dæmones tentatores sint attributi; & an certi Dæmones ad certa vitia provocent.

COmmunis fuit semper persuasio, & etiamnum est, non fidelium modò, sed infidelium quoque, doctorum æquè ac vulgarium hominum, uni-

Angelus cuique homini attributus.

Digitized by Google

unicuique suum attributum esse bonum Angelum, seu bonum Genium (ut Gentiles loquebantur) qui illi velut comes & custos assisteret, qui illius sospitatis, educationis, vitæ totius actionum omnium, ac sempiternæ præsertim salutis curam gereret; qui Dæmonum insidias, & imminentia undique pericula propulsaret, animos ad virtutem faceret, timidos confirmaret, mœrentes recrearet, laborantes adjuvaret, lapsos erigeret, opportuna monita suggereret, orantibus assisteret, & eorum preces DEO offerret; postremò qui perfunctos hujus vitæ casibus, & felici morte decedentes, post obitum exciperet, & ad Beatorum sedem transferret. Agnovit hoc inter alios Ethnicos *Censorinus cap. 3. de Die Natali*, *Horatius. 2. Epod. 2. Menander Comicus* apud Eusebium lib. 13. de Præparat. Evangeli. *Pindarus Olympiad. 13. Plotinus Ennead. 3.* lib. 5. cap. 4. *Proclus Comment. ad Alcibiad. 1. Platonis, Plutarchus Consol. ad Apoll. Orpheus in Hymnis ad Musas*, *Epictetus apud Arrian. Differt. lib. 1. cap. 14. Seneca Epist. 110.* & alii multi.

§. I. Singulis hominibus attributus est Dæmon tentator.

Dæmon singulis hominibus attributus.

MAlum quoque Angelum seu Genium cuique hominum esse attributum, haud paucis placuit. *Origenes Homil. 35. in Lucam* refert ex libro Hermæ, sive Pastoris, *cunctis hominibus duos adesse Angelos; malum, qui ad perversa exhortatur; & bonum, qui ad optima quæq; persuadet.* Idipsum docet *D. Gregorius Nyssenus lib. de Vita Mosis* pag. 194. ubi cùm dixisset, DEUM adhibuisse Angelum quendam ex iis, qui naturam corporis expertem sortiti sunt, ad uniuscujusq; vitæ tutelam, ac præsidium; addit: *at ex adverso, natura corruptorem pari machinatione contrà niti, & pravo quodam ac malefico adjuncto Dæmone, humanæ vitæ perniciem afferre.* Idem asserit *Cassianus Collat. 8. cap. 17.* & *Collat. 13. cap. 11.* & *Auctor Operis imperfecti in Matth. Homil. 5.* aliiq;. Consentit *P. Petavius lib. 2. de Angelis cap. 6.* & *P. Der Kennis disput. 7. de Angelis cap. 8.* dicens, hanc esse communem sententiam. Idem sentit *Agrippa lib. 3. Philos. Occulta. cap. 20.* Ratio desumi potest ex moribus Dæmonum, quòd sic magis æmulentur formam regiminis divini.

§. II. An singulis regionibus ac civitatibus attributi certi Dæmones, incertum est.

Angeli singulis regionibus præsunt.

ANgelos bonos per certas orbis terrarum regiones esse descriptos, & aliis alios à DEO præpositos, multorum & omninò certa est opinio. Id probant aliqui *ex cap. 32. Deuteron.* ubi pro eo, quod nos legimus in vulgata editione: *Quando dividebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam; constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël*: Septuaginta Interpretes verterunt: *juxta numerum Angelorum Dei.* Auctores, qui ita sentiunt, sunt *Origenes, Eusebius, Theodoretus, Dionysius, Chrysostomus, Hilarius, Hieronymus, Victorinus Pictavi. Ruffinus*, aliique apud *Petavium lib. 2. de Ange-*

Angelis cap. 7. Idem confirmatur clarè ex illa Danielis historia cap. 10. ubi is,qui Danieli apparuit Angelus, ait sibi restitisse Persarum principem, id est,tutelarem ac præsidem,viginti & uno diebus, ac sibi Michaëlem auxilio venisse.

An mali etiam Angeli certis regionibus præsint,non est æquè certum; est tamen probabile,quia Diabolus Dei regimen ubique æmulatur. Qui in hac sententia sunt, id probant ex citata historia apud Danielem; per principem enim Persarum intelligunt Angelum malum.

Dæmones an singulis regionibus præsint, incertum.

§. III. An singulis vitiis hominum certi Dæmones præsideant,incertum est.

ORigenes Homil. 15. in Josue; Hugo Victorinus in Summa sentent. tract. 2. cap. 4. & *Magister Sententiarum lib.* 2. *Distinct.* 6. putant, singulis etiam hominum vitiis certos Dæmones præsidere, velut alium esse fornicationis spiritum,alium iræ,alium superbiæ,alium avaritiæ,alium mœstitiæ inordinatæ ac desperationis,alios aliorum vitiorum. *Quo fit* (addit Origenes) *ut per singulos homines plures esse credendi sint, quia non singula singuli homines habent vitia,vel peccata committũt,sed plura ab unoquoq; videntur admitti.* Pro eadem sententia citat *P.Celada Comm. in Tobia cap.* 3. §. 103. *Cassianum* Collat. 7. cap. 17.& *D.Hieron. in cap.* 3. *Habacuc.* & ipse *Celada* cum multis aliis,putat *Asmodæum*,de quo dicto *cap.* 3. *Tobiæ*, fuisse principem illorum, qui libidini excitandæ præsunt.

Dæmones an singulis vitiis præsideant.

Hæc tamen sententia videtur improbabilis *Petavio lib.* 2. *de Angelis cap.* 6. *quippe quam* (ut ipse ait,) *& communis omnium Patrum,& Christianorum sensus respuit, qui hoc habet,non uno tẽtationis genere oppugnare nos Dæmonem quemlibet,neq; semel,sed iterum ac sæpius,& ad extremum adeo usq; spiritum lacessere, ac veluti ex insidiis nec opinantes aggredi, intermissa identidem vexatione, ut incautis nobis improvisus irrumpat.* Consentit *P.DerKennis* loc.cit.dicens,verosimilius esse quoslibet dæmones ad quælibet peccata pro occasione impellere,prout boni Angeli incitant ad omnes virtutes. Mihi non improbabile videtur,certos Dæmones pro certis vitiis deputatos à Lucifero,quoniam multi ita sentiunt,& Ecclesia Catholica in Litaniis rogat, ut fideles à spiritu fornicationis liberentur. Et hos puto subinde in subsidium venire peculiaribus Dæmonibus unicuiq; homini attributis, tametsi hi quoq; ad omnia vitia illum provocent.

CAPUT XVI.

Mira quædam opera,quæ Dæmones per Magos fecerunt.

MIra hoc loco vocamus, quorum causas etiam sapientes ignorant, & digna admiratione cẽsent; sive de cætero naturæ facultates transcen-

Mira Dæmonum

dant,

Digitized by Google

ope patrata per magos.

dant, sive non. Hujus generis multa fecisse Dæmones, sive per se, sive per ministros suos Magos, Maleficos, Præstigiatores, Incantatoresque, loquuntur omnes historiæ, tam sacræ, quàm profanæ. Nonnulla hîc in medium afferam. Capitibus deinde sequentibus examinabo, verané, an falsa seu delusoria fuerint; & quâ virtute à Dæmonibus patrata.

§. I. Mira opera Magorum Pharaonis.

Mira à Magis Pharaonis patrata.

MAgi Pharaonis, ut habetur *cap. 7. & 8 Exodi*, mira ac stupenda effecerunt opera, Mosis & Aaronis operibus, DEI virtute perpetratis æmula. Nam *primò*, cum hi jussu DEI ad Pharaonem ingressi peterent dimissionem populi, & Pharao signa sibi ostendi vellet; projecit Aaron virgam suam, quam manu gestabat, coram Pharaone, & servis ejus; *quæ versa est in colubrum. Vocavit autem Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam, similiter: projeceruntq́; singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. Secundò* cùm Aaron virgâ eâdem percussisset aquam fluminis Nili coram Pharaone, & servis ejus, & tam hæc, quàm omnium fluviorum, rivorum, paludum, ac lacuum aquæ versæ essent in sanguinem, & esset cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis, quàm in saxeis, in tota terra Ægypti; *fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis*, unde unde aquam acceperint; quod interpretes disputant, & probabilius est ex mari fuisse haustam, cujus aqua non videtur fuisse in sanguinem à Mose & Aarone conversa. *Tertiò*, cùm Aaron extendisset manum suam super fluvios, ac super rivos & paludes Ægypti, ita ut ebulliret fluvius Nilus ranas, quæ ascendebant, & ingrediebantur domum Pharaonis, & cubiculum lectuli ipsius, & super stratum ejusdem, & super domos servorum ejus; & in populum ejus, & in servos ejus, & in reliquias servorum ejus; *fecerunt & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntq́; ranas super terram Ægypti.*

§. II. Mira opera Simonis Magi.

Mira à Simone Mago patrata.

DE Simone Mago narrat *Clemens Romanus lib. 2. Recognit.* & *lib. 6. Constitut. Apostolic.* & *Anastasius Nicenus Quæst. 23. in Sacram Scripturam*, & ex his *Glycas Historicus par. 2. Annali.* & *Delrio lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 6.* eum ex aëre novum hominem creasse; quibus volebat, invisibilem factum; saxa quasi lutum penetrasse; statuas animasse, & ambulare fecisse; in ignem positum, ac volutatum, non arsisse; duas, velut Janum, facies habentem se ostendisse; in ovem, capram, serpentem, & in aliquas alias bestias se transformasse; in aërem sublatum volasse; aurum plurimum exhibuisse repentè, & ipsummet in aurum conversum; reges facere, eosque dejicere potuisse; falci præcepisse, ut ipsa iret, & meteret, eamque ivisse, & decuplò plùs cæteris messuisse; ex lapidibus panes fecisse; in convivîis

ex-

Digitized by Google

exhibuisse spectacula omnis generis; vasa quæ erant in ædibus, fecisse videri tanquam quæ suâ sponte moverentur ad ministerium, iis qui portabant, non visis; effecisse ut multæ umbræ eum præcederent, quas dicebat esse animas defunctorum. Eundem, cùm esset aliquando Selene meretrix in turri quadam, & accurrisset multitudo ingens ad eam videndam, turrimque circumcinxisset adstantium corona; fecisse ut illa per cunctas fenestras turris illius omni simul populo prospicere videretur. Denique pueri incorrupti violenter necati animam adjuramentis evocasse, ejusque adjutorio talia patrasse.

§. III. Mira varia Magorum ex variis Auctoribus.

Mira à variis Magis patrata.

Joannes Niderus in Formicario, cap. de Maleficiis & eorum deception. narrat, Coloniæ ad Inquisitores citatam fuisse virginem quandam, quòd mira in conspectu nobilium fecisset, quæ arte magicâ videbantur fieri; mappam enim quandam dicebatur lacerasse, & subitò in oculis hominum redintegrasse; vitrum quoddam ad parietem à se jactatum, in momento reparasse; & similia fecisse.

Joannes Bodinus in Dæmonomania refert, in Francia Triscalinum coram Carolo IX, aliàs laudato rege, ex cujusdam nobilis ab eo distantis torque annellos ad se singulatim cunctis spectantibus pellexisse, eosque manu recepisse advolantes, ut videbatur, & nihilominùs mox torquem integrum atque illæsum repertum fuisse. Hunc deinde convictum multorum, quæ nec arte, nec actu humano, nec naturâ fieri poterant, fassum esse, ope Diaboli cuncta se perfecisse, quod antè obstinatus negaverat.

Joannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ex antiquioribus refert, anno 876, tempore Ludovici Imperatoris, Sedechiam quendam religione Judæum, professione medicum, stupenda quædam coram Principibus viris fecisse. Videbatur enim hominibus devorare hoplomachum equitem; currum onustum fœno cum equis & auriga deglutire; amputare capita, manus, & pedes, quæ pelvi coràm imposita, & sanguine stillantia, cunctis spectanda præbebat, & statim, hominibus illæsis, suo quæque loco restituebat; venationes, decursiones, hasti ludia, & quæ homines in terris agitant, in aëre audiri faciebat; mediâ brumâ hortum amœnissimum, in Cæsaris palatio, arboribus, herbis, floribus, cantillatione avicularum, subitò natis & auditis, producebat. Si quis pedem attraheret alterius, pes sequebatur, & homo innoxius persistebat.

Thomas Fazellus Decad. 1. Rerum Sicul. lib. 3. cap. 1. mira refert de quodam Diodoro, quem vulgus Liodorum vocat. *Is namq; potenti carminum suorum vi homines in bruta animantia convertere, omniumq; fermè rerum formas in novas metamorphoses transfundere, longissimumq; à se spatiis distitos repentè ad se trahere posse*

videbatur. Catanenses præterea adeo crebris lacessebat injuriis, & contumeliis dehonestabat, ut vanissima credulitatis laqueis circumventi, ad cultus ei pendendi studium concitarentur. Qui cùm capitis reus cruci tradendus esset, elicitorum carminum præsentissima arte è Catana Byzantium, cujus imperium eo tempore Sicilia agnoscebat, & rursus è Byzantio Catanam è lictorum manibus dilapsus, pauco temporũ interstitio, per aërẽ devehi se jussit. Quibus veneficiis adeo factus est populo admirabilis, ut in ipso quandam Numinis potentiam esse rati, errore sacrilego cultum sacris debitum ei exhiberent. Sed tandem à Leone Catanensi Episcopo, divinâ virtute ex improviso captus, frequenti in media urbe populo, in fornacem igneam injectus, ignis incendio consumptus est.

P. Martinus Delrio lib. 1. Disquisit. Magic. cap. 4. refert de quodam Cæsario Maltesio, qui cùm Parisiis antea captus fuisset, sed astutè carcere elapsus, iterum deinde captus à Belgii Inquisitoribus, damnationem metueret; *à Gubernatore, qui tùm erat, judicibus Ecclesiasticis suspẽdere jussis, ereptus in aulam irrepsit, & ibi multa de novo cœpit edere. Chartas lusorias in alterius eas tenentis manu, ipse distans, sic mutabat, ut bis terq́ alia in eis figura appareret: in altera mẽsæ parte posita vasa ad se alliciebat moto vitri tantùm frustulo: cogitationes nonnunquam divinabat alienas, ut cùm sparsâ saccari granorum minutorum in mensam magnâ multitudine, quod quis sibi granum mente delegisset, indicabat; etiamsi quis in deligenda re proposita dubitasset, addebat hæsitationem, & resolutionem: jactabat, quod alter esset electurus, id se diu antè prænovisse; & alia multa. Propter quæ tertiò in jus ab Illustrissimo Archiepiscopo Mechliniensi, D. Hovio, anno 1600. vocatus, cùm sistere se pollicitus esset, aufugit ad asylum omniũ Antichristi præcursorum. Princeps ille, qui præstigiatorẽ judicio, auctoritate, non jure eripuerat, vix bienniũ supervixit, & florente ætate interiit; nec quidquam illi, post quam malæ causæ defensionem susceperat, postea feliciter in gubernatione cessit.*

Dubravius lib. 23. Hist. Bohem. mira narrat de Zytone Bohemo Mago. *Hic artem suam ostentans, nunc suâ, nunc alienâ facie statuaq́; item in purpura & serico, ac confestim in lana ac panno sordido, regi se offerebat: ambulantiq́ in terra, ipse tanquã in aqua adnavigabat; aliquoties equis rhedariis vectũ, gallis gallinaceis ad epirhedium suum alligatis, subsequebatur. Convivas præterea regis variè ludebat, interdum manus illorum, nè illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdũ in ungulas equorum transformans; & aliquoties fronti illorum cornua cervina latissimâ adjiciens, quoties videlicet è fenestris ad subitum spectaculum prospicerent, nè rursus caput & ora ad mensam referre possent. Atq́ ut ostenderet se pecuniam quoq́ pro usu suo facilè conflare posse, triginta sues benè saginatos ex manipulis fœni effingit, illosq́ pastum proximè Michaelis cujusdam pistoris locupletis extrudit, proponitq́ venales quo pistor voluit pretio; hoc tantùm emptorem monens, nè gregem novum ad flumen lotum compellat. Quâ ille monitione neglectâ, cernit in flumine manipulos fluitare, suibus submersis. Ergo diu venditore quæsito, atq́ in taberna vinaria tandem reperto, in qua porrectis pedibus in scamno recubabat, dum stomachabundus altero pede correptum excitare vult, eum à corpore protinus cum coxendice avellit, clarè Zytone quiritante, & obtorto collo emptorem ad judicem traben-*

trahente. Quid faceret pistor in manifesto deprehensus, ut sibi videbatur, facinore, nisi ut damnum damno adderet, atq; de hac insuper injuria cum Zytone decideret? Exemplum hoc etiam in 1. par. Magiæ lib. 1. cap. 8. retuli.

Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 6. testatur, Principes quosdā aliàs pios, sed nimis credulos, mira coram se fieri permisisse: nempe ut res ferreæ, argenteæ pateræ, & similia magni ponderis super mensa locata, sine magnete, sine funiculo, capillo, vel ullo instrumēto, ab uno extremo ad aliud subsultantia, attraherentur: ut charta ab alio ex toto fasciculo clàm extracta, in manu extrahentis manēs, novâ inductâ formâ ter immutaretur: ut specula fabricarentur, in quibus, quæ remotis admodū locis fiebant, viderentur: ut trium horarum spatio arbuscula vera spitamæ longitudine è mensa excresceret, utq; arbores ibidem frondiferæ & fructiferæ subitò evanescerent; ut certo lucernæ lumine succenso, quotquot adessent mulieres, tripudiare non desinerent quàm diu ardebat in medio appensa lucerna certis insculpta characteribus, & leporino adipe plena.

Mirandam narrationem attexit *Delrius* loc. cit. ex *Roberto Friezio Insulensi lib. de technis & impostur. dæmon. cap. 5.* de certamine duorum Magorum. Rapuerat unus puellā formâ egregiâ, & equo ligneo impositā per aëra absportabat. Alter in castro quodam Burgundiæ, celebri convivio præsens, quod castrum raptor prætervolabat, carminibus cogit raptorē in castri aream descendere, & immobilem illic coram omnibus mœstū cum prēda erubescente sistit. Nec segniùs raptor, nihil tale metuentē eum à quo ita vinctus, latēter incantat, & è fenestra editissima, per cujus cācellos collo & capite prominebat, despicientem, immanibus subitò fronte protuberātibus cornibus dehonestat, & à repagulis ferreis magnitudine ramosæ frondis sic illaqueat, & suspendit, ut per clatros caput retrahere non valeret; præcipitii verò altitudine deterritus se demittere nō auderet. Ita coactus corniger, pactâ salute priùs mutuâ, & disrupto ligamine, raptorem cum præda dimittit; qui rursus nube cavâ tectus, in aërem se levavit: alter depositis cornibus, magna cum spectantium voluptate, salvum in cœnationem caput retraxit.

Nicetas lib. 4. Annal. scribit, *cùm ex editiore palatii Cōstantinopolitani loco Michaël Sicidites naviculam vidisset, quâ olla & patinæ vehebantur, carmine magico effecit ut nauta exsurgeret, & vasa non priùs ferire desisteret, quàm in pulverem redegisset. At paulò pòst barbâ prebensâ lamentari, amotâq; caligine, se ut irâ Numinis agitatum deplorare. Rogatus, cur merces suas ita tractasset, cum dolore narrabat, se remis intentum, horribilem serpentem super vasa porrectum, oculis inconniventibus in se conversum instar devoraturi, vidisse, qui priùs volutari non destiterit, quàm fictilia confracta essent; indè subitò ex oculis evanuisse.* Dæmonis hoc fraude; quod sequitur, hominis fallaciâ contigit. Romæ circumforaneus quidam (quorum toto anno diebus singulis, ni prohibeantur, bini, terni, quaternivè in foris & compitis otiosam plebeculam nugis suis dementatam detinent,)

Circumforanei lepida fallacia.

magnum

magnum sibi nomen comparaverat, adeo ut non imperitam modo multitudinem, verùm etiam nobiles multos deciperet artibus suis, exigui quidem ingenii, sed vafritiei multæ. Hunc cùm multi quodam die è viris nobilibus convenissent, petierunt ut novum quoddam ac jucundum exhiberet spectaculum. Erat in vicinia vitriarius, qui vitra omnis generis, & magno numero, venalia in mensa longissima exposuerat. Cum hoc convenerat jam antea circumforaneus agyrta. Incitatus igitur à dictis nobilibus, postquàm aliquamdiu cogitabundus hæsisset: Accipiat (inquit) aliquis hanc scedulam (erant huic peregrini characteres, sed nullius significationis & efficaciæ inscripti) & occultè in mensam illam vitriarii inter vitra conjiciat. Quod cùm esset factum: Ite (rursus inquit) ad vitriarium, empturi vasa vitrea; & mirum æquè ac jucundum experiemini spectaculum. Quod cùm fecissent, quotquot vitriarius in manus accipiebat vasa, in terram decidebant, & frangebantur. Cùm multa hoc modo fregisset, & magnis interim cachinnis à circumstantibus exceptus fuisset; velut irâ commotus, arrepto fuste, bacchantium more, omnia perfregit, mensámque penitus evertit. Fit risus primùm; deinde commiseratio; tandemque suasore agyrtâ, vasorum omnium cum fœnore pretium persolvitur.

Apulejus lib. 1. de Asino sequentem historiam narrat. *Ante Poecilen porticum, isto gemino obtutu circulatorem adspexi equestrem, spatham praeacutam mucrone infesto devorasse; ac mox eundem invitamento exiguæ stipis venatoriam lanceam, quâ parte minatur exitium, in ima viscera condidisse: & ecce, ponè lanceæ ferrum, quà bacillum inversi ad occipitium per jugum subit, puer in mollitiem decorus insurgit, inq; flexibus tortuosis enervam & exossam saltationem explicat, cum omnium qui aderamus admiratione.*

CAPUT XVII.

Mira alia, quæ Dæmones per se fecerunt.

Mira quæ dæmones per se fecerunt.

MUlta exempla sacræ Litteræ nobis subministrant rerum à Dæmone immediatè & per se gestarum, de quibus dubitare, est à fide apostatare. Alia dant Scriptores varii, quæ eàdem, quâ alia similia, sunt fide credenda.

§. I. Exempla varia è sacris Litteris.

Mira ex sacra Scriptura, quæ dæmones per se fecerunt.

EX libro itaque *Genesis cap. 3.* constat, Dæmonem serpentis specie apparuisse, & locutum fuisse protoparenti nostræ Evæ, eamque in ruinam cum marito Adamo & posteris omnibus pertraxisse.

Libro 3. Regum cap. 22. cùm Achab Rex Israël præsente Josaphat Rege Judæ,

Judæ, post consultos quadringentos circiter prophetas suos falsos, quæreret ex Michæa Propheta Domini, num ascendere deberet in Ramoth Galaad, eamque expugnare, atque eripere è manu Regis Syriæ; respondit Michæas: *Audi sermonem Domini. Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris & à sinistris; & ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israël, ut ascendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujuscemodi, & alius aliter. Egressus est autem Spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis; egredere, & fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te malum.* Decepit ergo Dæmon omnes prophetas Achab regis, & ad mentiendum impulit.

Nota est historia *Job. cap. 1.* nimirum *Quadam die, cùm venissent filii DEI ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuivi terram, & perambulavi eam. Dixitq; Dominus ad eum: Nunquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus ac timens DEUM, & recedens à malo? Cui respondens Satan, ait: Nunquid Job frustra timet Deum? nonnè tu vallasti eum, ac domum ejus, universamq; substantiam per circuitum? operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra. Sed extende paululùm manum tuam, & tange cuncta quæ possidet; nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce, universa quæ habet, in manu tua sunt; tantùm in eum ne extendas manum tuam. Egressusq; est Satan à facie Domini. Cùm autem quadam die filii & filiæ ejus comederent & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuncius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntq; omnia, & pueros percusserunt gladio, & evasi ego solus ut nuntiarem tibi. Cùmq; adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oves puerosq; consumpsit, & effugi ego solus ut nuntiarem tibi. Sed & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus ut nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: Filiis tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus; quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.* Post hæc omnia, cùm Satan accepisset quoque facultatem à Domino in corpus Job, ut habetur *cap. 2. Egressus Satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usq; ad verticem ejus: qui testâ saniem radebat, sedens in sterquilinio.* Vide quot mala intulit Dæmon Jobo, ejusque filiis, & pecoribus, per se, vel alios instigavit ipse ut inferrent?

Digitized by Google

Matthæi cap. 8. Marci 5. & *Lucæ 8.* cùm JESUS transfretasset mare Galilææ, & venisset in regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam; occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Horum unus habebat spiritum immundum jam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque catenis jam quisquam poterat eum ligare, quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus diruperat catenas, & compedes comminuerat, & nemo poterat eum domare, & semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens se lapidibus. *Videns autem hic* JESUM *à longè, cucurrit, & adoravit eum, & clamans voce magnâ dixit: Quid mihi, & tibi, JESU fili DEI altissimi? adjuro te per Deum, nè me torqueas. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Et deprecabatur eum multùm nè se expelleret extra regionem. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introëamus. Et concessit eis statim JESUS. Et exeuntes spiritus immundi, introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari.*

Matthæi cap. 4. de JESU paulò antè à Joanne baptizato narratur, quòd in deserto, quò ductus fuerat à Spiritu Sancto, ut tentaretur à Diabolo, *cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est; Non in solo pane vivit homo, sed in omni Verbo quod procedit de ore DEI. Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius DEI es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, nè forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi JESUS: Rursum scriptum est; Non tentabis Dominum DEUM tuum. Iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tunc dixit ei JESUS: Vade Satana; Scriptum est enim: Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies. Tunc reliquit eum Diabolus.*

Marci cap. 1. & *Lucæ cap. 4.* ejecit JESUS Capharnai in Synagoga, coram omnibus præsentibus, ab homine quodam spiritum immundum, qui discerpens eum, & exclamans voce magnâ, exiit ab eo, nihil ei nocens.

Matthæi cap. 17. Marci cap. 9. & *Lucæ cap. 9.* cùm JESUS de monte Thabor, ubi transfiguratus fuerat, descendisset; accessit ad eum homo cum filio suo, & provolutus in genua dixit: *Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi, & ecce spiritus apprehendit eum, & subitò clamat,*

mat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum: & rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, & non potuerunt. Respondens autem JESUS, dixit &c. Adduc huc Filium tuum. Et cùm accederet, elisit illum Dæmonium, & dissipavit. Et increpavit JESUS spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum patri ejus. Hæc D. Lucas. Addit pater pueri apud D. Matthæum & Marcum, Dæmonem sæpe dictum puerum conjecisse in ignem, & aquam, ut eum perderet. Omitto alia exempla quæ in Sacris Litteris occurrunt.

§ II. Exempla varia ex Scriptoribus variis.

Mira ex variis Scriptoribus, quæ dæmon per se fecit.

GEorgius Godelm. lib. 1. de Lamiis, cap. de malitia Diaboli, & Joannes Wierus lib. 4. de præstigiis dæmon. cap. 19.* narrant exemplum notissimum, & à multis aliis relatum, de caupone quodam perjuro, à Diabolo coram multis sublato. Verba Wieri sunt hæc: *Spectacula interim non vulgaria subinde oculis nostris à DEO proponuntur, ut iis territi, inveteratam malè imprecandi, vel etiam temerè jurandi, & sæpe falsò, consuetudinem declinemus. Sic fertur militarem peditem ante paucos annos iter per Marchiam fecisse, ac nummosos loculos cuidam suæ hospitæ, apud quam decubuit ægrotus, custodiendas tradidisse. Post dies paucos restitutus, pecuniam reposcit ab hospita, quæ jam cum marito eam esse retinendam statuerat. Se itaque eam habere negat, injuriarum alterum accusans. Iratus pedes, hospitam vicissim infidelitatis insimulat. Quo audito, conjugem purgat hospes, peditemque ex ædibus deturbat. Hic rei indignitate permotus, extractum ensem in ostium infligit inconsideratè. Vim suæ domui fieri ab hoc homine, proclamat hospes. Quare à Magistratu in carcerem conjicitur, agitaturque sententia, ob illatam vim, illum gladio feriendum. Jam extremus dies judicialis præ foribus erat, ipsique captivo moriendum esse, in carcere nuntiat dæmon: at si sese ipsi dedere vellet, ut nihil sit periculi, se facturum pollicetur. In innocentia se mori malle respondet captivus, quàm eâ ratione liberari. Proposita deinde periculi immensitate, ut se aërem verberare, & nihil proficere animadvertit dæmon, gratis suam illi defert operā, quâ apud adversarios vindicaretur, consulitq;. Quando judicio sisteris, tuā in causa forensi prætende inscitiam, præsertim in dicendo: ea propter tibi patronum, quem advocatum dicunt, concedi orabis, atq; me non procul stantem pileo cyaneo plumis insignito, postulabis causæ defensorem. Annuit captivus; qui postridie in judicium adductus, cognita à Magistratus accusatione, & instituto, rogat sibi in extrema illa necessitate permitti patronum: qui conceditur. Multa disputat hic doctor Juris versatissimus; & argutè defendit, falsò accusatum esse & condemnari peditem: Hospitem enim illi pecuniâ spoliatâ vim intulisse, ostendit, rem omnem ordine quo gesta est, & ubi seposita conservaretur pecunia, aperiens. Hospite verò audacius inficiente, & se diabolo devovente, imprecanteque aliquoties, ut ab eo sustolleretur, si pecuniam haberet; destitit tandem à defensione causæ Legum doctor pileolo cyaneo ornatus, ac hospitem abreptum per forum in aërem avehit;* [illegible] *ut ubi*

Caupo perjurus abripitur à Dæmone.

ut ubi manserit, nemo cognoverit unquam. Eandem historiam ex Godelmo narrat *Delrius lib. 3. Disquisit. Magic. part. 1. quæst. 7. Sect. 2.*

Dæmon abripit quendam ad infernum, qui infernum esse negabat.

Cantipratanus lib. 2. cap. 55. part. 3. & ex ipso *Delrius loc. cit.* multique alii, narrant sequentem historiam. Verba Cantipratani do. *Cùm tres combibones in taberna mero incaluissent, orto de anima immortalitate, & pœnis inferni, sermone, unus procacior id totum pro nugis habere, & commentis Sacrificorum, cæteri jocanti applaudere. Interea advenit unus magnâ vir staturâ, & vasto corpore, & assidens: Qui hi, ait, sermones? quæ risûs causa? Refert procax illi, & addit, se quidem licitanti haud magno pretio animam venditurum, quin & pecuniam in symbolum collaturum. Tu verò, infert adventor, quanti illam mihi indicas? Nec mora, conveniunt de pretio; hic animam addicit emptori; emptor solvit; potatur strenuè de præsente pecunia. Denique sub noctem, Tempus ait emptor, ut ad propria quisque. Sed vos jus dicite: Si quis equum capistro ligatum emerit, nonnè jus ei cum capistro equum abducendi? Et cum dicto, venditorem trementem in omnium oculis abripit, & sursum in aëra levat, & secum ad infernum trahit, visurum quod credere noluerat. Animarum quippe mercator erat iste, cujus figura fuit Rex ille Sodomorum, dicens: Redde mihi animas, cætera tolle tibi.*

Aleator à Dæmone punitur.

Pari terrore (inquit Delrius loc. cit.) *sed meliore successu miles Hispanus hic in Belgio, ante annos viginti duos* (scripsit hæc Delrius circa annum Christi 1600.) *cum adhuc sæculo mererem, à DEO commonitus tantùm fuit. Capitaneus Bravo vocabatur, sæpe à me visus, deditus supra modum aleæ, & in ludo diras jacere in se juxtà atque alios pronus. Quadam die, cùm damnosi semper numeri lucrum jactu quærenti subsilirent, irâ effervescens in caput suum dirissima precabatur: & subitò coram multis qui aderant, ab invisa manu, ad tabulatum usque sublatus, post aliquod tempus mortuo quàm vivo facie similior in solium deponitur. Felix si ut luvorem cadaverosum toto pòst vitæ tempore retinuit, sic resipiscens lusûs aviditatem deposuisset.*

Dæmones vocati à quodam adsunt, eumque terrent.

Tragicum supra modum est, quod narrat suprà citatus *Godelm.* loc. cit. & ex ipso *Delrius loco etiam cit.* & P. *Hieremias Drexelius* in Phaëthonte Orbis in Lingua Jurante. Do verba Godelm. *In Silesia quidam nobilis, cùm invitasset convivas, & horâ convivii jam instante, & apparatu facto, spe frustratus esset, excusantibus se convivis, cur non apparerent; prorupit iratus in hæc verba: Veniant igitur omnes dæmones, si nullus hominum mecum esse potest. His dictis domo egreditur in templum, ubi pastor Ecclesiæ concionem habebat; & ut iracundiam concoquat, auscultat aliquamdiu. Dum verò in templo moratur, veniunt equites in aream domus magni & nigri, & jubent servum domus ut dominum suum advocet, eiq. significet, adesse hospites. Servus consternatus abit in templum, & indicat hæc domino suo; qui nescius consilii, pastorem consulit. Pastor abrumpens concionem, hoc consilium dat, ut tota familia domo exeat. Quod cùm fieret, & famuli ac ancillæ properarent; fortè obliti infantem in cunis jacentem, & dormientē, secum non auferunt. Dæmones incipiunt commessari, & vociferari, prospicereq. per fenestras formis ursorū, luporum, felium, & hominum.*

Digitized by Google

num, & monstrare pocula vino repleta, assaturas, & pisces. Hæc vicini nobilis, pastor, & alii cùm viderēt; Ah, inquit pater, ubi infans meus? Vix cùm hæc dixisset, unus ex dæmonibus ulnis suis infantem ad fenestras gestat, quasi monstraturus parentibus. Nobilis prorsus consternatus, & sollicitus de incolumitate infantis, fidum habens servum, eum interrogat: quæso tu dic, quid agam? Servus, Domine, inquit, commendabo & committam vitam meam Deo meo, & in nomine Domini ingrediar, & ut infantem auferam auxilio & beneficio DEI, videbo. Bene, inquit nobilis, Deus tecum sit, & juvet te, animumq; tibi confirmet. Servus, acceptâ benedictione à pastore, & reliquis, ingreditur, & ante conclave, in quo erant dæmones congregati, procidit in genua, & se Deo commendat; & hoc animo aperit januam, & videt dæmones horribili specie sedentes, stantes, obambulantes, serpentes, unoq; impetu accurrentes ad se, & vociferantes: Hui, hui, tu quid hìc tibi? Ille sudans, & tamen divinitùs confirmatus, alloquitur dæmonem, qui infantem gestabat. Tu, inquit, mihi infantem trade. Nequaquam, respondet iste; jam meus est iste infans: dic domino tuo, ut veniat, & accipiat infantem. Cui servus: Ego fungor jam officio meæ vocationis, in quam me Deus collocavit, & scio quidquid in hoc officio facio, id Deo gratum esse: quare ratione mei officii, & auxilio, nomine, & virtute JESU Christi, aufero abs te infantem, & patri ejus restituo. Atq; ita ipse apprehendit infantem, & brachiis suis amplexus est. Isti nihil aliud respondent, nisi vociferantes: Hui nebulo, hui nebulo, relinque infantem, relinque, alioquin te discerpemus. Ille nihil curans minas diabolicas abiit incolumis, & incolumem infantem patri nobili reddidit. Dæmones postea aliquot diebus elapsis evanuerunt, ut in ædes denuo migrare cum tota familia nobilis potuerit.

Hæc pauca ex innumerabilibus, quæ afferri poterant, sufficiant; complectuntur enim præcipua opera mirabilia quæ Dæmonibus adscribi solent. Multa alia in sequentibus afferentur. Nunc videndum, veranè, an phantastica sint tum hæc, tum alia opera, quæ Dæmonibus adscribuntur; & si vera, quâ virtute ab illis perpetrentur; aliaque similia multa discutienda.

CAPUT XVIII.

An mira Dæmonum opera, quæ vel per se, vel per Magos perpetrant, vera sint, an fucata ac præstigiatoria.

Mira à Dæmonibus patrata, an vera sint, vel fucata.

HOc priùs decidendum est, tanquam dicendorum fundamentum. Dico itaque ea, quæ retulimus, quæ referemus, quæ passim de Dæmonum miris operibus dicuntur, atque scribuntur à variis omnium temporum Scriptoribus, nec omnia esse falsa, vana, fucata, simulata, præstigiatoria; nec omnia vera, & talia, qualia videntur aut putantur; sed quædam vera, quædam apparentia tantùm, quædam ex utrisque mixta. Nam

quia Dæmon mendacii pater est, ideo sæpe perstringit oculos, aliosque sensus variâ objectâ imagine fallit: & quia sæpe DEUS impedit, nè quod facere naturalibus viribus vellet ac posset, efficiat; & non rarò superiores Angeli, seu boni, seu mali, inferiorum ac impotentiorum Dæmonum conatus infringunt; ideo nè impotentia eorum detegatur, ad præstigias confugiunt. Ex alia verò parte, quia Dæmones habent intellectum perspicacissimum, rerum naturalium cognitionem longè maximam, vires naturales valentissimas, diuturnam insuper ac multiplicem experientiam; ideo quãdo Deus permittit, & ipsi verum effectum producere volunt, qui vires ipsorum non superet, nihil obstat quò minùs illum producant. Et veros ergo, & fucatos, & ex utrisq; mixtos effectus producere potest Dæmon. Hæc communis est Theologorum ac Philosophorum opinio.

Ex recensitis igitur operibus miris, à Dæmone vel per se immediatè, vel per Magos perpetratis, alia sunt præstigiatoria, alia vera, alia mista, alia dubia. Dubia sunt Magorum Pharaonis opera, mortuorum resuscitatio, in bestias transformatio, aliaq; nonnulla, quæ in sequentibus examinabimus. Vera sunt, quæ ex Scriptura Sacra attulimus capite præcedente. Reliqua omnia, quæ ex variis Auctoribus recensuimus cap. 16. & 17. partim fucata sunt ac præstigiatoria, partim vera, partim mista. Vide, quæ scripsimus *1. par. Magiæ lib. 1 cap. 8.* ubi ad discernendum, an aliquis effectus mirabilis à Dæmone aut Magis præstitus, sit verus ac sincerus, aut fucatus ac præstigiatorius, unicam adsignavimus regulam; quam hic paulò clariùs proponimus iterum.

Regula ad effectus Dæmonum ac Magorum fucatos à veris discernendos.

Regula ad effectus Dæmonum ac Magorum fucatos à veris discernendos.

Si effectus diabolicus, aut magicus, talis est, ut potentiam Dæmonis naturalem superet (quales sunt, qui soli potentiæ divinæ reservantur, & propriè miraculosi dicuntur) tunc censeri debet præstigiatorius. Quando non excedit dictam potentiam, haberi potest pro naturali, non tamen semper est talis, quia nec Deus semper permittit, ut Dæmon suis viribus utatur, nec ipse semper facere vult quod potest, sed gaudet hominum deceptione. Quando partim excedit, partim non, pro mixto haberi potest, quanquam sæpe totus potest esse præstigiatorius, ob rationem dictam. Quando dubium, num vires naturæ superet, nec nè, suspendendum est judicium, aut ad circumstantias recurrendum. Quinam verò effectus, Dæmonis aut Magorum ope patrati, vires Dæmonis superent, patebit ex dicendis.

CAPUT XIX.

Quibus modis Dæmones mira opera, quæ patrant, efficiant.

Dæmonum, uti & Angelorum bonorum, duplex est actio transiens; una

Digitized by Google

una immediata,& eſt motus localis; altera mediata, & eſt applicatio activorum cum paſſivis. Quidquid igitur mirabile efficiunt Dæmones,ſeu verè id efficiant,ſeu deluſoriè,uno prædictorum modorum efficiunt. Videndum igitur primò,quid verè per motum localem efficere queant;ſecundò, quid verè per applicationem activorum cum paſſivis; tertiò, quid utroq; modo per deluſionem. Hoc capite diſcutiemus, quid immediatè per motum localem verè efficere queant; ſequenti,quid activa paſſivis applicando verè etiam præſtare poſſint,& quid deluſoriè utroq; modo.

§. I. De miris operibus, quæ Dæmones per motum localem verè efficiunt.

Mira,quæ Dæmones per motum localem immediatè efficiunt.

POſſe Dæmones, non ſecus ac bonos Angelos, movere de loco in locum non ſolùm ſe,ſed alios etiam ſpiritus,& alia corpora; conſtat ex dictis c. 8.Poſſe etiam celerrimè de loco uno in alium ſe movere,ac de hoc in alium disjunctiſſimum corpora transferre; patet ex hiſtoria *Jobi cap. 1. & 2.*quam ſuprà cap. 17.retulimus; & ex *Matthæi cap.4.* de Chriſto in altum montem, & ſuper templi pinnaculum translato, ut ibidem diximus. Idem probatur ex variis hiſtoriis, quas in ſequentibus afferemus, ex quibus conſtat, Dæmonem exiguo tempore aliquos de loco in locum alterum valde remotum transtuliſſe. Certè Angelorum ac Dæmonum celeritas in motu tanta eſt,ut multis infinita pænè videatur, putentque hos poſſe,ſi velint, quodcunq; ſpatium tempore quantumcunq; breviſſimo conficere. *Tertullianus in Apologet.*id colligit ex eo, quòd aves in Scriptura Sacra Dæmones appellentur.*Omnis,*inquit, *Spiritus ales eſt; hoc Angeli, & Dæmones; igitur momento ubiq; ſunt; totus orbis illis locus unus eſt; quid ubiq; geratur, tàm facilè ſciunt, quàm enuntiant; velocitas divinitas creditur,quia ſubſtantia ignoratur.* Nos cap. 8.cit.maximam Angelis conceſſimus celeritatem,at non infinitam.

Dæmones poſſunt ignem de cœlo dejicere.

Opera porrò mirabilia,& vires humanas excidentia, quæ per motum localem immediatè efficere poſſunt Dæmones, ſunt ex multis ſequentia. *Primò*, poſſunt ignem de cœlo, hoc eſt, de ſuperiore aëris parte in terram inſtar fulminis dejicere, quo multa perdant & conſumant: non quòd tunc aliquam è ſphæra ignis ſupra aërem exiſtentis partem deſumptam demittant (nullum enim verum ignem ibidem agnoſco) ſed quod applicando activa paſſivis priùs in aëre ignem producant, ac deinde per motum localem inſtar fulminis,aut aliâ ratione dejiciant. Probo id ex *cap.1 libri Job*, ubi dicitur, quòd ope Dæmonis *Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oves pueroſque conſumpſit.* Item ex *cap. 3. libri Apocal.* ubi de inſigni quodam Antichriſti præcurſore ſcriptum eſt, quòd *fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* Ignis DEI vocatur apud Job ille qui cecidit, vel quia is,qui id nuntiabat Jobo, pu-

Digitized by Google

tabat esse ignem Dei,seu à Deo missum; aut si nuntius ille fuit ipse Dæmon famuli specie,quia isto nomine illum vocavit ideo,ut Jobum contra Deum commoveret,tanquam sibi noxium.

Ventos excitare.

Secundo, possunt concitare in aëre, & mittere in terram vehementes & turbulentos ventos,qui magna subvertant ædificia. Constat id ex eodem *cap. 1 libri Job*,ubi dicitur, quòd *repentè ventus irruit è regione deserti, & concussit quatuor angulos domus,quæ corruens oppressit liberos* Job,*& mortui sunt*. Quod quidem immediatè per motum localem fecerunt Dæmones, collidendo vehementer aërem inter se, aut ventum alibi spirantem eò adducendo.Sopater quoque Philosophus affectus fuit ultimo supplicio, ut *Eunapius de Visis Philosophor.* refert, quòd carmine magico ventos vinxisse accusaretur,nè annona Byzantium inveheretur. Alia exempla dabo infrà cap. 34.

Tempestates maris ciere.

Tertiò, possunt gravissimas in mari tempestates & procellas excitare, vel aquas maris ab imo sursum commovendo per se ipsos immediatè, vel per concitatissimos ventos.De Finnis,Lappis,& Biarmiis narrat *Olaus Magnus lib. 1 .cap. 1. & lib. 3. cap. 18.* illos inter alia magna opera, Dæmonis ope patrata,*ventos quoq; quos optent navigantibus vendere.* De tribus Tartarorum hortis, ultra Cazanense regnum habitantibus,narrat *Alexander Guaguinus in Tartaria*,esse supra modum deditos incantationibus,*& iis caligines, aliasq; tempestates cœli frequenter excitare,hocq; modo hostes profligare.* Paulò antè citatus *Olaus Magnus* lib. 3. cap. 16. de Finnis & Lapponibus narrat, eos olim mercatoribus ventos venales exhibuisse, *tres modos magicâ arte sacratos, quorum primo soluto placidos ventos,secundo vehementiores,tertio vehementissimos essent habituri.* Innumera alia exempla omitto. Nonnulla dabo infrà citato cap. 34.

Terræ motus facere.

Quartò, possunt ingentes facere terræ motus,vel mittendo vehementem aliquem spiritum in cavernas terræ,vel inclusum in illis vehementiùs agitando. *Pererius Disp 4.in cap. 7. Exodi* putat, hac fortassis ratione factum fuisse,quod narrat *Philostratus lib. 3 cap. 3. Vita Apoll.* de duobus doliis,quæ vidit Apollonius apud Indos; quæ cùm aperiebantur, imbres & ventos emittebant; clausa verò, cohibebant, atque compescebant. Hoc si verum est, potiùs spectat ad secundum effectum, quàm ad hunc quartum.

Corpora de loco in locum transferre.

Quintò,possunt ex uno loco in alium quantumvis remotum transferre vel homines, vel animalia, vel quævis alia corpora. De Simone Mago narrat Ecclesiastica historia, eum à Dæmonibus invisibiliter per aëra evectum esse in sublime,quasi ascendentem in cœlum; unde tamen precibus B Petri Apostoli dejectus in terram fuit, & crura fregit. In historiis quoque Gentilium passim legitur, visos interdum serpentes,& dracones,& homi-

Digitized by Google

homines per aëra volantes; & Albertus Magnus tradit, aliquando boves pluisse: quæ hac ratione contigisse credibile est. Sagas à Dæmonibus per aëra deportari ad conventicula earum, indubitatum iam est, ut infrà suo loco videbimus.

Sextò, possunt subitò res præsentes è conspectu hominum subtrahere, atque ita reddere invisibiles. Exempla dedimus cap. 16. & 17. Sic etiam Apollonium ferunt, cùm esset in conspectu Domitiani Imp. repentè ex oculis omnium evanuisse, & longè alibi extitisse. Hac etiam ratione fortassis Gyges se invisibilem reddebat, non verò annuli, quem gestabat, virtute. Quamvis hoc aliter fieri potuerit, ut nunc etiam fit à gestantibus ore fabam magicis ritibus consecratam, ut alibi dicetur.

Reddere res invisibiles.

Septimò, possunt facere ut statuæ, vel aliæ res inanimatæ ambulent, & incedant more hominum: ad hoc enim tantùm motus localis requiritur. Hac ratione fortassis tripodes lapidei movebantur, & pincernæ æneí, qui apud Jarcham præsente Apollonio in convivio, more famulorum ministrabant mensis, & pocula convivis in loco ac tempore præbebant, ut *Philostratus* in Vita Apollonii scribit. Multa tamen similia arte fieri possunt, ut diximus *1. par. Magiæ lib. 1. cap. 6.*

Statuas ambulare facere.

Octavò, possunt facere, ut vel statuæ, vel arbores, vel animalia loqui videantur more hominum, uti & ignis, & aër, & aqua, & cadavera, & capita resecta, & pythonum uterus &c. Sed de hac re iterum erit sermo infrà, ubi multa exempla afferentur cap 27.

Inanimata & animalia bruta facere loqui.

Nonò, possunt assumere cadavera variorum animalium, & hominum, aut similia corpora ex aëre formare, ac in illis apparere, ac varias actiones edere, ut suprà diximus cap. 17. Exempla innumera in sequentibus dabimus.

Cadavera & corpora ex aëre formata assumere.

Decimò, possunt effingere, ac repræsentare figuras quarumlibet rerum, ut argenti, auri, gemmarum, vini, epularum, aliarumq; similium, ut veræ ac naturales appareant, idq; vel ex aëre densato, vel aliâ quapiam ratione. Exempla infrà dabimus in diversis capitibus.

Figuras apparentes rerum effingere.

Undecimò, possunt spiritus animales, qui sensuum interiorum functionibus peragendis inserviunt, ita modificare, & conformare, ut res aliquas vel præteritas, vel præsentes, vel etiam futuras repræsentent. Possunt item eosdem spiritus, & species rerum sensibilium, ita concitare in sensuum externorum organis, ut videantur sibi homines videre aliquid, vel audire, vel facere, quod revera non fit; nam quod in phreneticis contingit vi morbi humores ac spiritus commoventis, fieri etiam potest ope Diaboli per solum motum localem.

Spiritus animales modificare.

Duodecimò, possunt concitare ac turbare humores ac spiritus, qui sunt in humano, aut brutali corpore; disjungere etiam ac distrahere partium com-

Humores corporis concitare.

Digitized by Google

compages, atque connexiones, eâque ratione gravissimos morbos, & acerbissimos dolores efficere, sicut in iis cernimus, qui torquentur à Dæmonibus, & in maleficiatis à maleficis. Exempla multa suis locis dabimus.

Dormientium phantasmata perturbare.

Decimo tertiò, possunt dormientium phantasmata transmutare, & conformare ad repræsentandum aliqua futura, aut absentia, quæ sciunt Dæmones futura aut facta esse, ut eâ ratione decipiant homines, inducantque ut fidem habeant somniis. Hinc orta est observatio superstitiosa somniorum, & divinatio per illa; de qua re egimus in *4. par. Magiæ lib. 6.* Simili Dæmonum fraude fidem & æstimationem invenit Augurum & Auspicum disciplina, per volatum vel garritum avium, aut per inspectionem extorum animalium, per missionem sortium &c.

Affectus varios concitare.

Decimo quartò, possunt Dæmones varias hominum affectiones amoris, odii, furoris, iræ, timoris, ac similium passionum vehementer in hominibus excitare; idque vel objiciendo species rerum extrinsecùs, quæ ad hujusmodi affectiones inflammandas plurimùm valent; vel interiùs movendo & conformando phantasmata, ad eas repræsentandas, quæ talium affectuum sunt incitabula; vel agitando & incitando humores, nempe sanguinem, flavam & atram bilem, qui sunt materia illorum affectuum. Exempla passim occurrunt. *S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis* narrat, virginem quandam magicis artibus usque adeo incensam fuisse cujusdam juvenis amore, ut præ amore fureret.

Multa alia per motum localem efficere possunt Dæmones, si DEUS permittat, sine cujus permissione ut olim in porcos intrare non poterant, ita neque hoc tempore, quo magis restricta est eorum potestas, utpote in lege gratiæ, nè hilum è capite cujusquam evellere queunt.

§. II. De miris operibus, quæ Dæmones per applicationem activorum cum passivis efficiunt.

Mira, quæ Dæmones per applicationem activorum cum passivis faciunt.

PEr applicationem activorum cum passivis, hoc est, per naturalium causarum invicem applicationem ac moderationem & consequenter per rerum alterationem, ac mutationem, (quæ est altera Dæmonum actio transiens, & non in motione locali consistit, sed eam consequitur) mira quoque efficiunt Dæmones: quæ quamvis naturalia sint, quia nec Dæmonum, nec rerum applicatarum vires naturales excedunt; mira tamen hominibus videntur, quia vel causas à quibus fiunt, vel modos quibus efficiuntur, ignorant. Posse autem Dæmones multa dicto modo præstare, inde probatur, quòd multæ occultæ virtutes latent in herbis, aquis, succis, gemmis, animalibus, & hominibus, quas illi optimè perspectas habent, tum summam rerum naturalium cognitionem, tum ob diuturnam experientiam à se & ab hominibus factam; sciunt etiam, quibus temporibus ac locis,

quæ-

Digitized by Google

quâq;menſurâ eædem inter ſe miſceri ac temperari debeant: præterea quęcunq; volunt, poſſunt ſummâ celeritate undecunque afferre, ac de loco in locum transferre, clàm hominibus præſentibus, & rerum mutationes obſervantibus. Si ergo homines variè temperando ac modificando res naturales, poſſunt effectus aliquos producere, quos per ſe nunquam naturales cauſæ produxiſſent, ut patet in arborum inſitionibus, in diſtillationibus aquarum, in ciborum condimentis, in medicamentorum confectionibus, aliisque multis rebus; multò magis id Dæmones poterunt.

Nunquam tamen opera illa naturæ cancellos transgrediuntur, ſed verè naturalia ſunt, quia revera in agentibus naturalibus, eo modo applicatis, continentur: quibus agentibus Diabolus nihil confert applicando, præter conditionem ſine qua effectus quos producunt, non producerent; & ipſe Diabolus utendo rebus naturalibus, non operatur ultra vires naturæ ſuæ debitas.

§. III. De miris operibus, quæ Dæmones per deluſionem efficiunt.

Mira quæ faciunt Dæmones per deluſionem.

DEluſione quoque, ſeu ſenſuum deceptione multa quoque mira Dæmones efficiunt, ſed non aliter quàm per motum localem, aut per applicationem activorum cum paſſivis: quibus quidem tametſi veros effectus producunt, quia tamen illorum arte aliter hominibus apparent quàm in ſeipſis ſunt, aut ut eſſe, ac facta putentur, quæ minimè exiſtunt, aut facta ſunt; ideo illudere tunc ſenſibus dicuntur. Ad deluſionem hanc recurrit Dæmon, quando vel neutro prædictorum modorum verè efficere poteſt quod vellet, vel quando homines decipere pro ſuo libitu cogitat. Tribus autem potiſſimùm modis decipiunt Diaboli, & ejus auxilio Magi, ut etiam docui *1. par. Magiæ lib. 1. cap. 9.* cum Delrio, ex *P. Molina in 1. par. Summæ D. Tho.* quæſt. III. art. 4. videlicet vel mutando objectum, vel aërem intermedium, vel organum ſenſus; quæ hîc breviter repetere placet.

Decipere tribus modis poteſt Dæmon.

Mutando igitur objectum deludunt Dæmones, ac per hos Magi, *Primò*, oſtenſarum rerum celeri agitatione, ſubitâ occultatione, variâ collocatione, latente ſeparatione, vel conglutinatione, ut faciunt circulatores agyrtæ variis ligaminibus, globulis, ſcyphulis, & ſimilibus deceptionibus, vel potiùs dexteritatibus. *Secundò*, per artem Perſpectivæ certâ quadã diſpoſitione objecti in ordine ad oculũ videntis, ut quadratum appareat rotundum, diſſipatum variè appareat collectum, hoc diſſipatũ aut hiulcum, deforme formoſum, aut è contrario. Si enim Ars & Natura tam mira exhibere poſſunt hac ratione, ut oſtẽdimus in Magia noſtra Optica, Catoptrica, Dioptrica, Paraſtatica, & alibi paſſim; quidni eadẽ exhibere poterit Dæmon, vel per ſe, vel per Magos? *Tertiò*, ſubitâ formatione objecti alicujus ex Elementis, maximè ex aëre, quod intuentium oculis pro alio objiciunt,

ciunt, ut quando vel ipsi assumunt, vel alteri rei circumponunt corpus aëreum, sive phantasticum, simile rei putatitiæ. *Quartò*, apponendo corpus aliquod mixtum, puta minerale, quod vi suâ naturali sit causa, ut corpus cui apponitur, longè aliud appareat.

Mutando aërem intermedium deludunt, *Primò*, si impediant nè species ad oculum, vel alium sensum, deferantur. Hac ratione possunt occultare visui vel totum objectum, vel certam ejus partem. *Secundò*, si medium imbuant aliquâ qualitate, quâ species per medium transeuntes sic modificantur, ut objectum nō quale est repræsentét. Multa exempla dedimus in Magia Parastatica. *Tertiò*, si mediū circa objectū condensetur: tunc enim mutatur objecti aspectus seu apparentia, & apparet majus, ac alio in loco quàm est, ut patet ex multis exemplis in Magia Dioptrica allatis. *Quartò*, si moto aëre, seu medio alio, simul species in eo existētes moveantur. Hac ratione putat *Delrius* delusam fuisse Claudiam, de qua Historici Romani, & *D. August. lib. 10. de Civit. cap. 6.* referunt, cùm mater Deorum ex Pessinunte Phrygiæ, navi Romam veheretur, navisque in Tyberi ita hæsisset, ut nec hominum, nec boum vi loco moveri potuisset; quò suam probaret castitatem (erat enim Virgo Vestalis) discinxit se, zonamque navi alligans, eam quò volebat deduxit. Sed non video, quomodo id fieri potuerit per motum aëris species deferentis. Potiùs crederem Diabolum loco movisse navim; quanquam *S. Thomas de Potentia q. 6. art. 5.* putet id fieri potuisse ministerio boni Angeli, DEO volente sic castitatis virtutem commendare. *Quintò*, potest etiam sensus falli ex varia conformatione aut multiplicatione specierum visibilium, ut unum objectum videatur esse plura. Si enim Catoptricâ arte fieri possunt conspicilla, quæ hunc effectum præstant, ut in Magia Catoptrica ostendimus; quidni Diabolus etiam eâdem aut aliâ arte id facere poterit?

Mutando denique organum possunt decipere, *Primò*, si mutent organi situm, ut objectum appareat alio in loco, quàm revera est, aut appareat geminum, prout etiam contingit, si digito compresso eleves aut deprimas oculum, aut si objectum in mediocri distantia positum aspicias per cancellos ita, ut una cancellorum virga aut bacillus ante oculum positus dividat species objecti, prout sæpe mihi nil minùs cogitanti contigit, dum è choro pensili in templo aspicerem Ecclesiasten pro suggestu dicentem. *Secundò*, si humores organi agitent, aut perturbent: sic enim res aliter apparet, quàm est, aut geminata putatur, prout contingit ebriis, & furiosis. *Tertiò*, si sensationem impediunt, crasso aliquo humore obstruendo viam, nè spiritus ad organum perveniant, sine quibus sensatio fieri nequit. Hac ratione fortè Angeli percusserunt Sodomitas aorosiâ seu cæcitate, ut habetur *Genesis cap. 16.* *Quartò*, si ita componant & ordinent phantasmata, ut quis etiam

Digitized by Google

etiam vigilans somniet more dormientium, & putet se ea sentire; quæ non sentit, instar maniacorum. Sed pleraque fusiùs in sequentibus explicabuntur.

CAPUT XX.

An Dæmones, & illorum ope Magi possint producere animalia: & an Magi Pharaonis produxerint veros serpentes, ac ranas; & quo modo.

Ratio dubitandi prima est, quia multa animalia oriuntur ex putrida materia, aliisque modis, sine patris & matris interventu. Nam *Aristoteles lib. 6. de Histor. Animal. cap. 16.* asserit anguillas ex putriligine provenire: *Plinius lib. 10. Histor. Natur. cap. 68.* idem affirmat de ostreis, ac cæteris adhærescentibus vado vel saxo. In lignis etiam cariosis teredines agilesque vermiculi nascuntur; ex putrilagine limaces, cochleæ, mures, ex fimo bubulo fuci, vespæ; ex aëreo madore erucæ, papiliones, formicæ, locustæ, cicadæ, aliaque id genus. Si juvencum naribus & ore obstructis fuste percussum occideris, & in umbra ramis coopertum posueris, apum examina nascuntur. Pili è caudis equorum in aquam pluviam, fossis ac scrobibus exceptam decidentes, animantur, & in graciles ac longos vermes instar serpentum convertuntur, ut ipsemet non semel vidi. Ex equorum cadaveribus nascuntur crabrones, & ex asinis vespæ; ex sudore humano pediculi; ex pulvere consperso pluviâ æstivo tempore ranæ, ut sæpius etiam vidi: imò & in ipsis nubibus ranæ nascuntur, quæ deinde cum pluvia decidunt, ut oculati testes asserunt multi veteres & recentiores. Serpentes ex humana medulla, & capillis menstruatæ sub fimo tumulatis, crescere, notissimum est. Aves anatum formâ ex ramis arborum deciduis intra aquas in Scotia & Hebridibus Insulis nasci, testantur multi Scriptores. Ipsemet vidi, ramorum extremitates paulatim animâ sensitivâ informatas decidisse, & avolasse. Plura de hac re dicemus infrà, de Mirabilibus animalium agentes. Legi potest etiam *Joh. Bapt. Porta lib. 2. Magiæ Natur.*

Animalia varia ex putrida materia oriuntur.

Secunda dubitandi ratio est, quia, ut suprà cap. 16. §. 1. retulimus ex *cap. 7 Exodi*, Magi Pharaonis produxerunt serpentes, & ranas, *per incantationes Ægyptias, & arcana quædam*; utique ope Dæmonis.

§. I. Dæmones, & Magi Dæmonum ope, possunt animalia quædam producere.

Ego existimo, Dæmones, & ope illorum Magos, producere posse, non creando, nec immediatè generando, sed activa passivis applicando, omnia illa animalia, quæ ex putrida materia, aliâ quavis ratione, quàm

verâ viventium generatione produci possunt, ac solent; cujusmodi sunt omnia illa, quæ in prima dubitandi ratione sunt proposita, & fortassis etiam alia multa, ut videbimus suo loco, cùm de Mirabilibus animalium agemus. Itaq; & serpentes, & ranas producere possunt Dæmones, ac Magi.

§. II. Magi Pharaonis produxerunt veros serpentes, & ranas.

Magi Pharaonis produxerunt veros serpentes.

UTrum verò Magi Pharaonis produxerint veros serpentes ac veras ranas (ac verum etiam sanguinem) celebris est & antiqua quæstio, variis Doctorum Veterum ac Recentiorum in utramque partem agitata sententiis.

Veros ac naturales fuisse serpentes seu dracones, verasque ranas, ex antiquis existimant *Theodoretus* q. 18. *in librum Exodi*, *S. Augustinus* lib. 3. *de Trinit. cap. 7. & 8.* & *libro 83. qq. q. 79. S. Thomas super caput 24. Matthæi, & 1 p. q. 114. art. 4.* cui accedunt *Lyranus*, *Tostatus*, & *Burgensis*; ex recentioribus *Cajetanus*, *Pererius*, *Cornelius à Lapide*, & alii in cap. 7. Exodi, ac *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 6.* Rationes hujus sententiæ sunt sequentes. *Primò*, quia Scriptura Sacra iisdem verbis utitur narrando transmutationem virgæ Aaron, & transmutationem virgarum Magorum, in serpentes: nam postquàm dixisset *cap. 7. projecit Aaron virgam suam &c. quæ versa est in colubrum*; subjungit de Magis: *& fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam, similiter; projeceruntq; singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Item eodem modo ait Magos produxisse ranas, quo illos produxit Aaron: nam cùm dixisset, Aaron extendisse manum suam super fluvios, ac super rivos, & paludes Ægypti, & eduxisse ranas super terram Ægypti &c. subjungit: *Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntq; ranas super terram Ægypti*: Sed Aaron produxit veros serpentes, & veras ranas; ergo & Magi. *Secundò*, quia eâdem Scripturâ testante, draco Aaronis devoravit dracones Magorum; utique verè, & non phantasticè: neque enim divinis hisce Mosis portentis ulla fuit illusio, alioquin vanis spectris lusisse Mosen Ægyptios fatendum foret; veri ergo dracones fuerunt, qui à Magis producti, & à dracone Aaronis devorati sunt. *Tertiò*, quia in tertio signo ciniphum defecerunt Magi, & non potuerunt illos producere; ergo priora duo signa de conversione virgarum in serpentes, & aquæ in sanguinem, verè fecerunt; non enim defecerunt in phantasticis rebus producendis, sed in veris. *Quartò*, si non fuissent veri serpentes, & veræ ranæ, Moses detexisset fraudem Magorum, illosque confudisset; cùm ergò nihil tale fecerit Moses, signum est non fuisse simulata, sed vera animalia. *Quintò*, Dæmon potest producere veros serpentes, & veras ranas, ut vidimus; ergo illos tunc

pro-

produxit per Magos, quia sciebat, si non produceret veros, sed fictos, Mosen fraudem detecturum, magnâ suâ & Magorum ministrorum suorum ignominiâ.

Alii complures vetustate & doctrinâ celebres, existimant serpentes & ranas illas Magorum non fuisse veras & naturales, sed simulatas & apparentes, & magico artificio, ad spectantium oculis illudendum, confictas. Ita sentiunt *Josephus lib. 2. Antiquit. S. Justinus Martyr in libro Responsionum ad qq. Orthodoxor. in responsione ad q. 26. Tertullianus in lib. de Anima, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Hieronymus, Rupertus, Prosper, Sedulius*, quos citat & sequitur *P. Jacobus Bonfrerius in cap. 7. Exodi.* Ratio Bonfrerii est, *quia certum est, non posse Dæmonem immediatè transsubstantiatione unam substantiam in alteram convertere; item nihil posse quoad rerum generationes, nisi applicando activa passivis: nullus autem non videt, quàm remota sint dispositiones in ligno ad exprimendum inde serpentem, ut istiusmodi transmutatio non videatur fieri posse nisi per plures sibi invicem succedentes generationes, quæ omnes non videntur ullo modo fieri posse momento, vel tam exiguo tempore, cùm agentia naturalia requirant tempus ad generationem præviam. Itaq; si verum est, magos illos virgas habuisse, & virgas projecisse; verum esse non potest, easdem illicò in serpentes conversas: nam dicere, virgas illas jam antea fuisse à Dæmone ita dispositas, ut momento in serpentes converterentur, est dicere, virgas illas jam non fuisse virgas. Tantùm obstare videtur nostræ opinioni, quòd Scriptura dicit, virgas illas fuisse conversas in serpentes. Sed nimirum id intelligendum secundùm subjectam materiam, & prout Magi suas rerum conversiones facere volunt, videlicet ad aspectum, & in speciem, ita ut hominum oculi aliud judicare non possint, quàm similem factam conversionem &c. Quod ad ranas attinet, facilior est ratio: potuerunt, enim, cùm nõ designaretur ad hanc rem certa materia, ex putri materia, seu in aliquo loco collecta, seu aliunde à Dæmone convecta, eademq; jam ferè in hanc rem præparata, veras ranas, & per veram generationem elicere.* Hæc Bonfrerius. Ad illud contrariæ sententiæ, quòd, si tantùm fuissent phantastici ac ficti serpentes, debuisset Moses fraudem detegere; respondet, non potuisse id facere Mosen: *quod enim facere poterat*, inquit, *illud erat ad summum, ut tolleret præstigias; at sic non sufficienter probasset virgas maleficorum non fuisse conversas in serpentes; potuerunt enim existimare, ex serpentibus rursum in virgas à Mose fuisse conversas, vel eum potentiorem habere, quo uteretur, Dæmonem.*

Ego existimo, serpentes & ranas a Magis Pharaonis productas, fuisse veros serpentes & ranas. Ratio est, quia hoc est conformius Sacræ Scripturæ, ut patet ex rationibus pro prima sententia allatis; nec est alienum à scitis Philosophorum, ut patet ex dictis §. 1. Explicandum tamen est, quomodo illos produxerint Magi.

§. III. Quomodo Magi Pharaonis produxerint veros serpentes,& veras ranas.

Magi Pharaonis quomodo produxerint veros serpentes & ranas.

PRimùm expediam quæstionem de serpentibus, quæ difficilior est; deinde de ranis,quæ est facilior.

Itaque qui censent, serpentes à Magis Pharaonis productos ex virgis, hoc est,loco virgarum à se proiectarum in terram, duos adsignant modos, quibus putant illos fuisse subitò àMagis exhibitos.Primus modus est,quòd tunc Dæmones,qui Magis invisibiliter aderant,& auxiliabantur, virgas illas Magorum,statim ac projectæ fuerunt in terram, converterint in veros serpentes,applicando illis invisibiliter certa quædam agentia naturalia, ad generandos serpentes ex illis efficacissima.Hunc modum tenet *Cajetanus in caput.7. Exodi*,& *Delrius loc. suprà cit.* qui tamen mihi cum multis non placet,propter rationes in *1.& 2.§. adsignatas*, nimirum quòd Dæmones non potuerint immediatè ex virgis producere illos serpentes, sed tantùm mediatè,adhibendo scilicet naturales causas serpentum productivas, ut Cajetanus non diffitetur;dispositæ ergo sufficienter debebant esse antea virgæ, quàm in serpentes converterentur: at postquàm fuerunt projectæ in terram,non potuerũt tam brevi tempore disponi,nec poterãt antea esse sufficienter dispositæ,quia hęc dispositio sine notabili mutatione in virgis stare non poterat; ergo non fuerunt virgæ illæ in serpentes conversæ per veram conversionem,in qua virgæ fuerunt terminus à quo, & serpentes terminus ad quem.Adde, quòd agentia naturalia non possint statim producere serpentem cujuscunq; magnitudinis, sed primò parvum & invalidum, qui postea crescens ad perfectionem & justam magnitudinem veniat: serpentes autem illiMagorum statim apparuerunt tantæ magnitudinis,quantæ fuerant virgæ illorum, alioquin omnes advertissent virgas non fuisse conversas in illos.

Secundus modus, quòd statim ac virgæ Magorum in terram fuerunt projectæ,Dæmones,non advertentibus præsentibus ac spectantibus, illas è conspectu eorum latenter abstulerint, & in earum locum veros serpentes, mole ipsis virgis æquales, non quidem tunc ibi generatos, sed vel antea præparatos, vel aliunde tunc celerrimè allatos, substituerunt;quod cùm præsentes non animadvertissent, existimârunt virgas fuisse in serpentes conversas.Hæc sententia estLyrani,Tostati,Pererii,&aliorum;& mihi magis placet: hac enim admissâ,verum est serpentes à Magis productos,fuisse veros serpentes, ut Scriptura Sacra innuit, & defendimus cum prima sententia; nec tamen urgemur incommodis illis,quibus secunda sententia est obnoxia,ut patet ex rationibus pro prima sententia allatis. Unum solum huic sententiæ adversari videtur, quòd Scriptura dicat, virgas Magorum con-

conversas fuisse in serpentes, sicut virga Aaron conversa fuisse dicitur: at si non fuerunt generati serpentes ex illis priùs alteratis ac dispositis, sed aliunde illuc allati; non potest id verè dici. Sed respondetur, dici virgas in serpentes conversas, quia ita factum fuisse putabatur à spectantibus. Simili de causa dicitur *Genesis cap. 18.* Abrahamo apparuisse tres viros, & pedes eorum lavisse Abrahamum, & illos manducasse; cùm tamen nihil horum propriè verum fuerit, sed tantùm in speciem, & secundùm existimationem hominum. Hanc tamen fraudem non debuit manifestare Moses, quia nihil effecisset apud obstinatos, propter rationem à Bonfrerio adsignatam.

De ranis paulò aliter dicendum mihi videtur. Nam si quas in fluviis, paludibus, campis, similibusq; locis, in quibus materia jam erat disposita, aut facilè disponi poterat, produxerunt Dæmones per Magos; ex materia illa mediantibus aliis agentibus necessariis, illas produxerunt: at si quas produxerunt in præsentia Pharaonis intra ipsas ædes, aut in locis aliis ubi nulla erat disposita materia; aliunde acceptas, vel alibi productas, illuc attulerunt. Ratio ex dictis patet.

CAPUT XXI.

An possint ac soleant Dæmones cum fœminis ac viris commisceri; seu an sint Dæmones incubi ac succubi.

Incubi ac succubi Dæmones an sint.

QUi Angelos ac Dæmones corporeos esse crediderunt, non dubitarunt asserere, utrosque non solùm posse, sed etiam solere cum fœminis impudicè commisceri. Unde fuit multorum, antiquitatis doctrinæ, ac sanctitatis laude præstantium virorum, quos *Pererius lib. 8. in Genes. Disput. 1.* refert, sententia, filios DEI, quos Moses narrat mixtos esse cum filiabus hominum, cùm *Genesis cap. 6.* dicitur: *Videntes filii DEI filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt;* fuisse bonos Angelos, qui fœminarum pulchritudine capti, ac obscænum earum amorem & concubitum delapsi sint: atque hoc fuisse primum eorum peccatum, ob quod cœlestem angelici status dignitatem, & puritatis atque innocentiæ gloriam perdiderunt. Ita sensit non solùm *Philo & Josephus*, sed etiam *Justinus Martyr*, *Clemens Alexandr. Tertullianus*, *Eusebius*, *Cyrillus Alexandrin. Lactantius*, *Severus Sulpitius*, & alii. Verùm hæc opinio jam dudum obsoleta fuit, & validè à *Pererio* refutatur citato loco, uti & à *Petavio* & aliis qui de Angelis scribunt. Non pauciores idem de malis Angelis seu Dæmonibus senserunt, & eundem Genesis locum de iis intellexerunt, quorum sententiam quantumvis jam diu obsoletam, & à multis refutatam, amplexus est, & scripto evulgavit priori sæculo *Franciscus Georgius.*

gius, Philosophus ac Theologus, *sed ut apparet ex scriptis ejus (* verba sunt Pererii loc.cit.disp.2.) *quarumlibet opinionum quæ novitatem haberent, & mirabilitatem facerent, studiosus magis, quàm veræ Philosophiæ ac Theologiæ.* Quam tamen sententiam multis ac validis rationibus refutat Pererius cit. loco.

At tametsi Dæmones nec esse corporeos, nec vim habere naturalem generandi humanam prolem in propriis corporibus, jam pridem firmatum sit à sapientibus, & à plerisque omnibus creditum; quæstio tamen antiqua ac celebris est, & à multis hucusque in utramque partem ventilata, an possint ac soleant nihilominùs Dæmones in assumpto corpore, & in speciem viri configurato, commisceri cum fœminis; in speciem verò fœminæ efformato, commisceri cum viris; quod est quærere, an dentur Dæmones incubi ac succubi: *Dæmon enim incubus appellatur, qui sub specie virili superveniens incubat fœminæ; succubus autem dicitur, qui sub muliebri figura succubans viro, muliebria patitur.*

Negativam sententiam tuetur multis *Joannes VVierus lib.3.de prestigiis Dæmon.à cap. 18.Petrus Martyr, Chytræus, Lercheim. Biermann. Godelmann. Philippus Broideus, Ponzinibus, Joannes Baptista Porta* apud Delrium lib.2. Disquisit.Magic. quæst. 15.& *Eugubinus lib.8.de Perenni Philosoph.* cap. 26.apud Torreblancam lib.2.cap.30.

Incubi Dæmones ac succubi dantur.

Affirmativam sententiam tam multi & graves tuentur Auctores, ut sine pertinaciæ nota ab illa discedi non posse videatur. Nam in ea est *D. Thomas in 2. Sentent. dist. 8. & 1. p.q.51. a. 3. & 22.q.96. a. 3. Toletus in Summa libr. 4. cap. 15. Alphonsus à Castro de justa Hæretic. punit. lib. 1. cap. 16. Annan. lib. 4. de natura Dæmon. Sprenger. in Mall.p. 1. q. 4. & p. 2. q. 1. c. 4. & q. 2. c. 7. Nider in formicar.* lib. 5. *Spina de Strigibus, Vallesius de Sacra Philosoph. c. 8. Simanca, Uldericus Molitor Paulus Grillandus, Binsfeld.* quos sequitur Torreblanca lib. 2. cap. 30. *Delrius libr. 2. Disquisit. Magic.* q. 15. *Pererius lib. 8. in Genes. disp. 3. Tostatus in cap. 6. Genes. q. 6.* & alii plurimi apud citatos Auctores. De eadem re *S. Augustinus* lib. 15. *de Civit. cap. 23.* hæc scribit. *Creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Sylvanos & Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos sæpe extitisse mulieribus, & earum appetisse ac peregisse concubitum. Et quosdam Dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam & tentare, & efficere, plures, talesq; asseverant, ut hoc negare, im-*

Digitized by Google

impudentia videatur. Idem ſupponit *Innocentius 8. Papa* in Bulla contra maleficos.

Sententiam hanc probat & ſimul explicat *Delrius* loc. cit. in hunc modum. Dæmones poſſunt defunctorum corpora aſſumere, vel de novo ſibi ex aëre, & aliis elementis ac mixtis ad carnis ſimilitudinem palpabilia effingere ac formare, ut ſuprà cap. 9. aſſeruimus cum communi & certa ſententia; poſſunt etiam aſſumpta corpora pro libitu movere, & calefacere, ut conſtat ex dictis cap. 8. ac proinde etiam ſexum, quem naturâ non habent, artificiosè exhibere, & viris ſpecie fœmininâ, fœminis ſpecie virili abuti, & has ſubjicere, & illis ſe ſubſternere. Poſſunt præterea aliunde acceptum verum ſemen adferre, & naturalem ejus emiſſionem imitari. Ergo poſſunt cum fœminis ac viris impudicè commiſceri, & actum Venereum exercere, ſeu incubi ac ſuccubi eſſe.

Incubi Dæmonis exemplum.

Quod autem ſoleant, docent multa exempla à probatis Auctoribus relata, & credita; quibus omnibus ſi fidem derogare velimus, pertinaciæ notam non effugiemus. Duo recitat *Cardanus lib. 16. de Variet. rerum cap. 93. ex Boëthio lib. 8. Hiſtor. Scotiæ.* Primum eſt de Dæmone incubo, his verbis. *In Marrea regione, uti ex his, qui rem hanc conſpexerunt, accepimus, nuper puella nobilis, formoſaq; averſata conjugium, inventa eſt prægnans. Parentes cùm ſtupratorem quærerent, faſſa eſt puella, nocte dieq; ſecum formoſiſſimum cubare adoleſcentem, quem unde veniret, non ſciret. Illi tametſi parum fidei reſponſo adhiberent, tertio die, indice ancillâ, cognoſcentes illum adeſſe, cum tædis ac facibus ſubitò ingrediuntur reſeratis foribus; horrendumq; monſtrum, & ſupra humanam fidem terribile, in complexibus filiæ conſpicantur. Accurrerunt ocyùs vicini ad fœdum ſpectaculum; atq; inter illos ſacerdos probatæ vitæ, nec ſacræ Paginæ ignarus, Evangelium beati Joannis cùm recitaret, eoq; perveniſſet* (& Verbum caro factum eſt;) *Dæmon aſportans cubiculi tectum, incensâ ſupellectile, ſtridore emiſſo horribili, abiit. Fœmina poſt triduum peperit monſtrum undequaq; aſpectu fœdum, & quale unquam in Scotia viſum non eſt; quod obſtetrices nè in dedecus familiæ ſervatum eſſet, exſtructâ pirâ, exuſſerunt.*

Succubi Dæmonis exemplum.

Alterum exemplum eſt de Dæmone ſuccubo; his verbis. *Haud multis annis poſtquàm hæc facta fuerant, in Gareotlia regione, vico quatuordecim vix paſſuum millibus ab Aberdonia, adoleſcens multâ formoſitate, coram Aberdonenſi antiſtite queſtus eſt, palàm ſeſe à Dæmone ſuccuba (ut dicunt) gratiſſimâ omnium, quæ vidiſſet, formâ multos ante menſes infeſtatum; eandem occluſis foribus noctu ad ſe ingredi, blanditiis in ſui amplexus compellere, dubiâ luce abire ſine ſtrepitu penè. Nullo ſe poſſe modo, cùm plures attentaſſet, à tanta ac tam turpi veſania liberari. Jubet continuò optimus Epiſcopus adoleſcentem aliò ſe conferre, & ut Chriſti-*

Digitized by Google

Christianâ religione magis laudatis jejuniis & orationibus plùs solitò accommodaret animum; fore ut piu operibus intento, victus cacodæmon tandem terga esset daturus. Evenit adolescenti salubre consilium religiosè executo paucos post dies, uti Venerandus antistes erat præfatus.

Simili ratione Diabolus delusit militem, teste *Guilhelmo Parisiensi in summa de Universo*, qui cùm putaret se formosâ potitum virgine, invenit se in complexu cadaveris belluini tabe soluti. Aliud exemplum narrat *Philostratus in Vita* Apollonii lib. 4. cap. 8. quod referemus infrà lib. 2. cap. 28. §. 3. Item aliud habetur in Vitis Patrum de Monacho quodam, qui cùm à Dæmone sub specie mulieris formosæ ad obscænos amplexus invitatus fuisset, & jam opere scelus perpetrare vellet; evanuit Dæmon. Alia exempla vide libro sequenti cap. 28. §. 3. in fine, & cap. 32. §. 2. Argumenta, quæ contrariæ sententiæ Auctores contra sententiam nostram afferunt, solventur capite sequenti.

CAPUT XXII.

An ex Dæmonis concubitu cum fœminis, possit ac soleat nasci proles.

Incubi ac succubi Dæmones an veram prolem generare possint.

POsse id contingere, & verò etiam non semel contigisse, multorum sermonibus ac scriptis proditum est. Quod quidem credibile valde fit, si quomodo commixtio & imprægnatio, Dæmonis ope, fieri possit, explicetur. *Tostatus q. 6. in cap. 6. Genes.* rem ita explicat. *Dæmones semen fundere nequeunt, cùm corporei non sint, nec habeant unde semen decidant: sed ex viris acceptum, ipsi mulieribus infundunt. Duo autem sunt eorum genera. Aliquando enim Dæmon succubus est, aliquando incubus: priùs tamen succubus est, quàm incubus. Nam cùm viri nocturno semine polluuntur, ibi Dæmon succubus, corpore ex aëre in speciem muliebrem figurato, semen accipit, servatq; nè spiritus ejus exhaletur, quò sit aptum generationi: deinde sexu transformato induens speciem viri, virile semen quod acceperat, in muliebrem uterum inserit.* Simili modo rem declarat *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic.* q. 15. his verbis. *Sciendum ergo, quòd potest Diabolus semen aliunde acceptum (v. g. in ea, quæ somnianti viro contingit, illusione) deferre, & quâ est agilitate, & naturalium rerum peritiâ, calorem prolificum in semine, quantumvis ille subtilis & aëreus sit, ac facilè dissipabilis, conservare; & illud demùm, quo momento mulier ad concipiendum optimè disposita (quod eum non latet) tum illud matrici ita infundere, vel naturali vi attrahendum exhibere, & muliebri semini commiscere.*

Incubus Dæmon non potest vi sua, & ex propria

His præmissis, Dico I. cum Delrio loc. cit. non posse quidem Dæmonem incubum, vi suâ, & ex propria substantia, generare ex muliere prolem; posse tamen, si semen virile aliunde acceptum mulieri infundat modo explicato; & tunc si proles nasceretur, ejus verum patrem non fore Dæmonem,

nem, sed illum hominem, cujus semine Dæmon abusus fuerit. *Ratio primi est*, quia cùm Dæmon sit incorporeus, non habet proprium semen: nec de assumpto corpore, qualecunque illud sit, decidere potest verum ac prolificum semen, cùm semen sit substantiæ corporeæ viventis pars, & residuum cibi optimè concocti, ex meliorum Scriptorum sententia; corpus autem assumptum à Dæmone, qualecunque sit, & quomodocunque assumatur, non est pars viventis substantiæ, si prout ab ipso assumptum est, consideretur. *Secundum* patet ex data initio explicatione. *Tertium* verò sequitur ex dictis: pater enim propriè non dicitur, nisi qui ex propria substantia dat alteri esse; quod in creatis non fit, nisi per communicationem seminis à substantia propria decisi.

substantia, generare prolem ex muliere succuba: potest, si semen aliunde acceptū infundat mulieri.

Delrius loc. cit. laudat pro hac nostra sententia Ægyptios antiquos ex Plutarcho, & quàm plurimos Theologos ac Juris Consultos, nimirum *D. Thom. Halens. D. Bonavent. Scot. Gabriel. Abulens. Guilhelmum Parisiensem. Richard. Paludan. Victor. Medin. Molin. Alphonsum à Castro, Sylvest. Spinaum, Mendozam, Grilland. Binsfeld, Martinum Arelatens. Vallesi. Nider.* & alios.

Dico II. Probabilius videri, nunquam ex Dæmonis incubi commixtione cum mulieribus natam fuisse veram humanam prolem. Ratio est, quia omnia exempla in contrariæ sententiæ confirmationem afferri solita, videntur esse suspecta, quædam etiam apertè falsa; & si quandoque ex simili concubitu natum fortassis aliquid fuit, non homo, sed monstrum fuit; aut si homo erat, Dæmonis fraude suppositus erat. Vetustas (inquit *Delrius*, qui in contraria est sententia) obtrudit suos Semideos, Hercules, Sarpedones, Æneas, Servios Tullos; Anglia Merlinum; Pannonia Hunnos ex Artunis strigibus Gothicis & Faunis natos. *Chieza c. 27. par. 2. Hist. Peruu.* scribit, in Hispaniola solitum Corcoton Dæmonem misceri mulieribus, & ex eo natos, bicornes esse. Cliveusium quoque stemma huc retulit Helinandus apud Vincentium Belluac. lib. 3. cap. 27. Xacam suum Japones talem esse volunt. Sed hæc & similia exempla videntur mihi omnia suspecta, ut dicebam; quædam etiam apertè sunt fabulosa, & falsa, ut ipse prudens Lector judicare poterit, si Auctores legerit. Si partus illi, quos Delrius, Molina, & alii editos à mulieribus à Dæmone oppressis scribunt, veri partus fuerunt, pro suppositiitiis habendi sunt. In hac sententia sunt *Plutarchus in Numa, Ulricus Molitor de Pythonicis mulier. cap. ult. Nicolaus Remigius lib. 1. Dæmonolat.* cap. 6. & omnes illi, quos cap. præcedenti pro negativa sententia citavimus. *Pererius lib. 8. in Genes.* ait, se semper ea de re dubitasse, & etiamnum dubitare. *S. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap* 23. nihil audet definire. In hac eadem sententia sunt *Vincentius* lib. 4. Histor. cap. 128. Lucidus cap. 4. Petrus Boistuau lib. de prodigiosis historiis cap. 6. & alii.

Incubus Dæmon non videtur unquam generasse veram prolem humanam.

Digitized by Google

Succubus Dæmon non potest veram prolem generare.

Dico III. Probabilius etiam videri, ex Dæmone succuba, & viro incubo, nec natam fuisse unquam, nec nasci posse veram prolem humanam. Ita sentit *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic.* q. 15. *Torreblanca* lib. 2. q. 30. *Serarius* in cap. 6. Tobiæ q. 4. & omnes, quos pro præced. Assert. citavimus. Ratio est, quia plura ad verum partum humanum in hoc casu requiruntur, quàm in priori, nempe tractus temporis ut semen in corpus organicum commutetur, & absolutissima illa humani corporis architectura perficiatur; item continua vegetantis animæ operatio in fœtu alendo, & alia multa; quæ credibile non est, Dæmonem in assumpto corpore posse præstare, multò minùs unquam præstitisse.

Succubis ex Dæmonibus nati quales sint.

Si quos igitur legimus natos matre Dæmone succubâ, censeo cum Delrio & Torreblanca, vel suppositios fuisse alterius fœminæ veros partus, vel ab alio Dæmone prolem ementitam. Ad priorem suppositi vî partus fraudem refert Delrius, cum *Joanne Reynardo lib. de Peregrinat. gen. hum. serm. de Impugnat. homin per diabol.* quod de Pictavorum Comitum ex Melusina origine referunt Francorum Historiæ: idem de Andegavensis familiæ stemmate *Polydor. Virgil. lib. 13. Histor. Anglic.* & alterius cujusdam ex Galfrido *Vincentius Bellou. lib. 3. cap. 26.* & quod ex ore Ducum Bavariæ ac Saxoniæ acceptum narrat *Sabinus in Not. ad Metamorph. Ovidii.* Huc etiam refert Delrius, quod de nobili Bavaro narrant alii, nimirum ei, cùm defunctam uxorem ferret impatientiùs, quadam nocte fœminam rediisse, seque resuscitatam dixisse, & marito convixisse, & ex eo liberos suscepisse, tandemque, conviciis & blasphemiis non se abstinente marito, subitò muliebri veste penes illum relictâ, evanuisse.

Ad posterius genus fraudis refert idem Delrius parvulos illos, quos ex succubis Dæmonibus natos vulgus credit, & *Cambiones* vocant, ajuntque adeo esse lacte insaturabiles, ut etiam quatuor nutricum rumis exhaustis macilenti perseverent; ponderosissimos tamen esse, & tandem post aliquot annos evanescere. Hos Itali, à continuo vagitu, appellant *Vagiones*, Germani Wechselkinder / hoc est, suppositios. De his scribit *Sprenger 2. p. Mallei, q. 2. cap. 7. Guilhelmus Parisiensis p. ult. de Universo c. 25. Anan. lib. 4. de Natura Dæmon. Molitor de Python. mulier.* cap. 6. *Maiolus tom. 2. dierum Canic. Colloq. 3.* & alii. Ex horum numero putat Delrius fuisse puerum, quem per Galiciam & Asturias Hispaniæ præterito sæculo mendicus quidam summa cum defatigatione humeris bajulabat: & cùm ex nostræ Societatis hominibus quidam eum in itinere repertum prope flumen, ut transnataret, misericordiâ motus retro se in jumentum sustulisset, vix valida bestia potuit eum in alteram ripam exponere. Paulò pòst mendicus comprehensus, fassus fuit eum puerum, non puerum, sed Diabolum fuisse, qui sibi promisisset, omnes se ad eleemosynas ei conferendas pelle-

Digitized by Google

pellecturum, quàm diu sic circumferretur habitu pueri morbosi, & fasciis involuti.

Superest, ut afferamus ac solvamus argumenta, quæ contra primam nostram Assertionem afferuntur. *Primum est*, Dæmon & homo specie differunt: ergo ex illorum commixtione non potest nasci proles. *Secundum est*, Dæmon est expers vitæ; ergo nequit esse auctor vitalis actus. *Tertium est*, Semen quod Dæmon infundit, sagæ fatentur esse frigidum, & nullam adferre voluptatem, sed horrorem potiùs; ergo non potest inde sequi generatio. *Quartum est*, non esse credibile, Deum velle concurrere ad hujusmodi actum, & animam velle infundere corpori, si quod ex hujusmodi actu fieret; ergo non potest fieri.

Argumenta contra Assertionem I.

Sed hæc facillimè solvuntur. *Ad primum* negatur consequentia, quia etiam ex equo & asina, & aliis specie discrepantibus animalibus gignuntur muli, thoes, leopardi, pantheræ, & aliæ hybrides. Adde, quòd generativa vis in tali casu non tribuitur Dæmoni, sed homini cujus est semen. *Ad secundum* respondetur ut antea, vim vitalem & generativam non adscribi Dæmoni, sed semini. *Ad tertium* respondetur, Dæmonem sagis non infundere verum semen, sed aliquid aliud loco seminis; unde mirum non est quòd frigidum sit, & voluptatem non afferat. Si verum infunderet, ut potest, contrarias qualitates haberet. *Ad quartum* dico, Deum concurrere ad formationem corporis, & infundere animam, quando intercedit fornicatio, incestus, & alia pejora peccata; quidni ergo etiam concurreret in casu nostro, si cætera adessent, & necessarium foret? Quòd si de facto non concurrit, causa est, quia non organizatur corpus ex tali actu.

Solvuntur.

CAPUT XXIII.

An Dæmones transferant sagas & magos ad nocturnos conventus corporaliter.

DIgnissima est hæc quæstio, quæ accuratè tractetur, quoniam multarum consequentiarum seminarium est, in utram decidatur partem.

§. I. Sententiæ negativæ Auctores.

PRima sententia vult, sagas ac magos nunquam verè & corporaliter transferri ad hujusmodi conventus, sed solùm animi cogitatione, aut per somnium, ac Diaboli illusionem. Tuentur hanc sententiam *Wierus* in totis sex libris, quos scripsit in lamiarum defensionem, *Godelmannus*, *Agrippa*, *Frater Samuel Minorita*, *Auctor Fortalitii fidei*, *Martinus de Arles*, *Ponzinibus*, *Alciatus lib. 8. Parerg. cap. 22. Duarenus*, *Ærodius*, *Michaël Montanus*, *Joannes Salisburiensis lib. 2. Polycrat. c. 17. Philippus Camerarius cap. 72. Oper. Subcis.*

Transferantur nè corporaliter sagæ ad sua conventicula.

Ulricus Molitor de Pythonicis Mulieribus cap. 8. quos omnes citat *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 16.* idem subindicat *Joannes Baptista Porta lib. 2. Magia Natur. ex quatuor cap. 26. in fine*, & *Leonardus Vairus lib. 2. de fascino cap. 13.* His immeritò adjungit Torreblanca Bodinum lib. 2. Dæmon. cap. 5. cùm is cap. 4. expresse sequentem sententiam tueatur. Rationes, quibus moventur hi Auctores, postea afferam.

§. II. Sententiæ affirmativæ Auctores.

SEcunda sententia vult, nonnunquam saltem verè sagas ac magos transferri à Dæmone corporaliter ad conventus suos nefarios; & quidem vel insidentes hirco, aut alteri animali (phantastico plerumque, hoc est, Dæmoni assumenti corpus aëreum hirci formâ;) vel arundini veræ, scoparumvè baculo (aut colo, aut furcæ) etiam vero, sed acto ac sublevato à Dæmone; vel immediatè ab ipso Dæmone sine extrinseco instrumento adhibito. Hanc sententiam probant Patres Orthodoxi, veteres ac recentiores Theologi, Jurisperiti, Inquisitores hæreticæ pravitatis, & Medici, Sagæque ipsæ tàm intra, quàm extra torturas, ac denique Experientia ipsa innumeris exemplis confirmata. Auctores citant *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. q. 16.* & *Torreblanca lib. 2. q. 36.* qui in eadem sunt sententia. Inter Patres sunt *D. Gregor. D. Epiphan. D. August.* Inter Theologos *D. Thomas, Jo. Major, Albert. Cajet. Tostat. Victoria, Annan. Guilh. Parisiens. Alphonsus à Castro, Toletus, Suarez de Relig. lib. 2. cap. 16.* Inter Juristas *Turrecr. Simanca, Navar. Medices, Farinac. Dambauder. Nicolaus Remig.* Inter Inquisitores, *Spreng. Jaquer. Nider. Bern. Comensis, Cuman. Pegna.* Inter Medicos *Ronsæus, Cæsalp.* Omitto multos alios Scriptores à Delrio citatos. Lamiæ ipsæ tam in equuleis, quàm spontaneâ confessione, jurejurando has translationes veras esse fatentur, & se ad conventus corporaliter deferri à Dæmone affirmant, noto sibi unguento inunctas, vel etiam sine unctione, insidentes aliquando scopis, arundini, baculo, furcæ, colo, hirco, cani, vel alii animali elementato, à Dæmone tamen sublevato, & per aërem acto, ut testantur *Remigius lib. 1. Dæmon. cap. 74. Grilland.* de Sortileg. *q. 4. Binsfeld. in Confess. malef. memb. 1.* concl. 12. & alii. Nunc Historias aliquas subjiciamus.

§. II. Variæ historiæ de vera & corporali translatione sagarum ad suos conventus.

Translatio corporalis sagarum probatur historiis.

GUilhelmus Neubrigensis lib. 1. Rerum Anglic. cap. 38.* hanc narrat ea de re historiam. *In provincia Deirorum, haud procul à loco nativitatis meæ, res mirabilis contigit, quam à puero cognovi. Est vicus aliquot à mari orientali milliaribus distans, juxta quem famosa illa aqua, quas vulgò* Vipse *vocant. Ex quo vico rusticus quidam ad salutandum amicum in proximo vico commorantem profectus, multâ jam nocte minùs sobrius remeabat. Et ecce de proximo tumulo, quem sæpius vidi, & duobus*

bus vel tribus stadiis à vico abest, voces cantantium, & quasi festivè convivantium audivit. Miratus quinam in illo loco solemnibus gaudiis intempestæ noctis silentium rumperent, hoc ipsum curiosiùs inspicere voluit; vidensque in latere tumuli januam patentem, accessit, & introspexit, viditq; domum amplam & luminosam, plenamq; discumbentibus, tam viris, quàm fœminis, tanquam ad solemnes epulas. Unus autem ministrantium cernens stantem ad ostium, obtulit illi poculum. Quo ille accepto, consultò noluit bibere, sed effuso contento, & continente retento, concitus abiit: factoq; tumultu in convivio pro sublatione vasculi, & persequentibus eum convivis, pernicitate jumenti quo vehebatur, evasit, & in vicum cum insigni se præda recepit. Deniq; hoc vasculum materia incognitæ, coloris insoliti, & forma inusitatæ, Henrico seniori Anglorum Regi pro munere oblatum est, ac deinde fratri Reginæ, David scilicet Scotorum Regi, contraditum, annis plurimis in thesauris Scotiæ servatum est, & ante annos aliquot (sicut veraci relatione cognovimus) Henrico II. illud aspicere cupienti à Rege Scotorum Guilhelmo resignatum.

Joannes Bodinus lib. 2. Dæmonom. cap. 4. recentissimam de maga quadam Lochiana narrat historiam, in hunc modum. *Vir quidam tenuis cùm uxorem interdum abesse noctu perciperet, bonamq; noctis partem emanere; præterea dicentem se aut ad deonerandum alvum egredi, aut ad lavandum cum vicina sua, aliquoties falsi evicisset; suspicionem concepit de perfida ejus libidine, & necem interminatus est, nisi locum, quo proficisceretur, indicaret. Illa sibi à periculo metuens, rem ut erat confessa est: atq; ut explores & videas rem ita se habere* (inquit illa) *si volueris, eòdem venies. Tunc tradidit ei unguentum, quo se uterq; inunxerunt; & pronuntiatis aliquot vocibus, Diabolus eos Lochiis in arenarias Burdegalenses (quæ à Lochiis minimùm quindecim dierum spatio absunt) exportavit. Videns itaq; vir se in ignota magorum, magarum & Diabolorum humanâ specie, aspectûs tamen horrifici, frequentia versari; dicere cœpit: DEUS mi, ubinam sumus? Hoc dicto, repentè cœtus disparuit. Ille verò cernens nuditatem corporis sui, oberravit per agros nudus, donec manè rusticos invenit, qui ipsum in viam deduxerunt. Reversus Lochias, ad Quæstorem rerum capitalium contendit rectà: qui auditâ probè historiâ, fœminam prehendi jussit: illa verò minutatim omnia quæ diximus, confessa est, & ultrò agnovit peccatum.*

Idem Bodinus loc. cit. *Lugduni quoq;*, inquit, *ante paucos annos mulier potens comperta est, quæ surrexit de nocte, accendit lucem, arreptâ pyxide inunxit sese, & post voces aliquot elata est. Hos ritus fieri observans mœchus, qui cum ea cubaverat, lucernam capit, pervestigat undique; & eâ non inventâ, cùm solam unguenti pyxidem reperisset, curioso animo exploraturus quid unguentum posset, fecit prout fieri animadverterat. Ita statim elatus, comperit se cum magorum cœtu esse in agro Lotharingiæ, & consternatus est. Sed cùm primùm DEI opem imploravit, evanuit totus cœtus; ille verò solum nudumq; sese comperiens, Lugdunum reversus est, & maleficam accusavit; quæ confessa rem totam, igne periit.*

Digitized by Google

Idem ibidem. *Idem quoq; nobili cuidam viro non ita pridem ad Melodunum accidit, qui & molitoris verbis, & suâ ipsius curiositate adductus, cœtum maleficorum adiit: sed quoniam perhorrescebat metu, quamvis non invocaret Deum, Diabolus maximâ voce inclamavit: Quisnam hic metuit? Sic volente nobili viro discedere, ex oculis abscessit cœtus. Atq; hic reversus, indicare magum statuerat; ille verò præmonitus, sibi consuluit fugâ.*

§. IV. Aliæ historiæ de corporali sagarum translatione ad sua conventicula.

Translatio corporalis sagarum aliis historiis probatur.

P*Aulus Grillandus*, Jurisconsultus Italus, *lib. 2. de Sortileg. q. 7.* & ex illo *Alphonsus à Castro lib. 1. de justa haret. punit. cap. 16.* & ex hoc *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 16.* narrat sequentem historiam, quæ circa annum 1525. contigit in Italia. *Mulier quædam Sabinensis diœcesis*, inquit, *hanc profitebatur diabolicam artem. De qua cùm maritus suspicionem haberet, interrogavit eam pluries: quæ semper negavit. Maritus verò in suspicione sua persistens, anxiè veritatem perquirebat: qui adeo astutè se gessit, quòd vidit illam quadam nocte se unguento quodam ungentem: quâ unctione peractâ, vidit illam celerrimè quasi avem recedentem, & ex superiore domus solario ad inferiora descendentem. Illam maritus sequens, ut videret quò tenderet, ampliùs eam non vidit; & accedens ad portam domus, invenit eam clausam. Quæ res magnam ei præbuit admirationem. Die verò sequenti iterum maritus uxorē interrogat, quod anxiè scire cupiebat; & illa constanter, ut antè, se nescire dixit. Maritus verò, ut ampliùs negare mulier non posset, apertè ei dicit omnia, quæ nocte præteritâ illam fecisse viderat: deinde fustibus illam percutit graviter, & duriora minatur verbera, nisi veritatem dixerit: quam si apertè exposuerit, veniam se illi daturum promittit. Mulier igitur se jam celare non posse intelligens, veritatem aperuit, & veniam à marito petiit: quam illi maritus hac conditione indulsit, ut illum ad tales congregationes adduceret. Illa verò ut veniam impetraret, facilè petita promisit, & promissum ex licentia Satanæ implevit. Adductus igitur ille ad locum, ubi ludi fiebant, ludum, & choreas, & cætera omnia contemplatus est; & tandem ad mensam cum reliquis, ut vesceretur, sedens, cùm cibos insipidos judicaret, petiit sibi dari sal, quod in mensa deerat: & quamvis iterum atq; iterum petiisset, nunquam illi dabatur. Tandem cùm post importunam petitionem, prolixamq; exspectationem, sal illi daretur, dixit:* Lodato sia Iddio, che pure è venuto questo sale: *Nunc laudetur DEUS, quoniam jam venit sal. Quibus verbis prolatis, Dæmones, quia laudes Dei audire refugiunt, statim recesserunt, & reliqui omnes disparuerunt, luminaribusq; extinctis mansit ille solus nudus, quousque manè facto vidit quosdam pastores; quos interrogavit, quænam esset illa patria, in qua erat: illi verò responderunt, esse agrum Bene-*

ven-

Digitized by Google

ventanum in regno Neapolitano. Qui locus distabat à patria viri per centum millaria. Ob quam causam, licèt dives esset, coactus fuit per viam mendicare, ut ad domum suam redire posset. Ad quam postquàm pervenit, statim uxorem suam ob lamiæ crimen accusavit, & totam rem gestam, ut narrata est, coram judicibus exposuit. Qui rem totam plenè ut oportebat, examinantes, vera esse omnia quæ diximus, invenerunt. Quæ etiam ejusdem mulieris confessione confirmata sunt.

Bartholomæus Spinæus, sacri Palatii Apostolici Magister, *q. de strigibus cap.* 17. refert, *Quandam puellam, quæ cum matre Bergomi morabatur, inventam fuisse nocte Venetiis in thalamo sui affinis. Quam manè repertam nudam, recognitamq́, quia consobrina erat, cùm interrogassent quomodo illuc venisset, aut ibi esset, & quare; plorans illa, postquàm vestita ab illis fuit, hæc quæ subdo, enarravit, dicens: Hac nocte cùm in lecto vigilarem, vidi matrem meam, quæ me dormire putabat, surgentem de lecto, & exutam camisiâ se quodam unguento, quod ex vasculo assumpsit de sublateribus extracto, perungentem corpus: & statim assumpto baculo quodam ibi præparato, in modum equitantis ascendens, extra fenestram deportata est, & à me nequaquam ex tunc ibi visa. Cumq́ ipsa quoque de lecto surgens, meum, ut mater fecerat, perunxissem corpus; extra fenestram educta, statim in hunc locum deportata sum; ibi matrem puero huic lecto decumbenti insidiantem vidi. Ex quo ego territa, cùm matrem quoq́ ob meum adventum conturbatam vidissem, & comminentem; nomen Domini JESU & Beatæ Virginis invocavi, & ex tunc matrem non vidi; & ego hic nuda solaq́ remansi. His auditis à puella, scripsit omnia hæc affinis ille narrantis Patri Inquisitori Bergomensi, à quo capta mulier, & tormentis exposita, cuncta confessa est; & addidit, se à Dæmone plusquàm quinquagies deportatam, ut puerum illum prædicti affinis occideret; sed tamen prævaluisse nunquam, eò quòd semper illum invenerit signo crucis, & sanctis orationibus à parentibus benè munitum.*

Idem *Bartholomæus de Spina loc. cit.* narrat etiam sequentem historiam, *Quidam Antonius Leo, carbonarius, Ferrariæ habitator, de Valle Telina narravit mihi hoc anno, se in patria sua ab eo, cui infrà scripta contigerunt, cognovisse. Quòd cùm suspectam haberet ille uxorem suam ex relatione multorum, quòd iret ad cursum (* hoc est, conventum sagarum *) quandò ipse nocte dormiret; finxit se quadam nocte profundè nimis dormire. Quod ubi percepit uxor, surgens de lecto inunxit se unguento ex vasculo, priùs abscondito, & statim nusquam comparuit. Stupens autem vir suus, & quadam curiositate ductus, de lecto surgens idem fecit quod uxor; & statim per caminum (ut sibi videbatur) per quem etiam sibi visum fuerat ascendisse uxorem, delatus, in quandam cujusdam nobilis Comitis cellam vinariam deportatus est: quo loci etiam uxorem suam cum pluribus aliis reperit. Eo autem viso, uxor statim cum aliis quodam signo facto discessit, eodem viro suo in illo loco relicto. Qui manè à famulis domus inventus, & cum clamoribus, quasi latro, captus, & ante Comitem constitutus, accepto loquendi spatio, cum rubore factum narravit: & ex hoc accusata uxor*

illius

illius apud Inquisitorem, & tandem confessa, pœnam dedit suis dignam sceleribus.

Grillandus loco suprà cit. apud Delrium loco etiam citato narrat, anno 1524. sibi ut Inquisitori oblatam quandam Lucretiam; quæ dum ex congregatione ludorum deportaretur domum, & sub auroram matutinus campanæ pulsus, quo ad orandum populus vocatur, fuisset auditus; subitò illam à Dæmone vectore prope fluvium in agro spinis obsito derelictam. Fortè juvenis, ei benè notus, illac transibat. Eum ergo proprio nomine misera advocat. Juvenis videns totam nudam &c. & passis crinibus, accedere formidabat. Persistit illa blanditiis allicere. Tandem appropinquavit, & quæsivit habitûs ac moræ eò loci causam. Illa primùm alia omnia prætexere, & multa mentiri, donec juvenis incredulus negavit se illi opem laturum, nisi vera fateretur. Illa fidem secreti stipulata, confitetur quod sibi accidisset, & qua ex causa. Juvenis eam secretò domum suam perduxit, & multis ab ea muneribus donatus fuit. Sed tandem datæ fidei immemor, rem uni atque alteri narravit: sic paulatim sparso rumore, & mulier capta, & juvenis testimonium veritati perhibere coactus, hæc omnia Grillando narravit.

§. V. Adhuc aliæ historiæ de vera & corporali sagarum translatione à Dæmone.

Translationis corporalis sagarum adhuc alia exempla.

Nicolaus Remigius lib. 1. Demonol. cap. 14.* narrat sequentem historiam. *Lutzeii (qui vicus non ignobilis est in radicibus Vogesi montis) Majo mense anni 1589. paganalia à vicinis celebrabantur. Ex eo vico Claudius Choteius in vicinum, cui nomen est Wisembach, appetente nocte redibat: jamq; ejus montis, qui inter utrumque vicum assurgit, bonam partem conscenderat, cùm subitò correptus turbine stetit circumspectans attonitus, nuncubi rei adeo insolentis causa aliqua appareret: nam cæterà tranquillissimus quietissimusq; aër erat. Advertit in secessu quodam (eum accolæ crepidinem Morellam appellant) larvatas mulieres sex, instructam multo auro atq; argento mensam quandam saltando circumeuntes, perindeq; sua jactantes capita, ac qui intemperiis agitantur. Tum iis adstantem in nigro tauro hominem, qui eas, uti otiosus aliquis in trivio, spectabat. Ibi igitur consistit tantisper, dum se collegit, ac rem totam certiùs oculis agnovit. Quod dum facit, momento turba illa disparuit, ac se ab ejus aspectu subduxit. Amoto igitur eo metu, se denuò viæ committit: ac jam montis verticem superaverat, cùm ecce eum mulieres illæ à tergo sequuntur, capita sua ut antea jactantes, atq; altum ceu ex composito silentium tenentes. Præibat homo atrà facie, manibusq; in harpaginis speciem incurvis, quas etiam parabat illi in frontem immittere, nisi obstitisset districto atque opposito ense; siquidem hoc facto, insultare destitit, quasi de vita metuens, atq; evanuit. Ostendunt se nihilominùs iterum mulieres illæ, unàq; cum iis homo, quem modò dixi tauri sessorem, chorearumq; spectatorem:*

ad

Digitized by Google

ad quem jam factus confidentior Chotaius accessit propiùs, atq; infert. Ita tunè hîc es, mi Desideri Gaxete (id enim ei erat nomen;) obsecro, si quid potes, serva me: nam (Pol) *tibi fidem meam obstringo, me nihil eorum quæ vidi, equidem palàm esse facturum. Vixq; hæc dixerat, cùm turbo illum ceu nebulâ involvit denuò. Eo demum evolutus, & liberatus, solum se in solo ac longè dissito à via loco reperit; quam tamen vestigando ad extremum nactus, quàm festinatissimè potuit, domum se recepit. Triduo post id testimonium, ad aliud postea à judice quæstionis rursum vocatus, hoc ex abundanti superioribus addidit, recordari se, cùm propiùs ad mensam accessisset, visurus quibus epulis esset instructa; Dæmonem sibi è vestigio unguibus in os involasse; ac dum se contrà ferro defenderet, inter hæc vehementiori vento iterum sublatum, atq; ad Combrimontis cataractas, qui locus à priore non minùs ducentos passus aberat, fuisse deportatum. Quod ne quis deliramentum esse putet hominis non sobrii, & noctis lociq; solitudine tunc fortè exterriti; id etiam Sandeodati XI. Cal. Junii 1589. Barbelina Caxeta, è mulieribus illis una, superiori mense totidem ferè verbis apud Quæsitorem recitaverat: hoc adjiciens, tritici heminas duas, caseosq; bubulos totidem, Chotaio illi à Desiderio Caxeto, ejusq; uxore dono datos, quò celatum haberet quod sic viderat. Qua de re coràm compositi, convenerunt per omnia, extra hoc unum, quod Barbelina diceret non esse in Chotaium à Dæmone intentatas manus, quia sic se mensæ propinquum intulisset, ut is in elogio suo mentitus fuerat, sed quòd aureum craterem ab ea furto tollere paraverat.*

Aliud exemplum ita narrat Remigius. *Joannem ab Hembach, vix dum ab ephebis egressum, venefica mater secum ad nocturnos Dæmonum conventus deduxerat, ac quòd tibiis sciret, iis illum canere jusserat, atq; in proximam arborem, quò clarius exaudiretur, inscendere. Quod dum facit, ac saltantium choreas otiosus oculis collustrat; fortè insolentia admiratus (nam præpostera, ridiculaq; ibi erant omnia) DEUS bone, inquit, unde isthæc nobis tam stulta amensq; turba? Vixq; hæc dixerat, cùm in terram prolapsus, altero humero debilitatum se, ac, cùm adstantium opem imploraret, solum reperit. Quod dum palàm prædicasset, & variè de eo sentiretur, aliis visum, aliis rem gestam contendentibus; secuta est postmodum, quæ eam dubitationem tolleret, occasio. Nam Catharina Prævotia in Freissem 4. Non. Septemb. 1589. earum una quæ choros illos agitaverant, ob sortilegii suspicionem non multò pòst comprehensa, rem omnem uti suprà memorata est, adhuc ejus rumoris, quem Hembachius seminaverat, ignara, & nullâ interrogatione præeunte, fassa fuit &c.* Idem & aliæ postea captæ, sunt fassæ, addentes etiam nomen loci in quo id contigerat.

Tertium exemplum, non testium tantùm dictis clarum, inquit, Delrius loco sæpe cit. sed & clarâ luce gestum, idem Remigius in hunc modum recenset. *Rediens Nicolaa Lagbernhard è moletrina Guermingensi Assenunccuriam ante 8. Cal. Aug. anni 1590, ac iter secundùm sepem sylvestrem aperto meridie faciens, advertit in arvo finitimo chorum in orbem saltantium tum viro-*

rum, tum mulierum: verùm quòd præter solitum aliorum hominum morem aversi, tergaq; ostendentes id faciebant, attentiùs eos aspiciens vidit præterea, qui caprinis, bubulisq; pedibus deformes unà intermixti, saltatorium illum orbem versarent. Tum pænè metu emortua, JESU salutare meum (uti quibus sinistri inauspicatiq; aliquid imminet) inclamare cœpit, ac rogare suppliciter, ut ad suos modò salva incolumisq; redire posset. Illicò evanescere omnes qui tripudiabant, præter unum Petter Grospetter nomine; cui ocyùs in aërem sublato, elabi interea atq; excidere visum est penicillum, quali furnarii consueverunt furni sui aream, priusquàm panem in eum condant, extergere. Inter hæc vehementiori quoque illa concepta vento, vix anhelitum ducere, ac spiritum trahere: tum etiam domum reversa, triduum integrum ex valetudine decumbere. Cujus rei fama cùm ipsa, ejusq; propinqui spargente, jam universum pagum peragrasset; Petter ille, ne videretur ejus dissimulatione tantum crimen agnoscere, ac fateri; primùm quidem apud judicem injuriarum ferociùs agere: sed tandem veritus, nè non succedente lite majus ipse sibi crearet periculum, eam consultò deseruit. Quæ res multò etiam magis ejus facti suspicionem auxit, æstimantibus multis malæ mentis conscientiâ illum eam, quam primùm in animum adeò avidè revocaverat, injuriam mussitare. Ergo judex in ejus vitam moresq; tantò diligentiùs inquirit; ac cùm certis indiciis rem non esse vanam comperisset, comprehendere; tum ad criminis non adeo invitam confessionem adducere; tandem & alios, quibuscum illi ejus sceleris societas fuerat, coarguere, ac jam manifestos facere. Inter quos fuère Barbelia Joannis Latomi uxor Dusæ 6. Cal. Febr. 1592. & Mayetta Laurentii Supermajoris item uxor Dusæ 14. Cal. Martii 1591: quæ diversæ, totidem tamen verbis, illud de habito à se aversis unà cum intermediis cornupedibus choro, proditum à conscio Petter indicium verum esse agnoverunt. Accessit & earum confessionis tertius Joannes Michaël armentarius Dusæ Cal. Martii 1591. hoc etiam ad majorem ejus rei fidem addens, se interea, dum hæc fierent; tibicinis functum officio, pedum quoddam fortè oblatum ori admovendo, ac micantes ei digitos, uti cùm ad numerum veræ instantur tibiæ, adducendo. Ac cùm Nicolæa illa (uti dictum est) JESUM tremebunda invocasset, seq; præterea crucis signo munivisset; è quercus altiore ramo, cui tum insidebat, præcipitem decidisse, demum turbine involutum, ac in pratum nomine Weiler, in quo pascentem gregem paulò antè reliquerat, deportatum fuisse. Ejus rei gravissimum firmissimumq; argumentum denique hoc fuit, quòd locus, ubi sic in orbem agitatæ fuerant choreæ illæ, postero die, quemadmodum Nicolæa antè monuerat, apparuit circo impressus, qualem habent hypodromi, ubi in gyrum aguntur equi; sed & interstinctus ungularum caprinarum bubularumq; recentibus vestigiis. Quæ & perstiterunt videri, dum aratro denuò proscissum subactumq; arvum illud brumâ sequente fuit. Testimonium dixére Nickel Klein, Desiderius Vernex, & Gaspar Sutor, & quotquot in rem præsentem maturè dosti, de ea pòst à judice sunt interrogati.

Aliud

Aliud non minùs exploratum exemplum narrat *Balduinus Prouffens Epist. Medic.* 50. quod suis temporibus in Hollandia contigit. *Erat*, inquit, *in pago Oostbrouck non procul à Trajecto mulier vidua, cui servus convixerat ad obeunda, ut res postulabat, munia domestica. Is cùm jam sæpius, ut solent esse curiosuli servi, per transennam animadvertisset, heram nocte intempestâ, statim ac quieti se tradidissent domestici, quotidie in stabulum, ad certum præfixumq́ locum venire, atq́ exporrectis manibus præsepi contiguum fœnile apprehendere; admiratus tandem ille quidnam hoc negotii esset, statuit & ipse insciâ herâ idem semel experiri, atq́ eandem pertentare aleam. Igitur herâ ex consuetudine ad solita veniente, atq́, sicuti videbatur, digressâ, subsequitur & ipse, locum contemplatur, atque exemplo heræ fœnile complectitur. Ibi ille ex tempore in aëra raptus defertur in oppidum Wyck, in abditum & subterraneum specum, ubi cœtum maleficarum de maleficiis conferentem inter sese reperit. Hera cum suis inopinam famuli sui præsentiam admirata, rogat, quo astu, aut quâ tandem ratione momento temporis illuc appulisset. Respondit ille ordine, ut res transacta esset. Tum illa indignari primùm atq́ excandescere cœpit, verita nè nocturni atq́ clandestini illi conventus hac ratione tandem eliminarentur. Cum consortibus igitur deliberandum censuit, quid in ambiguo hoc negotio faciendum suadeant. Convenit tandem inter eas, ut amicè exciperetur, silentium stipularetur, atq́ arcana hæc, quæ illi præter meritum atq́ opinionem videre contigisset, nulli communicaturum se, aut revelaturum sanctè dejeraret. Ille interim quidvis non pollicetur, adblanditur, & ut mitiùs agant, simulat se omnibus votis hoc unum expetere, ut cùm illarum gratiâ liceat posthac sortilegarum interesse collegio. Interim dum consultatur, labitur hora, & jam abeundi tempus instat. In dubium iterum, instigante herâ, jam vertitur, remittendusnè domum sit totius cœtus periculo, an bono publico enecandus. Communi tandem omnium consensu mitior placuit sententia, quæ juramento adactum domum deferendum decerneret. Suscipit eam provinciam hera, atq́ fide datâ in humeros receptum domum delaturam pollicetur. Accinguntur operi, atq́ Euro ocyùs per aëra feruntur. Sed ecce, emensis jam bonam partem itineris, conspicuum sese dedit lacus arundineto obsitus. Ibi malefica illa anus occasionem nacta, verita nè juvenis pœnitentiâ ductus, quòd furialibus istis feriis (quemadmodum simulabat) initiatus esset, visa tandem eliminaret, provolans, à se dejecit adolescentem, sperans, ut suspicio est, eundem partim casûs violentiâ enectum, partim lacus ipsius altitudine absorptum iri. Verùm, ut est DEUS misericors prorsus, non volens mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, vesanæ illius menti metas constituit, neque passus est juvenem insontem mergi, sed aliquantò æquiore conditione permisit, ut in hunc usq́ diem vita protraheretur, dum fortè fortuna in arundinetum decidens, lethalem plagam ex casu non accepit, violentiâ impetuq́ casus per arundinetum quodammodo refractu. Interim miser ille, qui solius linguæ ministerio jam utebatur, dum illucesceret,*

mille distorquebatur cruciatibus, ac suspiria trahens tantisper ingemiscebat, dum prætereuntes insolitâ lamentatione attoniti, factâ indagine, comperrerunt hominem prorsus elumbem, & cui utraq; excidisset coxa. Rogant unde sit, quomodo eò calamitatis devenerit? Narrat ille ordine singula. Defertur tandem curru Ultrajectum. Ibi nobilis vir Joannes Culemburg, Urbis Prætor, rei novitate quodammodo perculsus, admirabundus singula perquirit; atq; indagine factâ, fascinatricem heram comprehendi jubet, vinculisq; constringi. Illa simul ac in manus Præfecti venisset, nihil negare, singula fateri &c. Multa alia exempla apud Remigium, Grillandum, Bodinum, Delrium, & alios reperta omitto, & breviter indico abominabiles ritus, & nefanda flagitia, quæ in prædictis sagarum conventibus committuntur.

§. VI. Ritus & flagitia abominanda; quæ in sagarum conventibus perpetrantur.

Ritus & flagitia in sagarum conventibus commissa.

HÆc constant partim ex relatis historiis, partim collecta sunt à Delrio loco sæpius cit. Nonnulla indico.

Primò constat, sagas plerumque baculo alicui, aut hirco, alterivè animali insidentes, transferri à Dæmone per aëra ad conventus suos. Potest tamen, & solet aliquando sine talibus instrumentis easdem transferre Dæmon. Baculum inungere solent unguento confecto ex variis rebus, maximè ex unguine infantum necatorum. Aliquando tamen non baculum, sed vel crura, vel alias sui corporis partes illinunt. Posset sine unguento sagas transferre Diabolus, sed hoc vult copiosum adhiberi, ut quàm plurimos infantes perimant, opinantes sine illo se ad conventum deferri non posse. Indicio est, quòd primâ vice dicit sufficere unguentum commodato ab aliis acceptum, postea necessarium esse ut ipsæmet sibi illud ex infanticidio præparent.

Sagarum conventus quomodo celebrentur.

Sic inunctæ, solent ad conventum deferri: ubi ignis ut plurimùm accensus, teter & horridus. Ibi Dæmon conventûs præses in solio sedet, formâ terrificâ, ut plurimùm hirci, aut canis. Ad illum accedunt adorandi gratiâ, non eodem modo omnes & semper; sed interdum complicatis genibus supplices, interdum obverso tergo stantes, interdum cruribus etiam in altum jactis, nec capite in anteriorem partem prono, sed resupinato, adeo ut mentum ad cœlum feratur. Tum candelis piceis oblatis, vel umbilico infantuli, ad signum homagii eum in podice osculantur. Aliquando missæ sacrificium æmulantur, & aquæ lustralis, similiumque rituum catholicorum usum imitantur. Interdum liberos suos Diabolo offerunt, & occidunt. Interdum hostiam sacram post communicationem ore asservatam, & extractam, Dæmoniq; oblatam, coram eo pede concùlcant.

His & similibus flagitiis ac ritibus præmissis, incipiunt mensis assidere, & con-

Digitized by Google

& convivari de cibis,quos Dæmon ſuppeditat,vel quos ſinguli attulerunt. Interdum tripudiant ante convivium,interdum poſt illud. Solent diverſæ menſæ eſſe,cibis interdum delicatiſſimis, interdum valde inſipidis & inſulſis onuſtæ; quibus pro dignitate,aut opibus,ſinguli locantur. Aliquando ſuus cuique Dæmon aſſidet, aliquando malefici una ex parte, & ſuus cuique Dæmon ex adverſo. Nec menſæ ſua deeſt benedictio, & actio gratiarum, verbis conſtans planè blaſphemis, quibus ipſum Beelzebub creatorem,datorem,& conſervatorem omnium profitentur. Convivio interſunt facie interdum velatâ larvâ,linteo,vel alio velamine,interdum apertâ. Sic etiam perſonati frequentiùs poſt convivium choreas ducunt, dum quiſq; Dæmon ſuam quam cuſtodit diſcipulam manu prehendit;& quidem dorſis invicem obverſis,&in orbem junctis manibus,jactantes capita more fanaticorum;nonnunquam candelas ardentes manu tenentes, quibuscum antea Dæmonem oſculantes adorârant, & cantantes feſcenninos in honorem Dæmonis obſcœniſſimos; vel ad tympanum fiſtulamvè ſedentis alicujus in bifida arbore ſaltant,omniaque ridiculè,& contra cæterorum morem peragunt. Tum ſuis amaſiis Dæmonibus fœdiſſimè commiſcentur. Denique ſua unusquiſque narrat ab ultimo conventu facinora;quæ quò graviora, eò collaudantur uberiùs; ſi nulla,vel non ſatis atrocia, verberantur à Dæmone,vel à malefico quopiam ſeniore. Ultimò pulveribus,vel venenis aliis acceptis, ſæpe etiam indicto cuique nocendi penſo, & pronuntiato Pſeudothei Dæmonis decreto, *Ulciſcimini vos, alioquin moriemini*, ſuas quiſque domos,ſi propè ſint,pedibus;ſin diſtantiores, ut advecti repetunt. Solent & ſacrificia quandoq; fieri Dæmoni in conventibus, eaq; ſtatim initio peractâ adoratione.

Conventus ut plurimùm ineuntur vel noctis mediæ ſilentio, quando viget poteſtas tenebrarum, vel interdiu meridie, quando dæmonium meridianum maximè ſævit. Alicubi conveniunt ſagæ nocte quæ præcedit feriam ſextam,alibi nocte quæ quintam,aut tertiam feriam præcedunt. Ad conveniendum ſtatis diebus aliquando monentur à ſuis ſibi attributis Diabolis, quos Italæ Sagæ Martinellos vocant; aliquando à vocibus prætervolantis comitatus ſagarum reginæ,aliquando aliter. Hæc omnia probati Auctores,ex ſagarum confeſſione habita teſtantur.

§. VII. Statuitur, ſagas corporaliter, & non imaginariè, conventibus ſuis intereſſe.

EX tot ac tam luculentis exemplis, & ex tam unanimi Scriptorum omnis conditionis conſenſu, quorum plurimi fuerunt doctiſſimi & integerrimi in maleficarum negotio inquiſitores ac judices, conſtat, ſagas, dum dicunt ſe ad conventicula ſua deferri,eaque quæ narrata ſunt,ibidem peragere, minimè deludi ſemper à Diabolo,ſed aliquando ſaltem,& ut plurimum,

Sagæ corporaliter ſuis conventibus intereſſunt.

rimùm,verè, realiter,& corporaliter eò deferri,& spectare oculis,auribusq; audire,quę ibidem aguntur.Quis enim,nisi prorsus refractarius,sibi persuadeat,sagas omnes , quæ similia de se & de aliis enuntiant , & omnes illos qui vigilantes, & nihil tale volentes,eò delati fuêre, falsos esse per somnia, & per imaginationem à Diabolo delusos ac deceptos ? Num quotquot eidem conventui interesse se putant, & interfuisse asserunt, eadem prorsus habent somnia,& eodem à Diabolo modo,ac cum iisdem circumstantiis deluduntur ? Num penicillum illius *Petters* etiam somnians eò delatum fuit? Num somniavit Nicolæa, dum per viam domum rediret, & domum reversa triduo se lecto affixam putabat?Num tot testes,qui agro vestigia hominum & animalium in orbem saltantium solo impressa se vidisse testati sunt,somniârunt ? Num juvenis ille,lacer & elumbis in lacu inter arundinetum repertus,somniabat?Num somniando eò fuit delatus,&inde domũ? Num qui deduxerunt domum in curru, similiter somniabant ? Certè hæc nemo sine insignis pervicaciæ nota dicere potest. Demus enim omnia illa quæ retulimus,verè ac sine fuco contigisse,&voluisse tam sagas,quàm alios qui eorum conventibus dictis modis interfuerunt,aut aliter per aëra realiter delati fuerunt,voluisse inquam rem totam,prout gesta fuerat, aliis referre,& coram judicibus testari;quibus aliis verbis, quâ aliâ cautelâ & circumspectione,illa eadem narrare ac testificari potuissent ? Certè si hæc omnia per somnium ac diabolicam delusionem contigerunt , infinita alia eodem contigisse modo asserendum foret.

Adde , quòd nonnunquam conventu subitò dissoluto , repertæ sunt mensæ,& supellex argentea,& postea à dominis agnita, & confessæ uxores se illa secum ad nocumentum detulisse , ut bene ex variis historiis notavit Delrius.Deinde tam sagę,quàm alii qui curiositate aut inconsideratione ad earum conventicula deducti fuêre,sæpe loca omnia,arbores,sepes,colles, flumina,domos,cibos appositos,convivas,obvios in via, agnoverũt distinctissimè,salutârunt,allocuti sunt, agniti ab aliis fuerunt euntes & redeuntes; interdum fuerunt visæ ac deprehensæ sagæ nudæ, ut vidimus;aliàs ex turbine deciderunt in terram,ac mutilatæ membris fuêre;aliàs reversæ,ex nimiâ defatigatione decubuêre per totum triduum.Pręterea,ut paulò antè insinuavi, multæ quæ in eodem conventu se fuisse sunt fassæ, eadem unanimiter dixerunt,nec in minutissimis circumstantiis discrepârunt:idem confirmarunt alii immunes à crimine;idem confitentur in tormentis , & extra tormenta,&in ipso rogo.In somniis autem,in imaginationibus,in delusionibus,non potest esse tanta omnium virorum ac mulierum, senum ac juvenum, reorum & innocentium,locis & temporibus dissitorum, ac studiis disjunctissimorum consensio, cùm non sit eadem omniũ temperies, nec eadem cerebri ac phantasię dispositio,sine quibus Dæmon non deludit.

Omitto

Digitized by Google

Omitto alia argumenta, quæ leges apud Delrium, & Torreblancam, solùmque in confirmationem addo sequens exemplum, quod apud Delrium narrat *Cumanus* his simplicissimis verbis. *In Mendrisio oppido Comensi contigit, jam ferè annis quinquaginta elapsis, ut cùm ibi quidam Inquisitor nomine Magister Bartholomæus de Homate, D. Laurentius de Concoretio Potestas, & Joannes de Fossato Notarius, contra has striges procederent; unâ die ipse Potestas, quadam curiositate ductus, volens experiri an verè & corporaliter striga irent ad ludum, factâ conventione accessit quodam die Jovis serò cum Notario suo, & quodam alio extra oppidum ad quendam locum, sicut illi strigæ prædixerat. Et dum ibi propè essent illi tres, viderunt ibi plures personas congregatas coram quodam (qui erat Diabolus in forma hirci) ad modum cujusdam magni domini sedente: & ecce subitò omnes illæ personæ ibidem congregatæ, jussu Diaboli, adeo illum officialem, & omnes ejus socios, Deo ob eorum curiositatem permittente, baculis percusserunt, quòd ex talibus percussionibus ille Officialis, & Notarius, & tertius ille alius, intra quindecim dies mortui sunt.* Eant ergo, qui non credunt corporaliter deferri à Dæmone sagas ac magos de loco ad locum, & similia experiri tentent, si audent.

§. VIII. Solvuntur argumenta negantium corporalem sagarum translationem, ac putantium illam imaginariam esse.

PRimò, Alciatus ait, solis mulierculis talem translationem corporalem asseri. Sed hoc *falsum* esse, constat ex dictis.

Translationem corporalem sagarum negantium argumenta solvuntur.

Secundò, Ajunt homines sæpe, præsertim mulieres, à Dæmone illudi, sensibus externis atque internis vinctis ac sepultis, phantasiâ etiam fortè læsâ ac perturbatâ. *Respondeo*, id aliquando, ac etiam sæpe contingere, concedo; semper, nego, ut constat ex relatis exemplis.

Tertiò, Sæpe corpora eorum, qui se corporaliter delatos fuisse, & mira vidisse, audivisse, & egisse asseruerunt, inventa fuêre domi jacentia, ut de variis testatur Olaus Magnus, Tostatus, Grillandus, & alii, & constat ex vita D. Germani de mulierculis in hospitio convivantibus, ut videbatur ac putabatur, & tamen domi repertis ac dormientibus. *Respondetur* ut antea.

Quartò, Objiciunt, posse in conventibus loco sagarum domi manentium, & in lecto cum maritis dormientium, ac somniantium, intervenire Dæmones in assumptis corporibus, sagas repræsentantibus: cur enim potiùs dicamus, Dæmones in corporibus assumptis jacere in lecto ad decipiendos maritos, ut asserunt sagæ? *Respondeo*, posse id fieri; & fortassis etiam aliquando factum, non negatur; ita de facto semper fieri, negatur, propter tam evidentia exempla & signa in contrarium. Raro tamen Dæmon in assumpto corpore apud maritos in lecto jacet, sed sæpe arte diabolicâ consopiuntur mariti nè expergiscantur: sæpe scopæ, culcitræ, aliaq; similia loco sagarum substituuntur, & maritis perturbatâ phantasiâ illuditur, ut fassæ sunt sagæ apud *Remigium lib. 1. Dæmonol. c. 12.* *Quintò*,

Quintò, Probant adversarii sententiam suam, & nostram improbant, auctoritate Decreti apud Gratianum *in cap. Episc. 26. q. 5.* in hæc verba. *Illud enim non est omittendum, quòd quadam scelerata mulieres, retrò post Sathanam conversæ, Dæmonū illusionibus, & phantasmatibus seducta, credunt, & profitentur, se nocturnis horis cum Diana Dea paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum, equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempesta noctis silentio pertransire.* Hic est Achilles adversariorum. *Respondetur primò*, quæ à Gratiano in Decreto sunt compilata, licèt à sede Apostolica recepta sint, eâ tamen conditione recepta sunt, ut eorum auctoritas sit penes Auctores & fontes ex quibus Canones desumpti sunt. Ajunt, desumptum esse Canonem ex Concilio Ancyrano. Ad hoc aliqui, ut elevent, Canonem, respondent dictum Concilium fuisse tantùm Provinciale, quod errare potuerit; alii negant ex illo Concilio desumptum, eò quòd in exemplaribus græcis & latinis hodie non extet. Ad neutrum horum confugio, sed *Respondeo secundò* cum *Turrecremata, Victoria, Basina, Alphonso à Castro*, & aliis, apud *Delrium lib. 2. Disquisit. Magic. q. 16.* quædam in illo Canone narrari, quæ per naturam rerum à Dæmone perfici non possunt, ut coràm cernere & alloqui Herculem & Achillem; cùm hi sint in inferno: equitare super veras bestias, quæ tanta spatia itinerum tam citò & per aërem conficiant; quod fieri nequit: equitare cum Diana & Herodiade, cùm nec ulla sit Diana Dea, & Herodias illa saltatrix sit in inferno. Alia verò in eodem Canone asseruntur, quæ nec naturæ repugnant, nec vires Dæmonis superant, ut est translatio corporalis sagarum, de qua agimus. Qui hæc omnia, hoc est, posteriora cum prioribus credunt sagis asserentibus, damnantur à Concilio; non qui solùm posteriora credunt.

Sextò, Objiciunt, omnes personas in dictis conventibus ab aliis visas, interdum pronuntiato nomine JESU disparuisse subitò; ergo phantasticæ fuerunt, & non veræ. *Respondetur*, eas fuisse celerrimè à Diabolo asportatas, & sic dici disparuisse, id est, videri ampliùs desiisse. Contingere tamen potest, ut personæ aliquæ sint phantasticæ: ut omnes sint, puto nunquam evenire; quo enim fine id fieret?

Septimò, Videntur velle, Dæmones non posse corpora de loco in locum transferre. *Respondetur*, id non esse conforme sacræ Scripturæ: nam Diabolus assumpsit Christum, & duxit ipsum supra pinnaculum templi, & supra montem, *Matthæi cap. 4.* Dæmones ingressi in porcos, præcipitârunt eos in mare, *Marci cap. 5.* Deinde nulla potest adsignari ratio impossibilitatis, nec ex parte moventis, nec ex parte mobilis, ut constat ex dictis cap. 8. Hæc sufficiant.

CA-

CAPUT XXIV.

An Dæmon possit efficere, ut corpora se mutuò penetrent.

Ratio dubitandi est, *Primò*, quia videtur, quòd ope Dæmonis sæpe sagæ ingrediantur & egrediantur conclavia clausis januis ac fenestris: sæpe etiam earum corpora rediguntur ad parvitatem felium, mustelarum, aliorumque minutorum animalium, ut possint per parva foramina, & minutissimas rimas ingredi & egredi cubicula, & evolare è caminis. Sic strigæ Lotharingicæ apud *Nicol. Remigium lib. 2. Dæmonol. cap. 4.* fassæ sunt, solere Dæmonem veteranis lamiis potestatem reipsâ dare, ut queant ædes penetrare, & per quasvis angustias nullo negotio viam sibi facere, in mures, feles, locustas, mustelas, atque alia hujusmodi pusilla animalcula contractæ ac deminutæ; & ut intromissæ aut extramissæ, possint denuò priori formæ ac magnitudini corporum propriorum restitui. Idem asserit Scafius magus apud *Niderum in lib. 5. Formicarii.* In omnibus autem istis casibus intervenit penetratio corporum, quâ nimirum vel unum corpus penetrat aliud à se distinctum, vel aliquæ partes corporis penetrant alias ejusdem corporis, & simul sunt in eodem loco; Ergo &c. *Secundò*, quia penetratio actualis duorum corporum, aut plurium ejusdem corporis partium, videtur fieri posse ab aliqua virtute naturali, saltem Angelica, ut fatetur *Joannes Provenzalis Quodlib. 5. q. 7. Venerabilis Beda* apud Lorinum in Acta Apost. c. 5. n. 19. & alii, quos refert *Alexander in Opusc. de Mixtione, & Fernelius* lib. 2. *Physiolog. cap. ult.* idque probant, quia in ferro candenti ignis penetrat ferrum; in pane aquâ macerato aqua penetrat panem; vas plenum cineribus recipit tantum aquæ, quantum cinerum continet; scyphus aquâ plenus usque ad summa labra, excipit multos nummos, aquâ non effluente.

Penetratio corporum an fieri possit ope Dæmonis.

Ajo nihilominùs, Dæmonem nec posse quantitatem corporum sic mutare ac diminuere, ut partes se mutuò penetrent, nec efficere ut unum corpus penetret alterum. Ratio est, quia ex communi Philosophorum ac Theologorum sententia, corporum & partium corporis penetratio mutua superat vires Naturæ: cùm igitur Dæmon efficere nequeat, nisi quod Naturæ leges permittunt, patet propositum. Nequit itaque Dæmon sic mutare corporis quantitatem, ut vir aut mulier instar catti, vel mustelæ per exiguum foramen, aut tenuem rimam in cubiculum irrepat; multò minùs, ut per januas ac fenestras clausas ingrediatur, aut egrediatur. Quare quod aliqui de lamiis in mustelarum parvitatem redactis narrant, & quod Remigius loc. cit. de strigibus Lotharingicis refert, fabulosum omnino & men-

Statuitur non posse fieri.

dax est. Quòd si talia magis ac sagis contingere videntur, tunc Dæmon præcedens aperit latenter januas vel fenestras, easque intromissis illis iterum latenter claudit; interim verò mutat illorum phantasiam, ut existiment se talium animalculorum formam induisse. Hoc fassæ sunt sagæ Italicæ apud *Grillandum lib. 2. de Sortileg. quæst. 8.* Quam quidem ostiorum ac fenestrarum apertionem & clausionem tam subtiliter facere potest Dæmon, ut dormientes in cubiculo non evigilent; non secus ac Angelus educens D. Petrum è carcere, januas aperuit adeo silenter, ut milites non evigilarent. Imò potest adeo celeriter ac latenter easdem januas aperire, ac claudere Diabolus, ut in cubiculo existentes, ac vigilantes, id non advertant, præsertim si præterea oculorum præstigias adhibeat.

Sagæ quomodo per disruptos parietes ingrediantur.

Quòd verò strigæ aliquando putant, & dicunt, Dæmonem ipsos parietes subinde aperire, & per quandam quasi fissionem seu disruptionem ingressum atque egressum sibi præbere, ac postea iterum partes conjunctas facere coalescere; putat *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. q. 17.* totum hoc vel præstigiosum esse, vel duntaxat Dæmonem maximâ celeritate eximere ac sustentare tot lapides, quot sufficiunt ad ingressum humani corporis, ac postea eâdem celeritate & dexteritate eos iterum in suum locum reponere, non advertentibus, aut locum apertum postea contemplantibus. Mihi tamen difficile est credere id fieri hoc secundo modo, sed puto tunc meras intervenire præstigias, ut vel putent aspicientes se videre quod revera non vident; vel existiment corpora per fissiones ac disruptiones phantasticas ingressa esse, quæ revera aliunde fuerunt ingressa; vel denique corpora ad animalculorum parvitatem esse redacta, quæ tamen à priori magnitudine nunquam recesserunt.

Ex his patet, quid respondendum sit ad primam rationem dubitandi. Ad secundam respondeo, in ferro candenti ignem non esse penetratum cum ferro, sed contineri in ejus poris. Eodem modo aqua non est simul cum partibus panis, sed intra ejus poros. Vas plenum cineribus recipit tantum ferè aquæ, quantum toto scypho contineri potest, quia dum infunditur aqua, aliæ cinerum partes evaporant, aliæ vehementer condensantur. Deinde quomodo probat Plinius & alii, qui experimenti hujus meminêre, tantum præcisè aquæ cineribus affundi posse, quantum per se vas vacuum capere posset? Ego certò vix id ut credam, adduci possum. Scyphus aquâ plenus nummos recipit plurimos, quia aqua in medio assurgit in cumulum, siccitate labrorum prohibente effluxum; qui contingit, quamprimum labra madefiunt.

CA-

CAPUT XXV.

An Dæmon efficere queat, ut idem corpus sit in diversis locis eodem tempore.

POsse id facere Dæmonem, multa persuadere videntur exempla. *Origenes lib. 6. contra Celsum* refert, Pythagoram eodem tempore in duabus urbibus conspectum. Berengarium hæreticum & magum eâdem nocte Romæ fuisse, & in Turonensi Ecclesia lectionem decantasse, tradit in Chronico *Nangiacus* Anno 1045. In *Vita Clementis Romani* habetur, Simonem Magum Neroni Imperatori caput suum auferendum obtulisse, asseruisseq; fore, ut quamvis gladio carnificis auferretur, ipse nihilominùs tertio die vivus rursus appareret. Jubet caput amputari Imperator, & pro mortuo habetur Magus: Sed ecce, tertiâ die cum summa Imperatoris admiratione apparet Simon. Fuit ergo & ibi ubi caput fuit amputatum, & alibi ubi non fuit amputatum: nam si verè fuisset mortuus, & caput perdidisset penitus, non potuisset nec propriâ, nec Dæmonis virtute resurgere. In *Vita S. Germani* apud *Surium Tom. 6.* legitur, cùm cœnam in hospitio quodam vir sanctus sumpsisset, rursus eum vidisse mensam apparari: & interroganti causam responsum fuisse, mensam sterni pro mulieribus quibusdam, quæ suos noctu conventus haberent: exspectasse hospites Germanum: illas advenisse, & cùm magno numero mensæ assiderent, adjuratas à Sancto, nè inde, nisi à se obtentâ veniâ, discederent: advocatos mox cunctos de familia, & interrogatos, nossent nè præsentes hospites: Illos, singulis inspectis, dixisse suas esse vicinas: Missos itaque statim ad singularum ædes qui explorarent, essentnè singulæ in suis ædibus; & ubi esse deprehensum fuisset, disparuisse omnes. Dæmonis ergo ope & in hospitio, & domi erant mulieres istæ.

Dæmon efficere queat, ut corpus sit in diversis locis.

Adde, quòd sæpe magi & maleficæ, ope Dæmonis, faciunt apparere in aquis, aut speculis, vel aliâ ratione, effigies illorum, qui alibi revera existunt adhuc vivi, aut quorum corpus in sepulchro, anima in inferno, aut alibi. *Zonaras in Vita Basilii Maced. tom. 3. Annal.* refert hanc historiam. *Unus*, inquit, *ex Imperatoris* (Basilii) *filiis Constantinus, patri præ cæteris charus, ex morbo obiit. Ejus mortem graviter ferens, omni consolatione repudiatâ, illum sibi viventem offerri cupiebat. Fuit autem quidam Monachus Theodorus, cognomento Sanctabarenus, Imperatori ob summam de ejus virtute persuasionem, ut etiam miracula edere crederetur, familiaris, idemq; Metropolis Euchaitarum antistes. Is igitur fertur Imperatori defunctum filium ostendisse viventem,*

cùm effecisset ut Constantinus equo insidens patri occurrere videretur. Quem cùm amplexus & deosculatus fuisset, non ampliùs vidit Imperator. Hoc certè non contigit ope divinâ, nec virtute Angeli boni, sed Dæmonis, quia Sanctabarenus fuit homo scelestissimus, ut ex historiis constat.

His non obstantibus, dico, Dæmonem efficere propriis viribus non posse, ut idem numero corpus sit eodem tempore in diversis locis. Ratio est, quia Dæmon efficere non potest, quod Naturæ vires superat, ut sæpe diximus: superat autem Naturæ vires ut corpus vel à seipso, vel ab alio in duobus collocetur locis; ergo. Minorem probare conantur multi Philosophi: ego rationem à priori non invenio aliam, quàm naturalem cujusque rei materialis limitationem, quâ fit ut nequeat extendi ad locum se majorem, ac proinde ut non possit simul duo occupare loca sibi æqualia, aut ne minimùm quidem excedens æqualem. A posteriori verò habemus experimentum perpetuum & infallibile, quo constat, corpus nunquam occupare novum locum, quin veterem deserat.

Ad allata exempla ajo, illa vel per præstigias & oculorum illusiones contigisse, ut viderentur ii, qui alibi erant, esse ubi non erant; vel Dæmonem absentes in assumpto ex aëre corpore repræsentasse. Posse autem utrumq; Dæmonem, ex suprà dictis constat.

CAPUT XXVI.

An Dæmones possint mutare homines in bestias.

POsse id facere Dæmones, multa suadere videntur exempla. Ex innumeris pauca seligam, & ordine proponam: deinde quid sentiendum sit, statuam. Lege etiam quæ dicimus lib. 3. c. 20.

§. I. Exempla varia, quibus probari videtur, homines mutari in bestias.

Hominum in bestias mutatorum exempla.

NAm socii Ulyssis à Circe Maga in varias animantium formas, teste *Homero*; & socii Diomedis in aves fuêre transformati. Scythiæ Europeæ populi Neurii dicti, teste *Pomponio Melâ lib. 2. c. 1.* statis temporibus convertebantur in lupos, iterumque in homines Arcades, ut *Varro* tradit apud *D. August. lib. 18. de Civit. cap. 17.* stagnum quoddam ejus regionis tranantes, transfigurabantur in lupos, & cum cæteris ejusdem generis congregati, per novem annos lupi permanebant: & hoc tempore si humanis carnibus abstinebant, reverti ad stagnum, & iterum tranantes, recipiebant habitum pristinum, addito novem annorum senio. *Olaus Magnus extremis tribus capitibus libri 18.* vulgatissimis exemplis confirmat, in Prussia, Livonia, & Litwania, homines artificiis magicis transfigurari in lupos, & rur-

sus.

Digitized by Google

ſus in humanam ſpeciem reformari. Præcedenti capite dictū fuit, ſagas mutari in muſtelas, cattos, mures, & ſimilia animalia; quod etiam paulò pòſt aliis exemplis confirmabitur. Simon Magus, & Liodorus Siculus Catanenſis, in quas volebant ferè animalium ſpecies, ſe ipſos transformabant, ut diximus ſuprà c.16. *Joannes Sariberienſis lib.1. de Nugis Curial. c.9.* ſcribit de quodā, qui videbatur in alias ſpecies transformari. Anglorum Annales referunt, incantamentis Merlini Uterium Regem in Gorloidis Cornubiæ Ducis ſpeciem transformatum, ut Igernæ uxoris ejus amplexu potiretur, & ex tam nefario concubitu Atturum & Annam genitos. *Chieza Hiſtor. Perua. p. 2. c. 205. & 210.* narrat, Nicaraguanos novi Orbis populos crediſſe, ſtriges poſſe ſe in cattos, ſimias, porcos, immutare. Quahatemallavos verò opinatos, famoſam quandam maleficam Auguſtinā in bovis forma graſſatam, quando Beatrix de la Cuua ingenti diluvio & terræ motu interiit.

Narrat *B. Auguſt. loc. cit.* fuiſſe ſuo tempore mulieres ſtabularias in Italia, quæ viatoribus caſeum dabant, neſcio quibus veneficiis infectum; quo ſumpto protinus illi vertebantur in jumenta, & onera portabant. Teſtatur hæc ſe à Præſtantio, viro fide digno, audiviſſe: eundemque Præſtantium retuliſſe, patrem ſuū ejusmodi maleficis cibis per illas mulieres correptum, ſtatim gravi ſomno indormiviſſe, ac poſt multos dies, quorum ſpatio expergiſci nullis remediis unquā potuerit, narraſſe, ſe per id tempus equi habuiſſe ſpeciem, ac ſemper frumenta tuliſſe: addidiſſe etiam portandi tempus, & locum, & modum quo portaſſet. Quarum rerum cùm veritas inquireretur, ajebat inventum eſſe, quòd equus ejus ſpeciei, quam Præſtantii pater dixerat, eo tempore & loco frumenta iis tulerat, quibus illà dicebat. *Palladius c. 20. Hiſt. Lauſia.* refert in Vita Macharii, adulterum ruſtici cujusdam uxorem adamaſſe: cùmque illam in ſuam ſententiam pellicere nequiviſſet, Magi auxilium imploraſſe, qui vel maritum necaret, vel uxoris erga ſe amorem excitaret: tum Magum uxorem in equam convertiſſe, qualis & marito, & diſcipulis Macharii, ad quem à marito adducta fuerat, viſa eſt. *Guilielmus Tyri Archiepiſc.* refert, juvenem quendam Anglum in Cypro, ubi militabat, fuiſſe à Maga transformatum in aſinum: cùmq; ad ſuos redire volens, unà cum ſociis navem ingredi tentaret, ab iis tanquam aſinum repulſum eſſe, & ad Magam reverſum. Uſa eſt illa adoleſcentis aſini operā ad triennium, donec in Eccleſia viſus eſt ad genua procidere, & ea quæ ab animante bruto fieri nequeunt, facere: tum enim in ſuſpicionem venit Maga, & ad judices rapta, omnem rem confeſſa eſt, atque reſtituto priſtinæ formæ adoleſcente, dignas pœnas perſolvit. *Vincentius in Speculo lib. 3. cap. 109.* ait, fuiſſe in Germania duas ſagas, quæ hoſpitium transeuntibus præberent, & pleroſq; hoſpites in beſtias converterent. Inter alia refert, ipſas adoleſcentem quendam in aſinum commutaſſe, qui mille ludos & volupta-

Digitized by Google

tes viatoribus exhiberet: eumque, ubi semel aquis se immersisset, statim in pristinam hominis formam rediisse. Idem, sed cum aliis circumstantiis, narrat Guilielmus Mamulsbruciensis Monachus apud *Maiolum tom. 2. Dier. Canicul. colloq. 3.* nempe *tempore Petri Damiani fuisse duas vetulas in via publica, qua Romam itur, quales Augustinus appellat stabularias, id est, transeuntes ad hospitia pro mercede suscipientes (nam stabulum propriè hospitium venale & publicum dicitur) quæ in uno commorantes tugurio, unà quoq; arte maleficâ imbuta, hospitem quandoq; solum advenientem, in equum, vel suem, vel asinum mutabant, & certo pretio mercatoribus divendebant. Quodam die juvenem, histrionicis gesticulationibus victum quærentem, hospitio exceperunt, & in asinum verterunt, multùm eò lucrifacientes, qui gestuum miraculo distineret transeuntes: nam ad anus mandatum nutumq; quocunque modo movebatur. Non enim illi intellectus perierat, sed loquela. Ingentem inde quæstum fecerant. Quo cognito, vicinus carè asinum redimit. Cautio tamen hæc à mulierculis adhibita est, ut custodiretur, nè in aquam descenderet. Servatus est diu ab aqua, & tandem incautiorem nactus custodem, in lacum proximum se conjecit; & ibi se aliquamdiu volutans, propria restituitur forma. Cùmq; ab eodem obvius sciscitaretur ejus custos, num asinum vidisset; ille se esse respondit. Famulus id hero retulit, herus ad Leonem Papam. Convictæ anus idem fatentur. Dubitantem Papam confirmavit Petrus Damianus, vir eruditissimus, prolato exemplo de Simone Mago, qui suam Faustiniano imaginem impresserat.*

Ex his exemplis verisimile redditur, quod apud Lucianum & Apulejum legimus, eos fuisse in asinum versos à Larissæis mulieribus sagis, quas ideo accesserant, ut cognoscerent, an revera homines in asinos convertere possent, ut audierant.

Olaus Magnus lib. 18. cap. 45. & 47. refert, in Prussia, Livonia & Lithuania frequens esse, ut in festo Nativitatis Christi, sub noctem, statuto in loco, homines maximâ multitudine conveniant, & ibidem in lupos convertantur; qui mox eâdem nocte mirâ feritate in animalia & homines sæviant, ædificia oppugnēt, cellaria ingrediātur, cerevisiā exhauriant, vasa transferāt. Item inter Lithuaniam, Samoghetiā, & Curoviam esse parietem ex quodā diruto castello reliquum, ad hunc certo anni tempore aliquot millia eorum convenire, & unumquemque suam agilitatem saltando explorare; eos verò qui parietem transilire nequiverint, flagellis ab eorum præfectis cædi. Modum, quo in lupos convertuntur prædicti homines, ait Olaus esse, ut poculum certis incantatum verbis exhauriant. His similia adhuc in Livonia fieri, testantur mercatores fide digni, & alii oculati testes, apud *Bodinum lib. 2. Dæmonol. cap. 6.* Narrationem suam confirmat Olaus tribus exemplis relatis cap. ult. loci cit. Vide, quæ dicimus infrà §. 4. ex *Maiolo.*

Saxo Grammaticus lib. 5. Histor. & Granzius lib. 1. Daniæ cap. 32. narrant, cùm

Digitized by Google

cùm Frotho Danorum Rex ad diripiendam domum cujusdam Magæ contenderet, præmissis qui eam cum liberis comprehenderent; ipsam in equũ se convertisse; mox accedente Frothone, maritimæ bovis speciem assumpsisse, & pastum in littore vagabundam quæsivisse; filios quoq; in vitulos convertisse: hujus monstri admiratione captum Regem, circuiri ipsos, reditumq; ad undas negari jussisse; ac deniq; vehiculo egressum, humi consedisse: Tum matrem prætento cornu Regem adortam, alterum ejus latus confodisse, & exanimasse; milites verò jaculis portenta confixisse, iisque interéptis animadvertisse, humana cadavera ferinis capitibꝰ prædita esse.

§. II. Alia exempla de hominibus in bestias commutatis.

Longum ac mirabile est exemplum, quod narrat *Joannes VVierus lib. 6. de Præstigiis cap. 11.* de Petro Bourgoto, & Michaële Verdung, & contigit præterito sæculo; quod, omissis multis, referre hîc placuit. Anno igitur 1521. die ultimo Decemb. coram multis testibus, *confessus est Petrus, antè annos circiter 19, ipso die nundinarum Polignensium, tàm validam ac procellosam defluxisse pluviam, ut non solùm nundinæ disturbarentur, sed & armenta, quibus ille custodiendis tunc præerat, ita disjicerentur, ut ubi requiri possent, planè ignoraretur. Cùm igitur cum reliquis agricolis pecudes variò quæsitum collectumq; abiret, & solus alicubi aberraret; tres equites nigros, atrumq; indutos vestitum, habuit obvios, quorum postremus rogabat: Amice, quò abis? videris esse turbatus. Verum est, respondit Petrus; id autem evenit ob pecora sævo tempestuosoq; nimbo dissipata, & perdita: & cùm nullam ea recuperandi rationem videam, animum equidem prorsus despondeo. Bono hunc animo esse jussit eques ille, pollicitus, si modò fidem ipsi daret, magistrum se donaturum, à quo institueretur, nè inposterum ipsius armentum à lupo, vel quavis alia bestia impeteretur, aut ullum sentiret damnum, aut etiam ullum periret pecus. Ut item ipsum redderet confidentiorem, perditus repertum iri pecudes addicebat; nec desideratum iri ullas. Pecuniam adhæc se daturum spopondit. Conditionem hic acceptat, se in eundem locum post quatuor aut quinq; dies reversurum promittens. Hinc cum villicorum comitatu indagatum pergit, armentumq; quærendum investigat, & post quatriduum eòdem ad equitem mox agnitum redit. Quærit ille, num operam suam illi locare decrevisset Petrus? Quo vicissim interrogante, quisnam esset? respondit: Servus sum magni inferorum Diaboli: sed nè metuas. Tum eâ lege suam Dæmoni operam addixit Petrus, si promissis ille in conservando pecore, & beneficiis conferendis staret. Inde DEO, D. Virgini MARIÆ, omnibus Sanctis & paradisi incolis, baptismo & chrismati renuntiare jubetur. Quo facto, illi exosculandam manum porrigit sinistram, nigram veluti mortuam, frigidamq;. Hinc in genua provolutus alter, aperto capite honorem Sathanæ defert, eum appellans dominum. Nè quoq; fidei symbolum*

Hominum in bestias mutatorum aliud exemplum.

lum

lum recitaret, inhibebatur. Perstitit itaq; in Diaboli ministerio circiter biennium, non prius templum ingrediens quàm in fine Missæ, vel saltem post aquæ lustralis consecrationem, quâ illum noluit aspergi. Sic quoq; mandârat ipsius præceptor, cujus etiam nomen tum adhuc latuit, sed postea se Moysét appellari significavit.

Interim non erudiebatur Petrus, quomodo jumentum tutari posset, sed hoc officium conservandi pecoris solùm præstare videbatur Diabolus, si quandoq; conspicerentur lupi, qui tum nihil injuriæ inferebant. Pòst verò pascendi pecora curâ exoneratâ facilè Diabolum neglexit, frequentans templa, fideiq; confessionem recitans, annos circiter octo vel novem; donec à Michaële Verdung denuò in sui magistri obedientiam dicto in loco excitatus, eâ assenserit conditione, si pecuniam ex promisso suppeditaret preceptor. Ita simul in partibus Chastel Charlon vespere quodam convenitur in nemore, ubi ab aliis ignotis choreas duci, concurriq; visum est. Cernebat autem Petrus, in cujuslibet manu candelam viridem, flammam cyaneam subobscuram evomentem.

Aliàs illi à Michaële proponebatur, si modò fidem adhiberet, effecturum se, ut quantâcunq; vellet levitate procurreret. Consensit Petrus, modò servarentur promissa, pecuniaq; donaretur; alioquin se fraudem vereri ait. Pecuniam se procuraturum abundè pollicetur Michaël; qui exutum Petrum nudum linimento innungit, quod secum ferebat; unde hic se mox in lupum verè mutatum autumabat, & quatuor suos pedes lupinos & pilos intuitus exhorruit: sed tàm celeriter, quàm venti flatus provolat, se concurrisse asseruit; nec id fieri potuisse, nisi vehentis ipsum magistri operâ, qui continuò in ejusmodi excursionem volatu aderat, quamvis eum non prius videret, quàm humanæ restitutus formæ. Michaël itidem inunctus, unà tàm pernici vehebatur cursu, quàm optaret, celeritate etiam visum prævertens. Ubi eam fuissent passi metamorphosin horam unam aut alteram, rursum à Michaële illiti, opinione citiùs in pristinam redière figuram. Unguentum utriq; donabatur à magistris, Guillemin scilicet Michaëlis magistro, & Moysét Petri. Ubi de sua lassitudine post ejusmodi cursum, ut se difficulter quandoq; erigeret, apud magistrum quereretur Petrus, nihil id esse respondit ille, & mox curatum iri.

Contigit quoque, Petrum ex Michaëlis institutione inungi, & conversum in lupum sex vel septem annorum puerum masculum dentibus comprehensum occidere: quem tamen ob clamorem & ejulatum relinquere coactus, ad suas vestes confugit; ubi se herbis ex Michaëlis doctrina fricans, in humanam revertebatur faciem. Simile quiddam Michaëlem cum ipso aliàs tentasse fatebatur, & quodam die in luporum imagine enecasse fœminam pisa colligentem: supervenisse autem Dominum de Chusnee; cui et iam nocere volentes, aliquoties insultabant frustrà. Confessus item est uterq; se in ea Lycanthropia trucidasse puellam circiter annos quatuor natam, eamq; totam devorasse, excepto brachio &c. Quandam item puellam se jugulasse, ejusdemq; exuxisse sanguinem, & collum vorasse, fassi sunt. Similiter ter-

tiam

Digitized by Google

etiam perdidisse, ejusq́, orificium ventriculi comedisse, ob famelicas Petri fauces. Aliàs etiam in horto puellam interemisse octo vel novem annorum, cui dentibus collum infregerat Petrus &c. Hic insuper confessus est, se capram jugulasse prope agrum magistri Petri Bongre; eam scilicet momordisse, & guttur secuisse ultro. Michaël in lupum vertebatur vestitus, Petrus verò exutus: qui etiam se ignorare quò pili devenirent, quando desineret esse lupus, retulit. Omitto alia, quæ Wierus addit. Hujus ejusdem historiæ meminêre ex Wiero *Joannes Bodinus lib. 2. Dæmonol. cap. 6.* & *P. Petrus Thyræus lib. 2. de Spirituum Apparit. cap. 15.*

§. III. Adhuc alia exempla hominum in bestias transformatorum.

Joannes Bodinus lib. 2. Dæmonol. cap. 6. refert de quodam Garnerio nomine Lugdunensi, damnato ad rogum à Parlamento Dolensi Die 18. Jan. Anni 1573. *quòd die Michaëlis festo ad Serranam sylvam in vineis Chostenojanis (quæ à Dolensi oppido quadrante milliaris absunt) puellam decem aut duodecim annorum natam ceperat, manibus, quæ luporum pedibus consimiles videbantur, dentibusq́ occiderat, femorum & brachiorum carnem devoraverat, & de ea ad uxorem detulerat: quòd item post mensem eâdem formâ alteram puellam ceperat, occideratque voraturus, nisi tres homines impedimentum attulissent &c.*

Hominum in bestias mutatorum adhuc alia exempla.

Idem *Bodinus loc. cit.* ait, narratum sibi à Domino Bordino, generali Procuratore Regis, exemplum è Belgis missum cum judicio toto à Judice & Actuariis obsignato, de lupo sagittâ ad femur transfixo; qui postea in hominem versus decubuit in lecto cum sagitta, quã avulsam agnovit ille, qui fuerat jaculatus, tempore & loco ex confessione hominis comprobato. *Jobus Fincelius lib. XI. de Mirabilibus* scribit, Paduæ lycanthropum fuisse deprehensum cui lupini pedes resecti fuerunt, & momento manibus ac pedibus truncatus homo exstitit. De Magis Vernonii refert *Bodinus loc. cit.* eas frequenter felium innumerabilium specie in castellum pervetus solitas convenire; ibique viros quatuor aut quinque pernoctantes multitudinem felium se invadentium expertos, & unum illorum occubuisse, cæteros fuisse læsos, *sed multis felibus vicissim læsis; quæ postea in fœminas versæ, gravia vulnera comperta sunt accepisse.*

In *Malleo Malefic.* Quæsitores quinque, hujusmodi causarum peritissimi, scripto tradunt, tres Magas ad Argentoratum formâ trium ingentium felium agricolam adortas esse; qui defendẽdo se eas vulneravit, ac depulit. Deinde verò statim mulieres decumbentes fuerunt repertæ, & graviter vulneratæ. Qua de re cùm interrogatæ eum accusassent, à quo vulnus acceperant; ille Judicibus horam & locum indicavit, quo feles appetiverunt ipsum, & quo eas læserat. *Bodinus* loc. cit. ex *Jobo Fincelio loc. item*

Digitized by Google

cit. narrat, Anno 1542, Sultane Solimanno imperium Orientis obtinente, tantam fuisse luporum multitudinem Constantinopoli, ut armatus Imperator cum prætoriano milite procedens, ad centum quinquaginta simul compulerit; qui universo populo spectante ex urbe disparuerunt. *Joannes Trithemius* in Chronico Anno 970 refert, Judæum quendam Baianum nomine, Simeonis filium, in lupum se, cùm placuit, transformavisse, & invisibilem se reddidisse.

§. IV. Scriptorum variorum testimonia, de hominum in bestias transmutatione.

Testimonia varia de transmutatione hominum in bestias.

HÆc sunt exempla, quibus probari videtur, homines a Dæmonibus, & Magis ope Dæmonum, conversos non rarò fuisse in bestias. Accedit his multorum Scriptorum, aliorumque doctorum Virorum testificatio, qui apertè fatentur, prædictas metamorphoses à Dæmone & Magis fieri posse, & in prædictis aliisq; exemplis esse factas. *Petrus Mamorius in Libello de Sortileg.* ait, mutationem hominum in lupos visam à se esse in Sabaudia. Eandem *Henricus Coloniensis in Libello de Lamiis* pro indubitato affirmat. *Ulricus Molitor* in libello, quem dedicavit Sigismundo Cæsari, scribit disputationem ea de re coram Cæsare habitam, & certissimis rationibus, exemplorumq; innumerabilium experientiâ constitutum, transmutationem istam veram esse: & ipse Lycanthropum à se fuisse visum narrat Constantiæ, qui accusatus, evictus, damnatus, & à confessione morti fuit traditus. *Bodinus lib. 2. Dæmonol. cap. 6.* ait, multis libris in Germania editis ostendi, unum ex potentissimis Christianorum Regibus, nuper defunctum (scripsit Bodinus circa Annum 1579) in lupum sæpe fuisse conversum, & ob id Magorum omnium facilè principem habitum. *Pomponatius* non malus Philosophus, & *Theophrastus Paracelsus*, certissimam esse affirmant hominum in lupos transmutationem. *Gaspar Pencerus* scribit, has metamorphoses sibi semper visas fuisse fabulas, sed coactum fuisse credere ab eo tempore, quo mercatores plurimi fide digni, negotiantes in Livonia, affirmârunt multos fuisse ibidem accusatos, evictos, & à confessione adjudicatos morti, quòd in luporum specie damna aliis intulissent. Modum & tempus quo id quotannis faciunt, insinuavi suprà §. 1. ex Olao Magno. Rem eandem narrat *Maiolus tom. 2. Colloq. 3* his verbis. *Ineuntibus diebus, qui proximi Natalem Domini sequuntur, circumit puer altero pede claudus, qui illa Diaboli mancipia, quorum ingens est numerus, convocat, & sequi jubet. Quòd si cessant, aut cunctantur, mox alius vir procerus, flagello ex loris ferreis, iisq; flexibilibus, connexo perpulsos, cogit ut procedant properè. Is cædere miseros adeo graviter dicitur, ut multo tempore vestigia è vibicibus reliqua cum magno doloris sensu corpora vellicent. Quamprimùm autem accinguntur ad sequendum, mox*

exui

Digitized by Google

exui priori specie, & lupinâ indui videntur. Conveniunt aliquot millia; præit dux cum flagello ferreo; sequitur agmen eorum, qui se luporum specie circumdatos falsa persuasione credunt. Educti, in obvia pecora irruunt mordicùs, & apprehensa dilacerant; rapiunt quæ possunt; dant & alia damna; sed homines attingere aut lædere, non illis fas est. Ad flumina ubi accesserunt, dux flagelli ictu aquas findit, ut dehiscere & discedere videantur, relicto sicco tramite quo transeant. Exactis diebus duodecim, dissipatur agmen rursus, & ad se quisq; depositâ lupi, & receptâ hominis specie, revertitur. Rem hanc in Livonia audivisse, eamque toti populo pro exploratissima haberi, affirmavit Bodino Languetus Burgundus, Ducis Saxoniæ apud Galliæ Regem Agens seu Internuntius. Idem didicit Bodinus ex literis cujusdam Germani, scriptis ad Conestabilem Galliæ.

Hanc eandem metamorphosin, ac hominum in varias bestias commutationem, videtur agnovisse tota antiquitas: nam, ut vidimus, ejus meminit *Herodotus*, *Pomponius Mela*, & *Marcus Varro*; imò & ante Herodotum *Homerus*, deinde *Solinus*, *Strabo*, *Dionysius Afer*, *Virgilius*, & *Ovidius* in libris Metamorph. in quibus licèt multa sint fabulosa, constat tamen ex iis, quàm persuasum fuerit antiquis, fieri similes metamorphoses.

§. V. Aliorum de lycantropia, aliisque metamorphosibus hominum in bestias, sententiæ refelluntur.

Sententiæ aliorum de transmutatione hominum in bestias refelluntur.

PRimò, Sunt qui hominum in bestias transmutationem nullam prorsus admittunt, nec veram, nec fucatam ex Dæmonum aut magorum delusione, putantque omnia, quæcunque unquam in hoc genere contigerunt, aut contigisse narrantur, humorum vitio, aut atræ bilis excessu, alteriusvè vi morbi contigisse, illisque symptomatibus affectos putasse se in lupos, asinos, cattos, aliasque bestias conversos. Certè *Paulus Ægineta*, *Aetius*, *Condronchus*, aliique Medici, lycaonem seu lycantropiam inter morbos numerant. *Qui lycantropiâ* (inquit Ægineta lib. 3, cap. 16.) *id est, hominis in lupum, quem Græci λύκον nominant, conversione correpti sunt, per noctem domo egressi, lupos per omnia imitantur, & quoad illucescat, circa defunctorum monumenta plerumq; errant.* Pergit enumerare hujus morbi indicia, ac remedia, aitque esse quandam speciem melancholiæ. Eadem habet *Aetius Tetrab. 2. Serm. 2.* C. XI. Ex simili morbo se aliqui canes, sues, leones &c. putant; imò & Dæmones. *Pomponatio* (inquit Maiolus loc. cit. suprà) *oblatus est aliquando æger lycantropiâ laborans, quem rustici fortè sub fæno repertum, captumq;, quia se lupum esse clamabat, & fugere illos jubebat, nè ab ipso devorarentur, excoriare cœperant, ut explorarent an versipellis esset, id est, inversos pilos haberet (sic enim erant persuasi errore populari:) sed Pomponatii intercessione dimissus, & per idonea medicamenta curatus fuit.* Hoc morbo laborare

M 2 putat

Digitized by Google

putat *Gulhel. Camdenus in Hibernia sua p. 2.* Livones ac Borussos illos, de quibus suprà locuti sumus §. 1. De quibus apud Majolum loc. ibidem citato subjungitur, quòd *qui mutantur, conversione momentaneâ concidunt subitò, ut qui morbo attonito corripiuntur, & jacent exanimis similes, ac sensu carentibus & vitâ.* Addit, ex eorum numero, qui singulis annis in lupos, modo ibi dicto, converti dicebantur, unum fuisse captum, & Duci Prussiæ adductum à rusticis, quorum jumenta dilaniasse dicebatur. *Erat is* (inquit Majolus) *homo deformis: nec multùm absimilis feræ, habebatq; vulnera in facie, quæ dicebatur accepisse morsus à canibus, ubi fuisset mutatus in lupum. Is à quibusdam, quibus Princeps id negotii dederat, interrogatus ajebat, se quotannis bis ita mutari solitum; primò circa Natalem Christi, deinde circa festum Joannis Baptistæ; illisq; temporibus se efferari; & cogi impetu quodam naturæ, versari in sylvis inter lupos. Maximo autem horrore & languore corporis se affici, antequam pili erumperent, & forma mutaretur. Hæc affirmanti credita sunt. Sed cùm ad explorandam rei veritatem diu captus in arce detineretur, ac diligenter observaretur à custodibus carceris, an aliquando efficeretur lupus; retinuit semper eandem formam quam habuit. Is fuit exitus fabulæ.* Vanæ ergo sunt omnia, & non nisi phantasiæ vi morbi læsæ simulacra, quæcunque de hominum in bestias transmutatione narrantur, atque scribuntur. Ita nonnulli sentiunt.

His *respondeo*, fieri quidem posse ut ex humorum vitio, & atræ bilis excessu, phantasiæque læsione, oriantur in hominibus affectus quidam lupini, & odium in greges ac homines, desideriumque eos invadendi, lacerandi, ac vorandi; at tunc ipsi soli qui tali morbo laborant, putant se lupos, aliasvè bestias, ferinamque sævitiam imitari, aliis verò homines videntur, prout revera sunt, & prout revera quoad speciem externam apparent. Et tales fortassis fuerunt nonnulli ex illis, quos in præcedentibus retulimus. At quando aliis quoque lupi, canes, feles, asini, vel aliæ bestiæ videntur, prout in plerisq; propositis exemplis contigit; nequaquam id à morbo provenit. Alia ergo afferenda est dictarum mutationum causa.

Secundò, Alii phantasticas quidem esse putant prædictas metamorphoses, at non morbo, sed Dæmonis illusioni illas adscribunt: putant enim, humana corpora à Dæmonibus separari, phantasiamque perturbari, ut putent se lupos, aliasvè bestias esse. Nihil itaque hi agunt illorum, quæ historiæ memorant, sed vanis imaginibus à Dæmone illusi illa se agere putant. Hac ratione delusos putat Wierus Petrum illum, ac Michaëlem, de quibus suprà §. 2. dicens, linimentum, quo ungebantur lupum induturi, haud dubiè somniferum erat, & suam sortiebatur vim, cùm nudis partibus corporis illiniretur, illiciereturq; à nativo calore in actum, inde somno oppressis alto, simulacra conversionis eorum in lupos vagabundos, aliis insilientes, puellas jugulantes, vorantesq; &c. hinc & pernix ea sequebatur

Digitized by Google

tur velocitas, qualis imaginatione, cogitatu, vel somno haud difficulter perficitur. Ubi deinde post horam, vel longiùs, unguenti soporiferi virtus elanguesceret, periretq́; , tunc velut ex gravi veterno expergefacti, se homines esse videbant, qui antea fuerant. His idem *respondeo* quod antea: potest Dæmon soporare humana corpora, potest mira dormientibus ac somniantibus objicere simulacra, & verò etiam sæpe facit, ac fortassis etiam fecit aliquibus ex relatis in antecedentibus; at id semper, & omnibus, qui se in bestias mutatos asseruerunt, contigisse nego, quoniam qui hac ratione deluduntur, sibi solis, non aliis etiam bestiæ videntur. Somniat ergo Wierus, aut delirat, dum id persuadere conatur.

Tertiò, Alii putant, Dæmonem latenter surripere corpus humanum, & substituere ferinum, ac deinde humanum restituere; ita ut eadem humana anima nunc in humano, nunc in belluino deliteat corpore. Sed hæc sententia implicat multa absurda, & in philosophia falsa, ac proinde Dæmonibus impossibilia: nec enim potest Dæmon animam à corpore separare, citra hominis mortem; nec separatam iterum eidem conjungere, sine resuscitationis miraculo, ut postea videbimus. Hoc solùm nunc dico, sæpe illos, qui belluino simulacro apparentes fuerunt ab aliis vulnerati, aut mutilati, restitutos humanæ formę verè vulneratos ac mutilatos comparuisse, uti ex relatis historiis constat. Ergo humanum corpus non deposuerunt, dum sub ferina forma apparebant.

Quartò, Alii ulteriùs progressi, putant non solùm corpus humanum in belluinum, sed animam etiam rationalem in irrationalem commutari, atq; adeo totum hominem in bestiam mutari, & ex homine verum lupum, verum asinum, aliamvè veram bestiam fieri. Id suadere videntur primò omnia exempla in præcedentibus allata, ex quibus apparet homines reverâ in bestias fuisse mutatos. Secundò, quia non solùm exterior forma, sed etiam operatio, & feritas, & vires, & tota vivendi ratio in talibus hominibus in bestias commutatis est belluina: ululant enim ut lupi, greges invadunt, onera ferunt gravissima & humanis viribus superiora, delectantur carnibus crudis. Accedit quòd aliqui multis non solùm diebus ac septimanis, sed annis etiam sub ferinis corporibus vixerunt. Cùm igitur ex operationibus colligamus naturas rerum, dubium nullum esse videtur, & corpore & animâ tales homines fuisse in bestias conversos. Et ita factum fuisse asserunt illi ipsi, qui in tali statu vixerunt. Sed his *respondeo* primò eodem modo, quo præcedentibus: si enim læsis transmutatis læsa reperiuntur postea humana corpora, hæc nequaquã transmutata fuêre. Secundò, transmutati sæpe faciunt tales actiones, quæ non nisi ab anima rationali proficisci possunt, ut patet in asino illo, de quo Guilhelmus Tyri Episcopus, relatus suprà §. I. Recordantur præterea eorum, quæ in tali statu fecerunt, ergo rationalem animam in illo habebant, eandem nimirum quam postea habent.

§ VI. Nostra sententia statuitur de transmutatione hominum in bestias ope Dæmonis.

Sententia nostra de transmutatione hominum in bestias.

Rejectis aliorum sententiis, ego cum *Delrio lib. 3. Disquisit. Magic. q. 18.* hæc statuo. Transmutationes hominum in bestias, quæ ope Dæmonis fiunt, & in quibus homines verè sub bestiarum formis apparent (uti in multis exemplis suprà recensitis sine dubio contigit) delusoriæ sunt, & uno ex sequentibus modis contingunt. *Primò* aliquando Dæmon illum, quem in bestiam transmutare vult, subtrahit ex aliorum oculis, & alicubi in loco abdito soporat, ipse verò assumpto bestiæ corpore, vel vero, vel ex aëre formato, & sibi circumdato, illa coram aliis gerit, quæ putant homines ab alio homine in bestiam mutato patrari. Hoc stratagema à sancto quodam Viro manifestatum narrat *Guilhel. Parisiens. p. ult. de Uni. cap. 13. Secundò*, aliquando illis ipsis, quos sub bestiarum forma apparere vult, ferarum exuvias aptissimè circumdat. Hoc eum fecisse, constare ait ex quorundam confessionibus, quibus lupinam pellem in trunco quopiam cavæ arboris occulendam tradiderat, ut cùm vellent, in ea comparerent. *Tertiò* denique, Magis aëream circumdat effigiem belluæ, & membra phantastica membris humanis ita circumponit, caput nimirum capiti, pedes pedibus &c. aliaque quæ ad belluinam effigiem necessaria sunt, supplet, ut veræ bestiæ quoad externam speciem videantur, tàm sibi ipsis, quàm aliis hominibus, & animalibus.

Hic ultimus modus videtur esse frequentior. Et cùm hoc modo, uti & secundo, apparent, relinquunt vestigia bestiarum impressa terræ; & dum ferina illa membra sauciantur, aut amputantur ab aliis, humana etiam membra, quibus ferina illa circumdata erant, reperiuntur sauciata, aut amputata, quia illa tunc ictum excipiunt (nisi à Dæmone impediatur) cedente facilè circumjecto aëre. Aliquando tamen quando verum humanum corpus abest, ut in primo modo, tunc Diabolus in absentium corpore illam ipsam partem sauciat, vel amputat, quæ in ferino suo phantastico sauciata aut amputata fuit. Confirmant hoc sequentes historiæ, quarum primam narrat Bartholomæus Spinæus Q. de strigibus cap. 16. alteram Delrius loco. cit.

Hujus etiam apparentis conversionis (inquit Spinæus) *strigum in cattos, testis alius in hac eadem civitate Ferraria Philippus nomine, artificio cerdo, sub judiciali juramento mihi asseruit hoc anno, strigem quandam ante tres menses ei imposuisse, nè prohiberet venire circa puerum (à se fortè strigatum) quem curandum assumpserat, si quas blandientes & alludentes videret cattos. Eâdem igitur die dum discessisset illa, viderunt post horam ipse & uxor sua cattum magnum, & hactenus ab eis invisum, qua ad puerum accedebat concito gradu. Quam cùm ex timore parentes sæpius abegissent,*

sent, postremò contra venientis vexationem ad impatientiam exarserunt: clausoq; ostio vir ille gravissimè cattum hinc inde fugientem diutiùs hastâ percussit, & demum ex alta fenestra se jactare compulit, ut tota collisa videretur corpore fatius. Ex tunc autem strix illa vetula toto confracta corpore per plurimos dies lecto decubuit &c.

Vix quinquennium effluxit (inquit Delrius) *cùm in pago quodam Occiduæ Flandriæ, ubi fascinaria pestis mirè gliscit, haud procul à Dixmuda, penè ad Iperlee & Isaræ confluxem situ, contigit, quod ab homine religioso, fide digno, qui tum illic in vicinia, auditione accepi. Rusticus quidam unà cum filio adolescente in symposio potitans, limis observabat coquam mensuras cerevisiæ, quam propinabat (ut solent) bifurcâ notantem cretâ. Dissimulat nihilominùs interea, dum compotatio solvitur: tum hospitem vocat, ut calculum expensi ducat. Petit ista quantum creta notârat: negat ille, & multis ultrò citròq; jactis, pecuniam in mensam projicit, quam sciebat sufficere; & discedit. Stomachabunda hæc: tu verò, ait, non hinc hodie poteris domum, vel non ego qua sum. Abit contemnens mulierculæ minas. Ut pervenit ad fluviolum, in quo scapham reliquerat, nequit unà cum filio admodum valido summâ ope eam à ripa contis depellere: diceres clavis affixam in uvido solo. Fors duo tresvè milites illac iter habebant: compellat, & Contubernales (clamat) boni, venite suppetias; merces operæ futura, largum à me bibale. Parent, & ingressi quantum possunt protrudunt; diu frustra fuêre: anhelus unus & sudans; quin sarcinas & onera hæc efferimus, fortè vacuam commodiùs deducemus. Fit: & ecce mercibus expositis, vident in sentina ingentem luridum buffonem, scintillantibus oculis eos intuentem. Non tulit unus militum, sed gladii cuspite perforatum ad guttur tumidatum in aquam ejecit. Ille quasi exanimis in tergum provolvitur ventre resupinato; vulnera natitanti imponunt cæteri alia, & repentè navis solvitur. Lætus rusticus auxiliatores ad idem, unde recesserat, hospitium reducit: potum petit: præbet ancilla. Quærit ille, ubi hospita? audit pessimè habere, & animam in lecto agere. Quid, inquit, inepta, ebrium me putas? vix media pars horæ elapsa, cùm ego illam istbinc sanam & malam, qualis tu, reliqui. Eo, & visam quid hoc rei? Intrat in thalamum; invenit collum & ventrem vulneribus confossam, laceramq; expirasse. Unde hæc, exclamat, vulnera? Nescire se profitetur ancilla, nec domo illam, quod sciat, pedem extulisse. Itur ad magistratum: vulnera casim punctimq; illata inveniuntur iisdem in locis, quibus buffonem, qui nusquam comparebat, milites distinxerunt.* Hæc de metamorphosi hominum in bestias dicta sufficiant.

CA-

CAPUT XXVII.

An, & quomodo efficere possint Dæmones, ut bruta, & res inanimata loquantur.

Locutio brutorum, & aliarum rerum, ope Angelorum bonorum & malorum.

QUod de Dæmonibus seu Angelis malis quæritur, etiam de bonis Angelis quæri potest, ac solet.

Posse, ac solere, tàm bonos, quàm malos Angelos efficere, ut bestiæ, & res quædam inanimatæ loquantur, multa docent exempla apud sacros & profanos Scriptores. Et ope quidem bonorum Angelorum locuta censetur asina Balaam *Numer. cap. 22.* & Irene Spiridionis filia mortua, depositi locum indicans, apud *Ruffinum lib. 1. Histor. Eccles. cap. 5.* & quidam interfectus, Macarii jussu homicidam indicans apud *Fulgos. Exempl. lib. 1. cap. 6.* & calvaria colloquens cum alio Macario de variis damnatorum sedibus, apud *Marulum lib. 6. c. 14.* & Venerabiles Confessores Africæ, qui in persecutione Vandalica radicitùs abscissis linguis adhuc clarè loquebantur, apud *Procop. lib. de bello Vandal.* quod ultimum etiam de Angelo quodam Sacerdote refert *Polydorus lib. 13. Histor. Angl.*

Ope verò Dæmonum apud Gentiles olim locutæ sunt geminæ columbæ Dodones, & quercus Dodonea, apud *Lucian. in Mycillo*; & Argûs carina, *Apol. 4. Argonaut.* & equus Achillis, apud *Homerum Iliad. 19.* & ulmus Gymnosophistarum quæ Apollonium salutavit, apud *Philost. in Vita Apoll.* & Caucasus fluvius qui Pythagoram salutavit, apud *Porphor. in Vita Pythag.* & canis Simonis Magi, qui D. Petrum, & alios allocutus est, apud *Clement. in Itinerar.* & *Glycam in Annal.* & simulacrum Jovis Antiochiæ, quod Theotecnus Magus fecit oracula fundere in odium Christianorum, apud *Euseb. lib. 9. Histor. Eccles.* & simulacrum Fortunæ Romæ, quod matronas Romanas allocutum est, apud *Valerium Max. lib. 1.* Taceo alia multa exempla, quæ habet *Torreblanca lib. 2. cap. 24.*

Ad modum quod attinet, dico breviter, tàm Angelos bonos, quàm malos, non aliter facere bestias, aliasvè res inanimas loqui, quàm vel in illis, vel juxta illas formando verba in aëre. Ubi tamen hoc discrimen noto cum Delrio loc. cit. Quando loquuntur per animalia illa, quibus apta sunt organa ad loquendum, ut sunt picæ, corvi, psittaci, & alia hujusmodi; in ipsismet loquela formatur; & tunc est actio vitalis respectu talium animalium, non tamen intellectualis. Quando verò loquuntur per alia animalia, quibus non sunt apta instrumenta ad loquendum, ut sunt asini, boves; formatur quidem in ipsis loquela, sed non est vitalis seu animalis respectu talium animalium, quia soli Angeli formant verba in illis. Quando deniq; per res inanimatas loquuntur, tunc vel in illis, vel juxta illas formant verba Angeli, & locutio multò minùs est vitalis respectu illarum rerum.

Ex

Ex his facilè ſtatui poteſt, quâ ratione Angeli ac Dæmones in allatis exemplis fuerint per animalia, aut res inanimas locuti.

CAPUT XXVIII.

An Dæmon poſſit hominem reddere immunem à læſione, vulnere, & dolore.

§. I. Poſſe id facere Dæmonem, ſtatuitur.

Quod poſſit immunem reddere à læſione, & vulnere, docere videntur multa exempla antiqua & recentia, & frequens multorum (proh dolor!) experientia. *Jamblichus lib. de Myſter. Ægypt. paulò ante med.* loquens de vatibus Gentilium, teſtatur multos admoto igne non uri; vel ſi urantur, uſtionem non ſentire, ut nec alia ulla tormenta: utique non virtute divinâ, ut Jamblichus putat, cùm DEUS impiis hoc privilegium non concedat, ſed diabolicâ. De Simone Mago ſuprà cap. 16. retuli ex Clemente, eum in igne poſitum non arſiſſe. Zwinglii cor poſt exuſtionem illæſum inventum fuiſſe, refert *Thuan. lib. 1. Hiſtor.* Gentiles olim putabant, magico carmine aciem gladii ſic retundi, ut nec levi vulnere cutem queat perſtringere: & hodie paſſim quidam impii, milites præſertim (ut *Sprengerus* etiam notat in *Malleo p. 2. q. 1. c. 16.*) putant ſe fore invulnerabiles, & ſæpe etiam ſunt, ſi arma certo ritu incantent, vel ſacrilego auſu crucifixi imaginem compungant; vel (ut *Condronchus ait lib. 3. de Morb. venef. cap. 12.*) comminuant, aut confringant; vel (ut notat *Delrius lib. 2. Diſq. Magic. q. 21. & Pomponatius lib. de Incant. c. 5.*) ſi ferant interulam lineam horrendis inſcriptam imaginibus, quam vocant Camiſiam ſeu induſium inferni; vel (ut idem *Delrius* notat) ſi periapta quædam ferant variis characteribus magicis inſignita; aut orationes, quas blaſphemè & mendaciter tribuunt D. Leoni, vel Carolo Magno, inſignitas magnis Dei nominibus.

Dæmon poteſt reddere hominem immunem à læſione.

Sæpe tamen vulnerantur minùs cogitantes, qui hujuſmodi remediis utuntur, vel quia Diabolus illos decipit, nec ſtat pacto cum illis, aut aliis à quibus didicerunt, inito; vel quia deficiunt in conditione aliqua pacto appoſita; vel deniquè quia Deus Diaboli potentiam retundit, nec permittit ut clientes ſuos indemnes ſervet. Sic quotidie videmus, qui glandibus plúbeis trajici non poſſunt, poſſe argenteis, vitreis, alteriusvè materiei; & qui nullis trajiciuntur, ſclopetis inverſis percuſſos occumbere; & qui uno telorum genere vulnerari nequeunt, vulnerari alio. Novit ſtudioſum Juris, nomine Quirinum, Delrius, qui cùm membranulâ magicis characteribus, vel ut ipſe putabat, magnis Dei nominibus inſignitâ fretus, audacter ſe jurgiis & pugnis immiſcuiſſet, ſæpe ictus nunquam ſaucius; tandem Romæ

in sympofio minimo vulnere fuit interemptus. De alio, cui Scafii nomen, insigni malefico, in Bernensium territorio, narrat *Niderus in Formicar.* qui publicè & procaciter gloriabatur, se, quandocunque vellet, oculis & manibus inimicorum suorum subducere instar muris posse, & sæpe etiam sese subduxisse; tandem cùm ab hostibus suis in quodam hypocausto prope fenestram sedere fuisset notatus, & nullas timeret insidias, *per fenestram gladiis & hastis inopinatè transfixus est, & ob sua facinora ibi mortuus miserabiliter.* Ex his patet, posse Dæmonem suos reddere immunes à vulneribus.

Item à tormentorum dolore.

Tormentorum sævitiam quotidie malefici in equuleo eludunt, & nullum cruciatum, nullumque damnum sentiunt, seu vigiles, seu somno inter tormenta correpti. Narrat *Charondas lib. de Antichristo revelato Nota. 1.* & ex ipso *Delrius loc. cit.* quandam fœminam quinquagenariam, Charondæ notam, sic elusisse infusionem laridi liquati toto corpore factam, & omnium membrorum diram distractionem, ut ex equuleo sublata omni sensu doloris vacaverit, integraque & illæsa apparuerit, nisi quòd pollex pedis avulsus in quæstione, redditus non sit: cujus tamen illi jactura noxæ ulli vel impedimento non fuit. Hanc tamen, cùm omnia tormenta elusisset, & omnia negasset pertinaciter, tandem Diabolus in carcere elisâ gulâ necavit, qui eam etiam maleficii per energumenam antea accusârat. Narrat ibidem *Delrius*, captam Anno 1599, prope Samarobrinam, puellam quandam strigatricem, *quæ nec pedum ustulationem sævissimam, nec flagra validissima sentiebat; donec Sacerdotis cujusdam monitu illi Agni benedicti ceream imaginem in collum injecere: tunc enim vi sacri amuleti Dæmonis præstigiosa ludibria depulsa, & illa vim doloris capit persentiscere.* Unde patet (subjungit Delrius) hanc indolentiam non nasci ex ulla physica causa, sed operâ Dæmonis induci. Possunt quidem, ac solent aliqui, ob singulare corporis robur, aut animi tolerantiam, sine ulla doloris significatione, perferre gravissima tormenta; at ut nullum sentiant in illis perferendis dolorem, fieri humanis viribus nequit. Possunt etiam similia sine doloris sensu tolerari, adhibitis unctionibus & pharmacis quibusdam naturalibus, confectis ex opio, solano & similibus, quibus humores turbantur, sopor altus conciliatur, nervorum origines obstruuntur, sensus stupefit, sensatio impeditur; unde & liquefacto plumbo aliqui manus lavisse sunt visi, & vultum, lotis priùs aquâ quâdam partibus illis, teste *Cardano lib. 6. de Subtilit.* at malefici in tormentis nihil tale adhibere notantur. Dæmonis ergò ope talia in impiis fiunt, adhibitis, vi pacti cum Dæmone initi, periaptis ex oscillis, vel cineribus, aut ungue infantulorum ante baptismum necatorum, ut *Sprengerus* notat par. *3. Mall. cap. 14. & 15.* vel deglutito apum rege, ut refert Delrius *ex lib. exorcism. Avenione excuso*; vel corpori alligatis membranulis

nulis cum certo characterum genere, aut etiam susurrato malo carmine, ut idem notat ex Grillando, & aliis, qui de criminalibus judiciis scripsêre.

Stigmata à Dæmone impressa, doloris expertia.

Aliqui stigmata quędam seu notas corporibus suis à Dęmone impressas habent, quæ sic sensu omni destituuntur, ut nec acûs longissimæ fixura dolorem minimum adferat, nec sanguinem eliciat. Exempla aliqua refert *Nicol. Remig. lib. 1. de natura Dæmon. cap. 5.* his verbis. *Cùm Isabella Pardæa Spinalii pridie Nonas Majas 1588. ob sortilegii crimen comprehensa, urbis Præfecto partem corporis sic à Dæmone inscriptam indicasset; subiit ei in animum experiri, verumnè id esset, quod de hujusmodi stupore ferebatur. Ergo jussit in eam aciculam penitissimè infigi, atq; inculcari. Quod cùm in satis magna hominum frequentia esset factum, & incruentum omninò vulnus apparuit, & nullum saga doloris vel minimi indicium aspicientibus dedit. Rursus tertiò Cal. Nov. 1590. Brundusii Claudia Bogarta, tormentis jam exbibenda, cute, ut moris est, detonsa fuerat, ob id cicatricem in summa fronte nuda ostendebat. Suspicatus igitur Quæsitor quod verè erat, scilicet impressi à Dæmone unguis vestigium, quod antè capillis tegeretur; in id jubet aciculam altissimè infigi. Quod cùm esset factum, nec illa doloris ullo sensu affici, nec vulnus vel tantillùm cruore manare visum est. Perstitit tamen verum negare, ac dicere, eum olim ex jactu lapidis torporem esse obductum. Sed post modum tormentis admota, non tantùm agnovit id sibi à Dæmone inflictum fuisse, sed plurima alia, quæ indignissimè ab eo passa fuerat, enumeravit. Novissimè 18. Cal. Jul. 1591. Essai, qui pagus ab hac urbe milliario abest, cùm hoc loci Dynasta præsens in Mugeta sortilegii rea lictorem periclitari jussisset, investigaturus sicubi tesseram ullam inveniret, tandem in sinistro femore macula verrucæ instar apparuit; in quam cùm ferrum, vel quantùm poterat, adegisset, nec à Mugeta vocem, nec ab ipso vulnere sanguinis guttam ullam elicere, atq; exprimere potuit. Cùm rursus locum maculæ proximum leniter etiam vulnerasset, ingentem ea ex dolore clamorem edidit, & largus cruor sese inde effudit.* Stigmata hæc non omnibus à Dæmone imprimuntur sagis, aut magis, sed iis tantùm, quibus diffidit nè constantes sint. Aliquando etiam cùm capti sunt. Non eadem est omnibus forma stigmatis: aliquando enim est simile leporis vestigio, aliquando buffonis pedi, aliquando araneæ, catello, gliri. Nec idem est in omnibus locus: in virorum enim corpore sæpe visitur sub palpebris, sub labiis, sub axillis, in humeris, in sede ima; in fæminis etiam est in mammis, in fronte, in locis muliebribus. Non etiam in omnibus est insensibile, ut docet experientia, teste *Delrio lib. 5. Disquisit. Magic. sect. 5.*

§. II. Inquiritur modus, quo id faciant Dæmones.

Dæmones quomodo immunes

SUperest ut modum indagemus, quo mira hæc, quæ narravimus, effici à Dæmone Naturæ viribus existimemus; præter enim Naturam efficere nihil potest, ut sæpe dictum.

reddant aliquos in læsione & dolore.

Ignes, qui non comburunt.

Ad immunitatem ab ignis ustione quod attinet, sciendum est, Esse ignes aliquos, qui non urant, sive simpliciter, sive in certa materia, ut tradunt Scriptores varii. Nam *Aristoteles lib. de Admir. Audit. cap 31.* tradit, in Pytheculis ferventem & calidum ignem mirum in modum reperiri, non tamen comburere. *Plinius lib. 2. cap. 107.* ait, in Puteolano monte sulphureo ignem esse manantem, qui neque oleo, neque cerâ, aut quolibet pingui, neq; sulphure quidem accendatur, aut augeatur, neq; aquâ restinguatur, aut accendatur, stuppam tamen injectam non adurere, nihil deniq; ex eo accendi posse luminis. Hunc *Majolus Colloq. 22.* non ignem, sed igneam aquam esse existimat. *Joannes Diaconus in Vita S. Nicolai apud Methodium* scribit, esse penes urbem Pateram Lyciæ quendam locum campestrem, qui totus per noctem, quasi ferrarii fornax ignivomam vaporat flammam, talis naturæ, ut si quis manus propiùs admoverit, ardorem quidem sentiat, sed nullam patiatur adustionem. *Marcus Polus lib. 1. c. 28.* narrat, in Provincia Vochan, in planitie Pamor, sub magni Cham ditione, adeo ingens esse frigus, ut illius vi ignis prorsus reprimatur, ut nec lucere valeat, nec aliquid illo coqui unquam possit. Omitto multa alia, quæ in Mirabilibus Elementorum alibi afferemus. In Magia nostra Pyrotechnica, quæ est liber 2. par. 4. Magiæ Univers. multos recensuimus modos ignem sine noxa tractandi. His positis, æstimo Dæmonem efficere posse, ut quis in igne non comburatur, si vel igne ordinario latenter subtracto supponat alium, qui comburendi vim non habet; vel corpus succo, unguento, aliovè remedio, quod igni resistat, perungat per se, aut per alium: vim enim comburendi ab igne tollere non potest.

Immunitatem ab ictu gladii, globi sclopetarii, jaculi, aliorumve instrumentorum procurare potest, si, ut potest, impetum illorum, ubi ad corpus lædendum pervenerunt, retundat, nè ulteriùs pergant. Possunt autem id Dæmones modis suprà cap. 8. dictis. Quæ ergo in hunc finem adhibentur ab aliis, qui immunes à vulnere ac læsione esse volunt, vim nullam conferunt, sed solùm ex pacto adhiberi debent. Non mirum ergo, si sæpe effectu desiderato careant.

Immunitatem à doloribus quomodo largiatur Dæmon illis, qui in equuleo torquentur, ac distrahuntur, ut nullum cruciatum sentiant, nullumq; damnum incurrant, fateor me nescire: sive enim soporati sint, sive vigilent, trahuntur tamen ac variè distrahuntur membra; quod sine dolore, saltem sine damno distractionem illam consequente fieri nequit. Nisi velimus dicere, Dæmonem per detentionem localem efficere, ut membra, quæ convelli videntur, nullâ ratione convellantur, levante ipso Dæmone pondera appensa, aut sublevando corpus, laxando funes &c. Nè tamen à liquato larido lædatur corpus, efficere potest Dæmon eodem modo, quo efficit, nè ab igne comburatur.

Stigma-

Digitized by Google

Stigmatum locum poteſt mortificare ac penitus ſtupefacere Dæmon adhibitis remediis naturalibus ; quorum multa cùm hominibus quoque nota ſint, Dæmones latere non poſſunt. *Cardanus lib. 7. de Subtilit.* de mirabili vi cujusdam lapidis, cujus ipſe experimentum vidit, in hæc ſcribit verba. *Attulerat Laurentius Guaſcus Cheraſcius, Provinciæ Turonenſis medicus empyricus, his diebus hunc lapidem, pollicebaturq́ poſſe, ſi vel ſtylum aut acum tangeret, carnem totam absq́ ullo dolore penetrare. Quod cùm nobis, ut par eſt, ridiculum videretur, rem experimento in meis contubernalibus confirmavit. Ego tandem, ut tam incredibilis rei periculum facerem, acum ipſam priùs lapidi affricatam, cuti adjutorii brachii intuli, ſenſiq́ primò leviſſimam punctionis imaginem : pòſt cùm totum muſculum quaſi directà penetraret, acum quidem in profundum, quà pererrabat, penetrare ſentiebam, dolorem tamen nullum penitùs ſenſi, tuncq́ familiaribus quod in me fueram expertus, credidi. Dimiſi verò longo ſpatio, flectens undiq́ brachium, nec quidquam moleſtum ſenſi, nec detracto effluxit ſanguis, nec foramen ullum relictum eſt : quandoq́ ſemiguttula levis cruoris, non autem ſanguinis, effluit, quâ veſtigium vulneris deprehenditur. Nec qui auctor rei hujus erat, loca nervorum aut venarum obſervari volebat : ut planè intelligeremus, vim lapidi ineſſe. Lapis fabâ parvâ minor fuit, candidus, buxeusq́ potiùs quàm candidus, venis ferrugineis diſtinctus, lenis admodum ac levis, ut totus pondus granorum tredecim tritici impleret. Ipſa verò acus, quam ei obtuleram, confricata, etſi duriſſima eſſet ut priùs, adeo tamen apparebat lenis, ut non ampliùs ferri naturam retinere videretur.* Hic indagat cauſam Cardanus, quomodo fieri potuerit, ut acus intruſa dolorem non inferret brachio. Si ergo naturaliter ab homine id fieri poteſt, multò magis à Dæmone poterit fieri. Sed modum ipſe ſcit, non ſagæ & malefici.

Lapis cui affricta acus, carnem ſine dolore penetrat.

Sciendum tamen, multis de cauſis contingere, ut malefici, qui in equuleo torquentur, non loquantur, nihilque confiteantur. Nam aliquando tacent, quia dolorem non ſentiunt; aliquando, quia loqui non poſſunt, etiamſi dolorem ſentiant; aliquando quia nec ſentiunt, nec loqui poſſunt, ut quando profundo ſomno ſunt oppreſſi; aliquando, quia licèt ſentiant, & loqui poſſint, robuſti tamen ſunt, & cruciatus tolerant aut animo forti, aut obſtinato. Ut non ſentiant, ſolet Dæmon efficere per remedia naturalia vim obſtupefaciendi ſenſus habentia, occultè adhibita, ex pacto tamen illis antea vel ſuſpendit aliquid è collo, vel ſumendum dedit per cibum aut potum, vel capillis irretivit, vel ſcapulis impreſſit, vel inter carnem & cutem abſcondit. Ut non poſſint loqui, licèt ſentiant, præcludit fauces & os, eâ moderatione tamen ut non præfocentur. Interdum etiam organum auditus obſtruunt, ut interrogationes non exaudiant. Hæc omnia exemplis confirmat Remigius, & Auctores Mallei.

Torti in equuleo cur non loquantur aliquando.

Cardanus lib. 8. variet. cap. 44. ait : *Quæ hominis ſenſum in tormentis auferunt,*

Tortos in-

equuleo quæ stupefaciant.

runt, prater stupefacientia, sunt veluti succus apii, chelidonia, crocus, fuligo, medulla & pinguedo humana, & hac arteriis illita, ut etiam oleum lacertarum. Ebibitum quoq; vinum, in quo octo diebus infusum fuerit semen portulaca marina, prohibet ne tortus confiteatur.

CAPUT XXIX.

An Dæmones possint ac soleant inferre hominibus morbos, restituere sanitatem, reddere juventam, atq; adeo immortalitatem.

§. I. Dæmon potest ac solet inferre morbos, tàm per se, quàm per Magos.

Morbos inferre potest ac solet Dæmon.

QUæstionem hanc tractavimus in Magia Medica, quæ est liber 5. partis 4. Magiæ Univers. ubi diximus, Hippocratem, Galenum, Avicennam, Pomponatium, & Levinum Lemnium concedere quidem Dæmones id posse, negare tamen id facere, eò quòd morbi omnes à causis naturalibus nasci queant. Nos cum SS. Patribus, Theologis, Medicis, Juristis, & communi sententia statuimus, & posse, & solere, Dæmones inferre morbos. Idem patet ex Scriptura Sacra, *Job. cap. 2. libri 1. Reg. cap. 16. Marc. cap. 9. Luca cap. 8. & 13.* Idem docent varia exempla, quæ ibidem adduximus: ubi & modos insinuavimus multiplices, quibus id faciunt.

§. II. Dæmones possunt ac solent restituere sanitatem.

Sanitatem restituere potest Dæmon.

AD sanitatis restitutionem quod attinet, dubium nullum potest esse quin Dæmones, applicando activa passivis, possint illam efficere, si velint, & Deus permittat, quoniam id homines possunt per remedia naturalia. Quòd etiam soleant id facere, saltem per Magos & Maleficos, multis probatur exemplis. Nam *primò* Saludadores Hispani (sic vocant) multos sanant solo tactu, aut afflatu; non naturaliter, cùm tactus & afflatus vim sanandi non habeant; nec ope DEI, aut Angeli boni, cùm plerique sint improbi; ergo ope Dæmonis. Vide, quæ *4. par. Magia lib. 5. Syntagm. 2. cap. 3.* diximus de hoc genere hominum. *Secundò* multi sanantur per applicationē hoplochrismatis seu unguenti armarii, aliorumque emplastrorum ac medicamentorum magico-sympathicorum; quorum tamen vis sanativa nec naturalis est, nec divina, sed diabolica, ut probavimus fusè loc. cit. Syntagm. 1. *Tertiò*, sæpe maleficiati sanantur à maleficis alio maleficio, ut quotidiana docet experientia. Taceo innumera alia exempla. De curatione à maleficiis dicetur alibi.

§. III.

Digitized by Google

§. III. Dæmon posset, si Deus permitteret, reddere seni juventam; non tamen eum reddere immortalem.

AN Dæmon possit seni reddere juventam, discussimus fusè, & in utramq; partem disputavimus 4 par. Magiæ lib. 5. Syntagm. 3. cap. 1.

Affirmativæ sententiæ sunt hæc argumenta. *Primò*, quia de facto viribus naturæ renovatur juventus aquilæ, ut sacra Scriptura testatur *Psal. 102. v. 5. Isaia 40. v. 31. Job. 39. v. 26.* Idem asserunt Physiologi de serpente. *Secundò*, quia humidum radicale deperditum potest naturaliter, atq; adeo à Dæmone per applicationem activorum, restaurari. *Tertiò*, quia multa extant exempla juventæ naturaliter restauratæ, quæ loco cit. ex probatis auctoribus recitavi. Negativæ sententiæ hæc sunt argumenta. *Primò*, quia vitæ humanæ periodus est unicuique à Deo præstituta, ultra quam viribus Naturæ prolongari nequit. *Secundò*, quia vita humana humido radicali conservatur; quod cùm semper consumatur, nec tantum reparetur alimento aut medicamento, quantum atteritur, necesse est tandem deficere. *Tertiò*, quia si Dæmon posset reddere seni juventam, posset hominem reddere immortalem, id est, in æternum viventem; quo dici non debet. *Quartò*, quia senectus oritur ex eo, quòd virtus nutritiva continuò repatitur à nutrimento, & paulatim corrumpitur, nec naturaliter restaurari potest.

Juventam posset reddere Dæmon, si Deus permitteret.

Nos citato loco amplexi sumus primam sententiam. Ad *primum* argumentum contrariæ sententiæ respondimus, Deo non permittente non posse prolongari vitæ terminum, ipso verò permittente posse. Ad *secundum* respondimus, etsi Medicis nostris ignotus sit modus restaurandi humidum radicale, Dæmoni tamen notum esse. Ad *tertium* respondimus, tametsi sæpius restaurari posset à Dæmone humidum radicale, tandem tamen ita fatiscere, ut nulla ampliùs remedia naturalia sufficiant. Ad *quartum* respondimus eodem modo quo ad secundum argumentum.

Ex his patet, an, & qua ratione Dæmon possit homini largiri immortalitatem, id est, facere, ut semper vivat.

CAPUT XXX.

An Dæmon possit efficere, ut homo profundissimè, & longissimo tempore dormiat; diuturnam inediam perferat.

BRevissimè hæc perstringam. Exempla varia huc spectantia referam infrà libro de Mirabilibus Hominis: hîc pauca dabo.

§. I. So-

§. I. Somnum profundum ac diuturnum conciliare possunt Dæmones.

Somnum diuturnum conciliare potest Dæmon. Narcotica pharmaca.

AD somnum igitur profundum ac diuturnum quod spectat, dubium non est, quin Dæmon possit eum procurare, quoniam etiam homines narcoticis pharmacis id possunt. *Cardanus lib. 18. de Subtilit.* docet, qualia esse debeant pharmaca, ut veternum concilient. Addit, pomum ex opio & mandragoræ succo, coacto vini fæce & zibeto, somnum dulcem & ubertim conciliare. Novi hominem, qui cùm ruri in villa negotiorum causâ versaretur, ac tres ad eum prædatores divertissent, haustum vini petentes, vino opium miscuit, & prædones soporavit profundissimè, interimque è vicinis locis convocavit, qui illos caperent. Idem *Cardanus lib. 8. de Variet. cap. 44.* somnum conciliare ait hyoschyamum sub cervicali viridi; fructum junci caulis pinguioris epotum; oleum in quo oculus sinister ericii incoctus sit, in aurem instillatum; appositâ hirudine in angulis oculorum, atque abductâ, meconium instillatum; suppositorium ex eodem, sed ablatum somno jam inchoato; pinguedinem gliris plantis pedum inunctam; unguentum ex aqua & aceto rosaceis atque argilla, iisdem plantis inunctum. *Dicunt etiam* (subdit) *quod vix credi potest, dentes inunctos ex sorditia aurium canis, somnum profundum provocare, refertur q; ad Mundinum. Velut & illud: Malchus, Malchinianus, Maximianus, Constantinus, Dionysius, Joannes, & Seraphinus: sicut isti septem dormientes requiescunt in monte Celior, nutu Dei; sic iste famulus pleno somno utatur, ipso juvante, qui vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum.* Alia, quæ somnum conciliant, passim apud Medicos & alios Scriptores invenies. Eandem virtutem adscribit *Dioscorid. lib. 5. cap. 115.* lapillo Memphitis. Longè plura remedia scit Dæmon, quæ adhibet, dum Magi alios soporant in malum finem, v. g. ut dormientibus aliis infundant venenum, rapiant infantes, furto quid subtrahant, stuprum inferant &c. variis adhibitis remediis, ad rem nihil facientibus, ut dum certis appendunt locis membra cadaverum, teste *Cæsario lib. 6. Mirac. cap. 10.* aut dum certa lumina accendunt, quæ *Apulejus in Asino lib. 1.* appellat *nebulas somnii*; aut dum accendunt pedes vel manus mortuorum, inunctas priùs oleo quodam à Dæmone accepto; vel ad singulos digitos candelis affixis, ut ex sagarum confessionibus observat *Remig. lib. 2. Dæmonol. cap. 3. & 4.* Interdum utuntur facibus excantatis de certo genere lychnorum, & notâ sibi pinguedine inunctis, ut singula comprobat exemplis *Delrius lib. 3. Disquisit. Magic. p. 1. q. 2.* Et his facibus vel sibi prælucent, dum alios soporare volunt; vel domi certo loco defigunt accensas: & sopor durat, quamdiu lumen illud ferale durat. Hanc in rem sequens narrat exemplum *Delrius l. 3. Disquisit. Magic. q. 2.*

Faces magicæ soporem profundum conciliantes.

In

Digitized by Google

In Leodienſis ditionis oppido Huyo (ut quidam,) vel Dinanto (ut alii,) noctu ad diverſorium venêre duo, qui ſe à via admodum feſſos ſimulabant. Cœnâ ſumptâ, negant ſe cubitum aliò ituros, ſed importunè admodum pervicaci inſtantiâ tandem abs caupone impetrant, ut liceat ad ignem in culina ſomnum capere. Interea ancilla domus, cui non ſatis peregrini iſti placebant, clanculum per foramen quoddam pervigil conſpicit, quid acturi. Nocte intempeſtâ videt è marſupio manum abſciſſam mortui depromere, & digitos inungere, tum admotos igni accendere. Omnes lumen recepêre, uno excepto. Id verò Magi mirari inſolitum. Sæpius ergo tentant, & flammæ admovent: fruſtra ſemper. Tum eorum unus, quid tum (ait) ſi unus duntaxat in domo vigil? & affixâ ad caminum manu, quatuor digitis velut candelis obſcurâ flammâ collucentibus, domo egreſſi, noto ſibilo ſocios advocant ad prædam. Puella ſubſequitur egredientes, & domo, januâ revolutâ, excludit: inde irrumpit in herilem thalamum, invenit omnes altùm adeo ſtertere, ut nullâ vi (nam in medium cubiculi de lecto detraxerat, & protraxerat) potuerint evigilari. Interea fures per feneſtram quandam ſe dirigebant in domum. Occurrit iſta, & ſcalis deturbat. Inſtant tamen, & aliâ moliuntur ingreſſum. Hæc luminis memor, & ſuſpectione hanc eſſe ſoporis domeſticorum cauſam, omnes digitos exſufflat. Ut lux emortua, dormientes experrecti ad clamorem accurrunt, & domo protelant manifeſtarios. Poſt aliquot dies capti, facinus confeſſi fuêre.

Idem ibidem refert, in Flandria Occidentali, haud procul Balleolo, ſuperioribus annis furem fuiſſe deprehenſum, & apud eum repertum truncum pedis patibularii, quo ad hujusmodi ſoporiferum lumen abutebatur, articulis accenſis.

Idem *Delrius loc. cit.* addit ſequentem narrationem, dignam quæ ſciatur, quoniam divinæ quoque ultionis exemplum addit. Abſtinet tamen loci, & ordinis, & perſonarum nominibus, nè quis ſagâ nare in Hiſpania, ubi res verè geſta, in cubile veritatis, & perſonarum notitiam (inquit ipſe) pervadat. *Ibi quadam in urbe magni nominis concionator, qui cùm aliis prædicaret, ipſe reprobus vel factus, vel permanſit, familiaris erat cuidam viro nobili, cui formoſula uxor, ſed caſta matrona. Hanc cœpit hircus ille efflictim deperire. Nec diu ignem ſinu ſovit occultum: aperit animum, & mulieri flagitium nititur ſuadere. Illa certa tuendæ caſtitatis, ſedulò conatur ad ſaniorem mentem revocare à dementia. Sed erat oleum camino addere. Ut naphtam accenſam vehementiùs aqua injecta exaſperat, ut gliſcat incendium; ſic admonitiones hunc ultrò inflammabant. Nec deſiit urgere, donec pertæſa moleſtiam, ſtatuit ulciſci nebulonem. Rem totam pandit marito; quem non minùs quàm Atridas talis dolor urebat. Ejus juſſu uxor tempus addicit. Venit nox optata malè amanti. Maritus cum aliquot famulis egregiè armatus erat in propinquo conclavi, familiarem hunc haud familiariter excepturus. Opperiebatur adventum matrona. Tandem en tibi ſæculari habitu,*

accinctum gladio & pugione. Deducentem illam audacter subsequitur: & postquàm consedisset, veterem cantilenam iterat. Mulier refutat,& negat, ut solita. Fecerant audaciorem tenebræ nocturnæ mœchum, & vim parat. Vis vi repellitur. Tandem verita mulier exclamat, & condictum marito signum contemtâ voce tollit. Surdo (quod ajunt) fabulam: nec maritus, nec quisquam accurrit. Quid ageret? fugeret? tenebatur brachiis fortioribus: consentiret? mors probro & peccato potior honestati. Ungues ergo, & dentes arma stringit muliebria, & faciem deformat: sed præ furore hæc ille vix sentiebat. Gladium deposuerat, dorso pugiunculus hærebat. Ut advertit matrona, inter luctandum manu eum eripit à tergo, & stricto mucrone perforat adversarium, & vitâ privat. Collabitur cadaver. Victrix vix sui compos, accurrit in conclave, ubi maritum abdiderat: invenit illum & famulos omnes mortuis, quàm vivis similiores: clamat, vellicat, trahit, nihil non agit, ut expergefaciat; at illi consopiti manebant. Suspicata (quod erat) maleficio id fieri, & videns sibi in seipsa spes omnes locatas; cadaver domo effert, & in plateam abjicit cum gladio, & cruento pugione. Interea dum ibi jacet, circitores nocturni in cadaver incidunt, ferunt in carcerem; faciè lotâ, etsi non facilè, tamen agnoscitur concionator. Prætor, seu (ut vocant) Corregidor *prudentiâ pollet: silentio imperato præsentibus, summo manè adit cœnobium, evocat Priorem, ait, se de re maximi momenti cum ipso coram tota familia agere optare: jubeat omnes ad unum in locum Capituli convenire. Facit Prior. Convenêre vivi omnes; nam mortuus ille solus deerat. Prætor ait, videri sibi aliquem deesse. Re animadversà, Prior verè inquit omnes adsunt, excepto tali (& nominabat) qui fors nunc se ad proximam parat concionem. Ipse quoq; (subdit ille) vocetur; mora haud longa futura. Currunt nonnulli, ut vocent; cubiculo clauso pulsant ostium: nemo respondet. It ergo cum Priore ipse Prætor, & januam vi reserant. Nemo erat in cella; duntaxat fax ardens, & obscurùm lucens, defixa erat in camino. Mirari omnes, & stupere. Tum Prætor Priori & Conventui narrat, ubi & quale inventum cadaver. Et dum illud auferunt è carcere, ut profana sepultura (quam sacra Scriptura* asini sepulturam *vocat) meritò tradatur; ecce ibi nobilis ille cum uxore, & rem omnem narrant. Conferuntur momenta temporis; reperiuntur evigilasse, quo fax extincta. Sic & perfidia hypocritæ detestatione omnium, & mulieris castitas atq; fortitudo laudibus totius viciniæ celebrata, non facilè ex illic habitantium memoria delebitur.* Alia exempla aliàs dabimus.

§. II. Inediam diuturnam ut perferat homo, efficere potest Dæmon.

Inediæ diuturnæ tolerantiam procurare potest Dæmon.

AD inediam diuturnam quod attinet, dubitandum nō est, posse Dæmonem efficere, ut per longum tempus homo illam protrahat, quoniam id naturaliter contingere potest. Nam Indi beneficio herbæ *Coca* ore gestatæ famem repellunt, teste *Petro Chieza p. 1. Histor. Peruu. cap. 96.* & *Matthiolus*

*thiolus in Præfat ad Dioſcor.*ſcribit, Scythas inveniſſe herbam circa Boëtiam creſcentem, guſtatu prædulcem, quæ ſi in ore teneatur, nec fames ſentiatur, nec ſitis. *Idem præſtat*, inquit, *apud eosdem Hippice dicta, quod equis quoq; eundem effectum præbeat. Traduntq́; , his herbis Scythas etiam duodenos dies durare in ſame & ſiti.* Multorum annorum naturalem inediam, & ut ita dicam cum Plauto, imbibeſiam, agnoſcit etiam *Gemma lib. 1. Coſmocr. c. 6.* D. Auguſtini tempore teſte *Jonſtono in Thaumatogr. Claſſe 10. c. 2. art. 7.* quidam ſuſtinuit famem quadraginta dierum: Imperatoris Clotarii puella undecim annis jejuna permanſit: Petrus Aponus aliam annos octodecim jejunam vidit: Rondeletius quandam toto decennio. Alia exempla dabo infrà lib. 3. cùm de Mirabilibus Hominis, ubi & cauſam hujus rei adſignare conabor. Vide *Delrium lib 2. Disquiſit. Magic. q. 21.* & *Jonſtonum loc. cit.* Si itaque hæc fieri poſſunt naturaliter, cur non procurari poterunt à Dæmone? Cavendum tamen, nè jejunia miraculoſa cum naturalibus confundamus.

Inediæ diu toleratæ exempla.

CAPUT XXXI.

An Dæmon poſſit mutare ſexum.

QUæſtio eſt, an Dæmon efficere queat, ut ex fœminis mares, & ex maribus fœminæ fiant. Si probavero, naturaliter id fieri non ſolùm poſſe, ſed ſæpe etiam factum eſſe, modumq́ue quo id contingit, explicavero, atq; adeo quid per ſexus mutationem hoc loco intelligatur, declaravero; nec dubium, nec mirum videbitur, Dæmonem id poſſe efficere. Et quoniam rem nec explicare, nec experientiâ ac ratione ſtabilire poſſum, niſi terminis utar obſcœniuſculis illis quidem, at materiæ, de qua agitur, convenientibus; veniam dabunt caſtæ aures, & tam pudici, quàm impudici, eodem hæc animo legent, quo ſcripta ſunt, hoc eſt caſto. Sequor qui præiverunt; quos inter viri ſunt religioſi, & ab omni fæditate abhorrentes. Ejuſdem animi fuiſſe exiſtimo & alios omnes quos in ſequentibus citabo.

Sexum an Dæmon poſſit mutare.

§. I. Hiſtoriæ antiquæ de ſexus mutatione.

SExum igitur mutari ſubinde naturaliter, & tàm ex fœminis fieri mares, quàm ex his fœminas, eo tamen modo, quem explicabimus, adeò multis confirmatum eſt experimẽtis atque exemplis, ut inſanire videri poſſit, qui id negaret. Nam *Hippocrates lib. 6. Epidem. p. 8. Aphor. 45.* ſcribit, Abderis Phaetuſam uxorem Pythei, partui vicinam, miſſo in exiliũ marito, aliquot menſibus ceſſante fluxu menſtruorũ, cunctis in mẽbris magnos perpeſſam dolores, corporis habitu in virum mutatam: nam corpus ei virile factum

Sexus mutati hiſtoriæ antiquæ.

(σῶμα ἀνδρῶδες) hispidamque totam redditam, barbam emisisse, & vocem asperiorem nactam. Idem accidisse ait apud Chasios Anamisiæ uxori Gorgippi. *Titus Livius lib. 4. secundi belli Punici*, tradit, Q. Fabio Maximo, & M. Claudio Marcello Coss. virum ex muliere Spoleti factum. *Plinius lib. 7. cap. 4.* ait: *Ex fœminis mutari in mares, non est fabulosum. Invenimus in Annalibus, P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuq; auspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit, visum à se Argis Arescontem, cui nomen Arescusa fuisset, nupsisse etiam; mox barbam, & virilitatem provenisse, uxoremq; duxisse. Ejusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Cossitium civem Tisdritanum, vivebatq; cùm proderem hæc.* Hactenus Livius. *A. Gellius lib. 9. Noct. Attic. cap. 4.* adducto Plinii loco paulò antè exscripto, addit ea, quæ citatus Auctor scribit, talia esse, *ut neq; respuenda, neq; ridenda sit notissima illa Veterum Poëtarum de Cænide & Caneo cantilena.* Cantilenam (seu historia illa sit, seu fabula) de Cæneo ex fœmina in virum, & de Tiresia ex viro in fœminam conversis, habet Ovidius in Metamorph. *Phlegon. lib. 1. de mirabil. & longæv.* ait: *Virgo quædam Smyrnæ nata, Philotis nomine, cùm matura viro nuptui tradita esset à parentibus, masculino enato membro in virum abiit. Quin & Laodiceæ, quæ est in Syria, mulier Æteta nomine, etiamnum cum marito degens, è fœmina vir extitit, cui nomen Ætetus, præside Athenis Macrino, Romæ Coss. L. Lamia, & Æliano vetere.* Addit Phlegon, se illum vidisse. *Ausonius lib. 1. Epigram.* refert, Beneventi puerum factum puellam, his versibus:

> *Nec satis antiquum, quòd Campano in Benevento*
> *unus ephœborum, Virgo repentè fuit.*

Inter alia exempla, quæ refert *Antonius Liberal.* ex lib. 2. Alterationum Nicandri, unum est de Sipræta Cretense mutata in virum, cùm Minervam vidisset lavantem. Ætate Constantini Magni, ut refert *D. Augustinus* lib. de Conjug. Vet. & Nov. leg. puella quædam in parte Campaniæ in masculum mutata est. Idem accidisse temporibus Alexandri, prodit *Volaterranus* lib. 24. Com. Rom.

§. II. Historiæ recentiores de mutatione sexus.

Sexus mutati historiæ recentes.

HÆ Veterum sunt historiæ. Venio ad recentiores. *Jou. Pontanus* in Histor. *Neapolit.* narrat, Cajetæ mulierem piscatori cuidam annis quatuordecim nuptam, in virum migrasse. Et aliam, cui nomen Æmilia, nuptam Antonio Spensæ civi Ebulano, post annum nuptiarum duodecimum, in virum mutatam, soluto matrimonio uxorem duxisse, & liberos procreasse. Addit idem, aliam fœminam, cùm marito filium unum peperisset, subitò exutâ virilitate, marito, jam non fœminam, relicto aliam duxisse, è qua

qua liberos genuerit. De aliis similibus simil:a narrat *Sabellicus lib 9. Exempl.* Sequentia scribit *Fulgos. lib. Exempl. cap.* 6. quæ minùs incredibilia faciunt illa, quæ modò retuli. *Neapoli regnante Ferdinando primo, cùm Ludovicus Guarna, Salernitanus civis, quinq; filias suscepisset, quarum natu majoribus duabus alteri Francisca, Carolæ alteri erat nomen; posteaquam ad quintum decimum annum pervenerunt, ambabus genitalia membra in marium morem eruperunt, mutatoq; habitu pro maribus habiti sunt, Franciscus & Carolus nuncupati. Item Ebuli, sub eodem rege, puella quæ jam quatuor annos viro promissa sponsa habuerat nomen, quâ nocte primùm viro tradita cum eo cubuit, sive ex confricatione, sive aliam ob causam, quæ ignota sit, effractis membranis, quæ ut mulier videretur efficiebant, virilia membra prodierunt: domumq; reversa, in judicio dotem repetivit, in virorum numero postea habita. Michaël Montanus lib. 1. Experiment. cap. 21.* apud Delrium loco postea citando, testatur, suo tempore Vitriaci fuisse puellam, nomine Mariam; quæ cùm saltaret violentiùs, subitò virilibus erumpentibus in virum mutata sit; & ab Episcopo Suessionensi Confirmationis sacramento mutato nomine, Germanus vocari cœperit. Ejus postea mento barbam adnatam; diuque vixisse ad decrepitam usque ætatem; uxorem tamen duxisse nunquam. *Pareus* lib. 2. Chirurg. cap. 5. ait, sibi Vitriaci versanti ostensum dictum Germanum; & mutationem sexus contigisse, dum porcos suæ curæ commissos in messem irruentes acriùs persequeretur, & magno saltu fossam transiliret; eumque ruptâ tunc cute domum se contulisse plorantem, ac narrantem matri, sibi facto illo saltu intestina prosiliisse. *Auctor Antimologii* apud eundem Delrium scribit, *sibi visum Auscis in Vasconia virum plusquàm sexagenarium, canum, fortem, & hirsutum, qui ad annum decimum quintum antè puella fuerat, tandem tamen ex casu ruptis tenuibus ligamentis, pudenda erupisse, sexumq; mutasse, cùm ei nunquam antea menses fluxissent.*

Adhuc recentior est, quæ sequitur historia, quam refert ex Amato Lusitano *Wierus lib. 4. de Prastig. dæm. cap. 24.* & *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 22. ex Torquemada Dial. 1.* citatque *Torreblanca lib. 2. cap. 17.* Verba *Amati Lusitani Centur. 2. Consult. Curat. 39.* apud Wierum hæc sunt. *In oppido Esgverra, novem leucis à Conymbrica, nobili apud Lusitanos civitate, puella quædam genere nobilis erat, cui nomen (si rectè memini) Maria Pacheca erat: quæ cùm ad ætatem pervenisset, in qua mulieres primùm menstrua emittere solent; vice mensium priapum usque ad id tempus intus latitantem extrà ejecit, & sic ex fœmina factus est masculus, & virili togâ indutus, ac sacrâ aquâ respersus, Manuel fuit vocatus. Qui ad Indos perveniens, & dives ac clarus factus, postea ad suos rediit & uxorem duxit. Sed an liberos genuerit, non satis compertum habeo. Conscii tamen sumus, imberbem hunc semper mansisse.* Non minùs recens est historia, quam cit. loc. refert *Delrius* ex *Torquemada*, qui testatur,

ſtatur, ſe ab amico, viro magnæ auctoritatis, & fidei pleno accepiſſe, non procul ab urbe Beneventana Hiſpaniæ uxorem ruſtici cujuſdam fortunæ mediæ (quæ quòd ſterilis eſſet, minùs à marito benignè habebatur) pertæſam malæ tractationis, quâdam nocte aufugiſſe, ſumpto veſtitu famuli domeſtici; ſicque ornatam, virumque mentitam, variis in locis operâ ſervili vitam ſuſtentaſſe; poſt aliquod tempus, ſive quòd calor in ea naturalis tam efficax foret, ſive quòd imaginatio, nata & confirmata continuo habitu & miniſterio virili, eam efficacitatem nacta fuerit, in virum mutatam, uxorem duxiſſe clàm viro priori, tandemque à quodam, qui illam priùs noverat, agnitam, & interrogatam, rem totam, uti contigerat, enarraſſe. *Torreblanca* loco citato, præter exempla hactenus enarrata, refert ex *Petro Hiſpal.* in Hiſpania quandam Franciſcam nomine verſam in marem; & ex *Petro Peramato tract. 2. de regim. pregn. cap. 8. fol. 117.* idem refert de quadam alia Cordubæ; & de Monacha quadam S. Dominici Madriti: & recentiſſimè cùm ſua ſcriberet, ait in civitate de Vueda aliam monialem S. Dominici, oriundam ex oppido Sabiote, dictam Magdalenam Munnez, repentè in marem evaſiſſe, dum onus viriliter arriperet. *Bartholinus* Exercit. 1. Probl. 1. refert, in Ungaria militem factum eſſe in caſtris puerperam, proliſque propatrem Illuſtrem Comitem Mansfeldicum, Germanici Exercitus Generalem. Omitto alia multa exempla.

§. III. Variæ ſententiæ de modo, quo fit mutatio ſexus.

Sexus mutatio quomodo fiat ex aliorum ſententia.

EX relatis hactenus hiſtoriis atq; exemplis conſtat, ſexus mutationem, ſaltem fœminini in maſculinum, non ſolùm poſſibilem eſſe, ſed certò & ſæpiſſimè contigiſſe. Unde præter Auctores citatos, innumeri alii eam agnoſcunt, atque tuentur; in modo tamen non conveniunt. *Cardanus lib. 8. de Varietat. cap. 43.* fœminarum in maſculos mutationem ſic explicat. *Naſcuntur pueri contracto genitali membro, obductâq; membranâ quaſi ſinu quodam, atque in ea foramine anguſto; ob id puellam, qui non attrectaverint, exiſtimant: aliis autẽ ſponte, ubi penis erigitur adoleſcentiæ initio, fractâ membranâ penis erumpit: pluribus in conatu viri, dum cum ſponſa rem habere ſe putãt, diffractâ membranâ, & attritu erecto pene, maſculus prodit maximo miraculo, & prorſus nullo.* Putat itaque illos, qui ex fœminis fiunt maſculi, ab initio maſculos fuiſſe, ſed ſigna maſculina, priùs abſcondita ſub ſignis fœmininis, ſuo tempore erumpere & apparere. Sed quomodo fiat virorum mutatio in fœminas, non explicat.

Wierus ſuprà cit. lib. 4. cap. 24. negat factam aut fieri poſſe mutationem viri in fœminam, & mendacii arguit Auſonium illam agnoſcentem loco ſuprà cit. Alteram verò mutationem fœminæ in virum, ſic explicat. *Scien-*

Sciendum est, ejusmodi particulam reperiri in κόλπῳ γυναικείῳ, *quæ cunctis mentulæ virilis conditionibus prorsus respondet, adeo ut prædita sit ligamentis, nervis, venis, arteriis, musculis, præputio, glande, ne quid omninò desideretur. Ejus exquisita observatio hactenus ferè fuit neglecta, ob pinguedinis velamen, à recentioribus: at ab Avicenna describitur sub nomine* Albathara, *vel* Albandar; *& à Ruffo Ephesio* κλειτορὶς *vocatur, (unde obscænum verbum* κλειτορίζειν, *vel* κλειτοριάζειν *derivatur;) nec non nympha myrton,* ὑποδερμίς. *Atq; exigua hac caruncula paulatim molis augmentatione exurgit tandem in priapum omnibus suis numeris absolutum: quod contingit præcipuè aut menstruæ expurgationis initio, aut connubii tempore; quoniam in eo natura impetus incrementum molitur; in hoc verò, præter primi coitus vehementiam effringuntur particulæ istius carceris, quibus exonerata virtus formativa deinde laborat in promptiori expulsione. Ita etiam fit, quòd tum corpus & hirsutius evadat propter mensium suppreßionem, & robustius ob sexus virilis successionem. Hoc autem membro cùm saltem mulier dotetur (unde omnes fœminæ licèt actu tales sint, potentiâ tamen masculos nominârim) necessariò elicitur, hunc mutationis ordinem progredi tantùm à sexu fœmineo ad masculum, non è converso.* Quæ Wierus habet de modo mutationis fœminarum in viros, adscribit Delrius etiam *Galeno lib. de usu part. & lib. de Anatom. administrat.* item *Æginetæ, Avicennæ, Rasis*, & reliquis Medicis, dicentibus prædictam metamorphosin aliud non esse, *quàm ut quæ sunt intus vasa seminaria, foris appareant; & id quod myrtos, nympha,* κλειτορὶς, καὶ ὑποδερμὶς *dicitur, & Ismaëlitis* Abathara *sive* Atbandar, *sumpto incremento, & pingui velamine, cui involvitur, effracto, protrudatur in penem, cui persimilis, sed involuta priùs fuerat; expelli autem caloris naturalis urgentis impetu.* Putant itaque hi omnes, virum in omni muliere latitare, hoc est, virilia genitalia in fœmineis; & ex fœminis ita fieri viros, ut fœminæ desinant esse. De virorum autem in fœminas mutatione nihil dicunt, quia fortassis illam non agnoscunt, ut nec Wierus agnoscit.

Martinus Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. q. 22. relatâ hac communi Medicorum sententiâ, sibi ait vehementem adhuc suspicionem esse, *non tam ex fœminis ita viros factos, ut fœminæ desierint esse, quàm ad fœmineum sexum, masculinum acceßisse, ut androgyni efficerentur, sexu tamen hoc posteriore prævalente, & ideo pro viris habitas.* Putat itaque illos, qui ex fœminis viri sunt facti, ab initio fuisse androgynos, seu hermaphroditos, & utriusque sexus genitalia habuisse, at initio virilia genitalia latuisse, deinde verò erupisse, & magis quàm muliebria apparuisse. Quia tamen hac ratione difficulter explicari potest, quomodo ex viris factæ sint fœminæ; addit, sibi impossibile videri, Naturam & Dæmonem posse de viro fœminam facere, eò quòd in hac mutatione opus esset nimiâ retractione partiũ perfectarũ in locos fœmineos. Hac de causa non credit, aut saltem ægerrimè credit, quod Ausonius dicit de puella in puerum conversa.

Andreas Laurentius lib. 7. Histor. Anatom. q. 8. postquàm ostendisset, commune illud dictum Medicorum, de inverso viro in muliere latitante, falsum esse; & utriusque sexus genitalia non situ modò, sed etiam numero, formâ, & structurâ prorsus differre; subjungit suam de sexus mutatione sententiam his verbis. *Sanè portentosum hoc judico, & vix credibile. Quòd si aliquando contingat, verisimile est, in illis utrimq; sexus adesse genitalia; primâ quidem ætate ob caloris imbecillitatem latentia, quæ tandem per caloris ἐκλάμψεις, emicatus, & effulgescentias, erumpant. Aut existimandum est, mulieres esse quasdam à primo ortu calidissimas, & ita à natura conformatas, ut earum clytoris, mentulæ formam referens, ita promineat, ut quia penis instar distenditur, moxq; flaccescit; virilem priapum mentiatur, & rudioribus imponat. Sed & sæpe falluntur obstetrices ob vitiatam genitalium conformationem, penis scilicet brevioris, & penitus tanquam in rima absconditi, testiumq; latitantium, ut sexum vix possint internoscere.* Quam rem confirmat exemplo ex Pineo, qui scribit, Lutetiæ anno 1577, in vico S. Dionysii mulierem noctu peperisse filium, qui festinanter, ob virium imbecillitatem, baptizatus fuit pro filia, & Joanna vocata: quam tamen aliquot diebus pòst mater & alii masculum esse deprehenderunt, & Joannem vocârunt. Duos ergo modos adsignat hic auctor, quibus mutatiò sexus contingere queat; in quorum primo convenit cum Delrio, in secundo verò partim convenit cum communi sententia, partim discrepat.

§. IV. Nostra sententia de sexus mutatione, & modo, quo illa fit.

Sexus mutatio quomodo fiat ex nostra sententia.

IN re ancipiti, & diu multùmq; ventilata à viris doctis, ego hæc statuo, salvo semper meliori judicio.

Primò, Fœminas in viros naturaliter mutari posse, & sæpe mutatas, certum est, & experientiâ irrefragabili ab omni ævo comprobatum. An verò viri in fœminas sint aliquando mutati, non videtur esse certum, quia exempla nulla habemus, nisi quæ Poëtæ Ovidius & Ausonius afferunt, quibus perinde est fabulas atque historias enarrare. Quòd si aliquando

Fœmineam in speciem convertit masculus ales,
Pavaq; de pavo constitit ante oculos;

ut Ausonius loco suprà cit. canit: si præterea verum est, quòd

Alternare vices, & quæ modò fœmina tergo
Passa marem, nunc esse marem, miramur hyænam;

ut Ovidius canit: denique si verum, quod *D. Aug. lib. 3. de Civitat. cap. ult.* memorat ex Gentilium scriptis, & mulieres homines, & gallinas in masculinum sexum fuisse conversas: dicendum videtur, animalia illa utroque sexu esse prædita, & nunc unum, nunc alterum occultari aut manifestari.

In

In hyæna sanè Aristot. in Admir. utrumque sexum agnoscit. Idem dicendum esset de illis, quos prædicti Poëtæ asserunt de viris mutatos esse in fœminas, si ita contigisset.

Secundò, Duobus modis videtur, contingere posse ac solere, ut fœminæ in viros mutentur; primò, si androgyni sint, at primâ ætate non appareant genitalia virilia, sed solùm muliebria; successu verò temporis virilia appareant, muliebria verò abscondantur: secundò, si initio quidem masculi sint, sed virilia genitalia ita retracta, abscondita, atque disposita sint, ut videantur esse fœminæ; successu verò temporis incipiant apparere mares. Atque hi sunt duo modi, quos Andreas Laurentius loco antea citato indicat. In neutro ergo casu fit vera mutatio sexus fœminini in masculinum, sed solùm quoad apparentiam, quia nimirum in utroque solùm signa masculini sexus apparent, quæ antea non apparebant. Itaque in primo casu manent androgyni ut antea erant, sed aliter apparent in prima, aliter in subsequenti ætate; in secundo casu manent similiter quod antea erant, nempe masculi, sed in prima ætate non apparebant tales, in secunda apparent.

Tertiò, Videtur fieri posse, ut masculus quoque in fœminam mutetur quoad apparentiam, idque duobus etiam modis: primò si fœmina in prima ætate habeat muliebria genitalia, ob causam aliquam ita prominentia, ut masculus videatur, modo à dicto Andrea Laurentio explicato; successu verò temporis retrahantur ita, ut appareat fœmina, qualis nimirum ab initio quoq; erat: secundò, si androgyni alicujus in prima ætate appareant solùm signa masculini sexus, successu verò temporis hæc dispareant, & fœminina appareant. Itaque si verum est, fuisse aliquando viros in fœminas mutatos, alterutro dictorum modorum id contigit. Pronius tamen est credere, primo tantùm modo id contigisse, ut sentit etiam *Aldrovandus* Histor. Monstror. p. 211. Edit. Bononiensis.

Quartò, Cùm certum sit, naturaliter fieri posse ac solere, ut sexus mutetur in hominibus, quacunque demum ratione id fiat; certum quoque est, Dæmonem mutare posse sexum, non quidem revera, sed solùm quoad apparentiam.

CAPUT XXXII.

An Dæmon possit juvare memoriam, & intellectum hominis, artesq; ac scientias docere.

Quoad memoriam, potest eam juvare duobus præcipuè modis. Primò, adaptando ejus organum, ut faciliùs recipiat, & firmiùs retineat species rerum; quod facere potest motu locali repellendo noxia, & appli-

Memoriam juvare potest Dæmon.

cando juvantia. Eodem modo potest etiam tollere penitus, aut debilitare memoriam. Exempla videntur esse in vita Barlaam & Josaphat; in vita Pythagoræ apud Laërtium lib. 8. in Apollonio Tyanæo apud Suidam; in Clerico Germano apud Fulgos. lib. 1. Exempl. c. 6. Secundò, suggerendo artificia & præcepta naturalia, quibus aliqui memoriam se juvare posse naturaliter ac sine superstitione profitentur; de quibus nos alio loco.

Intellectum potest juvare Dæmon.

Quoad intellectum, potest illum reddere subtiliorem & meliorem ad functiones suas peragendas, per commodiores organi dispositiones pellendo videlicet motu locali humores ac vapores crassiores, & spiritus adhibitis medicamentis naturalibus purgando: quò enim meliores ac puriores sunt spiritus, & quò expeditiora ab impedimentis interna organa, internis sensibus ac phantasiæ subservientia, hoc expeditior ad intelligendum est intellectus.

Scientias quomodo tribuere possit Dæmon.

Quoad artes ac scientias, potest illas, ac solet, si DEUS permittat, tribuere. Primò quidem locutione ac manifestatione externâ, quando in forma visibili apparet. Hoc modo sæpe docet Magos, & alios, qui opem ipsius implorant ad discendum, maximè curiosa, aut noxia. Secundò internâ locutione ac suggestione illustrando intellectum. Exempla plurima suppetunt. *In Vita S. Norberti cap. 27.* apud Surium tom. 3. Die 6. Jun. legitur, Dæmonem reddidisse idiotam quendam subitò sacræ Scripturæ peritissimum. Notissimum est, Anabaptistas sumptione certi potus vel cibi, ejusdem sacræ Scripturæ peritiam acquirere. *Niderus lib. 5. Formic.* tractans de lamiarum initiatione, refert confessionem cujusdam sagæ, dicentis sagas avidissimè inhiare infantum nondum baptizatorum, vel etiam baptizatorum, à se clanculùm occisorum cadaveribus; & de solidiore illorum materia conficere unguentum suis artibus, transmutationibus, ac transvectionibus accommodatum; *de liquidiori verò* (inquit ipsa) *humore flascum aut utrem replemus, de quo is, qui potatus fuerit, additis paucis ceremoniis; statim conscius efficitur & magister nostræ sectæ.* Apud eundem maleficus quidam idipsum confirmat, simulque scelestæ initiationis ritum explicat, his verbis. *Ordo talis est; quo etiam sedullus fui. Oportet primò emm Dominicà die, antequam aqua benedicta consecratur, Ecclesiam introire, mox futurum discipulum cum magistro; & ibidem abnegare coram eis Christum, ejus fidem, baptisma, & universalem Ecclesiam. Deinde homagium præstare magisterulo (id est, parvo magistro; ita enim Dæmonem, & non aliter appellant.) Postremò de utre bibit supradicto. Quo facto, statim se in interioribus sentit imaginem nostræ artis concipere, & retinere, ac principales ritus hujus sectæ.* Non tamen putandum, unguenti prædicti ope Magorum ac Sagarum intellectum illustrari, sed id fit immediatè à Dæmone per internam suggestionem, aut per alios modos nobis occultos.

Chry-

Chryſanthius Sardianus Magus, tempore Juliani Apoſtatæ, filium habuit, qui cùm penitus idiota eſſet, oracula fundebat contra Chriſtianos ſolo aſpectu Solis, teſte *Eunapio Chryſant.* utique Dæmone afflante. Eodem afflante, paſtores quidam ovium extitêre poëtæ, Amphiaraus factus vates, anus Pyndari edocta hymnum, teſtibus *Suidâ* & *Pauſaniâ*. Soſipatra verò, eodem *Eunapio* teſte, quæ alibi gerebantur, & omnia poëtarum, philoſophorum, & oratorum ſcripta, à Dæmonibus incubis, ipſi in ſpecie ſenum pellitorum cohabitantibus, ediſcebat.

Roman Ramirex diſcit multa à Dæmone.

Omitto alia exempla, & ſolùm refero, quod habet *Delrius lib. 2. Diſquiſit. Magic. q. 24.* de quodam Mago nomine Roman Ramirex, cujus oſſa cum ſtatua Toleti anno 1600, latâ per Inquiſitores fidei ſententiâ, fuerunt combuſta, quòd in reatu & carcere obiviſſet. *Hic cùm jam ſemel accuſatus de malis artibus, abjuraſſet errorem Mahumetanum, relapſus rediit ad vomitum, ſervando iterum ritus ac ceremonias Mahumetanas; multiſq́ annis jejunavit magnum jejunium, quod Arabes* del Ramada *vocant, præmiſſis* guadoe *&* Zala, *lavando totum corpus, induendo induſium mundum, recitando* azoras, *id eſt preces ejus ſectæ, verſâ facie ad ſolem orientem, elevando & demittendo caput, & ſe ad terram uſq́ inclinando, & extendendo ſupinas in cœlum palmas, cùm diceret* Alaquevir *(hoc eſt, Deus eſt magnus) & ſurgendo ante diem ad celebrandum jejunium* Zahor. *Eo abſoluto, celebrabat ſolemniter Paſcha ipſius* Ramada *per tres dies, abſtinendo ab omni labore & opere ſervili, induendo induſium mundum, & multas alias ceremonias Mahumetanas addendo. Ille idem à multis jam annis pactum iniverat cum Dæmone expreſſum, eo adorato, & facto homagio, & animâ illi dicatâ, eâ lege, ut Dæmon ſibi adeſſet favore, conſilio, ope, quotieſcunque aliqua in re indigeret, & peteret. Petiverat autem, & obtinuerat à Dæmone, notitiam ac peritiã ſanandi multas ſecretas & occultas ægritudines herbis, ſuffumigationibus, & incantamentis ſuperſtitioſis, quibus de facto non paucos ſanitati reſtituerat. Hic Roman Ramirex perſuadebat aliis, ſe multæ lectionis eſſe, & in ſacris ac profanis hiſtoriis apprimè verſatum, & valere plurimùm memoriâ, cùm tamen eſſet imperitus planè loquendi ac ſcribendi. Quare ſolebat lucri gratiâ aliis de memoria præfatas hiſtorias ad verbum perinde recitare, ac ſi librum coram ſe explicatum legeret. Cùmq́ quidam eum interrogaſſent, qua ratione tam fidam memoriam adeptus eſſet, reſpondit, quendam ſibi magnâ neceſſitate conjunctum, peritiſſimum naturæ herbarum, & habentem Dæmonem familiarem, potum neſcio quem dediſſe. Cum eodem illo amico cùm Roman ſemel vellet Cæſarauguſtam, quindecim inde leucis diſtantem, proficiſci, factâ conjuratione quam dicunt,* de bon y varon, *ſubitò comparuit equus; quem ambo conſcendentes, minimo ſpatio temporis ad urbis portas pervenerunt: & ibi equo relicto, ſed priùs fræno adempto, curârunt negotia, & reverſi ad portam equo frænum iterum injecerunt, & momento ferè domum redierunt. Item cùm quædam mulier in oppido Deza ſe ad lectum conferens, irata fortè, Dæmoni commen-*

dasset, & à nescio quo ablata subitò, non comparuisset; maritus Ramirem accessit, opem postulans; qui respondit, animum ne despenderet, se illi uxorem ejus restituturum. Dedit ergo epistolam marito, & jussit, ut certum ad locum inter vineta se conferret, & ibi facto circulo, in medio circuli consisteret, & quando audiret turbam hominum pertranseuntem, etsi nullum videret, interrogaret, ubi rex foret: si responderetur illac transire, tum epistolam ante se in solum abjiceret. Fecit ille, quod jussus fuerat, & uxorem recepit, non videns qui, aut quomodo reddidisset. Solebat etiam edicere multa arcana, quæ contigerant in locis remotissimis, quæ quo tempore indicabat, non poterant ei nisi ope Dæmonis innotuisse. Omitto alia quæ sequuntur de Ramirez, desumpta à Delrio ex actis judiciariis Toleti conscriptis. Alia exempla, ex quibus apparet, Dæmonem scientias & artes docere, partim dicta sunt in præcedentibus, partim in sequentibus dicentur. Novum non est, Dæmonem ab impiis scholaribus non uno in loco vocatum, docuisse ipsos componere carmina, & pensum scholasticum.

CAPUT XXXIII.

An Dæmon possit ac soleat dare hominibus veras pecunias, & ostendere veros thesauros absconditos.

Pecuniam veram an possit dare Dæmon.

D*Ambauderus in Prompt. morali. cap. de pecuniæ vitup.* scribit, non posse Dæmonem, etiam Deo permittente, ullam veram ac germanam pecuniæ materiam producere, nec veram formam dare. *Psellus* quoque *cap. de collat. auri & virtut.* ait, *nihil eorum quæ Diabolus promittit, ex se præstare illum posse, sed visu tantùm inania suis cultoribus præbere.* Promittit autem sæpe pecunias & thesauros, & multi quotidie spe pecuniæ ac divitiarum obtinendarum Dæmonis obsequio se tradunt; qui tamen semper egentes manent, ac pauperes, ut omnium sæculorum experientia docuit.

Ego hæc statuo. *Primò*, si DEUS permittat, posse Dæmonem veram pecuniæ materiam, aurum videlicet & argentum, producere per applicationem activorum cum passivis, quoniam arte chymicâ id fieri potest, ut suo loco videbimus. *Secundò*, Potest etiam veras pecunias, verosque thesauros dare, quoniam novit, ubi lateant in arcis, in locis subterraneis, in fundo maris, in venis terræ, aliisque in reconditoriis; potestque omnia illa aperire, pecunias ac thesauros sine impedimento eximere, de loco in locum transferre, cui vult distribuere. *Tertiò*, Dedisse aliquando aliquibus veras pecunias, quoniam exempla à probatis auctoribus relata id probant. *Quartò*, Rarissimè Dæmon veras pecunias dedit, aut veros thesauros ostendit iis, qui id petiverunt, sed ferè semper fucatas pecunias, & pro thesauris ruinam ac mortem. Id probant variæ historiæ. Ratio est, quia raròDEUS permittit; & licèt permittat, raròid Dæmon vult face-

facere; quod inde colligitur, quia videmus eum ſuos plerùmque ludificari, & vel inani ſpe, vel vanâ ſpecie decipere. Confirmant id ſequentia exempla.

§. I. Exempla quibus probatur, Dæmonem rarò dare veram pecuniam.

Pecuniam veram rarò dat Dæmon.

REmigius lib. 1. Dæmonol. cap. 4.* teſtatur, Sennel armentariam Duzæ 1. Kal. Octob. 1586, acceptâ à Dæmone, ut ſibi videbatur, pecuniâ, domum properè cum gaudio rediiſſe, ut eam numeraret; ſed excuſſo ſacco, nihil niſi teſtas & carbones reperiſſe. Item Catharinam Metenſem, Duzæ etiam, pridie Non. Novemb. 1586. ſuccerdam, ſeu ſtercus ſuillum: Claudiam Morellam Serræ 3. Non. Decemb. 1585; Benedictum Drigens Haracuriæ 18. Kal. Januarii; Dominicam Petrovinam Pangæi 13. Kal. Novemb, 1586, ac plures alios, arborum folia. Eodem teſte, *Joanna à Banno Manerii 3. Non. Jul. 1585, cùm nummum aureum chartâ involutum in via reperiſſet, uti Dæmon eventurum prædixerat, atq. eum marito cupidè oſtentaret; advertit tandem, non ſine pudore, pro auro nactam ſe calculum ferrugineum, qui etiam contactu primo facilè in fruſta diſſiliret. Una Catharina Ruffa Vallea ad Moſellam 5. Kal. Auguſt. 1587. agnoſcit, nummos ſe tres ſemel ab eo ſine fraude accepiſſe.* Hæc ex Remigio. Confirmat *Delrius lib. 2. Diſquiſit. Magic. quæſt. 12.* dicens, Dæmonem cuidam nobili matronæ Moſellanæ, quæ ob crimen ſortiarium Confluentiæ flammis tradita fuit, fiſcellam dediſſe plenam ſcutatis, ut apparebat, quæ illa repoſuit in arca; verùm cùm uti voluit, loco numiſmatum reperit fimum equinum. Fama etiam fert, eodem Delrio teſte, Fauſtum & Agrippam Magos, cùm iter facerent, ſolitos nummos ad oculum ſinceros in diverſoriis numerare; quos qui receperant, poſt pauculos dies cornuum fruſta, vel ſcruta viliſſima reperiebant.

§. II. Exempla quibus probatur, Dæmonem non dare theſauros veros.

Theſauros veros rarò dat Dæmon.

QUomodo idem veterator homines vanâ ſpe theſauros inveniendi lactet, & dum quærunt, terreat, cædat, ac ſubinde perimat; docent ſequentia exempla. *Bodinus lib. 3. Dæmonom. cap. 3.* narrat, Ogerium Ferrerium Medicum doctiſſimum, Toloſæ anno 1558, cùm ibidem Bodinus eſſet, conduxiſſe elegantes ædes ad Burſam ſitas, minimo pretio, eò quòd malignus ſpiritus inquilinos earum infeſtaret; quod ipſe tamen non plùs curabat, quàm Athenodorus olim Philoſophus, qui deſertam Athenis domum, incoliſque propter ſpiritum vacuam auſus eſt habitare. *Sed cùm illud audiviſſet, quod nunquam crediderat, non poſſe tutò adire cellam, nec quietem interdum capi; monitus, Luſitanum quendam ſtudioſum in urbe eſſe, qui res occultas in ungue pueris videndas exhibebat, fecit, ut ſtudioſus ille ſuâ arte uteretur:*

 puella

Digitized by Google

puella verò consulta, dixit: mulierem à se videri ornatam accuratißimè pretiosißimis catenis, & auro, quæ ad columnam quandam manu gestabat tædam. Itaque Lusitanus respondit Medico, ut in cella ad columnam humi curaret fodi, thesaurum ab ipso inventum iri. Gaudens medicus fodi jußit. Sed cùm thesaurum inventum propè cogitaret, exurgens turbo extinxit lucem: & spiraculo cellæ exiens, ad quatuordecim pedes pinnarum fregit in propinquis ædibus; quarum pars in prothyrum corruit, pars in cellæ spiraculum, pars in mulierem ferentem aquam, cujus hydria effracta est. Nihil postea à spiritu auditum unquam. Lusitanus postridie facta de re tota certior, thesaurum dixit à spiritu exportatum esse; mirari se, quòd Medicum non offenderit; qui post biduum mihi narravit historiam. Hæc die XV. Decemb. anno M. D. LVIII. gesta sunt: claro & sereno cælo, ut esse solet diebus Halcyoniis; & nos eodem tempore dejectas domus propinquæ pinnas, prothyrumq́ ad tabernam fractum, invisimus. Idem Bodinus loc. cit. hæc addit. *Affert Melanchthon historiam persimilem, homines decem Magdeburgi ruinâ turris oppressos esse, cùm ad thesauros, quos docuerat Satanas, reperiendos effoderent. Georgius Agricola in libro de Spiritibus* (animalibus voluit dicere) *Subterr. scribit, Annaberga in ea fodina, quæ dicitur Corona rosa, spiritum specie equi duodecim homines occidisse, & fecisse, ut fodinâ plenâ argenti cederent, quam Magi ope Satanæ repererant.* Hanc quoque historiam addit idem ibidem. *A quodam Lugdunensi accepi, qui postea in æde S. Mariæ Virginis Lutetiæ Capellanus fuit, se cum sociis magicâ arte Arcolii prope Lutetiam thesaurum retexisse: sed cùm cistam, in qua erat conditus, habere cogitarent, eam fuisse exportatam turbine; in ipsum verò labem muri corruisse, ex qua toto vitæ spatio claudicaturus est.* Item hanc aliam. *Et sacerdos Norimbergensis nuper cùm ope Satanæ thesaurum invenisset, & jamjam scrinium aperturus erat; ruinâ domus extinctus est.* Historiam hanc refert etiam *Cardanus lib. 19. de Subtilit. ex Melanchthone lib. 2. Progymn. physic.* qui ait, eam contigisse anno 1530 *cùm sacerdoti Dæmon in crystallo locum thesauri absconditi ostendisset, loco defosso, qui prope urbem* (Norimbergam) *erat, amicoq́ adhibito* (*is postmodùm historiam retulit*) *arcam cum cane nigro accubante quasi custode viderunt. Ausus ingredi sacerdos, loci ruinâ statim oppressus est.* Hæc Cardanus: qui nonnullis interjectis aliam narrat horrendam historiam ad hanc eandem materiam, de qua agimus, spectantem. Tandem idem Bodinus hanc quoq; relatu dignam adstruit historiam. *Ex Lugdunensi quoq́ Pragmatico (quem etsi magnâ voce in frequentia magna recitavit, nominari nolim) audivi, ipsum de nocte cum sociis abivisse, ut enuntiatis conjurationibus thesaurum pervestigarent. Cùmq́ cœpissent fodere, velut hominis, qui rotæ impositus in propinquo fuerat, vocem audivisse, horribiliter inclamantem, ad fures. Sic in fugam fuisse versos; malignos verò spiritus eodem momento persequentes, cecidisse ipsos ad eam usque domum, unde prodierant, & tanto strepitu eam ingressos esse, ut tonare hospes cogitaverit. Atque ex eo tempore juravit se thesauros nunquam pervestigaturum esse.*

Placet

Placet & hoc addere, quod ex *Stumphio* in Chronico Helvet. refert *Delrius* lib. 2. Disquisit. Magic. q. 12. his verbis. *Circa annum Christi 1520, Basileæ quidam sartor, ingenio simplex, voce balbus, incertum quâ arte, cryptam illam, qua Augustæ Rauracorum patet, ingressus, & ulteriùs quàm ulli alii unquam potuerant, progressus, miranda quædam spectra referebat. Cereo consecrato accenso in cryptam descendens, primo per ferream portam se transiviße ajebat; Inde ex una concameratione in aliam, atq; etiam in hortos pulcherrimos virentes. In medio aulam magnificè ornatam spectari, & virginem formosißimam pubetenus, aureo diademate caput cinctam, crinibus solutis, infernè in horridum serpentem desinentem: à qua manu ad scrinium ferreum deductus fuerit. Scrinio duos molossos nigros incubare, & terribili latratu accedentes arcere: at virginem mirabundæ similem eos compescere. Tum clavium fasce, quem collo alligatum gestaret, soluto; arcam recludere, & omnis generis munuscula, aurea, argentea, ærea depromere: quorum non pauca liberalitate Virginis ex ipsa crypta se retulisse ostendebat. Addebat, virginem narrare solitam, diris imprecationibus sese, cùm regio esset ortu stemmate, jam olim devotam, in tale monstrum mutatam fuisse; neq; aliam salutis recuperandæ rationem supereße, quàm si ab illibati pudoris adolescente ter deosculata fuisset; tunc enim formam pristinam sibi restitutum iri, & dotis nomine thesaurum omnem, qui eo loci lateret, liberatori cessurum. Affirmabat quin etiam, bis sese Virginem deosculatum; bis tam horribiles gestus in ea præ gaudio speratæ liberationis observaße, ut sibi nè vivus ab ea discerperetur, metuendum fuerit. A quibusdam nepotibus in ganeum deductus, nunquam postea aditum ad cryptam invenire potuit, ne dum ingredi.* Omnia hæc aut fabulam aut falsitatem spirant, aut Dæmonis fraudem, volentis illibati pudoris adolescentem perducere in ruinam. Addit idem *Delrius* ex eodem *Stumphio*, & ex *Rhena. lib. 3. German.* post annos aliquot alium civem Basileensem eam cryptam ingressum, ut familiæ suæ paupertatem levaret, nihil præter cadaverum humanorum ossa invenisse; subitò correptum horrore, festinum egressum, intemperiis actum fuisse, donec tertiâ pôst die miserè interiit.

Delrius loc. cit. ex *Vallamentio lib. 1. Itinerarii sui c. 23.* ait, *paucos ante annos quidam Prior Margullinæ cum duobus sociis fossam quandam in spelunca Regis Salai prope Puteolos thesaurorum causâ ingressus, miserè interiit, nec ampliùs visus.* Scribit etiam *Andreas Cæsalpinus in Dæmon. investigat. c. 12.* thesaurorũ quidem indagatores per magicas artes se multos novisse, sed qui assecuti fuerint, neminem. Pisis tentavisse quendam suis temporibus effodere, sed rei difficultate victum ab opere cessasse. Tandem locum, in quo Neronis ædificia extitisse ferunt, hodie autem sacris Virginib. dicatum, effodere cœpisse, ubi erat ingens pini arbor: sed à Dæmonib. adeo infestatos fuisse, ut præ timore ab incepto desistere coacti fuerint; eoq; tempore multas ex sacris Virginibus locum habitantibus à Dæmone obsessas fuisse. Utrique quia hanc thesauri illicitam scrutationem in suo solo fieri permiserant.

Thesauros quærentes à Dæmone puniti.

Ex

Digitized by Google

Ex his, aliisque innumeris exemplis, quæ passim occurrunt, patet, quàm rarò, vel potiùs quàm nunquam illi, qui magicis artibus, & Dæmonis ope confisi, thesauros quærunt, veros thesauros inveniant. Ratio, ut suprà innui, est, quia Deus non permittit, ut Dæmon thesauros magis ac necromantis elargiatur, nè spe illecti multi ex Christi fidelibus, fidem postponant, & Dæmoni sese devoveant. Addunt aliqui, Dæmones non velle thesauros absconditos suis nunc manifestare, aut elargiri, sed in Antichristi adventum reservare; cui profusissimè illos communicabunt.

CAPUT XXXIV.

An Dæmones possint excitare pluvias, grandines, fulgura, tonitrua, aliaq; similia meteorologica, sive per se, sive per Magos.

Meteorologicas impressiones posse excitare Dæmones, negant aliqui; alii communiter affirmant.

PEr Magos id fieri posse, negavit olim *Seneca lib. 4. Natur. qq.* Causam nullam adsignat, sed solùm dicit, quòd horum *nihil posse fieri, tam palàm est, ut hujus rei causâ nullius Philosophi schola intranda sit.* Idem negant recentiorum aliqui cum Wiero, causam adsignantes, quòd ab homine nè una quidem aquæ gutta produci possit. Concedit tamen *VVierus lib. 3. de Præstig. Dæmon. cap. 16.* posse id facere Dæmonem Deo permittente. *Ulricus Molitor* nè Dæmoni quidem hanc concedit potestatem, sed putat, quòd quando prævidet futuram ex causis naturalibus tempestatem, tunc sagas impellat ad faciendum ea, quæ procurandæ tempestati facere consueverunt, à Dæmone edoctæ. In eadem sententia est *VVierus loc. cit.* ait enim: *Singulari insuper ratione in aëre concitando illuduntur hæ aniculæ à Diabolo, qui simul atq; ex elementorum motu, & Naturæ cursu, citiùs faciliusq; quàm homines, mutationem aëris, & tempestatem fore prævidet, vel alicui infligendam ex abstrusa Dei voluntate plagam, cujus ipsum spectet executio, intelligit; tunc harum mulierculorum mentes agitat, variisq; imbuit imaginibus, & suggestione multiplici, quasi ob invidiam in proximum, vel ob vindictam adversus inimicum sint aërem turbatura, tempestates excitatura, & provocatura grandines. Itaq; eas instruit, ut quandoq; silices post tergum occidentem versus projiciant; aliquando ut arenam aquæ torrentis in aërem conjiciant; plerumq; scopam in aqua intingant, cœlumq; versus spargant; vel fossulâ factâ, & lotio infuso, vel aquâ, digitum moveant; subinde in olla porcorum pilos bulliant; nonnunquam trabes vel ligna in ripa transversè collocent, & alia id genus deliramenta efficiant. Atq; ut arctiùs eas Satan illaqueet, diem & horam sibi dictis rationibus notas præfigit. Cùm verò successum hæ vident, nimirum quascunq; desideratas in aëre turbationes; magis confirmantur, quasi eventus hic subsequatur ipsarum operationem, quâ nè aqua quidem stillam elicere possent.*

Com-

Digitized by Google

Communis & omnino ſequenda ſententia eſt, Dæmones nihil horum poſſe facere, nec per ſe, nec per Magos, Deo non permittente; poſſe illa omnia, permittente DEO. Conſtat id primò ex ſacra Scriptura *Job. cap. 1. 2.* quem locum ſuprà cap. 17. adduximus. Grandinem quoque, quâ Ægyptii puniti, expreſsè dicit *Pſal. 77.* immiſſam fuiſſe per angelos malos. Quatuor Angelos, quos vidit S. Joannes *Apoc. 7. ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, nè flarent ſuper terram, neq; ſuper mare, neq; in ullam arborem*, ut ſic damna inferrent maxima hominibus; pleriquè SS. PP. & Interpretum dicunt eſſe Angelos malos. Ideo etiam Dæmones ab Apoſtolo Paulo vocantur *aëreæ poteſtates*, & *principes aëris hujus*, quòd magnam habeant in aëra poteſtatem.

Meteorologicas impreſſiones poſſe efficere Dæmones, confirmatur variis hiſtoriis.

Idem conſtat ſecundo ex variis hiſtoriis & exemplis, antiquis & recentibus, id confirmantibus. De Finnis & Lapponibus ſcribit *Olaus Magnus lib. 3. cap. 16.* eos olim mercatoribus ventos venales exhibuiſſe, tres nodos magicâ arte cõſecratos illis tradẽdo, quorum primo ſoluto placidos ventos, ſecundo vehementiores, tertio vehementiſſimos eſſent habituri, ut ſuprà etiam cap. 19. retulimus. Teſte *Victorio lib. 19. variar. lect. cap. 21.* olim Ariſtæus docuit incolas Cycladum, certis ritibus ac hoſtiis eteſias æſtivo tempore elicere, & ſic ſuavi frigore ſquallorem & ſterilitatem ab agris arcere. De pluviis cœlo devocatis per Magos ſcribunt *Pauſanias in Arcad. Caſſius lib. 56. Xiphil. in Annot.* & alii. De noſtri temporis ſtrigibus grandines excitantibus *Remigius lib. 1. Dæmonol. cap. 25.* ſic ſcribit. *Hoc certè memini teſtatum liberâ & ſpontaneâ aſſertione plùs minùs ducentorum hominum, qui me duumviro damnante incendio crimen ſortilegii luerunt; ſtatis certisq; diebus ſolitos ſe convenire gregatim ad ripam vel ſtagni, vel rivuli alicujus, maximèq; ſi quis eſſet, quem ſolitudo à prætereuntium oculis ſepoſitum haberet: atq; illic aquas, acceptâ à Dæmone virgâ, tantiſper diverberare, dum vapores fumosq; abundè excitarent, quibuscum unà ſublimes efferrentur. Illud deinde, quod ſic eſſet excitatum, ſe in nubes denſas ac caliginoſas induere: quod, poſtquàm unà cum Dæmonibus ei eſſent involuti, agerent pellerentq; quà erat libitum, ac tandem multâ præcipitatum grandine in terras decuterent.* Addit Remigius, ſagas aliquando, antequam diverberent undam, in illam mittere ollam fictilem, cui aliquid arcanum Dæmonincluſerit; vel etiam lapides tantæ magnitudinis, quantam vellent grandinem decidere: interdum candelas inverſas ſuper ſtagnum tenere, donec guttæ defluant: aliàs pulverem medicatum in aquas ſpargere: ut plurimùm uti ad diverberandam aquam virgis nigris à Dæmone datis. Alii aliis utuntur ritibus ac ceremoniis, cum Dæmone ex pacto convento, quibus poſitis ipſe tempeſtates ciet, aut pluvias ac grandines deturbat, modis tamen naturæ vires non excedentibus, applicando activa paſſivis.

Indi Cianitæ, ut refert *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic.* quæst. XI. ex literis anno 1590, & 1591 ex Peruvia scriptis, pluviam hoc ridiculo, superstitioso tamen, modo procurant. *Quando pluvia indigent, Magus quispiam magnâ vocis contentione, & acceleratione clamat, ut omnes ad montem concedant: quò postquàm pervenerunt, ut quilibet consueto more à cibis abstineat. Est autem eorum hoc jejunium, ut à sale, pipere, cibis coctis se contineant. Quod ubi factum est, voce intensâ & clamore summo stellas invocant, aquamq; precantur, & ad terras castellumque paganum sese vertunt, potionem quandam manibus tenent; quam ubi nobilis alicujus adolescentula manu porrectam ebiberint, ita à sensibus abducuntur, mentisq; impotes fiunt, ut mortui videantur. Sed ubi in se redierunt, mel aquâ & maizo miscent; quibus permixtis, nubes aspergunt. Die sequenti nobilem aliquē aut conspicuum & venerabundum quendam senem in lectum deponunt, subjecto lento igne; atq; ubi sudare cœperit, sudorem vase excipit Magus, anserino sanguini admiscet, atq; ex radice expressa aqua: rursum in aëra jactat, nubes ut tingat, rogans per sudorem, sanguinem, & aquam, ut desideratam pluviam largiantur. Quòd si casu eâ die, quâ sunt superstitiosi, pluat, gratias agūt stellis, Magumq; multis muneribus ornatum efferunt.* Fiunt hæc utiq; vi pacti cum Dæmone initi; qui tamen populos illos sæpe fallit, quia pluvia in commune bonum cedit.

In libro Inquisitorum quinque lib. 4. de Malefic. dicitur, (ait Bodinus lib. 2. cap. 8.) *Anno 1488. in Constantiensi diœcesi procellas, grandines, fulmina, & tempestates extitisse, quæ proventum terræ per milliaria quatuor afflixerunt. Rusticis autem omnibus in Magas invehentibus, comprehensæ fuerunt duæ, Anna de Mindelen, & Agnes: quæ primò inficiatæ, cùm ad quæstionem raperentur, confessæ sunt seorsim, se uno die in agrum cum paucula aqua processisse; & quamvis altera consilium nesciret alterius, effodisse scrobem, & sub meridiem aquam scrobi injectam conturbasse, adhibitis quibusdam verbis (quæ satiùs fuerit ignorari) diabolum invocantes. His gestis, simul ac reverti essent domum, procellam extitisse. Hæ incendio perierunt vivæ.* Ex eodem libro idem Bodinus refert de saga quadam Constantiensi, *quæ cùm videret, omnes sui pagi incolas in nuptiis convivari, & saltare; ægrè ferens, quòd non fuisset eò vocata, se per Diabolum clarâ luce, spectantibus pastoribus, curavit in collem exportari propinquum pago: & quia aquam non habebat, quam in scrobem à se effossam injiceret, ut cieret tempestatem (nam hunc ritum fassa est observari) emisit lotium, & illud in scrobe movens sermones quosdam pronuntiavit. Mox cœlo, quod sudum serenumq; fuerat, obscurato, grando vehementissima solummodò in pagum & in saltantes irruit, saga verò in pagum reversa est. Eâ itaq; visâ, tempestatem ab ipsa accitam fuisse crediderunt omnes, eâq; captâ pastores pro testimonio dixerunt, se vidisse, cùm in aëre transveheretur: quod illa accusata, evictaq; agnovit, & viva igni fuit tradita.*

Huic non absimile est sequens exemplum, quod Delrius narrat loc. cit. his verbis. *In ditione Trevirensi rusticus fuit, qui cum filiola sua octenni caulis plan-*

Digitized by Google

plantabat in horto: filiolam fortè collaudavit rusticus, quòd aptè hoc munus obiret: illa, sexu & ætate garrula, se nosse alia facere, magis stupenda, jactat: pater quid id foret, sciscitatur: secede paululùm, inquit, & in quam voles horti partem subitum imbrem dabo: miratus ille; age, secedam, ait: quo recedente, scrobem puella fodit, in eam de pedibus (ut cum Hebræis loquar) pudentibus aquam fundit, eamque baculo turbidat, nescio quid submurmurans. Et ecce tibi, subitò pluviam de nubibus in condictum locum. Quis, inquit obstupefactus pater, te hoc docuit? Mater, respondet, hujus & aliorum similium peritissima. Zelo incitatus agricola, post paucos dies, invitatum se ad nuptias simulans, uxorem cum gnata, festivè nuptiali modo exornatas, in currum imponit, in vicinum oppidum devehit, & judici tradit, maleficii crimen supplicio expiaturas. Hoc mihi fide dignissimorum virorum narratio suggestit.

Tempestates excitatæ à Dæmonibus.

Dum hæc scribo, & cum viris doctis de similibus rebus colloquor, audio à viro religioso, erudito, & fide dignissimo, sequentem mirabilem, & proprio atque alieno experimento comprobatam historiam. Quam & alii postmodum confirmârunt, & eo in loco, ubi contingere solet, passim notam esse asseruerunt. In Badensi Marchionatu, Germaniæ regione, quatuor horis ab urbe Badena lacus est exiguus, adeo à spectris nocturnis infestus, ut nemo habitare propè quietè queat; adeo pestiferis aquis scatens, ut qui illâ tingitur, scabie confestim repleatur. In hunc lacum, si quis lapidem, terram, vel aliud quidpiam injicit, sine mora cœlum nubibus, ventis, imbre, & sævâ tempestate turbatur, non sine circumjacentium agrorum atq; camporum strage. Audierant hoc Badensis Collegii Societatis JESU Religiosi, nec tamen credebant, sed anilium fabularum loco habebant. Duo tamen ut rei tam mirabilis experimentum caperent, die quodam animi gratiâ eò se conferunt, & inter jocos ac risus certatim lapides injiciunt. Dies erat serena, & cœlum sudũ. Adhuc lusus tenebat, cùm ecce vapor instar nebulæ è lacu assurgit, densatur in nubem, obducit cœlum; & mox tam ingens imber ac ventus exoritur, ut socii ab invicem disjecti, & largissimâ pluviâ perfusi, vix tandem per avia ac devia sejuncti redierint domũ, luculenti rei antea non creditæ testes. Nec tamen fidem inveniunt apud omnes domesticos, existimantes casu è causis naturalibus exortam tempestatem. Nihilominùs ut proprio etiam experimento deprehenderet, si fortassis res ita se haberet, ut narrabatur, vir ille, de quo loquebar initio, assumptis secum ex urbe viris aliquot primariis, eò etiam se confert. Habebant canem aquaticum, qui nullis invitamentis aut minis adduci poterat, ut lacũ ingrederetur; & quoties propiùs accedebat, cum ejulatu revertebatur. Violenter tandem injiciunt canem circumstantes; sed ac si in ferventem conjectus fuisset aquam, cum ejulatu ingenti properè se inde proripiebat. Injectis dein priùs ceræ benedictæ fragmentis aliquot, insultant Dæmoni, & magno etiam numero inter jocos ac risus, uti priores, lapides & glebas

injiciunt; sed nullum effectum experiuntur, cùm horas aliquot in vicinis campis insumpsissent. Læti ergo domum redeunt, & fabulosum esse, quod sparsum antea & creditum fuerat, edicunt. Nocte subsequenti exoritur tempestas, & nimbus procellosus, qui mensem integrum duravit; & ab oppidanis ac paganis omnibus creditum constantissimè fuit, Diaboli operâ, & culpâ illorum, quos dixi, exortum: unde magnum odium apud omnes incurrerunt, nec dubitârunt ampliùs, cacodæmonis ope cieri pluvias, & excitari posse tempestates.

Anno 1626, Biburgi in Bavaria, non procul Ingolstadio, molitoris uxor, ob exactum debitum quoddam Patribus nostris offensa, id maximè invita tradidit, cum dicto: faxo ut hoc carò ipsis constet. Quare cùm die quodam nonnulli è Societate nostra Religiosi Ingolstadium Biburgo, quò animi relaxandi gratiâ paulò antè concesserant, redirent; horrenda illos tempestas excepit, simulque eliso fulmine, tres ex ipsis prostravit: & duos quidem, qui cruce Hispanicâ seu Caravacensi armati non fuerant, actutum extinxit; tertius verò ad se rediit, atq; etiamnum, dum hæc scribo, superstes, fulminis vestigia in pectore monstrat; quæ & alii inspexêre, & relata ab ipsomet acceperunt.

Tempestates à magis excitatæ.

Adhuc unum addo, non minùs impium atque horrendum exemplum, quàm verum, quod ex *Joviniano Pontano lib. 5. Belli Neapolit.* narrant Delrius & Bodinus locis suprà citatis. *Ferdinandus Neapolitanorum Rex Marcos oppidum, arci montis Draconis ad Masficorum montium exitum sita subjectum, Andegavensium factioni favens, arctâ obsidione premebat, & defectu aquarum prope ad deditionem compulerat: cùm quidam impii sacerdotes magicis artibus imbres elicere ausi sunt. Inventi enim ex oppidanis atque obsessis sunt, qui nocturnis tenebris, deceptis castrorum vigiliis, per asperrimas rupes furtim profecti ad littus, trahentes secum imaginem affixi ad crucem Christi, maledictis illam priùs ac diro prosecuti carmine, pòst in mare execrabundi immiserint; cælo, mari, terriq; tempestatem imprecati. Quo etiam tempore sacerdotes quidam mortalium omnium scelestissimi, dum satisfacere profanis militum artibus student, ritum nefarium secuti (quo, ut dictum, in hujusmodi elici imbres putantur) asino pro ædis foribus constituto, tanquam agenti animam, cecinêre funestum carmen; pòst divinâ Eucharistiâ in illius os palatumq; injectâ, conclamatum asinum funereis cantibus, vivum tandem ibidem pro templi foribus humavêre. Hic verò vix dum perfecto sacro, obnubescere aër, ac mare agitari ventis cùm cœpisset, diesq; medius effundi tenebris, ac nunc cœlum micaret ignibus, nunc lux eriperetur, tonitru cœlum terraq; horrescerent, volitarent evulsa ventis arbores, discissaq; fulminibus saxa complerent auras fragoribus: prorupit tanta è nimbis pluvia, imbresq; tam validi, ut non cisterna modò colligendis aquis satis non essent, sed arentia saxa, rupesq; exusta solibus, torrentes undequaque prolapsos diffunderent. Ita Rex, qui sola in siti potiundi oppidi spem collocaverat, frustra ab ea habitus, ad Savonem vetera in castra rediit.* Similes impii ac superstitiosi ritus ad commoda

moda anni tempora impetranda, viguêre hactenus adhuc in aliquibus Germaniæ & Aquitaniæ locis, dum S. Urbani aut S. Martini statuam ac flumen abreptam populus aquis immergeret. Hic ipse mos non ita pridem è primaria quadam urbe Germaniæ, Ecclesiastæ cujusdam è suggestu contra illum detonantis, operâ fuit sublatus.

Ex dictis hactenus patet, & posse, & solere Dæmonem, per se, & per Magos, pluvias, ventos, ac tempestates ciere. Non nego, solere Diabolum aliquando, dum prævidet è causis naturalibus futuram pluviam, suos instigare, ut ritus ex pacto constitutos adhibeant, illisque sic persuadeat suâ id operâ contingere. Sed nego id semper contingere: constat enim, posse Magos, quoties & ubi collibitum fuerit, & DEUS permiserit, similia efficere.

Lacui Badensi, de quo paulò antè, similis omninò dicitur esse lacus, qui est in monte Pilati, ut vocant, prope Lucernam Helvetiorum nobilem civitatem. Rem multis describit *Vadianus* Pomponii Melæ Commentator, qui montem non sine labore maximo conscendit, & lacum adiit, ac lustravit; sed nè accolis tempestatem ac damnum crearet, nihil injicere fuit ausus. At *Gretserus* testatur, novisse se quendam sibi familiarissimum, suorumque studiorum adjutorem, P. Ferdinandum Credelium, qui cùm Lucernæ degeret, lacum quoq; adiit, & non modò unum alterumvè lapillum, sed plures etiam grandiores lapides injecit, nullo prorsus ullius concitatæ tempestatis indicio, sed cœlo, ut antea, sereno; ita ut vulgaris opinio credentium ingentes vel ad minimi lapilli de industria injectionem tempestates sine mora cieri, non tàm veritate, quàm traditione imperitæ multitudinis niti videatur. Ante annos complures, cùm juvenis Lucernam transirem, multa quidem de monte in conspectu posito audivi, at nihil de lacus miraculo intellexisse ab indigenis me memini.

CAPUT XXXV.

An Dæmon possit in homine causare exstasin seu raptum.

EXstasin seu raptum hîc appello, quando homo ita extra se velut rapitur, ut sequatur justitium in omnibus externis sensibus, ac vel nihil omnino, vel valde tenuiter videat, audiat, sentiat, imò ambiguum quandoq; sit, an vita superstes sit; solis interim internis potētiis operationes suas exercentibus. Fit exstasis plerùmque supernaturaliter, quando personæ eximiæ virtutis ac sanctitatis, cœlestium rerum contemplationi incumbentes, aut etiam extra orationem, à DEO extra se, & supra creata omnia, rapiuntur, cognitioneque & amore DEO uniuntur. Potest tamen, ac solet subinde naturaliter contingere exstasis, in personis præsertim intenso studio deditis, quando nimirum ob contentissimam phantasiationem & cogni-

Exstasis quid sit.

Exstasis contingere potest naturaliter.

Digitized by Google

cognitionem, nimiamque interni sensus ac intellectus applicationem, spiritus insumpti, non possunt ad externas operationes sufficere: tunc enim necesse est, animam quoad illas feriari, nisi de ea contentione aliquid remittat, cessetq; intercludere spiritibus aditum ad cætera sensoria.

Ex his jam constat, posse Dæmonem in homine efficere exstasin seu raptum, ligando sensus exteriores adeo, ut exanimi similis permaneat. Potest id duobus modis facere: primò, si vias obstruat, quibus à cerebro spiritus ad sensationes externas necessarii deferri solent ad externorum sensuum organa; prout contingit in dormientibus: secundò, si eosdem spiritus ab exterioribus sensibus ad internorum sensuum organa attrahat, ibique retineat, nè ad exteriorum sensuum organa descendant. Interim dum hæc contingunt, & raptum hujusmodi patientis corpus vivũ cadaveris instar mortui jacet, potest Dæmon phãtasiæ & intellectui varias objicere formas, ut putet homo se verè ibi esse; ubi non est; & verè agere aut pati, quæ nec agit, nec patitur. Et tales sunt exstases seu raptus sagarum, ac Magorũ.

Exstasin procurare potest Dæmon.

Exempla multa suppetunt. *Olaus Magnus lib. 3. c. 18.* historiæ suæ narrat de Magis Lappis sequentia. *Si quis peregrinus cupiat de suorum conditione certi quid cognoscere, præstant, ut intra viginti quatuor horarum spatium resciscat, quid cum illis agatur, si vel trecentis milliaribus absint; hoc modo. Incantator postquàm usitatis ceremoniis Deos suos compellavit, subitò collabitur, & exanimatur, quasi extincto illo revera excedat à corpore anima. Neq; enim aut spiritus in eo reliquus esse, aut restare cum vita sensus aliquis, aut motus videtur. Sed ut adsint semper aliqui oportet, qui projectum & exanime corpus custodiant: quod cùm non fit, dæmones id abripiunt. Horis 24. elapsis, revertente spiritu ceu è profundo somno, cũ gemitu expergiscitur exanime corpus, quasi revocetur in vitam ex morte, qui conciderat. Postea sic restitutus ad interrogata respondet: & ut fidem faciat percontatori, recenset aliquid, quod agnoscat ille, & certò sciat, in ædibus suis aut cognatorum suisse.* Hactenus *Olaus* apud *apud Delrium lib. 2. Disq. Magic. q. 25.* Historiam tamen narrat Olaus *cap. 17.* & aliis verbis.

Exstasis diabolicæ varia exempla.

De lamiæ cujusdam vetulæ raptu hæc narrat *Jo. Bapt. Porta lib. 2.* ex quatuor, quos juvenis scripsit de Magia Naturali cap. 26. testis oculatus. *Dum hæc pensiculatiùs perquirẽdo, operam navarem (ancipiti enim immorabar judicio) incidit mihi in manus vetula quadã, quas à strigis avis nocturnæ similitudine striges vocant, quæq; noctu puerulorum sanguinem è cunis absorbent; sponte pollicita, brevi mihi temporis spatio allaturam responsa. Jubet omnes foràs egredi, qui mecum erant acciti testes: spoliis nudata tota se unguento quodam valde perfricuit, nobis è portæ rimulis conspicua. Sic soporiferorum vi succorum cecidit, profundoq; occubuit somno. Fores ipsi patefacimus; multùm vapulat, tantaq; vis soporis fuit, ut sensum eriperet. Ad locũ foràs redimus. Jam medelæ vires fatiscunt, flaccescuntq;. A somno sevocata, multa incipit fari deliria; se maria montesq; transmeasse; falsaq; depromẽs responsa. Negamus; instat: livorem ostendimus; pertinaciter resistit magis &c.*

Exstasis cujusdam sagæ.

Talos

Digitized by Google

Tales sæpe sunt raptus Magorum ac sagarum, putantium se corporaliter præsentes fuisse conventiculis nocturnis, ibiq; hilariter vixisse; cùm tamen nil nisi somnia habuerint. *Bodinus lib. 2. Dæmonol. cap. 5.* existimat, hac arte diabolum illos potissimùm decipere, qui cùm illustris sunt familiæ, aut magnæ auctoritatis, non audent corporaliter in sagarum conventiculis comparere, metu nè ab aliis cognoscantur, ac prodantur. Idem *Bodinus ibidem* testatur, se à Turettano Præside audivisse, *Magam à se in Delphinatu visam, quæ viva fuit concremata. Hanc ergo cubantem ad ignem, manente domi corpore, in exstasin abreptam esse; & quia nihil intelligebat, gravissimis virgæ ictibus ab hero percussam; tum etiam ut viderēt, an de hac vita discessisset, ignem partibus, quæ maximè valent sensu, fuisse subjectum, nec propterea evigilasse. Eam itaq; jacentem, ab hero heraq;, mortuā esse existimantibus, ibi derelictam esse: manè jacentē in lecto inventam. Quod cùm miratus herus, quæsivisset, quid rei contigisset ipsi, exclamantē suo sermone dixisse: Ah here, quàm verberasti me! Id hero apud vicinos narrante, aliquem dixisse; Saga est: ideoq; non destitisse herū, donec illa rem fassa, indicavisset se animo cœtum Magorū adivisse. Sic alia insuper scelera, quæ perpetraverat, agnovit, & igni fuit tradita.* Aliam historiam idem Bodinus narrat, auditam à quodam Comite, qui interfuerat rei. Anno 1571, cùm apud Burdegalenses in Magos Galliæ instituta esset persecutio, *vetula quædam Burdegalensis Maga apud Judices confessa est, se cum aliis per hebdomadas singulas fuisse exportatā, ubi magnus hircus aderat, quo auctore abnegabant Deum, se diabolo servituras spondebant singuli pudenda illius osculabantur; & post saltationes, pulveres accipiebat quisq;. Tum D. Belotus, libellorum supplicum Magister, dicente Magâ, se nihil posse, nisi è carcere educta esset; volens rei veritatem explorare, eam educi jussit. Et illa cū se nudam certo adipe inunxisset, velut mortua expersq; sensus corruit; deinde post horas quinq; reversa, exsurgēsq; permulta narravit, quæ variis in locis ita se habere, ut dixerat, comperta fuit.* Rectè ergo Sprengerus Inquisitor, qui de plurimis sagis quæstionem habuit, scribit, eas fateri, se, cùm visum est, spiritu abripi; sin aliter videatur, etiam corpore. Confirmat hoc Bodinus alio exemplo Magorum septē, quod anno 1549 apud Nannetas se didicisse ait. *Cùm igitur*, inquit, *isti coram multis se indicaturos recepissent ante horam, quid per milliaria decem in ambitum ageretur, exanimes conciderunt illicò, & tres horas defecti animo jacuerunt: postea exsurgentes renuntiaverunt, quidquid in toto Nannetum oppido, & ambitu longiore perceperant, locis, factis, & hominibus observatis. Quæ omnia statim comperta sunt. Itaq; omnes isti accusati, & maleficiorum multorum comperti, ad ignem fuerunt damnati.*

Exstasin passa saga, putat se interfuisse cœtui nocturno sagarum.

Hæc & multa alia habet Bodinus de Magorum exstasi seu raptu. Sed errat in eo, & graviter, quòd censet, in hujusmodi exstasi animam revera migrare & deserere ipsū corpus, & aliis in locis interea versari separatā. In eodē errore videtur fuisse *Plato lib. 10. de Republ.* ubi dicit, *Heru Armeniū, genere Pam-*

Exstasin patientes non vagantur animâ extra corpus.

Pamphylum, cùm inter cadavera cæsorum in prælio decem diebus jacuisset mortuus, domum relatum: secundo pòst die cùm esset imponendus rogo, revixisse, ac prodigiosa quædam narrasse, quæ illo tempore apud inferos vidisset. Hoc idem sentit *Agrippa lib. 3. Philos. Occul.* cap. 50. eamq; sententiam attribuit Platoni. *Raptus* inquit, *est abstractio, & alienatio, & illustratio animæ, à Deo proveniens, per quē Deus animam à superis delapsam ad infera, rursus ab inferis retrahit ad superiora. Hujus causa est in nobis continua cōtemplatio sublimiorū; quæ quatenus profundissimâ mentis intentione animum corporeæ sapientiæ conjungit, eatenus vehementioribus suis agitationibus ipsum à sensibilibus corpore separat, & (ut inquit Plato) taliter quandoq;, quòd nunquā corpus ipsum vel effugiat, & quasi a.. olvi videatur.* Et quamvis de raptu divino loquatur, idem tamen dicere de diabolico, patet ex exemplis, quæ affert, dicens: *Sic legimus Hermetem, Socratem, Xenocratem, Platonem, Plotinum, Heraclitum, Pythagoram, & Zoroastrem, raptu solitos sevocari, atque sic multarum rerum ediscere sapientiam. Legimus etiam apud Herodotum, fuisse in Proconneso Philosophum mirifica scientia, Atheum nomine, ejusque animam quandoque corpus exire, ac post visa longinqua spatia, rursus in corpus redire doctiorem. Idem tradit Plinius consuevisse animam Harmonis Clazomenii, eamque relicto corpore vagari solitam; multa quoque ac vera è longinquo nuntiare.* Addit deinde id, quod suprà ex Olao retulimus de Magis Septentrionalibus. Addit & alia, à vera philosophia non solùm aliena, sed prorsus stolida.

Non separatur anima in raptu seu exstasi à corpore, quia hoc sine hominis morte fieri nequit, quæ nihil aliud est, quàm separatio animę à corpore. Si ergò verè separatur anima à corpore, verè moritur. Quis ergo eam iterum reducit ad corpus? Certè hoc facere nisi virtus divina nequit. Nobiscum sentiunt Sancti Patres, Theologi, ac Philosophi, quorum nonnullos adducit, & sequitur *Delrius lib. 2. Disquis. Magic. q. 25.*

Cardanus de se fatetur *in Genit. sua*, potuisse se naturali suâ virtute, quoties collibitum fuisset, rapi extra se, & exstasin pati. Sed neq; Bodinus, neq; Delrius hoc credit; nec ulli facilè persuaderi poterit. Itaque existimant, Diaboli id operâ, ex pacto inito, fuisse peractum; nec dubitat Bodinus asserere loco antea citato, Cardanum Magum fuisse, & magiam à patre suo didicisse, quem scribit multis annis habuisse spiritum familiarem, ut infrà videbimus cap. 37.

CAPUT XXXVI.

An Dæmon possit facere ut bruta animalia & homines reviviscant.

Bruta animalia quod spectat, ea sunt vel imperfecta, & ex putrida materia etiam nasci solita; vel perfecta, & non nisi ex semine per commixtionem maris ac fœminæ produci possunt.

§. I. Ani-

§. I. Animalia imperfecta poteſt dæmon vivificare.

PRimi generis animalia poteſt dæmon facere, ut reviviſcant, ſeu anima verè exceſſerit è corpore, ſeu tantùm ſopita quaſi atq; ſepulta in corpore deliteſcat. Ratio eſt, quia in utroque caſu Naturæ viribus reviviſcere poſſunt ac ſolent talia animalia; ergo dæmon, applicando activa paſſivis, facere idem poterit. Sic videmus, muſcas in aquis ſubmerſas ac mortuas, ut apparet, naturaliter reviviſcere, ſi in cineribus tepidis ponantur, ut non ſemel probatum fuit. Sic apes etiam ſubmerſæ, aut aliter mortuæ, ut apparet, ita tamen ut omnia corporis & ſenſuum organa maneant integra (quod etiam de muſcis intelligendum) ſi ſucco nepetæ perfunduntur, reviviſcunt. Anguillæ defectu aquæ mortuæ, ſi integræ injiciantur in acetum, & permiſceatur ſanguis vulturis, & ſub fimo recondantur; intra paucos dies vitæ reſtitui dicuntur. Veſpertiliones, mures, muſcæ, aliaq; ſimilia animalcula, per hyemem quaſi mortua deliteſcunt, redeunte calore veris aut æſtatis reviviſcunt.

Vivificare poteſt dæmon animalia imperfecta.

Animalia imperfecta reviviſcunt naturaliter.

In neutro tamen dictorum caſuum dæmon dici poteſt reſuſcitare prædicta animalia, propriè loquendo: nam ad reſuſcitationem hanc requiritur, ut eadem numero anima, quæ antea corpus animabat, eidem corpori reſtituatur, ut in hominis reſurrectione fit: at in dictis caſibus vel anima non exceſſit è corpore, ſed tantùm conſopita eſt; vel ſi exceſſerat, non redit, ſed alia è potentia materiæ educitur, applicante dæmone activa paſſivis. Lege, quæ diximus ſuprà cap. 20.

§. II. Animalia perfecta non poteſt dæmon vivificare.

SEcundi generis animalia non poteſt dæmon vivificare. Ratio eſt, quia naturaliter nunquam videmus talia animalia produci niſi ſeminali virtute concurrente; quæ virtus dependet ab anima informante; patris quidem, dum ſemen decidit; matris verò, & dum decidit ſuum (ſi requiritur,) & dum patris ſuſceptum fovet. Cùm igitur dæmon non poſſit eſſe forma informans, non poterit talia animalia producere, multò minùs deſtructâ jam per mortem animâ, aliam in priori corpore producere.

Vivificare non poteſt dæmon animalia perfecta.

Dicunt, qui contrarium ſentiunt, pellicanum pullos mortuos revocare ad vitam proprio ſanguine: leonem & muſtellam catulos defunctos ſpiritu ſeu afflatu & voce vivificare. De paſſere vicilino, qui juxta Mexicum invenitur, hæc ſcribit *Cardanus lib. 7. Variet. c. 36. Hic ape magnâ haud major eſt, ſeu crabrone; plumâ tamen veſtitur, ut par eſt, tenuiſſimâ, roſtro longo, & gracili: alitur rore ac melle, & florum ſuccis. Octobri menſe, uno pede annixus ramunſculo hæret uſq; ad Aprilem, loco tecto, atq; ita mortuus veluti jacet: cùm redeunt flores, reviviſcit, atq; ea de cauſa paſſerem vivificatum appellant.* Idem tradit

Paſſer vicilinus Mexicanus.

R Franc.

Franc.Comara cap.23.Histor.Mexic. De glire dissecto, qui antea mortuus videbatur, narrat *Agrippa lib. 1. Philos. Occulta cap.58.* dissectum mansisse immobilem, *donèc coqueretur; atq; tunc primùm in bullienti aqua dissecta membra vitam monstrasse.* Respondeo, talia animalia, quæ reviviscere videntur, non esse penitus mortua, sed mortuis tantùm similia, quia somno sepulta sunt.

§. III. Hominem non potest dæmon resuscitare nec aliter verè vivificare.

Vivificare non potest hominem dæmon.

EX dictis §. præcedenti constat, multò minùs dæmonem posse resuscitare aut vivificare hominem : nam nec priorem animam potest reducere in corpus, nec aliam introducere; ergo &c. Non primum, quia naturaliter à privatione totali & perfecta ad habitum non datur regressus, ut cū Aristotele tenet tota philosophia. Nec primum & secundum simul, quia anima non unitur corpori naturaliter, nisi quando exigentibus dispositionibus corporis creatur atq; infunditur anima. Cùm igitur dæmon non possit creare animam, constat secundum; & cùm corpus quantumvis dispositum (dato, non concesso, quòd dæmon possit illud disponere) non exigat priorem animam, constat etiam primum. Posset quidem diabolus fortassis, si Deus permitteret, cogere animam damnatam, ut corpus à se derelictum, aut aliud cadaver ingrederetur, & illud moveret, & actiones velut vitales in illo ac per illud exerceret: sed non potest facere, ut illud iterum informaret; quo casū non esset homo resuscitatus, nec vivificatus.

§. IV. Proponuntur rationes & experientiæ in contrarium.

Resuscitatorum hominum, ut apparebat, exempla.

SOlvendæ nunc sunt rationes & experientiæ quæ in contrarium afferri solent. Eas *Agrippa* lo. supra cit. proponit his verbis. *Conveniunt Philosophi Arabes, quòd aliqui homines possunt se elevare supra vires corporis, & supra vires sensitivas, illisq; supertatis perfectione cœli & Intelligentiarum divinum in se recipere vigorem. Cùm itaq; animæ hominum omnes perpetuæ sint, perfectis quoque animis omnes Spiritus obediant; putant Magi, perfectos homines per suæ animæ vires, alias inferiores animas jam quodammodò separatas moribundis corporibus suis posse restituere, rursumq; inspirare, nō secus atq; mustella intercepta, spiritu & voce parentis revocatur in vitam, atq; leones inanimem partum inhalando vivificant &c. Hinc putant ad hanc vivificationem haud parum conferre etiam herbas quasdam, & magicas confectiones, quales ex cinere Phœnicis & serpentum exuviis confici tradunt. Quod tamen plerisq; fabulosum, & multis etiam impossibile videri posset, nisi historica fide haberetur comprobatū. Nam plerosq; aqua submersos, alios aliter exanimatos, alios ignibus injectos, & rogo impositos, alios in bello occisos, post plures etiam dies revixisse legimus: quemadmodum de Aviola Consulari, de L.*

de L. Lamia, Cælio Tuberone, Gabieno, & pleruque aliis teſtatur Plinius lib. 7. Hiſtor. Natural. cap. 52. Similiter Æſopum fabulatorem; Tindareum quoque, & Herculem, atque Palicos Jovis & Thaliæ filios, mortuos iterum revixiſſe legimus. Plurimos etiam per Magos & Medicos in vitam revocatos, ſicut de Æſculapio ab hiſtoricis proditum eſt; & nos ſuperius narravimus ex Juba & Xantho, & Philoſtrato, de Tullone, & Arabe quodam, atq; Apollonio Tyanæo. Legitur etiam Glaucus quiſpiam mortuus, quem præter omnium expectationem, accurrentibus Medicis, herbâ quam draconem vocant, vitæ reſtitutum dicunt. Alii guſtato mellito pharmaco revixiſſe ajunt, unde ortum eſt adagium: Glaucus poto melle ſurrexit. Apuleius etiam ritum hujusmodi revocationum referens de Zachla Ægyptio propheta inquit: Propheta ſic propitiatus, herbulam quampiam ob os corporis, & aliam pectori ejus imponit; tum Orienti obverſus, vel incrementa Solis auguſti tacitus imprecatus, venerabili ſcena faces ad ſtudia præſentium tantum miraculum certatim adrexit, jam timore pectus attolli, jam ſalubris vena pulſari, jam ſpiritu corpus impleri; & adſurgit cadaver, & profatur adoleſcens. Legatur *Plato* lib. 10. de Republ. *Plinius* lib. 7. cap. 52. *Apuleius* in Mileſia lib. 1. *Philoſtratus* lib. 6. de vita Apollonii. Simonem Magum etiam ſuſcitaſſe mortuos, retulimus ſuprà cap. 16. ex *D. Clemente*, quod etiam confirmat *Egeſippus lib. 3. de Excidio Hieroſol. c. 2.* Refert *Plutarchus lib. 1. de Anima*, Enarchum à Medicis pro mortuo habitum, & relictum, non multò pòſt viſum ad vitam rediſſe, & dixiſſe ſe verè reſurrexiſſe, illoſque dæmones, qui eum vitâ eduxerant, graviter ab ipſorum Principe increpitos fuiſſe, quòd eum pro Nichan da Coriario rapuiſſent, qui eodem die & horâ febre correptus deceſſerat. Idem Enarchus, ad teſtandam reſurrectionem ſuam, Plutarcho, qui tunc laborabat, prædixit, brevi eum incolumem futurum; quod & contigit. Auctor Polychronii *Ranulphus lib. 6. cap. 7.* narrat apud *Delrium lib. 2. Diſquiſit. Magic. quæſt. 29. ſect. 2.* Comitem Richardum quâdam nocte ſolùm orationis gratiâ ingreſſum in templum, inveniſſe ibi mortui capulum, in quo cadaver erat repoſitum. *Dum autem Comes oraret, ſubito mortuus ille magno cum ſtrepitu è feretro exſilit, ac extenſis brachiis, quaſi in amplexus ejus ruiturus, ad Comitem acceſſit. Quem cùm Comes, ſignum crucis fronti ſuæ imprimens, fruſtra intenſiùs, ut recederet, adjuraret; ſtricto gladio illum diſſecuit.* Mirabilius eſt quod narrat *Guaguinus* in deſcriptione Moſcoviæ, dicens *populos quoſdam in Lucomoria, regione Ruſſiæ habitantes, quotannis vigeſimo ſeptimo menſis Novembris die, ut ſolent hirundines, & ranæ, ſic & ipſos præ frigoris brumalis magnitudine mori: poſtea redeunte vere, vigeſimo quarto Aprilis die denuò reviviſcere. Addit, hos cùm ſibi mortem imminere ſentiunt, merces ſuas certis in locis deponere; quas Guſtunſii & Sorponortzii vicini populi, ſuis mercibus interim æquivalentibus eodem loco relictis, auferunt. Illi reviviſcentes, eas merces, ſi juſtæ videantur, pro ſuis accipiunt: ſin minùs; eaſdem repetunt: unde lites & bella ſæpiſſimè inter eos oriri dicuntur.* Quod de herbis ſuprà

dixit Agrippa ex Arabibus Philosophis, adscribit etiam Empedocli *Laertius lib. 8.* Hæ sunt rationes & experientiæ, quæ in contrarium afferri possunt ac solent. Aliæ, quas omitto, ejusdem sunt farinæ.

§. V. Solvuntur rationes & experientiæ pro hominis resuscitatione à dæmone facta allatæ.

Resuscitatio hominum, remediis naturalibus facta, refutatur.

SEd hæc omnia, quæ allata sunt, aut fabulosa sunt, aut meræ illusiones ac præstigiæ dæmonis. Fabulosa est virtus, quam tribuunt Arabes Philosophi aliquibus hominibus, elevandi se supra vires corporis ita, ut spiritus sibi subjiciant, & animas separatas: nam nullâ virtute naturali potest anima reuniri corpori, à quo semel discessit, ob rationem dictam §. 3. ideoq; resuscitatio ac resurrectio opus divinum ac miraculosum est. Idem dicendum de virtute herbarum.

Resuscitatio hominum contingere potest illusione dæmonum multis modis.

Dæmonis illusio multis modis contingere potest. Nam *Primò*, potest dæmon corpus verè mortuum auferre clanculùm, & substituere aliud aëreum, illudque movere instar viventis. Sic abstulisse scimus corpus Romuli, Cleomedis & Alcmenæ, Aristeæ Proconnesii, teste *Livio lib. 1. Plutarcho in Romulo, Herodoto lib. 4.* Item corpus Aspalidis & Ctesyllæ virginum teste *Antonio Liberali in Transformat.* Sic fortassis fecit dæmon cum multis illorum, quos ex Agrippa retulimus fuisse resuscitatos.

Agrippa cogit dæmonem intrare cadaver.

Secundò, potest corpora verè mortua subintrare ipse dæmon, eaque movere, & in illis ac per illa imitari opera ac gestus similes viventium, ad tempus saltem. Exemplum luculentum hujus rei narrat *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 29. Sect. 1.* de Cornelio Agrippa archimago, ut passim appellatur. *Is commensalem habebat nimis curiosum. Semel profectus aliquò Agrippa, uxori, quam postea repudiavit, claves Musei sui tradidit, additâ prohibitione, nè quem ingredi sineret. Inconsultus iste adolescens, opportunè, importunè non destitit mulierculam deprecari, sibi copiam ingrediendi ut faceret, donec impetravit. Museum ingressus, incidit in Libellum Conjurationum: legit: en illi pulsatio ad jannam: turbatur, sed pergit legere: pulsat iterum nescio quis, & nihil respondente rudi harum rerum juvene, dæmon ingreditur: quærit, cur vocatus? quid fieri jubeat? Isti metus vocem intercludit, fauces dæmon. Sic miser luit pœnam nefariæ curiositatis. Redit interea domum archimagus: videt exultantes super eam dæmones: utitur solitis artibus: adsunt vocati: narrant rem, ut gesta. Ille homicidam jubet cadaver ingredi, & per forum, ubi cæteri solebant studiosi frequentius convenire, aliquoties obambulare, tandemq; corpus deserere. Ambulavit ille ter quaterve, tum corpus concidit, diffugiente eo, qui regebat. Creditum diu, hunc subitò correptum morte concidisse: sed indicia suffocationis initio rem suspectam fecere, postea tempus omnia divulgavit; & Agrippa, quas pectore occuluerat hæreses, in Lotharingiam profugus, cœpit evomere.* Hac illusione contigisse putat Delrius

rius illa omnia, quæ narrata ſunt de Simone Mago, Richardo Comite, Ero Pamphilio ſeu Armenio, Gabenio & aliis multis. Huc quoque refert illud Apuleji de Socrate, cujus abſciſſum caput Veratrix copa cùm amputaſſet, iterumque injectâ ſpongiâ conjunxiſſet corpori; poſtridie miſer dum contra juſſum in flumine bibit, excidente ſpongiâ, caput amiſit. Nam hujus verè caput præſciſſum fuerat, ſimulatè duntaxat redditum. Præterea huc refert quod à *Philoſtrato Heroicor. Dialogo. 1.* narratur, Phrygios Paſtores, cùm pecudes peſtilitate abſumerentur in Sigæo, ad Aiacis Telamonii ſepulchrum congregatos, variis maledictis defunctum laceraſſe: unum cæteris petulantiùs Homeri verſus, quibus Aiacis fuga deſcribitur, cantillare cœpiſſe *αἴας δ' οὐκέτι μίμνεν*: tum vocem truculentam è monumento erupiſſe, *ἀλλὰ ἐμίμνον*, & paſtores perterritos in fugam egiſſe. Vocis auctor utique erat dæmon, è cadavere Aiacis loquens. Hac eadem fraude & illuſione contigit hiſtoria, quam elegantibus verſibus deſcribit *Nicolaus Remigius lib. 2. Periocha 1.* apud Delrium, quæ contigit Dalhemii in Lotharingia anno 1581, inter Petronium armentarium, & Abrahelem ſuccubam dæmonem, quo pacto ab hac ille perductus ſit primùm in nefarios amplexus; deinde in proprii filioli parricidiũ; deniq; ex mœrore & deſperatione, & fictâ filioli reſuſcitatione, ad idololatriã: & quo pacto dæmon vivo ſimilẽ præſtiterit anno integro, ac deinde cadaver deſtituerit. Confirmant hæc, quæ ex quodam Germano *Auctore lib. 1. de Lamiis* c. 3. n. 19. refert Delrius cit. loc. q. 3. his dicti Auctoris verbis. *Præſtigiator quidam nobilis, in diverſorio publico N. hoſpitis famulum, ita petentibus reliquis convivis, decollavit. Cùm autem ei rurſus caput imponere vellet, animadvertit adeſſe alium Magum, qui eum in hoc propoſito impediret. Rogat hic eum, nè hoc faceret. Verùm cùm admonitioni repetitæ alter non pareret, præſtigiator in menſa lilium creſcere fecit; cui cùm caput & flores amputaſſet, concidit ſtatim abſq; capite de menſa Magus ille, qui alterum impediverat, & præſtigiator abſq; ullo impedimento famulo caput impoſuit è veſtigio, & ex hoſpitio urbeque, nè à Magiſtratu propter commiſſum homicidium deprehenderetur, aufugit.* In famuli abſciſſione & repoſitione capitis fuit utiq; præſtigium, at Magi capitis abſciſſio vera fuit, ſed dæmonis operâ peracta, ut benè advertit Delrius.

Tertiò poteſt dæmon immittere aliis morbum talem, ut verè mortui videantur, ac poſtea reviviſcere. Poteſt etiam talibus morbis naturaliter evenientibus in hunc finem uti, perſuadendo aliis vel per ſe, vel per magos, morbis hujusmodi correptos, eſſe mortuos, ac deinde reſuſcitari à ſe, quando vis morbi remittit. Tales ſunt *Primò* apoplectici, ſiderati, vel attoniti, qui cerebro, cõmuni nervorum principio, vehementer afflicto, deſtituuntur ſenſu ac motu omnium membrorum, & quaſi mortui jacent. *Secundò* qui *χάρῳ*, ut Medici vocant, corripiuntur; quæ eſt capitis quædam

percussio, cum debili febre, humoribus sic cerebrum infestantibus, ut totius inde corporis stupor & immobilitas sequatur, somnusq; profundus, adeo ut homo oculis clausis jaceat longo tempore demortui specie. *Tertiò*, qui patiuntur λειποθυμίαν seu syncopen, id est animæ deliquium, ut appellant; quem morbum comitatur nonnunquam amissio motus ac pulsus arteriæ, ut homo verè mortuo similis videatur; & durat, donec frigidorum humorum intemperantia dissipetur. Tali morbo laborasse & interiisse dicitur Joannes Duns Scotus, dum vivus pro mortuo sepultus interijt, si verum est quod Jovius scribit in Elogiis; quod examinabimus infrà, cùm de Mirabilibus Hominis agetur. Tali etiam morbo laborasse censet Delrius Enarchum illum Plutarchi: prædictionem verò illam ex humana prudentia & crisi medicâ provenisse. *Quartò* tales sunt fœminæ, quæ matricis strangulationibus, & ictericis passionibus laborant, ob quas multo aliquando tempore velut mortuæ jacent, ut ipsemet in duabus expertus sui, ad quarum confessiones excipiendas eram vocatus. Talem fuisse puellam quam Apollonius resuscitasse dicitur, deprehenditur ex ipso Philostrato.

Quæ de apparentibus mortuis, vi morbi alicujus, hactenus diximus, confirmat etiam multis verbis & exemplis Agrippa loc. cit. Quæ de Lucomoriæ incolis dicuntur, videntur esse fabulosa: certè narrans eadem Sigismundus fol. 86. Moscoviæ habet pro fabula.

CAPUT XXXVII.

An sint Dæmones paredrii seu familiares.

Familiares dæmones an dentur.

DÆmones familiares hîc appello illos, qui aut sponte, aut mercede exiguâ pactâ, hominibus aliquibus semper præsto sunt, etiam non vocati; ijs fideliter, ut apparet, inserviunt, seu jussi, seu injussi; imò crystallis, annulis, capsulis aliisq; rebus includi se, ac circumferri etiam permittunt. Hos nonnulli vocant *Martinellos*, alii Magistellos; Græci verò πάρεδρυ, hoc est, accessores nominant, quòd facilè accedunt, & assiduè adsunt. Dari tales, confirmatur historiis antiquis, & recentibus. Nonnullas afferam in medium. Incipio à recenti quadam, quæ Drepani in Sicilia contigit; qua in urbe dum habitarem, sæpe similia, quæ quotidie contingebant, narrari audivi.

§. I. Recentia exempla de dæmone familiari.

Familiarium dæmonum recentia exempla.

Dæmon familiaris

DRepani (inquit Delrius lib. 6 Disquisit. Magic. cap. 2. sect. 3 q. 3.) *fuit anno 1585. paterfamilias quidã, cujus in adibus varia dicebãtur aliquot jam mẽses ex occulto voces existere. Familiaris is erat dæmõ, qui variis modis conabatur hominibus illudere. Jaciebat saxa pregrandia, nullius tamen capitis detrimento: vasa quoq; domestica altè jaculans, non frangebat. Cùmq; in tectis fidibus caneret* ado-

Drepanitanus.

adolescens, dæmon cunctis audientibus, lascivis cantibus prosequebatur testudinis sonum, apertèq; dæmonem se esse jactabat. Cùmq; ædium dominus unà cum conjuge, quoddam in oppidum, ad sua negotia discederet, comitem se dæmon adjunxit. Cùm autem ille madefactus aquâ pluviâ rediret, nequam spiritus antevertit, sublatisq; de via clamoribus præmonere domesticos cœpit, ignem ut extruerent, herum jam esse in januis, totum imbribus madefactum. Verùm cùm ita se illudi dominus ædium intelligeret, minitatus est Dæmoni, adducturum se patrem è Societate JESU, qui è suis eum sedibus exturbaret. Ille verò, nè id faceret, clamitare, minitarique inimicitias, & odium; & quam diu Pater in iisdem ædibus versaretur, fore ut sese conderet, & occultaret. Venit tamen herus ad Patrem, & rem illi narrat ex ordine; domum etiam invitat, ut se illis molestiis liberet obtestatur. Pater nè imperita multitudo elata cupiditate videndi (id quod fore videbatur) accurreret; ad eum sibi proficiscendum non censuit: tantùm monuit, ut ipse & tota ejus familia, ablutis generali confessione peccatis, cœlesti pane se confirmarent, caverentq; nè quis aut ex domesticis, aut ex externis, sermonem cum hoste misceret, nevè ex eo, ut antea fecerant, occulta perquirerent: riderent potiùs, quæ ab eo dicerentur, & ut orta ex mẽdacii patre plane contemnerent. Illi cùm se facturos recepissent omnia, dedit eis pater ex consecrata cera agni cœlestis simulacrum; quod filiæ cervicibus, ut quæ omnium maximè à dæmone vexabatur, insererent. Hic terrere dæmon cœpit clamoribus filiam, minitariq; ni ceram illam abjiceret, fore, ut ei obtorto collo animam eriperet. Sed illi Patris monita & consilia secuti, cùm loquenti responsa non redderent, seseq; invicem contra hostem Sacramentorum telis armarent; facilè se ab ejus insidiis molestiisq; tutati sunt. Frequens erat hoc dæmonum genus Drepani, dum inibi annorum ferè trium spatio habitarem; uti & Marsalæ non procul inde ad Lilibæum promontorium sitâ urbe; adeo ut frequenter integerrimæ conscientiæ personæ, maximè verò virgines divino cultui, orationi, mortificationi, & sacramentorum usui deditæ, cum lacrymis molestias, quas ab ejusmodi dæmonibus, ultrò se ad omne obsequium offerentibus, & fidelissimam operam promittentibus, patiebantur, exponerent, opemq; peterent. Aliâ in urbe Siciliæ juvenis quidam integerrimæ vitæ, & suavissimorum morum, mihi narravit, se cùm puer adhuc esset, sæpissime à dæmone quodam familiari, pueri venustuli specie, è latibulis paternæ domus egredientis, sollicitatum fuisse, secum ut familiaritatem iniret, suaq; obsequia, & munuscula etiam, quæ ostentabat, acceptaret; quem tamen semper generoso animo repulit, nec adigi blanditiis ullis potuit, ut vel nummos, vel quidquam aliud acceptaret.

Recentior est sequens historia, quam non multos ante annos in Galliâ cõtigisse intelligo à viro doctissimo, fideq; dignissimo P. Melchiore Cornæo. Erat in Gallia juvenis quidam impuris deditus amoribus, qui ut sciret, quid quovis loco ac tempore amasia, quam deperibat, nec tamen accedere pro-

voto

voto frequenter poterat,ageret,dæmonem quærebat familiarem,à quo id expiſcaretur. Alteri ergo familiari ſuo,faceto,ſed integro, animum ſuum exponit,rogatque ut vel conſilio,vel auxilio, voti ſui ut compos fiat, nitatur. Reſpondet ille,habere ſe domi capſulæ incluſum,quem quærebat dæmonem,eumque fideliſſimum, & ad reddenda reſponſa promptiſſimum; ideoque nè pro magna quidem pecuniæ ſumma eum venditurum. Licitatur alter nihilominùs,& quantumcunque peteret pretium,offert. Venalis non eſt,ait ille;nec ſi eſſet,minùs centum aureis venderem. Accipe,licitator ait,centum aureos,& mercem petitam affer. Huic ergo & jocum & fucum ut faceret amicus, gryllum domeſticum, capſulæ goſſipio oppletæ impoſitum, emptori affert, docetque modum, quo reſponſa eliceret,nimirum ut dum cubitum iret,capſulam ſub cervicali collocaret, peteret quod ſcire vellet,aurem applicaret & auſcultaret; auditurum reſpondentem. Hîc lætus emptor centum ſolvit aureos,ac primâ ſtatim nocte, ſervatis priùs ritibus præſcriptis,quærit quo loco eſſet amaſia, quidque agat. Audit reſpondentem, & diſcit quod ſcire voluerat. Redit die poſtero ad venditorem, agit gratias pro dæmone vendito, dilaudat ejus fidelitatem, gratulatur ſibi de pecunia tam bene impenſa. Attonitus venditor; nugaris inquit;non dæmonem, ſed gryllum tibi vendidi, ut joco curioſitatem tuam eluderem :en pecuniam tuam, quam retinere in animo nunquam habui : gryllum ocyus reſtitue; video enim diabolum petitioni tuæ obſecundatum,per ipſum reſponſa dare. Sed nec pecuniam ut reciperet, nec mercem ut reſtitueret,adigi emptor potuit. Conſcientiæ ergo ſtimulis agitatus venditor,virum doctum è Societatis noſtræ Patribus adit, conſiliumque exquirit. Ab hoc viro oretenus accepit ſuprà laudatus P.Cornæus,quod hîc narravi. Sed ipſamet P.Cornæi verba quibus, cùm hæc jam ſcripſiſſem,eandem conſcriptam mihi tradidit,ſubjicere placet. *P. Joannes Fournier,egregius è Societate noſtra verbi DEI præco, in Tholoſana Provincia Biterris,cùm illic agerem,mihi narravit. Erat vir,ajebat,nobilis, magiæ & Spirituum familiarium habendorum avidus. Is ad alium ſibi uſu atq; amicitia notum accedens,rogavit,ut ſibi talis rei potiundæ copiam faceret. Qui,ut erat facetus, & mirus jocorum artifex, quo hominem luſum faceret, reſpondit, omnino ſemet, ſi pretium adnumeraret, præſtantiſſimum iſtiuſmodi genium daturum;diceret modo,qualem optaret. Ille dicebat ſe Spiritum arcanorum ſcientem velle,& ex quo noſſe poſſet, quid ab aliis alibi gereretur. Tum alter contractis humeris,magnam inquit,& pretioſam rem petis: non ſunt hi viles Spiritus, ſed ære magno ſtant. Ille verò;ſtent quanto quanto velis; ego quod popoſceris pretium,præſtabo libens. Aſt centum ſcuta ſi exigam? Dabo,inquit,centum. Ergo in alterũ diem nundinationem condicunt,idq; ſub veſperũ.Interea tẽporis ludicrus dæmonum mango in culina ſua venatus gryllum cepit, eumq; vivum in pyxide bellè*

ſcluſa

clusa Spiritum fecit. Vix Titan occiduis undis equos lavare cœperat, cùm advolat mercator, & promissi fidem exigit, & numeratis centum scutis gryllum latus accipit. Cùmque abiret; Sed heus tu, inquit, quis usus hujus Spiritus? Cui propola: Quoties, ait, cubitum concedis, scatulam cervicali subjice; tum Spiritum affare, & audies oracula, quæ voles. Nec mora: domum concedit, & ad lectum etiam, quàm pro more citiùs concedens, pyxidem culcitræ suppositam alloquitur hisce verbis: Audi Spiritus. Nec mora; reposuit gryllus: quid me vis? Tum percontari cœpit de amasia sua absente, ubinam degeret, quid ageret. Ad quæ singula singulatim & ex ordine responsum tulit. Manè dein illucescente ad joculatorium suum mercatorem festinus accurrit, & homini obstupescenti, ac nil minus cogitanti, gratias agit. Hæc Cornæus.

Funestior est historia, quam *Nicolaus Remigius* refert *lib. 1. Dæmonol.* cap. 9. & ex ipso *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic.* quæst. 4. & *Laurentius Bayerlinck in Theatro V. Dæmon.* sequentibus verbis. *Theodorus Maillotius (is qui Præfecturam in vasti regni provincia, quæ ditionis est Lotharingicæ, senex obtinuit) cùm adhuc juvenis, amplissimâ familiâ natam adolescentulam in matrimonium deperiret, & illi ejus potiundæ spes omnis esset abscissa atque erepta (nam & fortunâ egens atque humilis, & famulatus mercenariâ conditione, in qua tum erat ignobilis & despicatus, nullam nè detegendi quidem amoris sui honestam satis rationem videbat.) Ergo, ut desperatis rebus, & ipsâ se jam deserente exspectatione, homines ad quodvis consilium se facilè convertunt, ac nullo delectu fugienda sequendavè amplectuntur; Maillotius conservum ex Germania, cui audiverat dæmonem esse ad quæcunq; obsequia paratissimum, adit, huicq; suam ægritudinem aperit, rogans ut si quid ei remedium adferre posset, id nè gravatè faceret: ingrato enim non iri locatum beneficium. Hanc Germanus occasionem libens arripit, ut cui ex pacto intra dies paucos necesse erat, vel se suo dæmone liberare atque expedire, adducto alio, qui istud ceu æs alienum in se transcriberet, vel ab eo obtortâ cervice necari atque interfici: si quidem hæc ei pacto lex addita fuerat. Agendo itaque ei negotio consequentis diei diluculum, in clauso atque recondito quodam conclavi, condicit: ubi vix dum se stiterant, cùm repentè patefactis foribus se infert lepidâ & liberali formâ puella (hoc habitu dæmon primùm se ostendere volebat, nè Maillotius ad formidabilem ejus aspectum exhorresceret) eamq; se esse prædicat, quæ illi nuptias quas tantopere ambiebat, faciles esset confectura, modò vellet in iis, quæ esset præceptura, obsequi. Ac illo avidè attentèq; exspectante, quænam ejus esset sententia inprimis cœpit edicere, ut furtis, crapulis, libidinibus, blasphemiâ, cæterisq;, quæ animum inquinant, vitiis temperaret, pietatem coleret, inopes facultatibus sublevaret, seipsum in hebdomada bis jejunio maceraret, solemnes ac quotidianas precationes nè intermitteret, eaq; sedulò obiret omnia, quæ Christianum hominem decet atque æquum est facere: istis enim omnibus si se vellet nuncupatis verbis obstringere, futurum, ut petitis thalamis sine ulla difficultate potiretur. Hæc sic elocuta, ac constituto, intra quem responsum auferret, die se foràs ejicit. Maillotius, qui videret tam sanctis atq; honestis conditionibus tantum sibi*

beneficium obtinendi, jam nihil cunctandum putabat, quid id gratus atlubens accipe-ret. Sed dum magis magisq; in eam rem cogitationem intendit, atque huc illuc variè inter spem metumq; impellitur; ex ejus vultu domesticus quidam sacerdos conjiciens aliquid subesse, quo sic distraheretur; eum blandè adortus, ac quid animo agitaret expiscatus, monitis suis pervicit, nè ampliùs ad colloquium ullum cum dæmone descenderet. Sic frustratus suâ expectatione Germanus, non longè abiit, quin ex pacti formula pœnas penderet. Nam non adeo multis post diebus, equo planâ atque apertâ viâ decidens, inq; caput proruens, exanimis momento temporis repertus est.

§. II. Alia dæmonum familiarium exempla.

Familiarium dæmonum alia exempla.

Hieronymus Cardanus *lib. 19. Subtilit.* qui est de Dæmonibus, ait, se non semel, nec paucis vicibus audivisse à patre suo Facio Cardano, eum per triginta fermè annos habuisse dæmonem familiarem. Addit quo habitu dæmones viderit, & quid cum ipsis locutus. Quod colloquium ex ipsius Facii Cardani à filio Cardano desumptum, tametsi multa impia, quædam etiam stolida continet; quia tamen hoc ipsum filius agnoscit, & in patre modestè reprobat, adducere in medium volui. Sic ergo scribit. *Idibus Augusti, M. CCCCXCI. cùm peregissem sacra, horâ diei XX. apparuerunt de more septem viri, sericeis induti vestibus, pallio quasi Græco, caligis ut videbatur purpureis, subucula thoracibus splendentibus, ac rubentibus, ut è chermesino esse viderentur, formâ augustiore quàm communi, & conspicuâ admodum. Nec tamen omnes sic vestiti, sed duo, quos constabat esse nobiliores inter ipsos: nam illorum alterum, qui procerior erat, & rubicundus, duo alii sequebantur comites: alterum, qui pallidior esset, ac minor corpore, tres alii. Ita omnes septem erant. Capitinè quid haberent impositum, an nudum esset, scriptum non reliquit. Ætas illis juxta quadragesimum annum, sed quæ nec trigesimum præferret. Cùm interrogarentur, quinam essent, responderunt, homines esse quasi aëreos, qui & ipsi nascerentur ac interirent: verùm vitam illorum nostrâ esse longè diuturniorem, ut quæ ad annos CCC. extenderetur. Interroganti de animæ immortalitate nostræ, nihil, quod cuique proprium esset, superesse affirmârunt. Ipsos diis esse conjunctiores multò humano genere, sed tamen ab illis infinito penè distare intervallo. Nec secus illos nobis aut beatiores esse, aut miseriores, ac nos ipsis sumus belluis. Nihil latere abditarum rerum, ut nec libros, aut pecunias: infimamq; illorum colluviem esse genios Virorum nobilissimorum, non secus ac homines vilissimos generosorum canum aut equorum educatores. Cùmq; ipsi tenuissimo essent corpore, nihil nobis commodi aut detrimenti posse afferre præter spectra atque terrores, tum scientiam. Erant alteri, qui minore erat corpore, CCC discipuli, alteri CC, in publica Academia. Uterque enim eorum publicè profitebatur. Cùm pater meus interrogasset, cur; si thesauros nossent, ipsi non revelarent hominibus; responderunt, sancitum esse hoc privatâ lege maximis pœnis, nè quiquam hoc eis communicet. Manserunt*

Dæmon familiaris Cardani.

Digitized by Google

ferunt apud illum horis plùs quàm tribus. Disputârunt autem interim, rogante illo de causa Mundi. Qui procerior erat, negabat DEUM effecisse Mundum ab æterno. Contrà alter adstruebat, per singula momenta ita DEUM creare Mundum, ut si vel momento desisteret, protinus ipse Mundus periret. Ad hoc ipse ex Averrois disputationibus quædam adducebat, cùm liber ille nondum inventus esset. Referebat & nomina quorundam librorum, quorum pars inventa, pars adhuc in occulto est. Atque hi omnes tamen Averrois erant. Ille verò palàm Averroistam se profitebatur. Hæc seu historia, seu fabula sit, ita se habuit. Quòd fabula videatur, satis argumento esse debet, quòd placita hæc non satis cum religione consentiunt; quodq́; pater meus cum suis dæmonibus nihilo aut felicior, aut ditior, aut notior hominibus fuerit, quàm ego, qui dæmones nunquam vidi. Verissimum hæc non satis cum religione Christiana convenire, satisque manifestè atheismum patris Cardani arguunt. At quæ de duorum dæmonum magisterio & discipulis in Academia publica profert, quàm non ridicula tantùm, sed stolida etiam, & puerilia! Sed dæmones qui mendaces sunt, ac hominum perditioni invigilant, Cardani patrem in conceptis erroribus confirmare voluerunt. Quæ de patris sui dæmone familiari hîc tradit Cardanus, repetit *lib. 16. de Variet. rerum c. 93.* his verbis. *Facius Cardanus dæmonem æthereum, ut ipse dicebat, diu familiarem habuit: qui quàm diu conjuratione usus est, vera illi dabat responsa: cùm autem illam exussisset, veniebat quidem, sed responsa falsa dabat. Tenuit igitur annis, ni fallor, viginti octo cum conjuratione, solutum autem circiter quinque; ut res se habeat, dum adstrictus esset, commodum se satis exhibebat. Atque is saltem dæmones esse fidem faciebat, quòd diligenter omnia inquisierit ab illis. Neque enim solus semper, licèt plerumque, sed aliquando cum sociis etiam veniebat.* Loco proximè citato narrat idem Cardanus de patre suo, cùm jam medicinæ operam dedisset, & ad ædes amici vocatus, ut filii periculosè ægrotantis curam haberet, nocte primâ cum sociis cubitum ivisset, audivisse in pariete cubiculi ictum continuum, & à socio intellexisse, dæmonem esse familiarem ex iis, quos folletos vocarent, esseque innoxium, nihil proinde timeret. Addit quomodo paulò pôst manum, quæ frigidissima erat, supra faciem ejusdem patris primùm, deinde socii alterius posuerit &c.

§. III. Adhuc alia exempla familiarium dæmonum.

Mirabilis est historia, quam Cæsarius Distinct. 5. cap. 36. refert de familiari quodam dæmone; quam ejusdem verbis adscribere placuit. *Dæmon quidam*, inquit, *adolescentis venusti speciem induens, ad quendam militem venit, obsequium suum illi offerens. Cui cùm multùm placeret, tam in decore, quàm in sermone, gratanter ab eo susceptus est. Qui mox militi servire cœpit*

Familiarium Dæmonum adhuc alia exempla.

tam diligenter, & tam timidè, tam fideliter, & tam jucundè, ut satis ille miraretur. Nunquam equum suum ascendit, nunquam descendit, quin ille praeparatus esset, & genu flexo strepam teneret. Discretum, providum, & hilarem semper se exhibuit. Die quadam dum simul equitarent, & venissent ad fluvium quendam magnum, miles respiciens, & plures ex inimicis suis mortalibus post eos ventre considerans, ait servo: Mortui sumus! ecce inimici mei post me festinant; fluvius ex opposito est; nullus superest locus refugii: aut occident me, aut capient. Tunc ille: ne timeas Domine; vadum fluminis hujus bene novi; sequere tantùm me; bene evademus. Respondente milite: Nunquam homo fluvium istum in hoc loco transvadavit. Spe tamen evasionis suum ducem secutus, sine periculo venit ad littus. Et ecce eis transpositis, hostes ex opposito littore consistentes mirati sunt, dicentes: Quis unquam audivit vadum in flumine isto? Non alius nisi diabolus istum transvexit. Timentesq; reversi sunt. Processu verò temporis accidit, ut militis uxor infirmaretur usque ad mortem. In qua dum omnes Medicorum artes defecissent, ait iterum dæmon domino suo: si domina mea inungeretur lacte leonino, statim sanaretur. Dicente milite, unde haberetur tale lac; respondit ille: Ego afferam. Qui vadens, & post spatium unius horæ rediens, vas plenum secum attulit: à quo cùm fuisset peruncta, mox meliorata pristinum recuperavit vigorem. Cui cùm diceret miles: Undè habuisti tam citò lac illud? respondit: De montibus attuli Arabiæ; recedens à te, in Arabiam ivi, leænæ speluncam intravi, catulos abegi, & ipsam mulsi, sicq; reversus sum ad te. Stupente milite ad verba ista, & dicente: Quis ergo es tu? Respondit ille: Non solliciteris de hoc; servus enim tuus sum ego. Instante milite, tandem confessus est, dicens: Dæmon ego sum, unus ex illis, qui cum Lucifero ceciderunt. Tunc magis miles obstupescens, subjunxit: Si naturà diabolus es, quid est, quòd tam fideliter servis homini? Respondit dæmon: Magna est mihi consolatio, esse cum filiis hominum. Dicente milite: Non audeo de cætero uti servitio tuo; iterum ille respondit: Hoc profectò scias, quia si me tenueris, nunquam à me, vel propter me, aliquid mali tibi eveniet. Non audeo, inquit; sed quidquid pro mercede tua postulaveris, licèt dimidium bonorum meorum, libens tradam tibi. Nunquam homo homini servivit tam fideliter, & tam utiliter. Per tuam providentiam juxta fluvium mortem evasi: per te uxor mea recepit sanitatem. Tunc dæmon: Ex quo tecum esse non potero, nil pro servitio meo, nisi quinq; solidos, requiro. Quos cùm recepisset, militi illos reddidit, dicens: Peto, ut ex eis nolam compares, & super tectum pauperis illius Ecclesiæ ac desolatæ suspendas, ut per eam saltem Dominicis diebus fideles ad divinum convocentur officium. Sicq; ab oculis ejus disparuit. Mirabilis sanè historia. Sapit tamen, meo judicio, fabulam, quoniam nec locus fluminis, nec nomen additur; uti nec nomen militis, aut loci ubi habitavit. Inauditum etiam est, dæmonem delectari consortio hominum eo solùm fine, ut illis fideliter serviat: semper enim perniciem eorum molitur, nec diu differt, quin inferat, si à DEO permittatur. Si tamen verè ita contigit, haud

haud dubiè à noxa inferenda à DEO prohibitus fuit: & jubendo emi campanam, quâ populi ad divinum officium convocarentur, majus aliquod lucrum suum inde speravit.

Joannes Wierus lib. 1 de Præstigiis Dæmon. cap. 20. ait, esse aliquos dæmones mites, meritò Lares familiares nuncupandos, *qui in domibus concubiâ potissimùm nocte versantur, atq; ministrorum munia peragere auditui apparent, descendere scilicet è gradibus, ostia aperire, struere ignem, haurire aquam, cibum & quæcunq; alia cuiq; domui consueta apparare, cùm prorsus nihil faciant.* Horum plerosq; rerum quoq; futurarum ex occultis indiciis præscios, ea quæ paulò pòst comperimus fieri, antea administrare asserit; confirmatq; id domestico exemplo. *Cùm enim in tabulato paternarum ædium ingens lupuli asservaretur copia, si quando venturi essent emptores, præcedenti nocte per gradus dejici eo modo audiebantur sacci, quo veritatem subsequens ostendebat dies.*

Dæmones domestici.

§. IV. De familiari Genio Socratis, Plotini, Agrippæ, & aliorum.

SOcratem dæmonis familiaris consuetudine usum fuisse, & inspiratione illius multa præscivisse, passim testantur Plato, Xenophon, Apulejus, Marsilius Ficinus, Cardanus, & alii. *Siquidem Timarchus* (inquit ex aliis Ficinus lib. 13 Theol. Platon. cap. 2.) *cùm ab eo convivio discessisset, ubi Socrates discumbebat, Socratis dæmone prohibente; inde ea perpetravit, quorum causâ est occisus. Charmides in Nemea certavit, vetante Socrate; ac certasse pœnituit. Critoni contra Socraticum consilium rusticanti, ramulus aliquis percussit oculum. Idem etiam Socrates dum fugeret, unà cum aliis nonnullis, impetum hostium, ut ventum est in trivium, eâdem, quâ cæteri, fugere noluit, quia deterrebatur à dæmone. Tum quidem ii qui aliâ viâ fugerant, in equitatum hostium inciderunt. Aristides, & Thucydides, aliiq; permulti, quam diu Socrati propinquabant, etiam Socrate ipso tacente, in Philosophiæ studio proficiebant quam plurimùm, dæmonis illius instinctu; & quantò longius recedebant à Socrate, tantò reddebantur ad philosophiam ineptiores. Idem cùm morti propinquaret, ut scribit Xenophon, prædixit Anyto, filium ejus, qui tunc modestus videbatur, fore flagitiosissimum; atq; ita evenit.* Hæc Ficinus; quæ quidem desumpsit ex Platonis Theage, seu Dialogo de Sapientia, ubi Socrates de seipso sic loquitur. *Adest mihi divinâ quadam sorte dæmonium quoddam, à prima pueritia me secutum: hoc enim vox est quædam, quæ cùm fit, semper ejus rei, quam facturus sum, dissuasionem innuit, provocat verò nunquam. Quòd si quis amicorum mecum quandoq; aliquid communicat, venitq; vox; hoc illa dissuadet, neq; facere sinit. Cujus quidem rei vobis testes dabo.* Subjungit deinde exempla paulò antè à Marsilio relata, multaq; alia, quæ referre piget. Ejusdem dæmonis multis aliis in locis apud Platonem fit mentio.

Familiaris Genius Socratis, Plotini, Agrippæ.

De Plotino Philosopho scribit *Porphyrius*, ejus discipulus, *in Vita Plotini* (quam latinam reddidit Marsilius Ficinus) & ex ipso Cardinalis Baronius Anno Christi 271, quòd, cùm in Campaniam Româ delatus, in agro Zethi veteris amici sui spiritum emisisset, anginâ extinctus, *draco sub lecto, in quo jacebat ille, pererrans, mox in pariete foramen se prorsus occuluit.* Hunc fuisse putant Plotini dæmonem.

Jovius in Elogiis de Henrico Cornelio Agrippa, postquam portentosum ejus ingenium depinxisset, ut qui *immenso captu, vastâq; memoriâ, scientiarum artiumq; omnium rationes arcanaq; intima, & summos apices complexus, disciplinas convellit, religiones in dubium revocavit, studiorumque omnium labores festivâ declamatione derisit &c.* hæc subjungit. *Excessit è vita nondum senex, apud Lugdunum, ignobili & tenebroso in diversorio, multis eum tanquam necromantiæ suspicione infamem execrantibus, quòd cacodæmonem nigri canis specie circumduceret, ita, ut cùm propinquâ morte ad pœnitentiam urgeretur, cani collare loreum magicis per clavorum emblemata inscriptum notis exolverit, in hæc suprema verba iratè prorumpens: Abi perdita bestia, quæ me totum perdidisti. Nec usquam familiaris ille canis, ac assiduus itinerum omnium comes, & tum morientis domini desertor, postea conspectus est; cùm præcipiti fugâ saltu in Ararim se immersisse, nec enatasse, ab his, qui id vidisse afferebant, existimetur.* Ad hanc historiam alludit *Joannes Baptista Possevinus* sic de Agrippa, cujus effigies apud Jovium, & alios, placidissimum refert vultum, scribens.

Vivens quem cernis, nè te fortasse moretur
Os placidum, stygii rex fuit iste lacus.
Quare etiam custodem habuit, dum viveret, Orci,
Cui nunc in tenebris præda daret comitem &c.

Ad eandem alludit Latomus in Epitaphio Agrippæ. Impudens igitur est Joannes Wierus, Agrippæ discipulus, qui eam negare audet in suis de Præstigiis dæmonum libris.

Dæmon familiaris Simonis magi.

Simon Magus, teste *Clemente lib. 1. Recognit.* jactabat sibi assistere animam pueri incorrupti, & violenter necati, adjuramentis ineffabilibus à se evocati; & per eam omne, quod juberet, fieri, ajebat. Erat autem familiaris illi diabolus; quem pueri animam esse prædicabat. Idem canem secum ducere solitum fuisse fertur, qui dæmon ejus familiaris fuisse creditur.

§. V. De dæmonibus annulo, vel vitro inclusis.

Dæmones inclusi annulis, vitris &c.

HUc spectant etiam illi dæmones, qui ut homines captivent, captivari se permittunt (vel potiùs fingunt) certisq; ceremoniis ac ritibus intra annulum sese, aut fragile vitrum, vel crystallum concludi & catenari, ac deinde vel rogati, vel constricti, res abstrusas detegunt, procùl dissita manifestant,

festant, futura enunciant, & tantùm non oracula fundunt. Talem habebat quidam Jacobus Jodoci de Rosa nomine, apud *Wierum lib. 6. de præstigiis dæmon. cap. 2. Annulum ille circumgestabat, in quo exorcismis colligatum putabat dæmonem, quem singulis quinq; diebus, ut minimùm, alloqui, & de rebus novis, aliisq; consulere cogebatur &c. Sed tandem post suos carceres herus ille, in loco publico ante ædes Senatorias circa forum, solemniter, spectatorum coronâ cinctus, malleo simulatum captivi dæmonis carcerem, annulum videlicet, posti impositum, sententiâ ritè latâ, aperire, atq; omnino perfringere cogebatur, eoque modo captum libertate donare &c. Arnhemia, 14. Julii Anno 1548.* Hujusmodi dæmonem annulo inclusum gestasse creditus fuit magnus quidam, & victoriis hoc ipso sæculo inclytus Princeps; qui & in prælio occubuit, cùm paulò antè annuli gemma in frusta dissiliisset. Aliud exemplum leges libro seq. cap. 41. §. 2.

His, aliisq; exemplis, etiam antiquioribus, aliqui persuasi credidêre, posse dæmones à Magis ligari in phialis & annulis; quos inter fuit *Palingenius lib. 10, seu Capricorno*, & *Petrus Ronsardus lib. de dæmonibus*. Sed falluntur: nullum enim imperium est Magorum in dæmones, utpote naturæ superioris, sed semper vel superior diabolus atq; potentior alios inferiores illic cogit adesse, vel imperio suo retinet, vel ipsi sponte suâ, & ex pacto adsunt, ibiq; se continent, & fingunt se à Magis cogi; quibus revera sponte obtemperant, ut plures irretiant, & irretitos teneant. Quare falluntur, & fallunt, qui dæmones sic ligandi præcepta tradunt. Mentiuntur dæmones ipsi, qui dicunt se verbis, herbis, suffumigationibus, aliisq; ceremoniis coactos advenire, includi, & inclusos manere. *Ipse simulat se captum* (inquit Henricus de Hassia in Genes. apud Delrium lib. 2. Disquisit. Magic. q. 30. sect. 2.) *ut te capiat; se vinctum, ut te vinciat; se tuo imperio subditum, ut te sibi subdat; à te inclusum, ut contra te finaliter concludat. Fingit se tuâ arte vel imagini, vel lapidi alligatum, ut funibus peccatorum religatum, ad infernum te perducat.* Vide *Franciscum Picum* lib. 7. de Prænot. cap. 4. & *Tostatum* ad cap. 6. Tobiæ. *Crespetum* lib. 1. de odio Satanæ Discur. 12. ubi docet, quosdam talium dæmonum inclusorum esse Saturninos, alios Joviales, alios Venereos, alios Mercuriales &c. Item colendos esse certo ritu; statis vicibus noctu possessorem suum excitare; nonnunquam ab eo alloquendos, ni malè ab ipso mulctari velint; in Francia & Italia venales reperiri, ac semper suis emptoribus exitio esse.

Dæmones cur annulis &c. includi se permittãt.

§. VI. Dæmones familiares plerumque noxii dominis suis.

QUod ultimum confirmat funestum exemplum relatum à *Nidero lib. 5. Formic.* de quodam sene Basileensi, qui dæmonem vasculo inclusum, & in scriniolo repositum habebat, prohibueratq; filiæ ac genero suo, ne

Dæmones familiares plerumque dominis suis noxii.

nè vasculum loco moverent: quod ipsi post obitum senis negligentes, cùm scriniolum de domo paterna in domum alteram deferrent, filia à dæmone obsessa & necata fuit, gener verò lapide à tecto cadente ita deformatus in facie, ut vix homo videretur esse.

Ludimoderator (inquit Wierus lib. 2. de præstig. dæmon. cap. 4.) *apud Goslarienses, ex Fausti magi, vel veriùs in fausti mali doctrina instructus, modum quo carminibus in vitro coërceretur Satan, didicit. Ut itaque impediretur à nemine, die quodam in sylvam abiit: ubi in magica execratione aberranti apparuit dæmon horrendâ admodum formâ, oculis flammeis, naribus ad cornu bubuli morem intortis, oblongis dentibus, apriniis non dissimilibus, genis felem referentibus, & in universum terribilis. Hoc idolo terrefactus hic prosternitur, jacetq; horas aliquot semimortuus. Tandem respiranti nonnihil, atque ad civitatis portas progredienti, quidam familiares obvii, vultûs mutati, palloriq; causam rogant. Hic tremens, & velut furibundus obmutuit. Inde domum ducitur, ubi horrendos edere sonos, & prorsus insanire cœpit. Anno tandem exacto fari denuò cœpit, & eâ specie sibi dæmonem apparuisse narrat. Cœna verò Dominica communionem ubi tum celebrasset, tertio pòst die se Deo commendans, calamitosa huic vitæ valedixit.*

Joannes Franciscus Picus loco suprà cit. ait, plurimos se allocutos, qui vanâ spe futurorum delusi, ab apparente sibi dæmone, per innita pacta vocato, usq; adeo vexati fuerunt, ut optimè secum putârint actum, quòd vitam non perdiderint. Alium ait intellexisse ab ejus sociis, fuisse à dæmone vivum abreptum, nec amplius comparuisse unquam, dum curioso cuidam & malè sano Principi Trojæ oppugnationem repræsentare quasi in scena pollicitus esset, Achillemque & Hectorem introducere præliantes.

Hæc (concludit Wierus) *magiæ hujus stipendia, hi simulatæ fructus amicitiæ, hæ ementitæ phialæ, annuli, carceres, ficti compedes, & vesana perniciosaq; ludibria.*

CAPUT XXXVIII.

De Dæmonibus montanis sive metallicis: item de virunculis ac famellis domesticis.

Dæmones montani sive metallici.

Quæ ad montanos dæmones spectant, excutiet atque illustrabit P. Athanasius Kircherus in Mundo Subterraneo, jam ab annis quinque conscribi cœpto, & necdum, ob argumenti difficultatem absoluto. Nos historias primò dabimus, tum de montanis dæmonibus, tum de virunculis ac fæmellis domesticis; ex quibus, quid de illis sentiendum, constabit.

De montanis seu metallicis dæmonibus suprà cap. 12. ex Psello ac Trithemio mentionem fecimus. De iisdem *Georgius Agricola* in fine libri de Animalibus Subterran. & in Dialogo quem Bermannum inscribit, luculentum habet testimonium. Prioris loci verba do. *In metallicis fodinis invenun-*

niuntur, & truculenti quidem, vel solo aspectu terribiles; plerumque metallicis infesti atque inimici sunt. Talis fuit Annebergius dæmon, qui operarios ampliùs duodecim flatu interfecit, in specu, qui Corona rosacea appellatur, eo nomine relictus, quantumvis argento dives esset. Flatum verò emittebat ex rictu, cùm equi specie, habentis procerum collum & truces oculos, appareret. Ejusmodi etiam fuit Snebergius, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è terra sublatum, in superiore loco maximæ illius concavitatis, quondam feracis argenti, collocavit, non sine corporis attritu. Quæstuosam admodum fodinam deserere apud Turcas cogebatur Judæus à dæmone metallico, hominibus frequenter in forma capræ, aureæ cornua gerentis, apparente. At sedatos illos, Germanorum alii, ut etiam Græci, Cobalos *vocant, quòd hominum sint imitatores. Nam quasi lætitiâ gestientes rident, & multa videntur facere, nihil interim efficientes. Alii* virunculos *montanos vocant, quia plerumque apparent nani, tres dodrantes longi; videntur autem esse seneciones, & vestiti more metallicorum, id est, vitteto, indusio, & corio circa lumbos dependente. Innoxii sunt hi metallicis, etsi interdum glareis operarios lacessunt; rarissimè tamen eos lædunt, nisi cachinno vel maledicto lacessiti. Potissimum opus facere videntur in his specubus, in quibus metalla jam effodiuntur, vel ea effodi posse spes est.* Hæc Agricola loc. cit. In altero loco ita scribit. *Ut ut jocamur; genus certè dæmonum in fodinis nonnullis versari compertum est. Quorum quidam nihil damni metallicis inferunt, sed in puteis vagantur, ac laboribus, cùm nihil agant, videntur se exercere: nunc cavando venam, nunc ingerendo in modulos, id quod effossum est, nunc machinam versando tractoriam, nunc irritando operarios; idq; potissimum faciunt in his specubus, è quibus multum argenti effoditur, vel magna ejus inveniendi spes est. Alii verò noxii admodum sunt, ut ille qui ante aliquot annos Annebergi, &c.* quæ antea ex ipso retulimus. Inter hos, ait, aliquos ita pravos esse, ut metallici eos non secus ac pestem quandam præsentissimam aversentur, & fugiant. Alios contrà ait, esse adeo mites, ut eos frequentes adesse, & laborem eorum sæpius audiri, non modò non ægrè ferant metalici, sed etiam exoptent, & pro bono omine habeant. De montanis virunculis multæ circumferuntur inter Germanos nostros narratiunculæ; quas, quia fabulis quàm historiis similiores sunt, omitto.

Ludovicus Lavaterus lib. de Spectris par. 1. cap. 16. refert scriptum ad se à viro pio & docto, *Davosii in Alpibus Rheticis argenti fodinam esse, in quam Consul illius loci Petrus Buol, superioribus annis sumptus fecit, & ex qua opes non exiguas collegit. In illa Spiritus seu dæmon montanus fuit, qui cùm metallici res fossiles infunderent vasis, plerumque diebus Veneris, valde negotiosus esse visus fuerit, metalla suo arbitratu ex uno vase in alterum infundens. Quod Consul ille non indignè tulit. Quoties in fodinam descendere voluit, vel ascendere, cruce se muniens, nunquam læsus est. Accidit autem, ut cùm Spiritus ille die quodam valde importunus esset, id metallicus quidam molestè ferens, conviciis eum incesserit, jusseritq; eum abire in malam rem,*

T ad-

additis diris & execrationibus. Spiritus ille, operarii caput apprehendens, ita eum torsit, ut facies in tergum verteretur. Non tamen extinctus fuit, sed diu postea obtorto collo superstes, multis qui etiamnum vivunt, familiariter notus fuit, & intra paucos demum annos è vivis excessit. Alia exempla invenies libro sequente cap. 13.

Hactenus de montanis, subterraneis, ac metallicis dæmonibus; nunc de domesticis virunculis.

Dæmones domestici.

Joannes Meletius in Epistola quadam apud Delrium lib. 2. Disquisit. Magic. q. 27. sect. 2. scribit, in Sarmatia coli Spiritus quosdam visibiles, qui linguâ Ruthenicâ *Coltri*, Germanicâ Kobali dicantur; *quos credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum: nutriuntque eos lautè omni ciborum genere, eò quòd adferre soleant nutritoribus suis frumentum, ex alienis horreis furto sublatum. Cùm verò alicubi illi Spiritus habitare & nutriri cupiunt, hoc modo suam erga patremfamilias voluntatem declarant: in domum congerunt noctu segmenta lignorum, & mulctris imponunt lacte plenis varia stercora animalium; quod ubi paterfamilias animadverterit, nec dissipaverit segmenta, nec stercora è mulctris ejecerit, sed de inquinato lacte cum omni familia sua comederit; tunc illi apparere, & permanere ibi dicuntur.* Hactenus ille apud Delrium cit. loco.

Virunculorum ac fæmellarum spectra, brevitudine ac specie pigmæorum vel pumilionum, olim in multorum domibus frequentia erant. Domestica ferè omnia ministeria obire solebant, equos curare, domum verrere, ligna & aquam adferre, & similia facere. Meminit horum *Agricola lib. cit. De Animal. Subterr.* his verbis: *Itaque non admodum sunt dissimiles* (montani virunculi, de quibus cit. loc.) *dæmonibus, tum his qui hominibus rarò apparent, cùm quotidie partem laboris domi perficiant, & curent jumenta (Quibus, quòd nostri causâ benignè faciant, generique hominum sint, aut saltem videantur esse amici, nomen imposuerunt Germani, Gutelos siquidem appellant;) tum Trullis vocatis, quos sexu tam mulieris, quàm viri ementito, cùm apud alias nationes, tum maximè apud Suiones in famulatu fuisse ferunt.* Delrius ait, hos à Gallis vocari *des Gobelins*, à Teutonibus inferioris Germaniæ Rabbaudermannekens / & Guboldekens. Meminit domesticorum Spirituum etiam *Olaus Magnus lib. 3. cap. 11.*

Virunculi montani ac domestici, an sint dæmones.

De enumeratis hoc capite dæmonibus quorundam opinio fuit, non dæmones illos esse, sed homunciones quosdam, medium inter bruta & homines, sub humana tamen forma, animantium genus constituentes, qui prædictis aliisq; occultis locis latitent, sed tamen hominum aspectibus se quandoq; offerant, *Tyræo teste lib. 3. de Spirit. Apparit. cap. 2.* Hunc errorem latè explicat & tuetur *Paracelsus in Epist. ad Athenienses sive de Occulta Philosophia* dicens, Deum præter homines Adami posteros, alia quatuor hominũ

gene-

Digitized by Google

genera, carne, & ossibus, ac ratione prædita creasse, eosq; in singulis elementis ad inhabitandum collocasse, in quibus singuli suam haberent Rempubl. & ex negotiatione ac laboribus victû & amictum sibi comparare; & eos homines, qui in terræ visceribus habitant, vocari *Pigmæos* & *Gnomos*; qui in aquis, *Nymphas* & *Undenas*; qui in aëre, *Sylvas* & *Melusinas* (quos solos cum hominibus Adami posteris commercium habere, & ex mutua commixtione liberos gignere asserit;) qui in igne deniq; habitant, *Vulcanos* & *Salamandras* appellari. Hæc de Paracelso prodit Godelmannus apud Delrium loco proximè cit. quæ utiq; non nugacia tantùm, sed impia etiam, & à fide recta aliena sunt, quæ unum tantùm hominum genus agnoscit.

Nos cum aliis asserimus, illos quos hoc capite recensuimus, veros & incorporeos dæmones esse, ex eorum genere, qui aërem & loca maximè subterranea, DEI ordinatione, inhabitant, in hominum perniciem intentos. Quòd si benignos ac beneficos quandoq; se monstrat, id faciunt, aut quia à Deo nocere non permittuntur, aut ut graviùs suo tempore noceant, ut ex relatis historiis apparet.

APPENDIX
Ad
LIBRUM PRIMUM,
DE MIRABILIBUS DÆMONUM.

CUm non minor sit Dæmonum malitia, quàm operandi facultas; nec minus nocendi desiderium, quàm in genus nostrum odium; non minùs noxia sunt, quàm mira, quæ sive verè, sive in speciem, per se ac suos operantur. Mira prodidimus multa; noxia miscuimus non pauca; plura utriusque super sunt generis; ex omnibus seligam quæ ad illusiones, oracula, superstitiones, aliasq; similes nocendi artes pertinent, animo non tam ut ea sciamus, quàm ut detestemur ac fugiamus. In fine addemus varia & jucunda exempla Dæmonum, maximè subterraneorum, ac montanorum, de quibus proximè præcedenti capite actum.

CAPUT I.

De illusionibus diabolicis, modoque illas cognoscendi.

Dæmonis studium nocendi.

QVia, ut ait Synesius, *calamitates mortalium convivia sunt malorum dæmonum*; nullâ re magis delectantur quàm illudere, decipere, nocere, mactare. *Serpit hoc malum Diaboli* (ait D. August. lib. 18. qq.) *per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accommodat se coloribus, adhæret sonis, odoribus se subjicit, infundit se saporibus, & quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, aliquando crudeliter torquens dolore ac metu, aliquando dolosè distrahens, vel subsannans ludicris.* Do exempla.

§. I. Exempla illusionis diabolicæ.

Illusionis diabolicæ exempla.

DE B. Simeone Monacho Trevirensi Everwinus Abbas in Vita ipsius apud Surium I. Junii, hanc narrat historiam. *In vertice montis Sinai jussu superiorum cùm missus fuisset, ibi habitaturus; nocturnis horis illi specie Angelicâ dæmon apparuit, & ut missam celebret hortatur. Ipse nec planè dormiens, nec perfectè vigilans, contradicit, non debere sine presbyterii ordine aliquem hoc ministerium implere. Contrà inimicus instat, se DEI legatum esse, Christum hoc velle, nec decere sanctum locum ministerio tali diutiùs privari. Renitentem ergò, & contradicentem, adjuncto sibi consortio alterius dæmonis, de lectulo educunt, ante altare jam vigilantem statuunt, albâ induunt. De stola utrimque altercantur: hostis more presbyteri, Simeon more diaconi contendebat sibi imponi debere. Tandem DEI famulus ad se reversus, virtute orationis & signo crucis inimicum repellit, seq; delusum ingemiscit.* Deprehendit autem illusionem, quia sub specie boni ad id impellebatur, quod erat contra Ecclesiæ canones.

Suprà cap. 32. docui ex Vita S. Norberti cap. 27. apud Surium 6. Junii, dæmonem reddidisse idiotam quendam subitò sacræ scripturæ peritissimum; utique per insignem illusionem. Rem totam narrare placet verbis Scriptoris illius, Beato Norberto coævi. *Inter quos (Præmonstratenses Religiosos) fallax ille spiritus quosdam considerans idiotas, & sua illos quondam recognoscens fuisse vascula, in quibus suæ quieti & voluptati indulgere consuevisset, ita illos falsâ suæ illusionis sapientiâ replevit, ut qui priùs in libris vix legere noverant, jam ex libris magna quadam dicerent, & de futuris prophetando majora & stupenda prædicerent. Danielis denique, unus ex eis prophetiam se scire asserebat, & de ea quadam duce mendacio loquebatur, ubi de quatuor, & septem, & decem cornibus & regibus Propheta scribendo inducit, & de Antichristo. In quibus jam simpliciores quosque attentos reddiderat, & si fieri posset, etiam ipsum DEI hominem & Venerabilem Abbatem Simonem S. Nicolai in errorem induxisset. Jam enim eò usq; progressa erat ejus arrogantia, ut ipsis assidentibus, etiam in Capitulo, sermonem facere auderet. Et qui vidit, & audivit, prabet hujus rei testimonium: Et hoc signum ejus, quia de Sermone profert initium. Erat enim hic sermo:* Estote fortes in bello, & pugnate

Digitized by Google

te cum antiquo serpente. *Hæc Spiritus ille mendax per organum illud suum proferebat; sed ad veritatem quæ sequitur, videlicet*, Et accipietis regnũ æternum, *haudquaquã procedere nequã valebat. Porrò cùm ab auditoribus veritatis & dulcedinis fallax ille Spiritus se ex parte deprehendi cerneret, ut est mille artifex, majore arte ad alia fallendi genera se convertit; ut quia manifestæ operationi intentos non poterat subvertere, saltem contemplatores quoslibet averteret à cõtemplatione. Nam ille idem Clericus, laboris hujus minister, subitâ quadã & gravissimâ infirmitate corripitur, & qui priùs de visibilibus responsa dabat, jam in cœlũ os suũ, ad invisibilia & ineffabilia promenda, ponere non verebatur. Concurrunt Fratres, ut consuetum est, ad inungendum eum; concurrunt ad ea quæ dicebat audienda. De se quidem magna, sed de circumstantibus asserebat majora. De se, quòd eâdem vesperâ aut futurus esset cum Angelis in cœlo, aut staret sanus cum cæteris Fratribus in choro. De aliis verò, singulorum considerans habilitatem, quasi prophetando & augurando dicebat: Hunc cùm nuper in Ecclesia ad superiora raperer, vidi ad æternitatem vocatum: istum jam in sede felicitatis positum: lectum istius in felicitate eâdem præparatum: Iste futurus est Pontifex: iste constituendus rector multorum Regularium & magister: iste in bono proposito perseveraturus: iste alius deficiens recessurus. His dictis, ita se comparavit, quasi ultimum exhalaturus Spiritum, unius horæ spatio sic in terra jacens, ut statim moriturus facere solet; cùm audito vesperarum primo sonitu surrexit, & veloci cursu cum aliis chorum intravit. Quod cùm adstantes cernerent, alii aliis suum errorem confitentes, se delusos esse contestabantur.* Vide hîc (ut benè monet *P. Delrius lib. 4. Disquis. Magic. cap. 1. quæst. 3. sect. 5.* ubi idem exemplum refert) gradus superbiæ ad quã Diabolus religiosos illos impellebat. Primùm idiotas sibi deligit, & facit videri doctos: secũdò, facit illos scripturam interpretari: tertiò etiam coram majoribus disserere, in locis, ubi tacendum de his, & culpa potiùs humiliter agnoscenda: quartò, facit eos Pseudoprophetas de se magna loquentes, nec de aliis minora, ut superbia pluribus afficaretur.

Subjicit postea idem Scriptor Vitæ S. Norberti eodem cap. aliud exemplum de Clerico alio, quem malignissimus insidiator, & scelerum cunctorũ subtilissimus architectus excitavit, ut sicut prior ex prophetia Danielis, ita ipse ex B. Joannis Apostoli Apocalypsi arcana mysteria erueret. *Quem cùm unus ex prioribus in Capitulum adduxisset: Ecce, inquit, nunc demum visitavit nos Oriens ex alto, quia hunc non diuturna scholarum exercitatio instruxit, nec labor annorum numero computatus edocuit, sed Angelica quædam revelatio, quæ per totam noctem sub tenebrarum silentio ad ipsum diligenter instruendum, & nos per ipsum, laboravit. Audientes hæc quidam de Fratribus, quibus jam ex parte subtilitas fallacium spirituum nota erat, omnino prohibuerunt, dicentes posthac nec hunc, nec alium quenquam se velle audire, donec pater Norbertus reverteretur. Videns itaq; mendacissimus ille spiritus, claritatem suam, quã se transfert in Angelum*

 lucis;

lucis, esse repulsam; ut leo frendens, qui esurit, & circumit quærens quem devoret. quasi incitatus ad iram, nec ultra latere valens, apertè sævitiam suam, & odii rabiem, quam adversus congregationem, & aciem benè instructam gerebat, exercere cœpit. Primò quidem inter illos duos, quibus sic illuserat, & per quos alios illaqueare tentaverat, tantas inimicitiæ discordias sevit, ut si alter alterum alicubi potuisset apprehendere, interfecturus fuerit; & nisi feris & vinculis retenti essent, evadendi alter eorum non fuerit locum reperturus. Hic finis tragœdiæ, hic vanæ ac fucatæ scientiæ, à dæmone ad tempus modis suprà citato cap. 32. insinuatis communicatæ fructus.

§. II. Alia diabolicæ illusionis exempla.

Illusionis diabolicæ alia exempla.

Illustre illusionis ac simul malignitatis diabolicæ est Exemplum, quod scribit *P. Franciscus Bentius* in annuis litteris Nostrorum Patrum Provinciæ Mediolanensis Anni 1590, & ex ipso *P. Delrius* lib. 4. Disquisit. Magic. cap. 1. q. 3. sect. 5. his verbis.

In oppido quodam suburbano prope Aronam, ad triginta mulieres malo dæmone agitantur, omnes ferè virgines, infimaque conditionis, eæ præsertim, quæ sunt voto virginitatis obstrictæ. Mirum, has quibus dolis circumveniat, quibus artibus oppugnet. Varias induit formas, ut alliciat ad infanda; ut deterreat ab honestis, assimulat modò personam & pietatem Monachi, & quod audire aures horrent, ipsiusmet Christi crucifixi, hortantis ad impia: quin & ursum, leonem, serpentem, impetum facturus in puellas hianti ore, & devoraturus uno haustu. Minacem etiam militem cum sclopo parato & instructo jamjamque extrusuro pernicialem glandem cum flamma, tonitruq; nisi extorqueat assensum. Sed Simplicitas Virginum vincit omnem astutiam, Deo nixa. Magna omnino earum fides, eoque clipeo ignea nequissimi tela extinxêre. E pluribus narrationes duæ reponentur.

Ex earum numero quædam nobilibus orta parentibus, & molliter educata, cùm haberet aliquando noctem infestam à diabolo insidiante, stratū deserit, & hieme licèt mediâ, ac tempestâ perfrigidâ, in nudo pavimento nuda cubat. Cùm cresceret nihilo seciùs flāma (ut magnum incendium aquâ ingestâ) clàm cubiculo egressa in hortum secedit, ibiq; magnâ æmulatione Francisci, quem eadem facti asse acceperat, corpus projecit in aggerem nivium, tamdiuq; pervolutavit, obstrepente licèt dæmone (qui ab ea visebatur) & dentibus frendente, ut internum ignem externo frigore restinxerit.

Alteri item dæmon noctu se ostendit imagine B. Ursulæ, crucis vexillum præferens, cum multarum Virginum comitatu, atq; ita locutus est. Videt DEUS amatq; tuum istud studium tuendæ pudicitiæ: sed quoniam difficile admodum est, in paterna domo, in tanto strepitu occursantium, & periculorum objectu, non contaminari mentem aliqua ex parte; nos allegavit, ut te duceremus in cœnobium sacrarum Virginum, omissis curis omnibus ipsius Numini famulantium. Hic virguncula, DEO aspirante, cùm verens diaboli insidias dexteram duxisset manum à capite in pectus, moxq; à sinistra produxisset in dexteram, ut efformaret crucem; se talibus visis, tantoq; honore indignissimam esse profitetur. Neq; verò vobis habeo magnam fidem. Timeo & in speciosis consiliis fictos dolos.

Quòd

Digitized by Google

Quòd si DEI legatione fungimini, has sanctorum reliquias (habebat reliquias alligatas ad collum) humiliter veneremini. Mirum dictu! procubuerunt in genua larvæ venerabundæ; & tantò magis urgent ut maturet profectionem. At illa: mihi non licet quidquam gravius statuere mei Patris Spiritualis injussu; neq. ad eum adire decet nocte intempestâ: convenite vos illum, & exponite mandatum DEI; ubi diluxerit, ego accedam, & utar consilio illius. Hoc responso, dæmones abjectâ omni simulatione, in suas se tenebras abdiderunt, cum fremitu in irridentem puellam, quòd linguâ solùm pugnarent, gratesque agentem suppliciter Deo, contumelias & probra certatim ingerentes. Hactenus Bentius. Ex quibus discas, quâ ratione superbissimo hosti obviandum, maximè dum ad superbiam, aut vanam de sua sanctitate complacentiam incitat.

Lepidum est quod narrat Osbertus in Vita S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis, apud Surium 19. Maii. Verba Scriptoris Vitæ reddo. *Post aliquantos novæ conversationis suæ dies Glasconium Dunstanus perrexit, & ibi juxta Ecclesiam Sanctæ DEI Genitricis & Virginis MARIÆ, &c. sibi domunculam adeo parvulam fecit, ut mirum habeant, qui eam noverunt, qualiter ibi vivus homo degere potuerit. Ipsemet enim eam mensus sum, & nihil ultra quatuor pedes in longitudine, nec plusquàm duos ac semis habet in Latitudine: altitudo autem staturam hominis concipit. In medio ostii fenestra est. Illic ergo conversari, orare, psallere, nonnulla quæ loci angustia patiebatur, manibus operari, & uni Deo ut placeret per omnia & in omnibus, operam dare visus est. Quibus ejus exercitiis antiquus humani generis adversarius invidens, sicut eum à curia regis nuper expulit, ita qualiter à loco isto expelleret, malignus sollicitus fuit. Quadam igitur vice, cùm vir ipse jam die advesperascente fabrili intenderet operi, adstitit fenestra ipsius dæmon unus humanâ effigie tectus, rogans sibi nescio quid operis ab homine fieri. At ille pietatis affectu ex more permotus, intermissis his quæ faciebat, parabat se ad satisfaciendum postulanti. Interim is qui venerat, formam ac verba mutare, ut nunc senis, nunc pueri, nunc lasciva puellæ æstimares te vultus cum voce videre. Quod Dunstanus audiens, protinus quis esset cognovit; & sedens, motus ejus patienter se ferre simulavit. Sumptis interea tenaculis, quibus calida ferra tenere solebat, fortiter ea ignivit, & candentia de fornace subitò proferens, monstrum per nasum arripuit, & strictissimè tenuit. Videres itaque pulchrum certamen inter amicum DEI & inimicum: Ille ardorem sentiens, ac detectis insidiis superbiam suam dejectam non ferens, totis nisibus conabatur evadere; iste illum retinens, & intrò viriliter trahens, latabatur quòd in nomine CHRISTI poterat de inimico ejus triumphare. Tandem cum dedecore à viro abjectus fugit & per plateam currens, querulâ voce clamitabat, dicens: Væ, quid ille calvus fecit! Væ, quid ille calvus diabolus fecit! &c.*

§. III. Adhuc alia illusionis diabolicæ exempla.

Illusionis diabolicæ adhuc alia exempla.

Efficacissimum remedium ad diabolicas illusiones effugiendas, maximè quando ad superbiam, aut vanam sui complacentiam excitare virtutum ac perfectioris vitæ studiosos nititur, tanquam clipeum illi objicere humilitatē, & quò magis ille effert, eò se magis dejicere. Fecit hoc pruden-

tissi-

beneficium obtinendi, jam nihil cunctandum putabat, quid id gratus aclubens accipe-ret. Sed dum magis magisq; in eam rem cogitationem intendit, atque huc illuc variè inter spem metumq; impellitur; ex ejus vultu domesticus quidam sacerdos conjiciens aliquid subesse, quo sic distraheretur; eum blandè adortus, ac quid animo agitaret expiscatus, monitis suis pervicit, nè ampliùs ad colloquium ullum cum dæmone descenderet. Sic frustratus suâ expectatione Germanus, non longè abiit, quin ex pacti formula pœnas penderet. Nam non adeo multis post diebus, equo planâ atque apertâ viâ dacidens, inq; caput proruens, exanimis momento temporis repertus est.

§. II. Alia dæmonum familiarium exempla.

Familiarium dæmonum alia exempla.

Hieronymus Cardanus lib. 19. Subtilis. qui est de Dæmonibus, ait, se non semel, nec paucis vicibus audivisse à patre suo Facio Cardano, eum per triginta fermè annos habuisse dæmonem familiarem. Addit quo habitu dæmones viderit, & quid cum ipsis locutus. Quod colloquium ex ipsius Facii Cardani à filio Cardano desumptum, tametsi multa impia, quædam etiam stolida continet; quia tamen hoc ipsum filius agnoscit, & in patre modestè reprobat, adducere in medium volui. Sic ergo scribit. *Idibus Augusti, M. CCCCXCI. cùm peregissem sacra, horâ diei XX. apparuerunt de more septem viri, sericeis induti vestibus, pallio quasi Græco, caligis ut videbatur purpureis, subuculæ thoracibus splendentibus, ac rubentibus, ut è chermesino esse viderentur, formâ augustiore quàm communi, & conspicuâ admodum. Nec tamen omnes sic vestiti, sed duo, quos constabat esse nobiliores inter ipsos: nam illorum alterum, qui procerior erat, & rubicundus, duo alii sequebantur comites: alterum, qui pallidior esset, ac minor corpore, tres alii. Ita omnes septem erant. Capitinè quid haberent impositum, an nudum esset, scriptum non reliquit. Ætas illis juxta quadragesimum annum, sed qua nec trigesimum præferret. Cùm interrogarentur, quinam essent, responderunt, homines esse quasi aëreos, qui & ipsi nascerentur ac interirent: verùm vitam illorum nostrâ esse longè diuturniorem, ut qua ad annos CCC. extenderetur. Interroganti de animæ immortalitate nostræ, nihil, quod cuique proprium esset, superesse affirmârunt. Ipsos divis esse conjunctiores multò humano genere, sed tamen ab illis infinito penè distare intervallo. Nec secus illos nobis aut beatiores esse, aut miseriores, ac nos ipsis sumus belluis. Nihil latere abditarum rerum, ut nec libros, aut pecunias: infimamq; illorum colluviem esse genios Virorum nobilissimorum, non secus ac homines vilissimos generosorum canum aut equorum educatores. Cùmq; ipsi tenuissimo essent corpore, nihil nobis commodi aut detrimenti posse afferre præter spectra atque terrores, tum scientiam. Erant alteri, qui minore erat corpore, CCC discipuli, alteri CC. in publica Academia. Uterque enim eorum publicè profitebatur. Cùm pater meus interrogasset, cur; si thesauros nossent, ipsi non revelarent hominibus; responderunt, sancitum esse hoc privat[illegible] maximis pœnis, nè quiquam hoc eis communicet. Manserunt*

Dæmon familiaris Cardani.

ferunt apud illum horis plùs quàm tribus. Disputârunt autem interim, rogante illo de causa Mundi. Qui procerior erat, negabat DEUM effecisse Mundum ab æterno. Contrà alter adstruebat, per singula momenta ita DEUM creare Mundum, ut si vel momento desisteret, protinus ipse Mundus periret. Ad hoc ipse ex Averrois disputationibus quædam adducebat, cùm liber ille nondum inventus esset. Referebat & nomina quorundam librorum, quorum pars inventa, pars adhuc in occulto est. Atque hi omnes tamen Averrois erant. Ille verò palàm Averroistam se profitebatur. Hæc seu historia, seu fabula sit, ita se habuit. Quòd fabula videatur, satis argumento esse debet, quòd placita hæc non satis cum religione consentiunt; quòdq́; pater meus cum suis dæmonibus nihilo aut felicior, aut ditior, aut notior hominibus fuerit, quàm ego, qui dæmones nunquam vidi. Verissimum hæc non satis cum religione Christiana convenire, satisque manifestè atheismum patris Cardani arguunt. At quæ de duorum dæmonum magisterio & discipulis in Academia publica profert, quàm non ridicula tantùm, sed stolida etiam, & puerilia! Sed dæmones qui mendaces sunt, ac hominum perditioni invigilant, Cardani patrem in conceptis erroribus confirmare voluerunt. Quæ de patris sui dæmone familiari hîc tradit Cardanus, repetit *lib. 16. de Variet. rerum c. 93.* his verbis. *Facius Cardanus dæmonem æthereum, ut ipse dicebat, diu familiarem habuit: qui quàm diu conjuratione usus est, vera illi dabat responsa: cùm autem illam exussisset, veniebat quidem, sed responsa falsa dabat. Tenuit igitur annis, ni fallor, viginti octo cum conjuratione, solutum autem circiter quinque; ut res se habeat, dum adstrictus esset, commodum se satis exhibebat. Atque is saltem dæmones esse fidem faciebat, quòd diligenter omnia inquisierit ab illis. Neque enim solus semper, licèt plerumque, sed aliquando cum sociis etiam veniebat.* Loco proximè citato narrat idem Cardanus de patre suo, cùm jam medicinæ operam dedisset, & ad ædes amici vocatus, ut filii periculosè ægrotantis curam haberet, nocte primâ cum sociis cubitum ivisset, audivisse in pariete cubiculi ictum continuum, & à socio intellexisse, dæmonem esse familiarem ex iis, quos folletos vocarent, esseque innoxium, nihil proinde timeret. Addit quomodo paulò pòst manum, quæ frigidissima erat, supra faciem ejusdem patris primùm, deinde socii alterius posuerit &c.

§. III. Adhuc alia exempla familiarium dæmonum.

Familiarium Dæmonum adhuc alia exempla.

Mirabilis est historia, quam Cæsarius Distinct. 5. cap. 36. refert de familiari quodam dæmone; quam ejusdem verbis adscribere placuit. *Dæmon quidam*, inquit, *adolescentis venusti speciem induens, ad quendam militem venit, obsequium suum illi offerens. Cui cùm multùm placeret, tam in decore, quàm in sermone, gratanter ab eo susceptus est. Qui mox militi servire cœpit*

tam diligenter, & tam timide, tam fideliter, & tam jucunde, ut satis ille miraretur. Nunquam equum suum ascendit, nunquam descendit, quin ille præparatum esset, & genu flexo strepam teneret. Discretum, providum, & hilarem semper se exhibuit. Die quadam dum simul equitarent, & venissent ad fluvium quendam magnum, miles respiciens, & plures ex inimicis suis mortalibus post eos venire considerans, ait servo: Mortui sumus! ecce inimici mei post me festinant; fluvius ex opposito est; nullus superest locus refugii: aut occident me, aut capient. Tunc ille: ne timeas Domine; vadum fluminis hujus bene novi; sequere tantùm me; bene ovademus. Respondente milite: Nunquam homo fluvium istum in hoc loco transvadavit. Spe tamen evasionis suum ducem secutus, sine periculo venit ad littus. Et ecce eis transpositis, hostes ex opposito littore consistentes mirati sunt, dicentes: Quis unquam audivit vadum in flumine isto? Non alius nisi diabolus istum transvexit. Timentesq́; reversi sunt. Processu verò temporis accidit, ut militis uxor infirmaretur usque ad mortem. In qua dum omnes Medicorum artes defecissent, ait iterum dæmon domino suo: si domina mea inungeretur lacte leonino, statim sanaretur. Dicente milite, unde haberetur tale lac; respondit ille: Ego afferam. Qui vadens, & post spatium unius horæ rediens, vas plenum secum attulit: à quo cùm fuisset peruncta, mox meliorata pristinum recuperavit vigorem. Cui cùm diceret miles: Undè habuisti tam citò lac illud? respondit: De montibus attuli Arabiæ; recedens à te, in Arabiam ivi, leænæ speluncam intravi, catulos abegi, & ipsam mulsi, sicq́; reversus sum ad te. Stupente milite ad verba ista, & dicente: Quis ergo es tu? Respondit ille: Non solliciteris de hoc; servus enim tuus sum ego. Instante milite, tandem confessus est, dicens: Dæmon ego sum, unus ex illis, qui cum Lucifero ceciderunt. Tunc magis miles obstupescens, subjunxit: Si naturà diabolus es, quid est, quòd tam fideliter servis homini? Respondit dæmon: Magna est mihi consolatio, esse cum filiis hominum. Dicente milite: Non audeo de cætero uti servitio tuo; iterum ille respondit: Hoc profectò scias, quia si me tenueris, nunquam à me, vel propter me, aliquid mali tibi eveniet. Non audeo, inquit; sed quidquid pro mercede tua postulaveris, licèt dimidium bonorum meorum, libens tradam tibi. Nunquam homo homini servivit tam fideliter, & tam utiliter. Per tuam providentiam juxta fluvium mortem evasi: per te uxor mea recepit sanitatem. Tunc dæmon: Ex quo tecum esse non potero, nil pro servitio meo, nisi quinq́; solidos, requiro. Quos cùm recepisset, militi illis reddidit, dicens: Peto, ut ex eis nolam compares, & super tectum pauperis illius Ecclesiæ ac desolatæ suspendas, ut per eam saltem Dominicis diebus fideles ad divinum convocentur officium. Sicq́; ab oculis ejus disparuit. Mirabilis sanè historia. Sapit tamen, meo judicio, fabulam, quoniam nec locus fluminis, nec nomen additur; uti nec nomen militis, aut loci ubi habitavit. Inauditum etiam est, dæmonem delectari consortio hominum eo solùm fine, ut illis fideliter serviat: semper enim perniciem eorum molitur, nec diu differt, quin inferat, si à DEO permittatur. Si tamen verè ita contigit, haud

haud dubiè à noxa inferenda à DEO prohibitus fuit: & jubendo emi campanam, quâ populi ad divinum officium convocarentur, majus aliquod lucrum suum inde speravit.

Dæmones domestici.

Joannes VVierus lib. 1 de Præstigiis Damon. cap. 20. ait, esse aliquos dæmones mites, meritò Lares familiares nuncupandos, *qui in domibus concubiâ potissimùm nocte versantur, atq; ministrorum munia peragere auditui apparent, descendere scilicet è gradibus, ostia aperire, struere ignem, haurire aquam, cibum & quæcunq; alia cuiq; domui consueta apparare, cùm prorsus nihil faciant.* Horum plerosq; rerum quoq; futurarum ex occultis indiciis præscios, ea quæ paulò pôst comperimus fieri, antea administrare asserit; confirmatq; id domestico exemplo. *Cùm enim in tabulato paternarum ædium ingens lupuli asservaretur copia, si quando venturi essent emptores, præcedenti nocte per gradus dejici eo modo audiebantur sacci, quo veritatem subsequens ostendebat dies.*

§. IV. De familiari Genio Socratis, Plotini, Agrippæ, & aliorum.

Familiaris Genius Socratis, Plotini, Agrippæ.

Socratem dæmonis familiaris consuetudine usum fuisse, & inspiratione illius multa præscivisse, passim testantur Plato, Xenophon, Apulejus, Marsilius Ficinus, Cardanus, & alii. *Siquidem Timarchus* (inquit ex aliis Ficinus lib. 13 Theol. Platon. cap. 2.) *cùm ab eo convivio discessisset, ubi Socrates discumbebat, Socratis dæmone prohibente; inde ea perpetravit, quorum causâ est occisus. Charmides in Nemea certavit, vetante Socrate; ac certasse pœnituit. Critoni contra Socraticum consilium rusticanti, ramulus aliquis percussit oculum. Idem etiam Socrates dum fugeret, unà cum aliis nonnullis, impetum hostium, ut ventum est in trivium, eâdem, quâ cæteri, fugere noluit, quia deterrebatur à dæmone. Tum quidem ii qui aliâ viâ fugerant, in equitatum hostium inciderunt. Aristides, & Thucydides, aliiq; permulti, quam diu Socrati propinquabant, etiam Socrate ipso tacente, in Philosophiæ studio proficiebant quam plurimùm, dæmonis illius instinctu; & quantò longius recedebant à Socrate, tantò reddebantur ad philosophiam ineptiores. Idem cùm morti propinquaret, ut scribit Xenophon, prædixit Anyto, filium ejus, qui tunc modestus videbatur, fore flagitiosissimum; atq; ita evenit.* Hæc Ficinus; quæ quidem desumpsit ex Platonis Theage, seu Dialogo de Sapientia, ubi Socrates de se ipso sic loquitur. *Adest mihi divinâ quadam sorte dæmonium quoddam, à prima pueritia me secutum: hoc enim vox est quædam, quæ cùm fit, semper ejus rei, quam facturus sum, dissuasionem innuit, provocat verò nunquam. Quòd si quis amicorum mecum quandoq; aliquid communicat, venitq; vox; hoc illa dissuadet, neq; facere sinit. Cujus quidem rei vobis testes dabo.* Subjungit deinde exempla paulò antè à Marsilio relata, multaq; alia, quæ referre piget. Ejusdem dæmonis multis aliis in locis apud Platonem fit mentio.

Digitized by Google

De Plotino Philosopho scribit *Porphyrius*, ejus discipulus, *in Vita Plotini* (quam latinam reddidit Marsilius Ficinus) & ex ipso Cardinalis Baronius Anno Christi 271, quòd, cùm in Campaniam Româ delatus, in agro Zethi veteris amici sui spiritum emisisset, anginâ extinctus, *draco sub lecto, in quo jacebat ille, pererrans, mox in parietis foramen se prorsus occuluit.* Hunc fuisse putant Plotini dæmonem.

Jovius in Elogiis de Henrico Cornelio Agrippa, postquam portentosum ejus ingenium depinxisset, ut qui *immenso captu, vastâq; memoriâ, scientiarum artiumq; omnium rationes arcanaq; intima, & summos apices complexus, disciplinas convellit, religiones in dubium revocavit, studiorumque omnium labores festivâ declamatione derisit &c.* hæc subjungit. *Excessit è vita nondum senex, apud Lugdunum, ignobili & tenebroso in diversorio, multis eum tanquam necromantiæ suspicione infamem execrantibus, quòd cacodæmonem nigri canis specie circumduceret, ita, ut cùm propinquâ morte ad pœnitentiam urgeretur, cani collare loreum magicis per clavorum emblemata inscriptum notis exolverit, in hæc suprema verba iratè prorumpens: Abi perdita bestia, quæ me totum perdidisti. Nec usquam familiaris ille canis, ac assiduus itinerum omnium comes, & tum morientis domini desertor, postea conspectus est; cùm præcipiti fugæ saltu in Ararim se immersisse, nec enatasse, ab his, qui id vidisse afferebant, existimetur.* Ad hanc historiam alludit *Joannes Baptista Possevinus* sic de Agrippa, cujus effigies apud Jovium, & alios, placidissimum refert vultum, scribens.

Vivens quem cernis, nè te fortasse moretur
Os placidum, stygii rex fuit iste lacus.
Quare etiam custodem habuit, dum viveret, Orci,
Cui nunc in tenebris præda daret comitem &c.

Ad eandem alludit Latomus in Epitaphio Agrippæ. Impudens igitur est Joannes Wierus, Agrippæ discipulus, qui eam negare audet in suis de Præstigiis dæmonum libris.

Dæmon familiaris Simonis magi.

Simon Magus, teste *Clemente lib. 1. Recognit.* jactabat sibi assistere animam pueri incorrupti, & violenter necati, adjuramentis ineffabilibus à se evocati; & per eam omne, quod juberet, fieri, ajebat. Erat autem familiaris illi diabolus; quem pueri animam esse prædicabat. Idem canem secum ducere solitum fuisse fertur, qui dæmon ejus familiaris fuisse creditur.

§. V. De dæmonibus annulo, vel vitro inclusis.

Dæmones inclusi annulis, vitris &c.

HUc spectant etiam illi dæmones, qui ut homines captivent, captivari se permittunt (vel potiùs fingunt) certisq; ceremoniis ac ritibus intra annulum sese, aut fragile vitrum, vel crystallum concludi & catenari, ac deinde vel rogati, vel constricti, res abstrusas detegunt, procùl dissita manifestant,

festant, futura enuntiant, & tantùm non oracula fundunt. Talem habebat quidam Jacobus Jodoci de Rosa nomine, apud *Wierum lib. 6. de præstigiis dæmon. cap. 2. Annulum ille circumgestabat, in quo exorcismis colligatum putabat dæmonem, quem singulis quinq; diebus, ut minimùm, alloqui, & de rebus novis, aliisq; consulere cogebatur &c. Sed tandem post suos carceres herus ille, in loco publico ante ædes Senatorias circa forum, solemniter, spectatorum coronâ cinctus, malleo simulatum captivi dæmonis carcerem, annulum videlicet, posti impositum, sententiâ ritè latâ, aperire, atq; omnino perfringere cogebatur, eoque modo captum libertate donare &c: Arnhemiæ, 14. Julii Anno 1548.* Hujusmodi dæmonem annulo inclusum gestasse creditus fuit magnus quidam, & victoriis hoc ipso sæculo inclytus Princeps; qui & in prælio occubuit, cùm paulò antè annuli gemma in frusta dissiluisset. Aliud exemplum leges libro seq. cap. 41. §. 2.

His, aliisq; exemplis, etiam antiquioribus, aliqui persuasi credidêre, posse dæmones à Magis ligari in phialis & annulis; quos inter fuit *Palingenius lib. 10, seu Capricorno, & Petrus Ronsardus lib. de dæmonibus.* Sed falluntur: nullum enim imperium est Magorum in dæmones, utpote naturæ superioris, sed semper vel superior diabolus atq; potentior alios inferiores illic cogit adesse, vel imperio suo retinet, vel ipsi sponte suâ, & ex pacto adsunt, ibiq; se continent, & fingunt se à Magis cogi; quibus revera sponte obtemperant, ut plures irretiant, & irretitos teneant. Quare falluntur, & fallunt, qui dæmones sic ligandi præcepta tradunt. Mentiuntur dæmones ipsi, qui dicunt se verbis, herbis, suffumigationibus, aliisq; ceremoniis coactos advenire, includi, & inclusos manere. *Ipse simulat se captum* (inquit Henricus de Hassia in Genes. apud Delrium lib. 2. Disquisit. Magic. q. 30. sect. 2.) *ut te capiat; se vinctum, ut te vinciat; se tuo imperio subditum, ut te sibi subdat; à te inclusum, ut contra te finaliter concludat. Fingit se tuâ arte vel imagini, vel lapidi alligatum, ut funibus peccatorum religatum, ad infernum te perducat.* Vide *Franciscum Picum* lib. 7. de Prænot. cap. 4. & *Tostatum* ad cap. 6. Tobiæ. *Crespetum* lib. 1. de odio Satanæ Discur. 12. ubi docet, quosdam talium dæmonum inclusorum esse Saturninos, alios Joviales, alios Venereos, alios Mercuriales &c. Item colendos esse certo ritu; statis vicibus noctu possessorem suum excitare; nonnunquam ab eo alloquendos, ni malè ab ipso mulctari velint; in Francia & Italia venales reperiri, ac semper suis emptoribus exitio esse.

Dæmones cur annulis &c. includi se permittãt.

§. VI. Dæmones familiares plerumque noxii dominis suis.

QUod ultimum confirmat funestum exemplum relatum à *Nidero lib. 5. Formic.* de quodam sene Basileensi, qui dæmonem vasculò inclusum, & in scriniolo repositum habebat, prohibueratq; filiæ ac genero suo, ne

Dæmones familiares plerumque dominis suis noxii.

nè vasculum loco moverent: quod ipsi post obitum senis negligentes, cùm scriniolum de domo paterna in domum alteram deferrent, filia à dæmone obsessa & necata fuit, gener verò lapide à tecto cadente ita deformatus in facie, ut vix homo videretur esse.

Ludimoderator (inquit Wierus lib. 2. de præstig. dæmon. cap. 4.) *apud Goslarienses, ex Fausti magi, vel veriùs in fausti mali doctrina instructus, modum quo carminibus in vitro coërceretur Satan, didicit. Ut itaque impediretur à nemine, die quodam in sylvam abiit: ubi in magica execratione aberranti apparuit dæmon horrendâ admodum formâ, oculis flammeis, naribus ad cornu bubuli morem intortis, oblongis dentibus, apriniis non dissimilibus, genis felem referentibus, & in universum terribilis. Hoc idolo terrefactus hic prosternitur, jacetq́ horas aliquot semimortuus. Tandem respiranti nonnihil, atque ad civitatis portas progredienti, quidam familiares obvii, vultûs mutati, palloriq́ causam rogant. Hic tremens, & velut furibundus obmutuit. Inde domum ducitur, ubi horrendos edere sonos, & prorsus insanire cœpit. Anno tandem exacto fari denuò cœpit, & eâ specie sibi dæmonem apparuisse narrat. Cœna verò Dominica communionem ubi tum celebrasset, tertio pòst die se Deo commendans, calamitosa huic vitæ valedixit.*

Joannes Franciscus Picus loco suprà cit. ait, plurimos se allocutos, qui vanâ spe futurorum delusi, ab apparente sibi dæmone, per innita pacta vocato, usq; adeo vexati fuerunt, ut optimè secum putârint actum, quòd vitam non perdiderint. Alium ait intellexisse ab ejus sociis, fuisse à dæmone vivum abreptum, nec amplius comparuisse unquam, dum curioso cuidam & malè sano Principi Trojæ oppugnationem repræsentare quasi in scena pollicitus esset, Achillemque & Hectorem introducere præliantes.

Hæc (concludit Wierus) *magia hujus stipendia, hi simulatæ fructus amicitiæ, hæ ementitæ phialæ, annuli, carceres, ficti compedes, & vesana perniciosaq́ ludibria.*

CAPUT XXXVIII.

De Dæmonibus montanis sive metallicis: item de virunculis ac famellis domesticis.

Dæmones montani sive metallici.

QUæ ad montanos dæmones spectant, excutiet atque illustrabit P. Athanasius Kircherus in Mundo Subterraneo, jam ab annis quinque conscribi cœpto, & necdum, ob argumenti difficultatem absoluto. Nos historias primò dabimus, tum de montanis dæmonibus, tum de virunculis ac fæmellis domesticis; ex quibus, quid de illis sentiendum, constabit.

De montanis seu metallicis dæmonibus suprà cap. 12. ex Psello ac Trithemio mentionem fecimus. De iisdem *Georgius Agricola* in fine libri de Animalibus Subterran. & in Dialogo quem Bermannum inscribit, luculentum habet testimonium. Prioris loci verba do. *In metallicis fodinis inve-*

niun-

Digitized by Google

niuntur , & truculenti quidem , vel solo aspectu terribiles ; plerumque metallicis infesti atque inimici sunt. Talis fuit Annebergius dæmon , qui operarios ampliùs duodecim flatu interfecit , in specu , qui Corona rosacea appellatur , eo nomine relictus , quantumvis argento dives esset. Flatum verò emittebat ex rictu , cùm equi specie , habentis procerum collum & truces oculos , appareret. Ejusmodi etiam fuit Snebergius , nigro cucullo vestitus , qui in fodina Georgiana operarium è terra sublatum , in superiore loco maximæ illius concavitatis , quondam feracis argenti , collocavit , non sine corporis attritu. Quæstuosam admodum fodinam deserere apud Turcas cogebatur Judæus à dæmone metallico , hominibus frequenter in forma capræ , aurea cornua gerentis , apparente. At sedatos illos , Germanorum alii , ut etiam Græci , Cobalos *vocant , quòd hominum sint imitatores. Nam quasi lætitiâ gestientes rident , & multa videntur facere , nihil interim efficientes. Alii* virunculos *montanos vocant , quia plerumque apparent nani , tres dodrantes longi ; videntur autem esse seneciones , & vestiti more metallicorum , id est , vitteto , indusio , & corio circa lumbos dependente. Innoxii sunt hi metallicis , etsi interdum glareis operarios lacessunt ; rarissimè tamen eos lædunt , nisi cachinno vel maledicto lacessiti. Potissimum opus facere videntur in his specubus , in quibus metalla jam effodiuntur , vel ea effodi posse spes est.* Hæc Agricola loc. cit. In altero loco ita scribit. *Ut ut jocamur ; genus certè dæmonum in fodinis nonnullis versari compertum est. Quorum quidam nihil damni metallicis inferunt , sed in puteis vagantur , ac laboribus , cùm nihil agant , videntur se exercere : nunc cavando venam , nunc ingerendo in modulos , id quod effossum est , nunc machinam versando tractoriam , nunc irritando operarios ; idq́ potissimum faciunt in his specubus , è quibus multum argenti effoditur , vel magna ejus inveniendi spes est. Alii verò noxii admodum sunt , ut ille qui ante aliquot annos Annebergi , &c.* quæ antea ex ipso retulimus. Inter hos , ait , aliquos ita pravos esse , ut metallici eos non secus ac pestem quandam præsentissimam aversentur , & fugiant. Alios contrà ait , esse adeo mites , ut eos frequentes adesse , & laborem eorum sæpius audiri , non modò non ægrè ferant metalici , sed etiam exoptent , & pro bono omine habeant. De montanis virunculis multæ circumferuntur inter Germanos nostros narratiunculæ ; quas , quia fabulis quàm historiis similiores sunt , omitto.

Ludovicus Lavaterus lib. de Spectris par. 1. cap. 16. refert scriptum ad se à viro pio & docto , *Davosii in Alpibus Rheticis argenti fodinam esse , in quam Consul illius loci Petrus Buol , superioribus annis sumptus fecit , & ex qua opes non exiguas collegit. In illa Spiritus seu dæmon montanus fuit , qui cùm metallici res fossiles infunderent vasis , plerumque diebus Veneris , valde negotiosus esse visus fuerit , metalla suo arbitratu ex uno vase in alterum infundens. Quod Consul ille non indignè tulit. Quoties in fodinam descendere voluit , vel ascendere , cruce se muniens ; nunquam læsus est. Accidit autem , ut cùm Spiritus ille die quodam valde importunus esset , id metallicus quidam molestè ferens , conviciis eum incesserit , jusseritq́ eum abire in malam rem ,*

additis diris & execrationibus. Spiritus ille, operarii caput apprehendens, ita eum torsit, ut facies in tergum verteretur. Non tamen extinctus fuit, sed diu postea obtorto collo superstes, multis qui etiamnum vivunt familiariter notus fuit, & intra paucos demum annos è vivis excessit. Alia exempla invenies libro sequente cap. 13.

Hactenus de montanis, subterraneis, ac metallicis dæmonibus; nunc de domesticis virunculis.

Dæmones domestici.

Joannes Meletius in Epistola quadam apud Delrium lib. 2. Disquisit. Magic. q. 27. sect. 2. scribit, in Sarmatia coli Spiritus quosdam visibiles, qui linguâ Ruthenicâ *Coltri*, Germanicâ Kobali dicantur; *quos credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum: nutriuntque eos lautè omni ciborum genere, eò quòd adferre soleant nutritoribus suis frumentum, ex alienis horreis furto sublatum. Cùm verò alicubi illi Spiritus habitare & nutriri cupiunt, hoc modo suam erga patremfamilias voluntatem declarant: in domum congerunt noctu segmenta lignorum, & mulctris imponunt lacte plenis varia stercora animalium; quod ubi paterfamilias animadverterit, nec dissipaverit segmenta, nec stercora è mulctris ejecerit, sed de inquinato lacte cum omni familia sua comederit; tunc illi apparere, & permanere ibi dicuntur.* Hactenus ille apud Delrium cit. loco.

Virunculorum ac fæmellarum spectra, brevitudine ac specie pigmæorum vel pumilionum, olim in multorum domibus frequentia erant. Domestica ferè omnia ministeria obire solebant, equos curare, domum verrere, ligna & aquam adferre, & similia facere. Meminit horum *Agricola lib. cit. De Animal. Subterr.* his verbis: *Itaque non admodum sunt dissimiles* (montani virunculi, de quibus cit. loc.) *dæmonibus, tum his qui hominibus rarò apparent, cùm quotidie partem laboris domi perficiant, & curent jumenta (Quibus, quòd nostri causâ benignè faciant, generique hominum sint, aut saltem videantur esse amici, nomen imposuerunt Germani, Gutelos siquidem appellant;) tum Trullis vocatis, quos sexu tam mulieris, quàm viri ementito, cùm apud alias nationes, tum maximè apud Sviones in famulatu fuisse ferunt.* Delrius ait, hos à Gallis vocari *des Gobelins*, à Teutonibus inferioris Germaniæ Rabbaudermannekens / & Guldeckens. Meminit domesticorum Spirituum etiam *Olaus Magnus lib. 3. cap. 11.*

Virunculi montani ac domestici, an sint dæmones.

De enumeratis hoc capite dæmonibus quorundam opinio fuit, non dæmones illos esse, sed homunciones quosdam, medium inter bruta & homines, sub humana tamen forma, animantium genus constituentes, qui prædictis aliisq; occultis locis latitent, sed tamen hominum aspectibus se quandoq; offerant, *Tyræo teste lib. 3. de Spirit. Apparit. cap. 2.* Hunc errorem latè explicat & tuetur *Paracelsus in Epist. ad Atheniens. sive de Occulta Philosophia* dicens, Deum præter homines Adami posteros, alia quatuor hominũ

gene-

genera, carne, & ossibus, ac ratione prædita creasse, eosq; in singulis elementis ad inhabitandum collocasse, in quibus singuli suam haberent Rempubl. & ex negotiatione ac laboribus victū & amictum sibi comparare; & eos homines, qui in terræ visceribus habitant, vocari *Pigmæos* & *Gnomos*; qui in aquis, *Nymphas* & *Undenas*; qui in aëre, *Sylvas* & *Melusinas* (quos solos cum hominibus Adami posteris commercium habere, & ex mutua commixtione liberos gignere asserit;) qui in igne deniq; habitant, *Vulcanos* & *Salamandras* appellari. Hæc de Paracelso prodit Godelmannus apud Delrium loco proximè cit. quæ utiq; non nugacia tantùm, sed impia etiam, & à fide recta aliena sunt, quæ unum tantùm hominum genus agnoscit.

Nos cum aliis asserimus, illos quos hoc capite recensuimus, veros & incorporeos dæmones esse, ex eorum genere, qui aërem & loca maximè subterranea, DEI ordinatione, inhabitant, in hominum perniciem intentos. Quòd si benignos ac beneficos quandoq; se monstrat, id faciunt, aut quia à Deo nocere non permittuntur, aut ut graviùs suo tempore noceant, ut ex relatis historiis apparet.

APPENDIX
Ad
LIBRUM PRIMUM,
DE MIRABILIBUS DÆMONUM.

CUm non minor sit Dæmonum malitia, quàm operandi facultas; nec minus nocendi desiderium, quàm in genus nostrum odium; non minùs noxia sunt, quàm mira, quæ sive verè, sive in speciem, per se ac suos operantur. Mira prodidimus multa; noxia miscuimus non pauca; plura utriusque super sunt generis; ex omnibus seligam quæ ad illusiones, oracula, superstitiones, aliasq; similes nocendi artes pertinent, animo non tam ut ea sciamus, quàm ut detestemur ac fugiamus. In fine addemus varia & jucunda exempla Dæmonum, maximè subterraneorum, ac montanorum, de quibus proximè præcedenti capite actum.

T. 2 CAPUT

CAPUT I.

De illusionibus diabolicis, modoque illas cognoscendi.

Dæmonis studium nocendi.

QUia, ut ait Synesius, *calamitates mortalium convivia sunt malorum dæmonum*; nullâ re magis delectantur quàm illudere, decipere, nocere, mactare. *Serpit hoc malum Diaboli* (ait D. August. lib. 18. qq.) *per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accommodat se coloribus, adhæret sonis, odoribus se subjicit, infundit se saporibus, & quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, aliquando crudeliter torquens dolore ac metu, aliquando dolosè distrahens, vel subsannans ludicris.* Do exempla.

§. I. Exempla illusionis diabolicæ.

Illusionis diabolicæ exempla.

DE B. Simeone Monacho Trevirensi Everwinus Abbas in Vita ipsius apud Surium I. Junii, hanc narrat historiam. *In vertice montis Sinai jussu superiorum cùm missus fuisset, ibi habitaturus; nocturnis horis illi specie Angelicâ dæmon apparuit, & ut missam celebret hortatur. Ipse nec planè dormiens, nec perfectè vigilans, contradicit, non debere sine presbyterii ordine aliquem hoc ministerium implere. Contrà inimicus instat, se DEI legatum esse, Christum hoc velle, nec decere sanctum locum ministerio tali diutiùs privari. Renitentem ergò, & contradicentem, adjuncto sibi consortio alterius dæmonis, de lectulo educunt, ante altare jam vigilantem statuunt, albâ induunt. De stola utrimque altercantur: hostis more presbyteri, Simeon more diaconi contendebat sibi imponi debere. Tandem DEI famulus ad se reversus, virtute orationis & signo crucis inimicum repellit, seq́; delusum ingemiscit.* Deprehendit autem illusionem, quia sub specie boni ad id impellebatur, quod erat contra Ecclesiæ canones.

Suprà cap. 32. docui ex Vita S. Norberti cap. 27. apud Surium 6. Junii, dæmonem reddidisse idiotam quendam subitò sacræ scripturæ peritissimum; utique per insignem illusionem. Rem totam narrare placet verbis Scriptoris illius, Beato Norberto coævi. *Inter quos (Pramonstratenses Religiosos) fallax ille spiritus quosdam considerans idiotas, & sua illos quondam recognoscens fuisse vascula, in quibus sua quieti & voluptati indulgere consuevisset, ita illos falsâ suæ illusionis sapientiâ replevit, ut qui prius in libris vix legere noverant, jam ex libris magna quadam dicerent, & de futuris prophetando majora & stupenda prædicerent. Danielu deniq́; unus ex eis prophetiam se scire asserebat, & de ea quadam duce mendacio loquebatur, ubi de quatuor, & septem, & decem cornibus & regibus Propheta scribendo inducit, & de Antichristo. In quibus jam simpliciores quosq́; attentos reddiderat, & si fieri posset, etiam ipsum DEI hominem & Venerabilem Abbatem Simonem S. Nicolai in errorem induxisset. Jam enim eò usq́; progressa erat ejus arrogantia, ut ipsis assidentibus, etiam in Capitulo, sermonem facere auderet. Et qui vidit, & audivit, prabet hujus rei testimonium: Et hoc signum ejus, quia de Sermone profert initium. Erat enim hic sermo:* Estote fortes in bello, & pugna-

te

Digitized by Google

te cum antiquo serpente. *Hæc Spiritus ille mendax per organum illud suum proferebat; sed ad veritatem quæ sequitur, videlicet*, Et accipietis regnũ æternum, *haudquaquã procedere nequã valebat. Porrò cùm ab auditoribus veritatis & dulcedinis fallax ille Spiritus se ex parte deprehendi cerneret, ut est mille artifex, majore arte ad alia fallendi genera se convertit; ut quia manifestæ operationi intentos non poterat subvertere, saltem contemplatores quoslibet averteret à cõtemplatione. Nam ille idem Clericus, laboris hujus minister, subitâ quadã & gravissimâ infirmitate corripitur, & qui priùs de visibilibus responsa dabat, jam in cœlũ os suũ, ad invisibilia & ineffabilia promenda, ponere non verebatur. Concurrunt Fratres, ut consuetum est, ad inungendum eum; concurrunt ad ea quæ dicebat audienda. De se quidem magna, sed de circumstantibus afferebat majora. De se, quòd eâdem vesperâ aut futurus esset cum Angelis in cœlo, aut staret sanus cum cæteris Fratribus in choro. De aliis verò singulorum considerans habilitatem, quasi prophetando & augurando dicebat: Hunc cùm nuper in Ecclesia ad superiora raperer, vidi ad æternitatem vocatum: istum jam in sede felicitatis positum: lectum istius infelicitate eâdem preparatum: Iste futurus est Pontifex: iste constituendus rector multorum Regularium & magister: iste in bono proposito perseveraturus: iste alius deficiens recessurus. His dictis, ita se comparavit, quasi ultimum exhalaturus Spiritum, unius horæ spatio sic in terra jacens, ut statim morituris facere solet; eùm audito vesperarum primo sonitu surrexit, & veloci cursu cum aliis chorum intravit. Quod cùm adstantes cernerent, alii aliis suum errorem confitentes, se delusos esse contestebantur.* Vide hîc (ut benè monet *P. Delrius lib. 4. Disquis. Magic. cap. 1. quæst. 3. sect. 5.* ubi idem exemplum refert) gradus superbiæ ad quã Diabolus religiosos illos impellebat. Primùm idiotas sibi deligit, & facit videri doctos: secũdò, facit illos scripturam interpretari: tertiò etiam coram majoribus disserere, in locis, ubi tacendum de his, & culpa potiùs humiliter agnoscenda: quartò, facit eos Pseudoprophetas de se magna loquentes, nec de aliis minora, ut superbia pluribus afficaretur.

Subjicit postea idem Scriptor Vitæ S. Norberti eodem cap. aliud exemplum de Clerico alio, quem malignissimus insidiator, & scelerum cunctorũ subtilissimus architectus excitavit, ut sicut prior ex prophetia Danielis, ita ipse ex B. Joannis Apostoli Apocalypsi arcana mysteria erueret. *Quem cùm unus ex prioribus in Capitulum adduxisset: Ecce, inquit, nunc demum visitavit nos Oriens ex alto, quia hunc non diuturna scholarum exercitatio instruxit, nec labor annorum numero computatus edecuit, sed Angelica quadam revelatio, quæ per totam noctem sub tenebrarum silentio ad ipsum diligenter instruendum, & nos per ipsum, laboravit. Audientes hæc quidam de Fratribus, quibus jam ex parte subtilitas fallacium spirituum nota erat, omnino prohibuerunt, dicentes posthac nec hunc, nec alium quenquam se velle audire, donec pater Norbertus reverteretur. Videns itaq, mendacissimus ille spiritus, claritatem suam, quã se transfert in Angelum*

 lucis;

voto frequenter poterat,ageret,dæmonem quærebat familiarem,à quo id expiſcaretur. Alteri ergo familiari ſuo,faceto,ſed integro, animum ſuum exponit,rogatque ut vel conſilio,vel auxilio, voti ſui ut compos fiat, nitatur. Reſpondet ille,habere ſe domi capſulæ incluſum,quem quærebat dæmonem,eumque fideliſſimum , & ad reddenda reſponſa promptiſſimum ; ideoque nè pro magna quidem pecuniæ ſumma eum venditurum. Licitatur alter nihilominùs,& quantumcunque peteret pretium,offert. Venalis non eſt,ait ille;nec ſi eſſet,minùs centum aureis venderem. Accipe,licitator ait,centum aureos,& mercem petitam affer. Huic ergo & jocum & fucum ut faceret amicus, gryllum domeſticum , capſulæ goſſipio oppletæ impoſitum , emptori affert, docetque modum , quo reſponſa eliceret,nimirum ut dum cubitum iret,capſulam ſub cervicali collocaret , peteret quod ſcire vellet,aurem applicaret & auſcultaret ; auditurum reſpondentem. Hîc lætus emptor centum ſolvit aureos,ac primâ ſtatim nocte, ſervatis priùs ritibus præſcriptis,quærit quo loco eſſet amaſia, quidque agat. Audit reſpondentem , & diſcit quod ſcire voluerat. Redit die poſtero ad venditorem, agit gratias pro dæmone vendito , dilaudat ejus fidelitatem, gratulatur ſibi de pecunia tam bene impenſa. Attonitus venditor ; nugaris inquit;non dæmonem , ſed gryllum tibi vendidi , ut joco curioſitatem tuam eluderem :en pecuniam tuam , quam retinere in animo nunquam habui : gryllum ocyus reſtitue ; video enim diabolum petitioni tuæ obſecundatum,per ipſum reſponſa dare. Sed nec pecuniam ut reciperet, nec mercem ut reſtitueret,adigi emptor potuit. Conſcientiæ ergo ſtimulis agitatus venditor,virum doctum è Societatis noſtræ Patribus adit, conſiliumque exquirit. Ab hoc viro oretenus accepit ſuprà laudatus P.Cornæus,quod hîc narravi. Sed ipſamet P.Cornæi verba quibus , cùm hæc jam ſcripſiſſem,eandem conſcriptam mihi tradidit,ſubjicere placet. *P. Joannes Fournier,egregius è Societate noſtra verbi DEI præco , in Tholoſana Provincia Biterris,cùm illic agerem,mihi narravit. Erat vir,ajebat,nobilis , magiæ & Spirituum familiarium habendorum avidus. Is ad alium ſibi uſu atq; amicitiâ notum accedens,rogavit,ut ſibi talis rei potiundæ copiam faceret. Qui,ut erat facetus , & mirus jocorum artifex , quo hominem luſum faceret , reſpondit, omnino ſemet , ſi pretium adnumeraret , præſtantiſſimum ejuſmodi genium daturum diceret modo,qualem optaret. Ille dicebat ſe Spiritum arcanorum ſcientem velle,& ex quo noſſe poſſet, quid ab aliis alibi gereretur. Tum alter contractis humeris,magnam inquit,& pretioſam rem petis: non ſunt hi viles Spiritus, ſed ære magno ſtant. Ille verò;ſtent quanto quanto velis ; ego quod popoſceris pretium,præſtabo libens. Aſt centum ſcuta ſi exigam? Dabo,inquit,centum. Ergo in alterũ diem nundinationem condicunt,idq; ſub veſperũ.Interea tẽporis ludicrus dæmonum mango in culina ſua venatu gryllum cepit , eumq; vivum in pyxide bellè*

ſcluſa

clusa Spiritum fecit. Vix Titan occiduu undis equos lavare cœperat, cùm advolat mercator, & promissi fidem exigit, & numeratis centum scutis gryllum lætus accipit. Cùmque abiret; Sed heus tu, inquit, quis usus hujus Spiritus? Cui propola: Quoties, ait, cubitum concedis, scatulam cervicali subjice; tum Spiritum affare, & audies oracula, quæ voles. Nec mora: domum concedit, & ad lectum etiam, quàm pro more citiùs concedens, pyxidem culcitræ suppositam alloquitur hisce verbis: Audi Spiritus. Nec mora; reposuit gryllus: quid me vis? Tum percontari cœpit de amasia sua absente, ubinam degeret, quid ageret. Ad quæ singula singulatim & ex ordine responsum tulit. Manè dein illucescente ad joculatorium suum mercatorem festinus accurrit, & homini obstupescenti, ac nil minus cogitanti, gratias agit. Hæc Cornæus.

Funestior est historia, quam *Nicolaus Remigius* refert *lib. 1. Dæmonol.* cap. 9. & ex ipso *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic.* quæst. 4. & *Laurentius Bayerlinck in Theatro V. Dæmon.* sequentibus verbis. *Theodorus Maillotius (is qui Præfecturam in vasti regni provincia, quæ ditionis est Lotharingicæ, senex obtinuit) cùm adhuc juvenis, amplissimâ familiâ natam adolescentulam in matrimonium deperiret, & illi ejus potiundæ spes omnis esset abscissa atque erepta (nam & fortunâ egens atque humilis, & famulatus mercenariâ conditione, in qua tum erat ignobilis & despicatus, nullam nè detegendi quidem amoris sui honestam satis rationem videbat.) Ergo, ut desperatis rebus, & ipsâ se jam deserente exspectatione, homines ad quodvis consilium se facilè convertunt, ac nullo delectu fugienda sequendavè amplectuntur; Maillotius conservum ex Germania, cui audiverat dæmonem esse ad quæcunq; obsequia paratissimum, adit, huicq; suam ægritudinem aperit, rogans ut si quid ei remedium adferre posset, id nè gravatè faceret: ingrato enim non iri locatum beneficium. Hanc Germanus occasionem libens arripit, ut cui ex pacto intra dies paucos necesse erat, vel se suo dæmone liberare atque expedire, adducto alio, qui istud ceu æs alienum in se transcriberet, vel ab eo obtortâ cervice necari atque interfici: si quidem hæc ei pacto lex addita fuerat. Agendo itaque ei negotio consequentis diei diluculum, in clauso atque recondito quodam conclavi, condicit: ubi vix dum se stiterant, cùm repentè patefactis foribus se infert lepidâ & liberali formâ puella (hoc habitu dæmon primùm se ostendere volebat, nè Maillotius ad formidabilem ejus aspectum exhorresceret) eamq; se esse prædicat, quæ illi nuptias quas tantopere ambiebat, faciles esset confectura, modò vellet in iis, quæ esset præceptura, obsequi. Ac illo avidè attentèq; expectante, quænam ejus esset sententia inprimis cœpit edicere, ut furtis, crapulis, libidinibus, blasphemiâ, cæterisq;, quæ animum inquinant, vitiis temperaret, pietatem coleret, inopes facultatibus sublevaret, seipsum in hebdomada bis jejunio maceraret, solemnes ac quotidianas precationes nè intermitteret, eaq; sedulò obiret omnia, quæ Christianum hominem decet atque æquum est facere: istis enim omnibus si se vellet nuncupatis verbis obstringere, futurum, ut petitis thalamis sine ulla difficultate potiretur. Hæc sic elocuta, ac constituto, intra quem responsum auferret, die se foràs ejicit. Maillotius, qui videret tam sanctis atq; honestis conditionibus tantum sibi*

Digitized by Google

beneficium obtinendi, jam nihil cunctandum putabat, quid id gratus aclubens [sic] acciperet. Sed dum magis magisq; in eam rem cogitationem intendit, atque huc illuc variè inter spem metumq; impellitur; ex ejus vultu domesticus quidam sacerdos conjiciens aliquid subesse, quo sic distraheretur; eum blandè adortus, ac quid animo agitaret expiscatus, monitis suis pervicit, ut ampliùs ad colloquium ullum cum dæmone descenderet. Sic frustratus suâ expectatione Germanus, non longè abiit, quin ex pacti formula pœnas penderet. Nam non adeo multis post diebus, equo planâ atque apertâ viâ decidens, inq; caput proruens, exanimis momento temporis repertus est.

§. II. Alia dæmonum familiarium exempla.

Familiarium dæmonum alia exempla.

Hieronymus Cardanus lib. 19. Subtilit. qui est de Dæmonibus, ait, se non semel, nec paucis vicibus audivisse à patre suo Facio Cardano, eum per triginta fermè annos habuisse dæmonem familiarem. Addit quo habitu dæmones viderit, & quid cum ipsis locutus. Quod colloquium ex ipsius Facii Cardani à filio Cardano desumptum, tametsi multa impia, quædam etiam stolida continet; quia tamen hoc ipsum filius agnoscit, & in patre modestè reprobat, adducere in medium volui. Sic ergo scribit. *Idibus Augusti, M. CCCCXCI. cùm peregissem sacra, horâ diei XX. apparuerunt de more septem viri, sericeis induti vestibus, pallio quasi Græco, caligis ut videbatur purpureis, subuculæ thoracibus splendentibus, ac rubentibus, ut è chermesino esse viderentur, formâ augustiore quàm communi, & conspicuâ admodum. Nec tamen omnes sic vestiti, sed duo, quos constabat esse nobiliores inter ipsos: nam illorum alterum, qui procerior erat, & rubicundus, duo alii sequebantur comites: alterum, qui pallidior esset, ac minor corpore, tres alii. Ita omnes septem erant. Capitinè quid haberent impositum, an nudum esset, scriptum non reliquit. Ætas illis juxta quadragesimum annum, sed quæ nec trigesimum præferret. Cùm interrogarentur, quinam essent, responderunt, homines esse quasi aëreos, qui & ipsi nascerentur ac interirent: verùm vitam illorum nostrâ esse longè diuturniorem, ut quæ ad annos CCC. extenderetur. Interroganti de animæ immortalitate nostræ, nihil, quod cuique proprium esset, superesse affirmàrunt. Ipsos divis esse conjunctiores multò humano genere, sed tamen ab illis infinito penè distare intervallo. Nec secus illos nobis aut beatiores esse, aut miseriores, ac nos ipsis sumus belluis. Nihil latere abditarum rerum, ut nec libros, aut pecunias: infimamq; illorum colluviem esse genios Virorum nobilissimorum, non secus ac homines vilissimos generosorum canum aut equorum educatores. Cùmq; ipsi tenuissimo essent corpore, nihil nobis commodi aut detrimenti posse afferre præter spectra atque terrores, tum scientiam. Erant alteri, qui minore erat corpore, CCC discipuli, alteri CC, in publica Academia. Uterque enim eorum publicè profitebatur. Cùm pater meus interrogasset, cur; si thesauros nossent, ipsi non revelarent hominibus; responderunt, sancitum esse hoc privat[illegible] maximis pœnis, nè quisquam hoc eis communicet. Manserunt*

Dæmon familiaris Cardani.

ferunt apud illum horis plùs quàm tribus. Disputârunt autem interim, rogante illo de causa Mundi. Qui procerior erat, negabat DEUM effecisse Mundum ab æterno. Contrà alter adstruebat, per singula momenta ita DEUM creare Mundum, ut si vel momento desisteret, protinus ipse Mundus periret. Ad hoc ipse ex Averrois disputationibus quædam adducebat, cùm liber ille nondum inventus esset. Referebat & nomina quorundam librorum, quorum pars inventa, pars adhuc in occulto est. Atque hi omnes tamen Averrois erant. Ille verò palàm Averroistam se profitebatur. Hæc seu historia, seu fabula sit, ita se habuit. Quòd fabula videatur, satis argumento esse debet, quòd placita hæc non satis cum religione consentiunt; quòdq; pater meus cum suis dæmonibus nihilo aut felicior, aut ditior, aut notior hominibus fuerit, quàm ego, qui dæmones nunquam vidi. Verissimum hæc non satis cum religione Christiana convenire, satisque manifestè atheismum patris Cardani arguunt. At quæ de duorum dæmonum magisterio & discipulis in Academia publica profert, quàm non ridicula tantùm, sed stolida etiam, & puerilia! Sed dæmones qui mendaces sunt, ac hominum perditioni invigilant, Cardani patrem in conceptis erroribus confirmare voluerunt. Quæ de patris sui dæmone familiari hîc tradit Cardanus, repetit *lib. 16. de Variet. rerum* c. 93. his verbis. *Facius Cardanus dæmonem æthereum, ut ipse dicebat, diu familiarem habuit: qui quàm diu conjuratione usus est, vera illi dabat responsa: cùm autem illam exussisset, veniebat quidem, sed responsa falsa dabat. Tenuit igitur annis, ni fallor, viginti octo cum conjuratione, solutum autem circiter quinque; ut res se habeat, dum adstrictus esset, commodum se satis exhibebat. Atque is saltem dæmones esse fidem faciebat, quòd diligenter omnia inquisierit ab illis. Neque enim solus semper, licèt plerumque, sed aliquando cum sociis etiam veniebat.* Loco proximè citato narrat idem Cardanus de patre suo, cùm jam medicinæ operam dedisset, & ad ædes amici vocatus, ut filii periculosè ægrotantis curam haberet, nocte primâ cum sociis cubitum ivisset, audivisse in pariete cubiculi ictum continuum, & à socio intellexisse, dæmonem esse familiarem ex iis, quos folletos vocarent, esseque innoxium, nihil proinde timeret. Addit quomodo paulò pôst manum, quæ frigidissima erat, supra faciem ejusdem patris primùm, deinde socii alterius posuerit &c.

§. III. Adhuc alia exempla familiarium dæmonum.

Mirabilis est historia, quam Cæsarius Distinct. 5. cap. 36. refert de familiari quodam dæmone; quam ejusdem verbis adscribere placuit. *Dæmon quidam*, inquit, *adolescentis venusti speciem induens, ad quendam militem venit, obsequium suum illi offerens. Cui cùm multùm placeret, tam in decore, quàm in sermone, gratanter ab eo susceptus est. Qui mox militi servire cœpit*

Familiarium Dæmonum adhuc alia exempla.

tam diligenter, & tam timidè, tam fideliter, & tam jucundè, ut satis ille miraretur. Nunquam equum suum ascendit, nunquam descendit, quin ille praeparatus esset, & genu flexo strepam teneret. Discretum, providum, & hilarem semper se exhibuit. Die quadam dum simul equitarent, & venissent ad fluvium quendam magnum, miles respiciens, & plures ex inimicis suis mortalibus post eos venire considerans, ait servo: Mortui sumus! ecce inimici mei post me festinant; fluvius ex opposito est; nullus superest locus refugii: aut occident me, aut capient. Tunc ille: ne timeas Domine; vadum fluminis hujus bene novi; sequere tantùm me; bene evademus. Respondente milite: Nunquam homo fluvium istum in hoc loco transvadavit. Spe tamen evasionis suum ducem secutus, sine periculo venit ad littus. Et ecce eis transpositis, hostes ex opposito littore consistentes mirati sunt, dicentes: Quis unquam audivit vadum in flumine isto? Non alius nisi diabolus istum transvexit. Timentesq; reversi sunt. Processu verò temporis accidit, ut militis uxor infirmaretur usque ad mortem. In qua dum omnes Medicorum artes defecissent, ait iterum dæmon domino suo: si domina mea inungeretur lacte leonino, statim sanaretur. Dicente milite, unde haberetur tale lac; respondit ille: Ego afferam. Qui vadens, & post spatium unius horæ rediens, vas plenum secum attulit: à quo cùm fuisset peruncta, mox meliorata pristinum recuperavit vigorem. Cui cùm diceret miles: Undè habuisti tam citò lac illud? respondit: De montibus attuli Arabiæ; recedens à te, in Arabiam ivi, leanæ speluncam intravi, catulos abegi, & ipsam mulsi, sicq; reversus sum ad te. Stupente milite ad verba ista, & dicente: Quis ergo es tu? Respondit ille: Non sollciteris de hoc; servus enim tuus sum ego. Instante milite, tandem confessus est, dicens: Dæmon ego sum, unus ex illis, qui cum Lucifero ceciderunt. Tunc magis miles obstupescens, subjunxit: Si naturâ diabolus es, quid est, quòd tam fideliter servis homini? Respondit dæmon: Magna est mihi consolatio, esse cum filiis hominum. Dicente milite: Non audeo de cætero uti servitio tuo; iterum ille respondit: Hoc profectò scias, quia si me tenueris, nunquam à me, vel propter me, aliquid mali tibi eveniet. Non audeo, inquit; sed quidquid pro mercede tua postulaveris, licèt dimidium bonorum meorum, libens tradam tibi. Nunquam homo homini servivit tam fideliter, & tam utiliter. Per tuam providentiam juxta fluvium mortem evasi: per te uxor mea recepit sanitatem. Tunc dæmon: Ex quo tecum esse non potero, nil pro servitio meo, nisi quinq; solidos, requiro. Quos cùm recepisset, militi illis reddidit, dicens: Peto, ut ex eis nolam compares, & super tectum pauperis illius Ecclesiæ ac desolatæ suspendas, ut per eam saltem Dominicis diebus fideles ad divinum convocentur officium. Sicq; ab oculis ejus disparuit. Mirabilis sanè historia. Sapit tamen, meo judicio, fabulam, quoniam nec locus fluminis, nec nomen additur; uti nec nomen militis, aut loci ubi habitavit. Inauditum etiam est, dæmonem delectari consortio hominum eo solùm fine, ut illis fideliter serviat: semper enim perniciem eorum molitur, nec diu differt, quin inferat, si à DEO permittatur. Si tamen verè ita contigit, haud

Digitized by Google

haud dubiè à noxa inferenda à DEO prohibitus fuit: & jubendo emi campanam, quâ populi ad divinum officium convocarentur, majus aliquod lucrum suum inde speravit.

Dæmones domestici.

Joannes VVierus lib. 1 de Præstigiis Dæmon. cap. 20. ait, esse aliquos dæmones mites, meritò Lares familiares nuncupandos, *qui in domibus concubiâ potissimùm nocte versantur, atq; ministrorum munia peragere auditui apparent, descendere scilicet è gradibus, ostia aperire, struere ignem, haurire aquam, cibum & quæcunq; alia cuiq; domui consueta apparare, cùm prorsus nihil faciant.* Horum plerosq; rerum quoq; futurarum ex occultis indiciis præscios, ea quæ paulò pòst comperimus fieri, antea administrare asserit; confirmatq; id domestico exemplo. *Cùm enim in tabulato paternarum ædium ingens lupuli asservaretur copia, si quando venturi essent emptores, præcedenti nocte per gradus dejici eo modo audiebantur sacci, quo veritatem subsequens ostendebat dies.*

§IV. De familiari Genio Socratis, Plotini, Agrippæ, & aliorum.

Familiaris Genius Socratis, Plotini, Agrippæ.

SOcratem dæmonis familiaris consuetudine usum fuisse, & inspiratione illius multa præscivisse, passim testantur Plato, Xenophon, Apulejus, Marsilius Ficinus, Cardanus, & alii. *Siquidem Timarchus* (inquit ex aliis Ficinus lib. 13 Theol. Platon. cap. 2.) *cùm ab eo convivio discessisset, ubi Socrates discumbebat, Socratis dæmone prohibente; inde ea perpetravit, quorum causâ est occisus. Charmides in Nemea certavit, vetante Socrate; ac certasse pœnituit. Critoni contra Socraticum consilium rusticanti, ramulus aliquis percussit oculum. Idem etiam Socrates dum fugeret, unà cum aliis nonnullis, impetum hostium, ut ventum est in trivium, eàdem, quà cæteri, fugere noluit, quia deterrebatur à dæmone. Tum quidem ii qui aliâ viâ fugerant, in equitatum hostium inciderunt. Aristides, & Thucydides, aliiq; permulti, quam diu Socrati propinquabant, etiam Socrate ipso tacente, in Philosophia studio proficiebant quam plurimùm, dæmonis illius instinctu; & quantò longius recedebant à Socrate, tantò reddebantur ad philosophiam ineptiores. Idem cùm morti propinquaret, ut scribit Xenophon, prædixit Anyto, filium ejus, qui tunc modestus videbatur, fore flagitiosissimum; atq; ita evenit.* Hæc Ficinus; quæ quidem desumpsit ex Platonis Theage, seu Dialogo de Sapientia, ubi Socrates de se ipso sic loquitur. *Adest mihi divinâ quadam sorte dæmonium quoddam, à prima pueritia me secutum: hoc enim vox est quædam, quæ cùm fit, semper ejus rei, quam facturus sum, dissuasionem innuit, provocat verò nunquam. Quòd si quis amicorum mecum quandoq; aliquid communicat, venitq; vox; hoc illa dissuadet, neq; facere sinit. Cujus quidem rei vobis testes dabo.* Subjungit deinde exempla paulò antè à Marsilio relata, multaq; alia, quæ referre piget. Ejusdem dæmonis multis aliis in locis apud Platonem fit mentio.

De Plotino Philosopho scribit *Porphyrius*, ejus discipulus, *in Vita Plotini* (quam latinam reddidit Marsilius Ficinus) & ex ipso Cardinalis Baronius Anno Christi 271, quòd, cùm in Campaniam Româ delatus, in agro Zethi veteris amici sui spiritum emisisset, anginâ extinctus, *draco sub lecto, in quo jacebat ille, pererrans, mox in parietis foramen se prorsus occuluit.* Hunc fuisse putant Plotini dæmonem.

Jovius in Elogiis de Henrico Cornelio Agrippa, postquam portentosum ejus ingenium depinxisset, ut qui *immenso captu, vastâq; memoriâ, scientiarum artiumq; omnium rationes arcanaq; intima, & summos apices complexus, disciplinas convellit, religiones in dubium revocavit, studiorumque omnium labores festivâ declamatione derisit &c.* hæc subjungit. *Excessit è vita nondum senex, apud Lugdunum, ignobili & tenebroso in diversorio, multis eum tanquam necromantiæ suspicione infamem execrantibus, quòd cacodæmonem nigri canis specie circumduceret, ita, ut cùm propinquâ morte ad pœnitentiam urgeretur, cani collare loreum magicis per clavorum emblemata inscriptum notis exolverit, in hac suprema verba iratè prorumpens: Abi perdita bestia, quæ me totum perdidisti. Nec usquam familiaris ille canis, ac assiduus itinerum omnium comes, & tum morientis domini desertor, postea conspectus est; cùm præcipiti fuga saltu in Ararim se immersisse, nec enatasse, ab his, qui id vidisse afferebant, existimetur.* Ad hanc historiam alludit *Joannes Baptista Possevinus* sic de Agrippa, cujus effigies apud Jovium, & alios, placidissimum refert vultum, scribens.

> *Vivens quem cernis, nè te fortasse moretur*
> *Os placidum, stygii rex fuit iste lacus.*
> *Quare etiam custodem habuit, dum viveret, Orci,*
> *Cui nunc in tenebris præda daret comitem &c.*

Ad eandem alludit Latomus in Epitaphio Agrippæ. Impudens igitur est Joannes Wierus, Agrippæ discipulus, qui eam negare audet in suis de Præstigiis dæmonum libris.

Dæmon familiaris Simonis magi.

Simon Magus, teste *Clemente lib. 1. Recognit.* jactabat sibi assistere animam pueri incorrupti, & violenter necati, adjuramentis ineffabilibus à se evocati; & per eam omne, quod juberet, fieri, ajebat. Erat autem familiaris illi diabolus; quem pueri animam esse prædicabat. Idem canem secum ducere solitum fuisse fertur, qui dæmon ejus familiaris fuisse creditur.

§. V. De dæmonibus annulo, vel vitro inclusis.

Dæmones inclusi annulis, vitris &c.

HUc spectant etiam illi dæmones, qui ut homines captivent, captivari se permittunt (vel potiùs fingunt) certisq; ceremoniis ac ritibus intra annulum sese, aut fragile vitrum, vel crystallum concludi & catenari, ac deinde vel rogati, vel constricti, res abstrusas detegunt, procùl dissita manifestant.

festant, futura enuntiant, & tantùm non oracula fundunt. Talem habebat quidam Jacobus Jodoci de Rosa nomine, apud *Wierum lib. 6. de præstigiis dæmon. cap. 2. Annulum ille circumgestabat, in quo exorcismis colligatum putabat dæmonem, quem singulis quinq; diebus, ut minimùm, alloqui, & de rebus novis, aliisq; consulere cogebatur &c. Sed tandem post suos carceres herus ille, in loco publico ante ædes Senatorias circa forum, solemniter, spectatorum coronâ cinctus, malleo simulatum captivi dæmonis carcerem, annulum videlicet, posti impositum, sententiâ ritè latâ, aperire, atq; omnino perfringere cogebatur, eoque modo captum libertate donare &c: Arnhemiæ, 14. Julii Anno 1548.* Hujusmodi dæmonem annulo inclusum gestasse creditus fuit magnus quidam, & victoriis hoc ipso sæculo inclytus Princeps; qui & in prælio occubuit, cùm paulò antè annuli gemma in frusta dissiliisset. Aliud exemplum leges libro seq. cap. 41. §. 2.

His, aliisq; exemplis, etiam antiquioribus, aliqui persuasi credidêre, posse dæmones à Magis ligari in phialis & annulis; quos inter fuit *Palingenius lib. 10, seu Capricorno, & Petrus Ronsardus lib. de dæmonibus.* Sed falluntur: nullum enim imperium est Magorum in dæmones, utpote naturæ superioris, sed semper vel superior diabolus atq; potentior alios inferiores illic cogit adesse, vel imperio suo retinet, vel ipsi sponte suâ, & ex pacto adsunt, ibiq; se continent, & fingunt se à Magis cogi; quibus revera sponte obtemperant, ut plures irretiant, & irretitos teneant. Quare falluntur, & fallunt, qui dæmones sic ligandi præcepta tradunt. Mentiuntur dæmones ipsi, qui dicunt se verbis, herbis, suffumigationibus, aliisq; ceremoniis coactos advenire, includi, & inclusos manere. *Ipse simulat se captum* (inquit Henricus de Hassia in Genes. apud Delrium lib. 2. Disquisit. Magic. q. 30. sect. 2.) *ut te capiat; se vinctum, ut te vinciat; se tuo imperio subditum, ut te sibi subdat; à te inclusum, ut contra te finaliter concludat. Fingit se tuâ arte vel imagini, vel lapidi alligatum, ut funibus peccatorum religatum, ad infernum te perducat.* Vide *Franciscum Picum* lib. 7. de Prænot. cap. 4. & *Tostatum* ad cap. 6. Tobiæ. *Crespetum* lib. 1. de odio Satanæ Discur. 12. ubi docet, quosdam talium dæmonum inclusorum esse Saturninos, alios Joviales, alios Venereos, alios Merculiales &c. Item colendos esse certo ritu; statis vicibus noctu possessorem suum excitare; nonnunquam ab eo alloquendos, ni malè ab ipso mulctari velint; in Francia & Italia venales reperiri, ac semper suis emptoribus exitio esse.

Dæmones cur annulis &c. includi se permittãt.

§. VI. Dæmones familiares plerumque noxii dominis suis.

QUod ultimum confirmat funestum exemplum relatum à *Nidero lib. 5. Formic.* de quodam sene Basileensi, qui dæmonem vasculo inclusum, & in scriniolo repositum habebat, prohibueratq; filiæ ac genero suo, ne

Dæmones familiares plerunque dominis suis noxii.

nè vasculum loco moverent: quod ipsi post obitum senis negligentes, cùm scriniolum de domo paterna in domum alteram deferrent, filia à dæmone obsessa & necata fuit, gener verò lapide à tecto cadente ita deformatus in facie, ut vix homo videretur esse.

Ludimoderator (inquit Wierus lib. 2. de præstig. dæmon. cap. 4.) *apud Goslarienses, ex Fausti magi, vel veriùs in fausti mali doctrina instructus, modum quo carminibus in vitro coërceretur Satan, didicit. Ut itaque impediretur à nemine, die quodam in sylvam abiit: ubi in magica execratione aberranti apparuit dæmon horrendâ admodum formâ, oculis flammeis, naribus ad cornu bubuli morem intortis, oblongis dentibus, aprinis non dissimilibus, genis felem referentibus, & in universum terribilis. Hoc idolo terrefactus hic prosternitur, jacetq; horas aliquot semimortuus. Tandem respiranti nonnihil, atque ad civitatis portas progredienti, quidam familiares obvii, vultûs mutati, palloris q; causam rogant. Hic tremens, & velut furibundus obmutuit. Inde domum ducitur, ubi horrendos edere sonos, & prorsus insanire cœpit. Anno tandem exacto fari denuò cœpit, & eâ specie sibi dæmonem apparuisse narrat. Cœna verò Dominica communionem ubi tum celebrasset, tertio pòst die se Deo commendans, calamitosa huic vitæ valedixit.*

Joannes Franciscus Picus loco suprà cit. ait, plurimos se allocutos, qui vanâ spe futurorum delusi, ab apparente sibi dæmone, per innita pacta vocato, usq; adeo vexati fuerunt, ut optimè secum putârint actum, quòd vitam non perdiderint. Alium ait intellexisse ab ejus sociis, fuisse à dæmone vivum abreptum, nec amplius comparuisse unquam, dum curioso cuidam & malè sano Principi Trojæ oppugnationem repræsentare quasi in scena pollicitus esset, Achillemque & Hectorem introducere præliantes.

Hæc (concludit Wierus) *magiæ hujus stipendia, hi simulatæ fructus amicitiæ, hæ ementitæ phialæ, annuli, carceres, ficti compedes, & vesana perniciosaq; ludibria.*

CAPUT XXXVIII.

De Dæmonibus montanis sive metallicis: item de virunculis ac famellis domesticis.

Dæmones montani sive metallici.

Quæ ad montanos dæmones spectant, excutiet atque illustrabit P. Athanasius Kircherus in Mundo Subterraneo, jam ab annis quinque conscribi cœpto, & necdum, ob argumenti difficultatem absoluto. Nos historias primò dabimus, tum de montanis dæmonibus, tum de virunculis ac fæmellis domesticis; ex quibus, quid de illis sentiendum, constabit.

De montanis seu metallicis dæmonibus suprà cap. 12. ex Psello ac Trithemio mentionem fecimus. De iisdem *Georgius Agricola* in fine libri de Animalibus Subterran. & in Dialogo quem Bermannum inscribit, luculentum habet testimonium. Prioris loci verba do. *In metallicis fodinis inveniun-*

niuntur, & truculenti quidem, vel solo aspectu terribiles; plerumque metallicis infesti atque inimici sunt. Talis fuit Annebergius dæmon, qui operarios ampliùs duodecim flatu interfecit, in specu, qui Corona rosacea appellatur, eo nomine relictus, quantumvis argento dives esset. Flatum verò emittebat ex rictu, cùm equi specie, habentis procerum collum & truces oculos, appareret. Ejusmodi etiam fuit Snebergius, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è terra sublatum, in superiore loco maximæ illius concavitatis, quondam feracis argenti, collocavit, non sine corporis attritu. Quæstuosam admodum fodinam deserere apud Turcas cogebatur Judæus à dæmone metallico, hominibus frequenter in forma capræ, aurea cornua gerentis, apparente. At sedatos illos, Germanorum alii, ut etiam Græci, Cobalos *vocant, quòd hominum sint imitatores. Nam quasi lætitiâ gestientes rident, & multa videntur facere, nihil interim efficientes. Alii* virunculos *montanos vocant, quia plerumque apparent nani, tres dodrantes longi; videntur autem esse seneciones, & vestiti more metallicorum, id est, vitteto, indusio, & corio circa lumbos dependente. Innoxii sunt hi metallicis, etsi interdum glareis operarios lacessunt; rarissimè tamen eos lædunt, nisi cachinno vel maledicto lacessiti. Potissimum opus facere videntur in his specubus, in quibus metalla jam effodiuntur, vel ea effodi posse spes est.* Hæc Agricola loc. cit. In altero loco ita scribit. *Ut ut jocamur; genus certè dæmonum in fodinis nonnullis versari compertum est. Quorum quidam nihil damni metallicis inferunt, sed in puteis vagantur, ac laboribus, cùm nihil agant, videntur se exercere: nunc cavando venam, nunc ingerendo in modulos, id quod effossum est, nunc machinam versando tractoriam, nunc irritando operarios; idq́; potissimum faciunt in his specubus, è quibus multum argenti effoditur, vel magna ejus inveniendi spes est. Alii verò noxii admodum sunt, ut ille qui ante aliquot annos Annebergi, &c.* quæ antea ex ipso retulimus. Inter hos, ait, aliquos ita pravos esse, ut metallici eos non secus ac pestem quandam præsentissimam aversentur, & fugiant. Alios contrà ait, esse adeo mites, ut eos frequentes adesse, & laborem eorum sæpius audiri, non modò non ægrè ferant metalici, sed etiam exoptent, & pro bono omine habeant. De montanis virunculis multæ circumferuntur inter Germanos nostros narratiunculæ; quas, quia fabulis quàm historiis similiores sunt, omitto.

Ludovicus Lavaterus lib. de Spectris par. 1. cap. 16. refert scriptum ad se à viro pio & docto, *Davosii in Alpibus Rheticis argenti fodinam esse, in quam Consul illius loci Petrus Buol, superioribus annis sumptus fecit, & ex qua opes non exiguas collegit. In illa Spiritus seu dæmon montanus fuit, qui cùm metallici res fossiles infunderent vasis, plerumque diebus Veneris, valde negotiosus esse visus fuerit, metalla suo arbitratu ex uno vase in alterum infundens. Quod Consul ille non indignè tulit. Quoties in fodinam descendere voluit, vel ascendere, cruce se muniens, nunquam læsus est. Accidit autem, ut cùm Spiritus ille die quodam valde importunus esset, id metallicus quidam molestè ferens, conviciis eum incesserit, jusseritq́; eum abire in malam rem,*

additis diris & execrationibus. Spiritus ille, operarii caput apprehendens, ita eum torsit, ut facies in tergum verteretur. Non tamen extinctus fuit, sed diu postea obtorto collo superstes, multis qui etiamnum vivunt, familiariter notus fuit, & intra paucos demum annos è vivis excessit. Alia exempla invenies libro sequente cap. 13.

Hactenus de montanis, subterraneis, ac metallicis dæmonibus; nunc de domesticis virunculis.

Dæmones domestici.

Joannes Meletius in Epistola quadam apud Delrium lib. 2. Disquisit. Magic. q. 27. sect. 2. scribit, in Sarmatia coli Spiritus quosdam visibiles, qui linguâ Ruthenicâ *Coltri*, Germanicâ Kobali dicantur; *quos credunt habitare in occultis adium locis, vel in congerie lignorum: nutriuntque eos lautè omni ciborum genere, eò quòd adferre soleant nutritoribus suis frumentum, ex alienis horreis furte sublatum. Cùm verò alicubi illi Spiritus habitare & nutriri cupiunt, hoc modo suam erga patremfamilias voluntatem declarant: in domum congerunt noctu segmenta lignorum, & mulctris imponunt lacte plenis varia stercora animalium; quod ubi paterfamilias animadverterit, nec dissipaverit segmenta, nec stercora è mulctris ejecerit, sed de inquinato lacte cum omni familia sua comederit; tunc illi apparere, & permanere ibi dicuntur.* Hactenus ille apud Delrium cit. loco.

Virunculorum ac fæmellarum spectra, brevitudine ac specie pigmæorum vel pumilionum, olim in multorum domibus frequentia erant. Domestica ferè omnia ministeria obire solebant, equos curare, domum verrere, ligna & aquam adferre, & similia facere. Meminit horum *Agricola lib. cit. De Animal. Subterr.* his verbis: *Itaque non admodum sunt dissimiles* (montani virunculi, de quibus cit. loc.) *dæmonibus, tum his qui hominibus rarè apparent, cùm quotidie partem laboris domi perficiant, & curent jumenta (Quibus, quòd nostri causâ benignè faciant, generique hominum sint, aut saltem videantur esse amici, nomen impesuerunt Germani, Gutelos siquidem appellant;) tum Trullis vocatis, quos sexu tam mulieris, quàm viri ementito, cùm apud alias nationes, tum maximè apud Sviones in famulatu fuisse ferunt.* Delrius ait, hos à Gallis vocari *des Gobelins*, à Teutonibus inferioris Germaniæ Rabbaudermannekens / & Guldekens. Meminit domesticorum Spirituum etiam *Olaus Magnus lib. 3. cap. 11.*

Virunculi montani ac domestici, an sint dæmones.

De enumeratis hoc capite dæmonibus quorundam opinio fuit, non dæmones illos esse, sed homunciones quosdam, medium inter bruta & homines, sub humana tamen forma, animantium genus constituentes, qui prædictis aliisq; occultis locis latitent, sed tamen hominum aspectibus se quandoq; offerant, *Tyrae teste lib. 3. de Spirit. Apparit. cap. 2.* Hunc errorem latè explicat & tuetur *Paracelsus in Epist. ad Atheniens. sive de Occulta Philosophia* dicens, Deum præter homines Adami posteros, alia quatuor hominũ

gene-

Digitized by Google

genera, carne, & ossibus, ac ratione prædita creasse, eosq; in singulis elementis ad inhabitandum collocasse, in quibus singuli suam haberent Rempubl. & ex negotiatione ac laboribus victū & amictum sibi comparare; & eos homines, qui in terræ visceribus habitant, vocari *Pigmæos* & *Gnomos*; qui in aquis, *Nymphas* & *Undenas*; qui in aëre, *Sylvas* & *Melusinas* (quos solos cum hominibus Adami posteris commercium habere, & ex mutua commixtione liberos gignere asserit;) qui in igne deniq; habitant, *Vulcanos* & *Salamandras* appellari. Hæc de Paracelso prodit Godelmannus apud Delrium loco proximè cit. quæ utiq; non nugacia tantùm, sed impia etiam, & à fide recta aliena sunt, quæ unum tantùm hominum genus agnoscit.

Nos cum aliis asserimus, illos quos hoc capite recensuimus, veros & incorporeos dæmones esse, ex eorum genere, qui aërem & loca maximè subterranea, DEI ordinatione, inhabitant, in hominum perniciem intentos. Quòd si benignos ac beneficos quandoq; se monstrat, id faciunt, aut quia à Deo nocere non permittuntur, aut ut graviùs suo tempore noceant, ut ex relatis historiis apparet.

APPENDIX

Ad LIBRUM PRIMUM, DE MIRABILIBUS DÆMONUM.

Cum non minor sit Dæmonum malitia, quàm operandi facultas; nec minus nocendi desiderium, quàm in genus nostrum odium; non minùs noxia sunt, quàm mira, quæ sive verè, sive in speciem, per se ac suos operantur. Mira prodidimus multa; noxia miscuimus non pauca; plura utriusque super sunt generis; ex omnibus seligam quæ ad illusiones, oracula, superstitiones, aliasq; similes nocendi artes pertinent, animo non tam ut ea sciamus, quàm ut detestemur ac fugiamus. In fine addemus varia & jucunda exempla Dæmonum, maximè subterraneorum, ac montanorum, de quibus proximè præcedenti capite actum.

Digitized by Google

CAPUT I.

De illusionibus diabolicis, modoque illas cognoscendi.

Dæmonis studium nocendi.

QUia, ut ait Synesius, *calamitates mortalium convivia sunt malorum dæmonum*; nullâ re magis delectantur quàm illudere, decipere, nocere, mactare. *Serpit hoc malum Diaboli* (ait D. August. lib. 18. qq.) *per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accommodat se coloribus, adhæret sonis, odoribus se subjicit, infundit se saporibus, & quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, aliquando crudeliter torquens dolore ac metu, aliquando dolosè distrahens, vel subsannans ludicris.* Do exempla.

§. I. Exempla illusionis diabolicæ.

Illusionis diabolicæ exempla.

DE B. Simeone Monacho Trevirensi Everwinus Abbas in Vita ipsius apud Surium I. Junii, hanc narrat historiam. *In vertice montis Sinai jussu superiorum cùm missus fuisset, ibi habitaturus; nocturnis horis illi specie Angelicâ dæmon apparuit, & ut missam celebret hortatur. Ipse nec planè dormiens, nec perfectè vigilans, contradicit, non debere sine presbyterii ordine aliquem hoc ministerium implere. Contrà inimicus instat, se DEI legatum esse, Christum hoc velle, nec decere sanctum locum ministerio talis diutiùs privari. Renitentem ergò, & contradicentem, adjuncto sibi consortio alterius dæmonis, de lectulo educunt, ante altare jam vigilantem statuunt, albâ induunt. De stola utrimque altercantur: hostis more presbyteri, Simeon more diaconi contendebat sibi imponi debere. Tandem DEI famulus ad se reversus, virtute orationis & signo crucis inimicum repellit, seq; delusum ingemiscit.* Deprehendit autem illusionem, quia sub specie boni ad id impellebatur, quod erat contra Ecclesiæ canones.

Suprà cap. 32. docui ex Vita S. Norberti cap. 27. apud Surium 6. Junii, dæmonem reddidisse idiotam quendam subitò sacræ scripturæ peritissimum; utique per insignem illusionem. Rem totam narrare placet verbis Scriptoris illius, Beato Norberto coævi. *Inter quos* (*Pramonstratenses Religiosos*) *fallax ille spiritus quosdam considerans idiotas, & sua illos quondam recognoscens fuisse vascula, in quibus suæ quieti & voluptati indulgere consuevisset, ita illos falsâ suæ illusionis sapientiâ replevit, ut qui priùs in libris vix legere noverant, jam ex libris magna quædam dicerent, & de futuris prophetando majora & stupenda prædicerent. Danielus deniq; unus ex eis prophetiam se scire asserebat, & de ea quædam duce mendacio loquebatur, ubi de quatuor, & septem, & decem cornibus & regibus Propheta scribendo inducit, & de Antichristo. In quibus jam simpliciores quosq; attentos reddiderat, & si fieri posset, etiam ipsum DEI hominem & Venerabilem Abbatem Simonem S. Nicolai in errorem induxisset. Jam enim eò usq; progressa erat ejus arrogantia, ut ipsis assidentibus, etiam in Capitulo, sermonem facere auderet. Et qui vidit, & audivit, præbet hujus rei testimonium: Et hoc signum ejus, quia de Sermone profert initium. Erat enim hic sermo:* Estote fortes in bello, & pugnate

te cum antiquo serpente. *Hæc Spiritus ille mendax per organum illud suum proferebat; sed ad veritatem quæ sequitur, videlicet*, Et accipietis regnũ æternum, *haudquaquã procedere nequã valebat. Porrò cùm ab auditoribus veritatis & dulcedinis fallax ille Spiritus se ex parte deprehendi cerneret, ut est mille artifex, majore arte ad alia fallendi genera se convertit; ut quia manifestæ operationi intentos non poterat subvertere, saltem contemplatores quoslibet averteret à cõtemplatione. Nam ille idem Clericus, laboris hujus minister subitâ quadã & gravissimâ infirmitate corripitur, & qui priùs de visibilibus responsa dabat, jam in cœlũ os suũ, ad invisibilia & ineffabilia promenda, ponere non verebatur. Concurrunt Fratres, ut consuetum est, ad inungendum eum; concurrunt ad ea quæ dicebat audienda. De se quidem magna, sed de circumstantibus asserebat majora. De se, quòd eâdem vesperâ aut futurus esset cum Angelis in cœlo, aut staret sanus cum cæteris Fratribus in choro. De aliis verò, singulorum considerans habilitatem, quasi prophetando & augurando dicebat: Hunc cùm nuper in Ecclesia ad superiora raperer, vidi ad æternitatem vocatum: istum jam in sede felicitatis positum: lectum istius in felicitate eâdem praparatum: Iste futurus est Pontifex: iste constituendus rector multorum Regularium & magister: iste in bono proposito perseveraturus: iste alius deficiens recessurus. His dictis, ita se comparavit, quasi ultimum exhalaturus Spiritum, unius horæ spatio sic in terra jacens, ut statim morituris facere solet; eùm audito vesperarum primo sonitu surrexit, & veloci cursu cum aliis chorum intravit. Quod cùm adstantes cernerent, alii aliis suum errorem confitentes, se delusos esse contestabantur.* Vide hîc (ut benè monet *P. Delrius lib. 4. Disquis. Magic. cap. 1. quæst. 3. sect. 5.* ubi idem exemplum refert) gradus superbiæ ad quã Diabolus religiosos illos impellebat. Primùm idiotas sibi deligit, & facit videri doctos: secũdò, facit illos scripturam interpretari: tertiò etiam coram majoribus disserere, in locis, ubi tacendum de his, & culpa potiùs humiliter agnoscenda: quartò, facit eos Pseudoprophetas de se magna loquentes, nec de aliis minora, ut superbia pluribus afficaretur.

Subijcit postea idem Scriptor Vitæ S. Norberti eodem cap. aliud exemplum de Clerico alio, quem malignissimus insidiator, & scelerum cunctorũ subtilissimus architectus excitavit, ut sicut prior ex prophetia Danielis, ita ipse ex B. Joannis Apostoli Apocalypsi arcana mysteria erueret. *Quem cùm unus ex prioribus in Capitulum adduxisset: Ecce, inquit, nunc demum visitavit nos Oriens ex alto, quia hunc non diuturna scholarum exercitatio instruxit, nec labor annorum numero computatus edocuit, sed Angelica quadam revelatio, quæ per totam noctem sub tenebrarum silentio ad ipsum diligenter instruendum, & nos per ipsum, laboravit. Audientes hæc quidam de Fratribus, quibus jam ex parte subtilitas fallacium spirituum nota erat, omnino prohibuerunt, dicentes posthac nec hunc, nec alium quenquam se velle audire, donec pater Norbertus reverteretur. Videns itaq; mendacissimus ille spiritus, claritatem suam, quã se transfert in Angelum*

 lucis;

Quòd si DEI legatione fungimini, has sanctorum reliquias (habebat reliquias alligatas ad collum) humiliter veneremini. Mirum dictu! procubuerunt in genua larva venerabunda; & tantò magis urgent ut maturet profectionem. At illa: mihi non licet quidquam gravius statuere mei Patris Spiritualis injussu; neq; ad eum adire decet nocte intempestâ: convenite vos illum, & exponite mandatum DEI; ubi diluxerit, ego accedam, & utar consilio illius. Hoc responso, dæmones abjectâ omni simulatione, in suas se tenebras abdiderunt, cum fremitu in irridentem puellam, quòd linguâ solùm pugnarent, gratesque agentem suppliciter Deo, contumelias & probra certatim ingerentes. Hactenus Bentius. Ex quibus discas, quâ ratione superbissimo hosti obviandum, maximè dum ad superbiam, aut vanam de sua sanctitate complacentiam incitat.

Lepidum est quod narrat Osbertus in Vita S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis, apud Surium 19. Maii. Verba Scriptoris Vitæ reddo. *Post aliquantos novæ conversationis suæ dies Glasconium Dunstanus perrexit, & ibi juxta Ecclesiam Sanctæ DEI Genitricis & Virginis MARIÆ, &c. sibi domunculam adeo parvulam fecit, ut mirum habeant, qui eam noverunt, qualiter ibi vivus homo degere potuerit. Ipsemet enim eam mensus sum, & nihil ultra quatuor pedes in longitudine, nec plusquàm duos ac semis habet in Latitudine: altitudo autem staturam hominis concipit. In medio ostii fenestra est. Illic ergo conversari, orare, psallere, nonnulla quæ loci angustia patiebatur, manibus operari, & uni Deo ut placeret per omnia & in omnibus, operam dare visus est. Quibus ejus exercitiis antiquus humani generis adversarius invidens, sicut eum à curia regis nuper expulit, ita qualiter à loco isto expelleret, malignus sollicitus fuit. Quadam igitur vice, cùm vir ipse jam die advesperascente fabrili intenderet operi, adstitit fenestræ ipsius dæmon unus humanâ effigie tectus, rogans sibi nescio quid operis ab homine fieri. At ille pietatis affectu ex more permotus, intermissis his quæ faciebat, parabat se ad satisfaciendum postulanti. Interim is qui venerat, formam ac verba mutare, ut nunc senis, nunc pueri, nunc lascivæ puellæ æstimares te vultus cum voce videre. Quod Dunstanus audiens, protinus quis esset cognovit; & sedens, motus ejus patienter se ferre simulavit. Sumptis interea tenaculis, quibus calida ferra tenere solebat, fortiter ea ignivit, & candentia de fornace subitò proferens, monstrum per nasum arripuit, & strictissimè tenuit. Videres itaque pulchrum certamen inter amicum DEI & inimicum: Ille ardorem sentiens, ac detectis insidiis superbiam suam dejectam non ferens, totis nisibus conabatur evadere; iste illum retinens, & intrò viriliter trahens, lætabatur quòd in nomine CHRISTI poterat de inimico ejus triumphare. Tandem cum dedecore à viro abjectus fugit & per plateam currens, querulâ voce clamitabat, dicens: Væ, quid ille calvus fecit! Væ, quid ille calvus diabolus fecit! &c.*

§. III. Adbuc alia illusionis diabolicæ exempla.

Illusionis diabolicæ adhuc alia exempla.

Efficacissimum remedium ad diabolicas illusiones effugiendas, maximè quando ad superbiam, aut vanam sui complacentiam excitare virtutum ac perfectioris vitæ studiosos nititur, tanquam clipeum illi objicere humilitatē, & quò magis ille effert, eò se magis dejicere. Fecit hoc pruden-

tissi-

tissimus senex Abrahamius, ut B. Ephrem prodidit apud Metaphrasten in ejus Vita; qui revelationes illas, quibus eum dæmon sanctum prædicabat, contrario humilitatis actu statim profligabat. Quòd quia neglexit Gandensis illa virgo Delrii temporibus, ingenti fuit à Dæmone & damno & dedecore affecta.

Misella diu vacârat orationi (ait Delrius lib. 4. Disq. Magic. cap. 1. q. 3. sect. 5.) *& Sacramenta frequentârat: sed vel non satis exercitatum nacta fuerat confessarium; vel si nacta, ei sua secreta spiritualia non pandebat; vel benè monenti non credebat. Quidquid horum fuerit, paulatim variis revelationibus eam diabolus superbiæ spiritu inflavit. Tandem persuasit, meritis reliquis parem esse Deiparæ Virgini; deesse fœcunditatem junctam virginitati illibatæ; si pergat, id quoque consecuturam. O vafrum commentum, & muliebri ingenio accommodatum! Jam illa se confessionis indigam non esse putabat: itaque per annos aliquot eam intermittens, non abstinebat tamen à sacra synaxi. Quid multa? semel dum in templo versatur, & communionem exspectat, ardentiùsque beneficium illud reliquum postulat, audit: bono sis animo dilecta; exorasse te scito; concessa tibi fœcunditas cum castimoniæ prærogativa, quam petis; de cœlo confide te gravidatam. Commiscuerat enim se cum dæmone; qui lucis Angelum mentiebatur. Domum reversa, sentit uterum tumescere. Justo post partûs tempore adveniente pium quendam & prudentem adit civem, benè notum; narrat rem totam, petitque ut in domûs ejus penetralibus sibi liceat parere, & stipulatur arcanum fore. Ille nec credulus dictis de revelatione, nec tamen sustinens virginem domo excludere; veritus ne, grassari jam incipientibus sectariis, materiam res vulgata præberet blasphemiis hæreticorum dicteriis atque lædoriis, eam suscipit, & adhibità obstetrice fidâ partum exspectat. Misera doloribus vehementer torquebatur. Tandem magnam, pro prole humana, horridorum, & villosorum, fœdissimorumque vermium copiam effudit utero; quorum tam dirus erat aspectus, ut omnes exhorrescerent; tam teter odor, ut fœtore fermè exanimarentur. Sic demum misella se delusam intellexit, & superbiæ suæ fructum à superborum principe retulisse, quem oportebat.* Hæc Delrius. Quâ in historia ego non tam miror simplicem fœmellam, cui pro sexus conditione parum prudentiæ, multum superbiæ, à callidissimo hoste delusam, quàm Diabolum, naturâ præstantissimum, malitiâ superbissimum, eò usque se demisisse, ut tanto tempore, tantis blanditiis, velutì potentissimis contra fragile sexum armis, oppugnare illam voluerit.

Sic ergo mulier decepta. Ad viros redeamus. Apud *Gregorium Turonensem* leguntur hæc de S. Friardo, & socio ejus Secundello; quæ etiam Delrius citato paulò antea loco refert. *Sanctus Friardus cum Secundello Diacono in supradicta insula stetit immobilis. Habebat tamen uterque eorum propriam cellam, sed procul inter se positam. Cumque strenuè in oratione persisterent, nocte Secundello Diacono apparuit tentator in specie Domini, dicens: Ego sum Christus, quem continuè deprecaris: jam enim sanctus es, & nomen tuum in libro vitæ cum reliquis Sanctis meis*

ad-

adſcripſi: egredere nunc ab hac inſula, & vadens fac ſanitates in populis. His & ille illectus deceptionibus diceſſit ab inſula, nec ſocio nunciavit tamen. Cùm infirmis in nomine Chriſti manus imponeret, ſanabantur. Reverſus autem poſt multum tempus ad inſulam, venit ad ſocium, cum vana gloria dicens: Abii extra inſulam, & virtutes multas in populis feci. Cùmq́; cõterritus ille interrogaret, quid hoc ſibi vellet; cuncta quæ geſſerat, ſimpliciter pandit. At ſenex obſtupeſcens ſuſpiransq́; ac lachrimans ait: Væ nobis! in quantum audio, à tentatore deluſus es: vade, age pœnitentiam, ne ultra tibi prævaleant ejus doli. Ecce vides lapſum (ſubjungit Delrius) primò, quia occulta ex ſuperbia credidit ſe ſanctum, & ex hoc frontiſpicio non cognovit doloſam machinam. Secundò, quia deſcivit à bono propoſito manendi in illa inſula. Tertiò, quia clàm habuit magiſtrum conſilia ſua, & obedire illi neglexit. Vide nunc, ut victus vicerit, & iteratos dolos eluserit, fretus humilitate, obedientiâ, & oratione.

Sequitur apud Gregorium Turonenſem: *Quòd ille* (Secundellus) *intelligens, & periiſſe ſe timens, cum fletu ad pedes ejus proſternitur, rogans ut pro ſe Dominum deprecaretur. Cui; Veni, inquit, & pariter ejus omnipotentiam pro ſalute animæ tuæ poſcamus: non eſt enim difficilis Dominus ſe confitentibus miſereri, cùm ipſe per prophetam dicat: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Orantibus autem illis advenit iterum tentator in ſimili ſpecie ad Secundellum Diaconum dicens: Nonne præceperam tibi, eò quòd oves meæ morbidæ eſſent, & paſtore indigerent, ut egredereris & viſitares, atque opem ſanitatis eis tribueres? Et ille. In veritate comperi, quòd ſeductor ſit, neq́; te DEUM credo, tu jam te ſpeciem mentiris habere. Tamen, ſi Chriſtus es, crucem tuam, quam reliquiſti, ipſam oſtende, & credam tibi. Cùmque non oſtenderet, Diacono crucem in os ejus faciente, confuſus evanuit.*

Venit hîc in mentem, quod multis abhinc annis Panormi, celeberrimâ ac ſplendidiſſimâ Siciliæ urbe, hiſce meis oculis ſpectavi, & percepi auribus. Habebam, præter Mathematicas quotidianas prælectiones, aliasq; domeſticas occupationes, curam Sodalitii centum pauperum, magnam partem claudorum, cæcorum, ſurdorum, mutilorum, aliiſque corporis vitiis deformatorum. Hos quot diebus Dominicis per annos aliquot convocabam in locum commodum, doctrinæ Chriſtianæ præcepta exponebam, ſalutaribus monitis ad tolerandas patienter ærumnas adhortabar, confeſſione Sacramentali animos expiabam, ſacrâ peracto Miſſæ ſacrificio ſynaxi reficiebam, ac demum largâ à piis collectâ eleemoſyna donatos domum remittebam. Erat inter alios vir ſexagenarius, qui à pluribus annis nullum habebat pedum uſum, niſi duabus ſub utraq; axilla craſſis nixus. Venit è vicina Calabria Panormum vir, ut dicebatur, ſanandarum quarumvis infirmitatum dono clarus. Fit concurſus ad ædes. It inter alios, inſcio me, pauper ille ſexagenarius, craſſis ſuis innixus. Petit ſanitatem in nomine Chriſti. Depromit Calaber thaumaturgus ampullam neſcio quo unguento

plenam: inungit obiter ac properè coxendices infirmi, & ablatis crallis abit cum dicto: jam es ſanus, ſurge, ambula, & abi. Surgere nititur, ſed nec ſtare, nec ambulare, aut abire valet. Negat ergo ſe ſanum eſſe, petitque crallas ſibi reſtitui; ſed fruſtrà, perſtantibus in opinione domeſticis, ac ſanum eum eſſe aſſeverantibus. Manibus ergo ac genibus nixus domo ſe proripit, & comparatis aliis crallis claudus, pedumque uſu deſtitutus, ut antea fuerat, permanſit. Creditum fuit, deluſum Calabrum à Cacodæmone, infirmitatum depellendarum donum ſibi arrogâſſe.

Innumera alia diabolicarum illuſionum exempla paſſim apud varios Hiſtoricos, ſacros præſertim, & apud Aſceticos reperiet, qui volet. Nos ad alia pergimus.

§. IV. Non omnes ſunt illuſiones diabolicæ, quæ tales eſſe putantur.

Illuſiones diabolicæ non ſunt omnes quæ tales eſſe creduntur.

INfrà lib. 2. cap. 6. fusè probabo, non omnia, quæ ſpectra aliquibus videntur, vera eſſe ſpectra, ſed ſæpe oculos, aures, ſenſus reliquos, maximèque phantaſiam decipi, ac ſpectra judicare, quæ talia non ſunt. Idem hîc aſſero de illuſionibus; non enim omnes, quæ tales eſſe putantur, illuſiones ſunt, ſed veri ac naturales naturalium cauſarum, ac ſubinde etiam doctioribus occultarũ effectus: aut ſi illuſiones ſunt, diabolicæ non ſunt, ſed merè naturales. Sicuti igitur citato loco probo, dari ſpectra falſa ex morbo; ex vehementi paſſione, præſertim triſtitiæ, & amoris; ex ebrietate; ex ignoratione cauſarum naturalium, & artificialium; ex metu; ex oculorum vitio, ex medii alteratione; aliiſque multis ex capitibus: ita hîc aſſero, non omnes quæ creduntur diabolicæ eſſe illuſiones, viſiones, locutiones, revelationes, aliaq; deceptiones, tales revera eſſe, cùm ſæpe ſint phantaſiæ, aut ſenſuũ ludibria, à pertinacia judicii, à vitio phantaſię ſeu imaginationis, à ſenſuum defectibus, ab objectorum aut mediorum alteratione naturaliter, & ſine ullo dæmonis interventu orta.

Non rarò etiam per fraudem hominum contingunt, quæ diabolo imperitè adſcribuntur. Tales ſunt (*inquit Delrius* lib. 2. Diſq. Magic. quæſt. 27. ſect. 1.) artificioſæ voces quorundam, quibus cùm ſint præſentes, voces ſimulant abſentium; vel cùm ore loquantur, ex ventre verba videntur proferre, ſicq; voces dæmonum ventriloquorum, aut Angelorum mentiuntur. Item qui per tubos intra parietes, menſas, aut ſtatuas occultatos loquẽtes, Angelorum vel Animarum hominum defunctorum ſimulant ſermonem.

Deceptio Bononienſis juvenis.

Hac ratione Bononiæ Andræas Albius Medicus credulo cui dam juveni metum incuſſit, dum exiſtimavit dæmonem ſecretorum ſuorum conſcium ea per Calvariam pandere. Hac autem arte res inſtituta fuit. Menſa in conclavi quopiam quatuor columnis pedum inſtar ſuffulciebatur, quarum una

Digitized by Google

una excavata erat, mensæ perforatæ subdita. Foramen, totaq; mensa subtili quodam tapete tegebatur, ne mensæ foramen conspiceretur. Eo loco supra tapetem demortui caput positum consistebat. Pavimentum autem in ea parte perforatum etiam erat, ex qua columna excavata mensam sustinebat, ut ex inferiori ædificio in superius, & vicissim ex superiori in inferius voces transmitti possent. Quam ob rem is qui in inferiori erat, tubo quodam in excavatam mensæ columnam immisso, & alterâ ejusdem tubi parte auri admotâ, facilè quid alter in superiori conclavi consistens rogaret, exaudiebat, responsaq; dabat quæsitis apprimè convenientia. Successit hoc eò faciliùs, quòd uterq; amatoris eludendi secreta novissent: hi enim fabulam hanc communicatis antè consiliis dexterè peregerunt. Ad majorem etiam vaticinii fidem, candelas cereas accensas circa demortui calvariam posuit, verbaq; peregrina recitavit. Non dubium quin ludicrum hoc non intelligentibus horrorem induxerit, perinde atq; si cacodæmonis, aut animæ defuncti ope vaticinium id processisset.

Est hic jocus necromanticus similis fraudi illi idololatricæ, quâ nonnulli Sacrificulorum Gentilium olim plebem rudem decipiebant, dum per occultos meatus, ac tubos è specu subterraneo ad ora usq; statuarũ deductos loquebantur, & responsa dabant, ut memini in Magia naturali, part. 1. lib. 1. cap. 10. & part. 2. lib. 3. Syntagm. 5. initio. Quo etiam toto Syntagmate varias pragmatias alias attuli, id ipsum naturaliter efficiendi. Fortassis etiam non aliâ quàm hac arte loquebatur olim famosum illud caput, quod Albertus Magnus fabricasse dicitur. Exhibet Pater Athanasius Kircherus in celebri suo Museo Statuam B. MARIÆ Virginis DEIPARÆ, quæ locum lustrantibus, & aures ad os statuæ applicantibus varia responsa dat, non alio artificio, quàm quòd è spatio satis remoto occultus tubus ad os statuæ ducitur, cujus tubi initio ipse Auctor, aut alius secreti conscius, os applicans, submissâ voce insusurrant, & quidquid insusurratum est, os statuæ in audientis aures eructat.

Statua loquens in Museo Kircheriano.

Præcedens fraus revocat mihi in mentem fraudem aliam, quam memini me legisse juvenem nescio apud quem Scriptorem, quâ pius quidã adolescens contubernalem impium ad frugem revocavit. Erant in eodẽ contubernio adolescentes duo, quorum junior ad omnẽ pietatẽ ac virtutẽ fictus quasi ac fact9, provectior verò vitiis deditus omnibus, ac præterea amore impuro implicitus erat. Hunc sæpe monitionibus ac precibus defatigârat junior, optimo animo ac zelo, mores ut mutaret, amasiam dimitteret, iram Numinis timeret: sed surdo semper cãtaverat. Ad technas igitur, cùm monitiones sinceræ, ac preces nihil effecissent, confugiendum ratus adolescẽs optimus, clam altero, cubiculi pavimentum foramine exiguo perfo-

Deceptio pia cujusdam adolescentis.

rat, funiculum sulphuratum lecti cortinæ alligat, ac per foramen ad inferius subjectum conclave funiculum demittit. Noctu deinde, cùm sciret impium amoribus suis frui, funiculum inferiùs incendit. Momento ergo ignis serpens per foramen, ad cortinam usque decurrit, eamque incendit, attonitis reis, & tanquam cœlesti ac vindicatrice flammâ peterentur, è lecto exilientibus. Hîc in genua provolutus diu antea obstinatus leno, primùm tanquam ingenti perfunctus periculo gratias agit DEO, quòd mortem evasisset præsentaneam; tum veniam petit scelerum, lupam dimittit, vitæ emendationem promittit. Nec segniùs quàm promiserat, est executus: abdicatis enim rebus omnibus, Mundo nuntium remisit, ac vitæ austeritate, virtutumque omnium exercitio, ad cœlum sibi viam munivit. Idem quoque junior ille piæ fraudis architectus fecit. Est, dum hæc scribo, etiamnum in vivis vir ferè octogenarius, omni fide dignissimus, qui in Hispania (ibi enim res contigit) eadem in Religiosorum domo vixit cum illo, qui fraudem architectatus fuerat, remque totam ut scripta à me est, enarratam ab illo audivit.

Deceptiones variæ variorum.

Necdum hinc abeo. Fuêre qui simulârunt similibus artificiis se animas maritorum defunctorum, & sic suaserunt viduis ut sibi nuberent. *Delrius* lib. 2. Disq. Magic. q. 27. sect. 1. ait novisse se qui hoc Lovanii factitârit. De alio qui Andegavi id fecit, narrat *Leloyerus* cap. 7. Tale quid narrat Æschynes Orator à Cimone Atheniensi factum, qui se Scamandrum finxit, ut vitiaret Callirrhoën. Idem quoque narrat *Josephus* lib. 18. antiq. cap. 4. factitatum à Mundo fingente se Anubin, ut deciperet Paulinam. Simile quid à Tyranno Sacerdote idolorum excogitatum, qui mentiebatur Saturnum, ut liberè matronas nobiles mœcharetur, ut docet *Ruffinus* lib 11. cap. 25. & meminit *B. Cyrillus Alexandr.* contra Julianum lib. 7. Et Nectanabus Ægyptius Magus se in Jovis Hammonis effigiem transformans, Olympiadem, Philippi Macedonum Regis uxorem decepit, & adulterino concubitu Alexandrum Magnum genuit, ut narrat *Josephus Gorionides* lib. 2. Histor. Judaic. cap. 6. laudans Auctores, Ægyptiorum Sapientes, Titum Romanum, Strabonem Cappadocem, & Nicolaum Damascenum: unde orta opinio Alexandro de Jove parente. Alia exempla recentia apud recentiores Scriptores extant. Lege quæ libro sequenti cap. 6. de falsis spectris scribo, & huc applica.

§. V. Quibus indiciis illusiones diabolicæ deprehendi queant, & quibus superandæ modis.

Illusiones diabolicæ quibus in-

ILludit tunc potissimùm diabolus, dum hominum, etiam piorum, mentibus revelationes, oculis visiones, locutiones auribus, aliasq; imagines aliis sensibus aut phãtasiæ objicit. Has discernere, & à divinis aut Angelicis

secer-

Digitized by Google

ſecernere, difficile non eſt, ſi ſuadeat quæ apertè mala ſunt, contra DEI & Eccleſiæ præcepta, contra ſtatus Religioſi canones ac regulas, contraque alia majorum ſalutaria præcepta. Hoc indicio B. Simeon Monachus Trevirenſis diabolicam illuſionem deprehendit, ut vidimus §. 1. Eandem Præmonſtratenſes Religioſi deprehenderunt tandem ex indicio ſuperbiæ & propriæ jactantiæ, ad quas inducebat; ſuperârunt verò penitus, dum fraudem olfacientes reſponderunt, ſe nullum ampliùs revelationes ſuas narrantem audire velle, donec Pater eorum Norbertus reverteretur: hæc enim reſponſio, humilis obedientiæ virtute Dæmonem vicit.

diciis deprehendi queant.

At dum malignus in Angelum lucis ſe transfigurat, & in ſpeciem honeſta ſuadet; majori opus eſt dexteritate ad fraudem deprehendendam. Hortatur enim & inducit ad virtutem, ut virtutis ſimulatione noceat. Suadet bona, ut majora bona impediat. Hac viâ aggreſſus non ſemel eſt, nec ſemel ſuperavit B. Jordanem Prædicatorii Ordinis Magiſtrum Generalem: nam ut ad concionandum eum redderet inidoneum, ſpecie boni exempli præbendi, & auſterioris vitæ, impulit ad corpori neceſſaria relinquenda, & eum ad maximam virium infirmitatem redegit. Aliàs quoque eundem iterum iterumque eodem prætextu decepit. Hiſtoriam referam poſtea.

Ad diſcernendas itaque illuſiones, revelationes, viſiones, ſuaſiones diabolicas à divinis, Aſcetæ multas præſcribunt regulas. *Delrius* quoque lib. 4. Diſquiſit. Magic. cap. 1. q. 3. ſect. 5. & 6. ubi hanc materiam tractat, præſcribit multas ex variis Auctoribus; ex quibus ſequentes duas ſelegi.

Prima regula diſcernendi illuſiones diabolicas, primusq; modus illas evitandi.

Regula prima ad vitandas illuſiones diabolicas.

PRimò igitur conſiderandum, *qualis ſit revelatio, ſeu viſio*, an ſcilicet ſit ſapiens, hoc eſt conformis ſapientiæ quæ de cœlo eſt. Talis autem eſt, teſte Gerſone, ſi inſtiget ad aliquid quod exemplis Chriſti & Sanctorum magis aſſimilat; ſi hominem intrinſecè demiſſiorem reddat, ſi mitiorem, manſuetiorem, recollectiorem, à ſæcularibus & extraneis curis abſtractiorem; ſi invitat ad ſimplicitatem Chriſtianam, ad unionem cum DEO; ſi id ad quod invitat, pluribus virtutibus ſit ornatum, & præſtantioribus, quàm ejus omiſſio, aut factum contrarium: ſi ad quod invitat, ſit ſimpliciter & intimè bonum, non aliqua duntaxat ex parte; deniq; ſi incipientem ad peccati deteſtationem, & præteritæ vitæ confuſionem excitat; proficientem per boni deſiderii inflammationem, & fervoris devotionem, ad meliora chariſmata promovet; perfectum divinæ dulcedinis internâ prægustatione implet. Dæmoniacæ revelationes cenſendæ ſunt, quando prædictis operantur contraria, ad ſcurrilia, carnalia, invida, detractoria, immodeſta, ſuperba incitant; quæ homi-

nem reddunt aversum à Christi & Sanctorum imitatione, reddunt gaudentem novis & singularibus inventis suis, quæ, ut jam dixi, suadent aliqua contra canones, constitutiones, regulas, præcepta majorum.

Cæterùm ut nihil periculosius est in hac materia, quàm suo præfidere judicio, ita nihil tutius quàm timere suum sequi judicium, aut ab obedientia majorum ullius revelationis etiam certæ fiduciâ recedere. Hujus cautelæ singulare exemplum nobis reliquit Genebaldus Laudunensis Episcopus, ut scribit Hincmarus in Vita D. Remigii. Is per incautam cum uxore propria, quam ad Episcopatum assumptus deseruerat, familiaritatem, ex bono principio ortam, tandem (quæ humana est fragilitas) cum ea corpus commiscuerat, sed postea ad cor reversus, & D. Remigio Rhemensi Episcopo errorem fassus, in angustissimum locum instar sepulchri reclusus fuerat. Ubi cùm septem annis pœnitentiam asperrimam egisset, *Septimo anno in vigilia cœnæ Domini, cùm idem Genebaldus in oratione Domini pernoctaret, & seipsum defleret, circa mediam noctem Angelus Domini cum magna venit luce ad eum in Oratorium, ubi pronus jacebat, & ait ad eum: Genebalde, exaudita sunt pro te orationes Patris tui Remigii; suscepit quoque Dominus pœnitentiam tuam, & dimissum est peccatum tuum: surge & hinc egredere, facque ministerii Episcopalis officium, & reconcilia Domino pœnitentes de criminibus suis. Genebaldus autem nimio terrore perculsus, respondere nihil potuit. Tunc Angelus Domini confortans eum, & ne timeret hortatus est, sed gauderet in misericordia Domini sibi collata. Qui animatus, dixit ad Angelum: Non possum hinc egredi, quia Dominus & Pater meus Remigius clavem hujus ostii secum habet, quod & sigillo suo signavit. Et Angelus ad eum: ut non dubites, inquit, me à Domino missum; sicut patet tibi cœlum, sic & ostium istud patebit. Et statim, salvo sigillo ac cerâ, ostium illud apertum est.* Ecce tibi (subjungit hic Delrius) veræ visionis judicia: priùs perturbatio, mox consolatio, & verum ac apertum miraculum sigilli ac ceræ integritas: non tamen censuit vir Sanctus obedientiæ quidquam derogandum. Nam *tunc Genebaldus in modum crucis se jactans in limine dixit: Etiamsi ipse Dominus JESUS CHRISTUS dignatus fuerit ad me venire peccatorem, hinc non egrediar, donec ille venerit qui me in ejus nomine in ista reclusione constituit. Et statim Angelus Domini recessit ab eo.* Placuit DEO Genebaldi animus, & per Angelum hæc omnia, eâdem nocte, Rhemis pernoctanti in oratione D. Remigio manifestavit, eumque Laudunum proficisci jussit, & Genebaldum Episcopali Sedi restituere; quod & factum ab eo confestim.

Optimum ergo & securum servandi se indemnem à diaboli fraudibus remedium est humilitas, & obedientia. Humilitate prudentissimus Senex Abrahamius (ut B. Ephrem prodidit apud Metaphrasten) revelationes illas, quibus eum dæmon beatum ac sanctum prædicabat, statim profli-

profligavit. Humilitate S. Marcellus Abbas insidias dæmonum, ad animi elationem eum provocantium superavit: nam dæmones ex obsessis pulsurus, iisque aliquoties clamantibus, *Jube nos exire, quoniam potestatem in nos accepisti*, nihil jussit, sed perseveravit in oratione, donec compulsi à DEO recesserunt. Causam quærentibus, cur non statim jussisset, prudentissimè respondit; *quoniam dicentes me in eos potestatem accepisse, nihil aliud agebant, quàm quòd vanæ gloriæ laqueis me conabantur implicare.* Obedientiam dum neglexit B. Jordanes, de quo suprà, à diabolo illusus fuit; dum coluit, victor extitit. Laborabat is, ut *Leander Albertus* in ejus vita cap. 22. narrat, febribus acutissimis. Erat cum eo cœnobii cujusdam præses quem Priorem appellant Prædicatorii Ordinis Religiosi, vir discretus, solers, doctus, ac probus, qui aliquando Medicinæ operam dederat. *Is igitur Jordanis Patris animum ignorans, & sciens eum in ægrotatione sibi ipsi rigidissimum, dixit: Pater, oportet ægrotum in omnibus Medico se subjicere, si pristinam nancisci cupiat sospitatem. Quapropter licèt sis nostræ Religionis Præfectus & Caput, ægrotus præfecturæ auctoritatem dimittas, mihi te subdas, & obedias necesse est. Quod si feceris, haud vereor quin brevi incolumis hinc exeas. Annuit Venerandus Pater humiliter. Præter ergo Ordinis nostri consuetudinem super plumas ægroto quiescenti (sic enim Prior prudens jusserat) nocte diabolus, formam præ se ferens Angelicam, apparuit, dicens veluti admirabundus. Estne hic Jordanes, famâ & opinione apud omnes tam præclarus? Præfectus & Pater tam insignis Prædicatorum Ordinis? Essem anceps, nisi ante hac te diu novissem. O quàm vilis & impudens factus es, qui veluti unus de dominis terræ, in strato plumis & sericis ornato quiescis! O Infelix! quale Ordini tuo & Fratribus exemplum præbes? Sed non est tui DEUS in finem oblitus, qui ad te corrigendum me misit. Surge igitur è grabato, terræque protinùs supplex inhæreas. Statimque diabolo evanescente perterritus Jordanes in terram corruit, & sic jacens, postquam illuxit, à Priore & Fratribus invenitur. Quem Prior severè corripiens, coëgit ex merito Obedientiæ in strato præparato decumbere. Sequente nocte iterum diabolus pristinâ formâ assumptâ adstitit, & duriùs quàm antea redarguit velut sibi inobedientem; moxque in solum illum desilire præcepit. Quem cùm manè ejus diei Prior iteratò super solum jacere conspexisset, apprimè indignatus dixit: Miror tuam simplicitatem, ne dicam insitiam, qui non solùm in corporis, sed & animæ præjudicium contra obedientiam hoc facere præsumpseris. Ego enim DEUM cœli terræque DOMINUM testor, quòd noluissem pro toto terrarum orbe sic graviter contra DEUM & ordinem deliquisse. Et hæc dicens, in fletum maximum prorupit. Quod cernens Venerabilis Pater, & ipse lacrymans procidit ad pedes ejus, narrans ei visiones, sed magis illusiones; & qualiter, ut conjicere poterat, diabolus ille fuisset, qui in Angelum lucis fuerat transfiguratus.*

Illusionis diabolicæ exemplum.

Prior verò captus admiratione, ac quadam commiseratione illius, aliquantulùm lenitus, jussit ipsum stratum ascendere. Ex hoc enim tantam membrorum debilitatem contraxerat, sicq; humores indurati fuerant, ut vix spiritum ad quiescendum haberet. Tertiâ nocte diabolus, ut prioribus, adfuit. Quem ut conspexit Vir Sanctus (jam enim in increpationes eruperat) ait: O nequissime generis humani hostis! O impudice canis! O immunda bellua! quomodo meam ausus es simplicitatem deludere, ceu zelum qualemcunque erga Ordinem præ te ferens? Et ego quidem, nisi hoc omnipotentis DEI dispensatio permisisset, sapientiùs advertissem, quòd multò melior est obedientia, quàm stultorum victima. Et in faciem ejus exspuens, eum fugavit.

Secunda regula discernendi diabolicas illusiones; secundumq; modus illas evitandi.

Regula secunda ad vitandas diabolicas illusiones.

SEcundò considerandum, an quando in visione vel revelatione suadentur aliqua pia, bona, rectaque, tum simul aliqua suadeantur impia, vana, & inutilia: vel an talia ex bonorum executione sequantur. Hæc enim præcipua est machina diaboli, quâ multos aggreditur, multos deijcit, atque in æternã pertrahit ruinam. Has diaboli technas graphicè describit B. Arsenius apud Metaphrastẽ, his verbis: *Hoc quoq; vos non lateat, ô fratres, quòd noster inimicus diabolus, multis & variis utens machinis, nos conatur decipere, & boni prætextu in mala impellere: ut, ver. gr. suggerens hospitalitatem, & consequenter fratrum, qui accedunt, gratam & benignam exceptionem, efficit ut simul comedant & compotent: causa autem est, bonum caritatis: deinde sic paulatim suffurans & attrahens, imprudentes nos trahit ut ventri serviamus, & deinde ad satietatem libidinis nos polluit & voluptatibus. Aliis rursus submittens in animum eleemosynam & benignitatem, & in pauperes beneficentiam, immittit amorem pecuniæ, & in furorem impellit avaritiæ. Aliis autem multorum utilitatem tanquam escam porrigens, efficit ut silentium & quietem relinquant, tanquam rem inutilem, & ut cum multis quidem mundanis habeant consuetudinem, & nonnunquam etiam cum mulieribus incautè hoc faciant, persuadet, tanquam qui eò jam pervenerint, ut sint impatibiles, & sic miseros reddit libidinosos, & servientes animi perturbationibus. Aliis nullam exhibens molestiam, & ut à nullo capiantur vitio insidiosè procurans, extulit in superbiam, & sic nullo negotio præcipitavit. Nonnunquam autem faciens, ut à bellando abstineant, & maximè ii, qui ad suscipienda exercitationis certamina se paulò antè exercuerant, decipit, efficiens ut essent securi, & de nulla re solliciti. Ex quo factum est, ut cùm eos injecerit in socordiam, & ut labores negligerent effecerit; repentè illos invaderet, tanquam expugnatu faciles & inermes; & sic maximâ tempestate eorum mentem labefactaret, & conturbaret, & sæpe etiam in vitiorum profundum immergeret. Alios rursus cùm, ut sibi fiderent, persuasisset, ut qui jam ad majorem pervenissent mensuram; suggessit ut eis crede-*

Illusionis diabolicæ modi.

crederentur aliorum cogitationes, vitiorumq; & bellorum annunciationes: quibus cùm nondum rectè sua vitia abluissent, primùm quidem recordationem & informationem eorum, quæ audiverant, immisit, non absq; animi perturbatione: deinde verò etiam misere impulit ad carnis contaminationem. Multâ ergo nostri custodiâ, multâ vigilantiâ, sobrietate, ad bonum attentione (ut subdit B. Arsenius) nec non oratione, & humili subjectione opus est nobis, ut tot callidissimi hostis insidias evadamus.

Deceptorum multa passim occurrunt exempla. *Jacobus Vitriacus* lib. 1. Vitæ B. Mariæ Oegniac. cap. 9. unum luculentum narrat, quod contigit cuidam dictæ sanctæ amico, his verbis: *Quidam ex amicis ejus præcipuis à dæmonio meridiano perambulante in tenebris aliquando tantò periculosiùs, quantò subtiliùs infestabatur. Callidus enim hostis, transfigurans se in Angelum lucis, sub specie pietatis ei familiariter in somnis apparebat, nonnunquam ejus quædam vitia reprehendens, ad quædam etiam facienda bona eum fraudulenter adhortans; ut priùs tanquam antidoti cujusdam falsâ specie oblatâ, postea occultiùs venenum instillaret, & mellitâ linguâ blanditer exertâ, postmodum dentem infigeret, & ad extremum caudam suam quasi cedrum stringeret. Cùm enim jam illi fides ceu veraci haberetur, tum instar sophistæ & impostoris, veris quibusdam proditor ille falsa permiscebat, bonorum intermixtione falsis quandã umbram insidiosè prætexens. Tandemq; suis machinis eò perduxit fratrem illum, ut res ejus pessimum exitum fuerint habituræ, si nõ ancilla Christi, revelante Spiritu Sancto, callidi veteratoris fraudes didicisset. Cùm autem diceret homini, revelationes illas non esse à DEO, sed maligni dæmonis illusiones esse; & ille è converso, non sancto, sed suo spiritu objiceret: Cùm tot beneficia præstiterit mihi spiritus ille, tot vera & futura prædixerit; nullo pacto mihi vult imponere: illa ad solita orationis arma confugiens pedes Domini rigat lachrymis, cœlum precibus instanter pulsat, nec facit finẽ, donec impius ille impostor, cum multo gemitu & pudore ipsi nocte in cellula sua oranti adstaret. Quem illa commentitio præditum splendore intuens: Quisnam es tu, inquit, aut qui vocaris? Ille superbo, ut erat, vultu illam torvis oculis vicissim aspiciens: Ego sum, ait, quem tu maledicta precibus tuis compulisti venire ad te, quæ meum mihi amicum per vim auferre conaris. Somnium autem ego vocor. Multis enim, præsertim Religiosis, in somnis, instar Luciferi appareo, mihiq; obediunt illi, & ex meis consolationibus animis efferuntur, dignosq; se putant, qui divinis & angelicis fruantur colloquiis. Amicum illum meum, quem pro tuâ voluntate mihi abstulisti, jam eram à bono proposito retracturus.* En artes dæmonis, en modum, & finem, & remedium, quo in re dubia utendum. Innumera alia exempla, quæ in Vitis Sanctorum, & apud Asceticos occurrunt, omitto.

Illusionis diabolicæ exemplum.

CAPUT II.

De illusione ac deceptione diaboli per oracula.

Deceptiones diabolicæ per oracula.

SOlitum olim DEUM responsa dare sciscitantibus per An[gel]os ex Pro[piti]atorio supra Arcam fœderis, per Sacerdotes ex U[r]im & Thum[mi]m, per [Pro]phetas variis visis & verbis, notius est quàm ut probari debeat. Hunc [morem] imitatus Diabolus Dei simia, varia quoq; vel ab ipso reparatu po[st] [illegible] mũ mundi exordio, si non antea, elegit antra, statuas, homines in [illegible], & per quos responsa dedit voce, sonitu, gestu, somniis, aliisq; mo[di]s. Mirum autem, quantam hac arte stragem humano generi intulerit, qua[ntum] [illegible] vi[ta]nam obscuraverit gloriam, quantam sibi ipsi divinitatis exi[stimationem] conciliaverit. Indicabo præcipua loca oraculis diabolicis cel[e]bria, [illegible] eorum origine, & ritibus; tum quâ fuerint arte dolove [e]d[i]ta ejusmodi ora-cula, examinabo; tandem eorum falsitatem aut ambiguitatem indicabo.

§. I. Oraculum Delphicum; ejus origo; ritus in eo servati.

Oraculum Delphicum.

INter celebriora Orbis oracula celeberrimum, ac præ cæteris c[u]ltu, reli-gione, famâ, opibus & donariis insigne, fuit olim Delphicum, [seu] Pyth[i]um Delphis constitutũ. Erat autem Delphi civitas in Bœo[t]ia, juxt[a] Pa[rnassum], magis rupibus & loci naturâ, quã humanâ arte munita. Hac in urb[e] tem[plum] erat loco præcipiti, aditu adeo angusto & difficili, ut, objectâ lapidũ [illegible] ac-cessum omnem undiq; præcluderet, exiguâ semitâ relictâ, quâ [illegible] oraculum absq; comitatu incederent. In medio templi exig[u]a p[lanitie]s e-rat, & in ea hiatus, ex quo spiritus seu halitus acer ac vehemens te[rribili] so-nitu excussus, vatẽ fœminam tripodi insistentem, & afflatus ex[spect]antem corripiebat, agitatamq; & concussam in furorem vertebat statis dieb[us], quibus fari licebat non enim quovis tempore, uti nec in aliis locis, ex ora-culo hoc responsa dabantur.

Originem hujus oraculi hanc prodit *Diodorus Siculus* lib. 16 cum ali[i]s. Cùm in eo loco, ubi templũ postea extructum est, terra pateret [profunda] voragine, & circùmpascerent capræ; factum ut una ex gre[g]e fr[eque]n[ter] ad hiatum illum accederet, & quotiescunq; introspexisset, toties re[v]er[sa] [illegible] & inusitatis gestiret saltibus, vocemq; sonaret insuetã. Quę pastor [illegible] cùm accederet & ipse hiatũ spectaturus, mox eodem impetu hau[stus] [illegible] modo exilire, & vaticinia fundere incipit. Fama increbrescit & per [vulgatur], fit concursus ingens ad hiatum: & quotquot demittũt se se, [statim] [illegible] halitu afflati, furibundis similes evadunt. Tandem quòd ex fu[r]ore m[ulti] per præceps in hiatum desilirent, ac perirent; interdicto cautum fuit, [ne quis] amplius inscenderet. Voragini templum impositum, & min[i]ster [illegible] ca-piendi halitum vatidicum, referendiq; responsa fœminæ virgini co[mmen]-datum fuit. Aliquando pòst, quòd Echecrates quidam Th[e]ssalus vir[ginem] raptam violasset, his quoq; id ademptum, & vetulæ quæ quinq[u]a[gesimum] excessisset annum injunctum fertur. Hæc ut impunè specui seu hiatui ap-

pro-

propinquaret, machina tripes facta, cui insisteret. Hæc ex Diodoro & aliis. *Pausanias* quinq; aliorum sententias refert de origine hujus oraculi.

Fanum seu templum, quo hiatus tegebatur, ajunt primò conditum fuisse è lauri ramis è Thessalia advectis, in specus seu tugurioli modum: deinde ab apibus è cera, & alarum membranulis, & ob id Pteran dictum: tertiò æneum structum: quartò à Trophonio & Agamede ex quadrato lapide: quintò ab Amphictyonibus restauratum. Alii volunt, Pteran dictum, quòd à viro quodam Delpho, qui dictus Pteras, fuerit extructum. In fano fuit tripus, cortina, laurus, & crepidæ Apollinis. *Suidas* ait, Tripodes Apollinis dictos olmos. Tripos fuit aureus.

Vaticinia mulieri inspirare credebatur Apollo Pythius; unde & mulier seu vates Pythia dicebatur. Alii tamen malunt oraculo & vati nomen factum ἀπὸ τοῦ πύθεσθαι, à percunctando.

Ritus in captandis oraculis hic servabatur. Qui consulturus accedebat brevi oratione, quæ requireret, in pugillarib9 scribebat, ac Pythiæ significabat, mactatâ simul & solemni ritu consecratâ victimâ. Pythia autem non accingebat se se ad captandũ respõsum, nisi totam priùs victimã contremiscere ac veluti micare vidisset. His factis, *insidens tripodi* (verba sunt Aristophanis Scholiast.) *& diducens femora, malum infernè spiritum per verenda naturæ excipiebat, & capillo soluto spumam ex ore exspuens, & furens, vaticinia, vel veriùs deliramenta effabatur*, metris ferè Græcis, scitè admodum atq; argutè, sed ambiguè, & captiosè, ut postea dicam. Cùmq; in suam se se recepisset atq; abdidisset specum Pythia, ceu exonerata spiritu (ex halitu enim numine dei afflata credebatur) & ad se se reversa, conquiescebat.

Tripodis hanc prodit originem Scholiastes Aristophanis. Piscatores cùm jactu retis tripodem cepissent, & de eo inter eos lis orta esset: Apollinem consuluerunt: qui respondit: Ἔκγονε Μιλήτου &c: *Orte Mileto, Phœbum de tripode rogas, dato eum illi qui primus est sapientiâ.* Deferunt eum ad septem Græciæ sapientes; qui singuli cùm recusarent, & ad alios transmitterent; ad Apollinem demum remiserunt.

Cortinas commemorat *Origenes* Homil. 13. ad cap. 22. Numeror. *Manteiæ in sacris Litteris oracula sunt, apud Gentiles tripodes, & cortinæ, quæ ad hoc consecratæ ab his inveniuntur.* Item *Plinius* lib. 34. cap. 3. *Ex ære factitavêre & cortinas tripodum nomine Delphicas, quoniam donis maximè Apollinis Delphici dicabantur.* Hæ & Delphicæ mensæ in Glossis vocantur. Ex quibus colligas, cortinas aut easdé fuisse cũ tripode, aut specui seu hiatui subtensas, substratasq; tripodi. Certè *Aristo* Grammaticus *ait* tripodem interdum pro mensâ sumi, alias pro vase, nonnunquam pro sedili perforato. Sed de hac re iterum infrà.

Tripus Delphis lauro coronatus fuit. Consulentes lauro redimiti, in tabellis, seu pugillaribus quæsita scribebant, ut dixi. Pythia vittata coronata.

Unde Aristophanes in Pluto. *Quid Phœbus cecinit ex vittis, & coronam e[illegible]* Ad quod Scholiastes : *Pythia coronam gerebat, tripodes lauro erant coronati, [illegible] sulentes in pugillari scribebant quæ percontari vellent, & teneram coronam [illegible] stantes ad fatidicam manum intendebant.* Nec solùm dum consulebant, [illegible] etiam cùm ibant, lauro coronati erant. Unde *Livius* lib. 23. Fabium [illegible] ctorem coronatum laureâ oraculum Apollinis adiisse meminit. *L[illegible]* innuit, Pythiam solitam mandere laurum, antequàm vaticinaretur, *Scholiastes* Aristophanis ait, prope tripodem laurum fuisse, eamque à Pythia succussam quoties vaticinaretur.

Eorum qui adibant ad oraculum, æris tinnitu aures circumsonabant ne quæ vox inauspicata audiretur. *Plutarchus* in Rom : *Caventes [illegible] vox extrinsecus malè ominata sibi precantibus ad aures accideret, ad aures usque [illegible] caput amiciebant. Hoc enim eos inprimis cavisse perspicuum ex eo, quòd si qui ad [illegible] lum ibant, æris tinnitu circum sonabant.*

Eorum qui Dæastro Apollini serviebant, & Prophetæ ac DEO [illegible] vientes (ἱερόδουλοι) vocabantur, alii foràs extra templum excu[illegible] intùs curabant.

Responsa seu Oracula quæ Apollo per Vatem suam dabat, [illegible] erant, aut ambigua, aut casu vera, aut obscura. *Cicero* lib. 2. de [illegible] sic scribit : *Sed jam ad te venio, ô sancte Apollo, qui umbilicum certam [illegible] trum obsides* (putabant enim, Delphos esse in umbilico Terræ) *unde [illegible] tiosa primùm sara evasit vox fera. Tuis enim oraculis Chrysippus totum [illegible] plevit partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione [illegible] simè; partim flexiloquis, & obscuris, ut interpres egeat interprete, & [illegible] referenda sit ad sortes; partim ambiguis, & quæ ad Dialecticam [illegible] sint:* Exempla mox dabo. Ab illis ambagibus Loxias dictus est Apollo, quòd contorta, & flexuosa responderet.

Pausanias in Arcadicis prodit, Apollinem respondisse Epaminondæ, ut caveret pelagus. Abstinuit navigatione, & fugit mare; mortem non fugit: nam eam nactus est in quercero, cui nomen pelago. *Valerio Maximo* lib. 1. cap. 8 teste, Appio de eventu belli inter Julium Cæsarem & C[illegible] pejum sciscitanti Pythia dixit : *Nihil ad te hoc, Romane, bellum [illegible] lam obtinebis : At is ratus consilio se Apollinis moneri, ne illi discrimini [illegible] set, in eam regionem secessit quæ &c. Cella Eubææ nomen obtinet, ubi [illegible] faticum certamen morbo consumptus, prædictum a deo locum pro sepultura [illegible] sedit:* Pythia Cræso dixit apud *Herodotum* lib. 1. Cum Mulus imperaret Medis, fore ut regno Lydiæ Cræsus excideret. Non putavit Mulum Medis unquam imperaturum: Cyrus è patre Persa & matre Meda. Mulus intelligebatur. Lacones Pythiam consulunt de bello in Tegeates; illa respondet : *funiculo agros Tegeatum metiemini* ; illi cum [illegible]

pedicas

pedicis & funiculis in prælium exeunt, vincuntur à Tegeatibus, & agros arare, ac funiculo metiri coguntur. Pythia responderat, fore ut sus everteret Lybethriam urbem, quo tempore sol ossa Orphei eruta videret. Cùm pastor ad Orphei tumulum somno sopitus jaceret, cecinit dormiens suavissimè, ita ut ab aliis pastoribus audiretur; qui confluentes columnam, quâ ossa Orphei tegebantur, everterunt. Eadem Pythia, teste Pausaniâ, imperavit Halyartio cuidam quærenti, quâ ratione ager Halyartius siticulosus & arens, fontibus irriguus esset, ut quem primum obvium habuisset, eum occideret. Vir ille Halyartius in Lophnim juvenem incidit, illumque multis vulneribus malè mulctat. Lophnis acceptis vulneribus fugiens, quacunque fugatus est, ibi fontes exorti sunt. Crœso, cùm de belli adversus Persas suscepti exitu percontaretur, respondit Apollo, *teste Eusebio* lib. 5. Præparat. Evangel. Κροῖσος ἅλυν διαβὰς, μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. *Crœsus ubi transgressus fuerit Halyn* (fluvium) *magnum Principatum solvet.* Quo oraculo fretus Crœsus, dum excidium Persici imperii sibi pollicebatur, pessum dedit suum. Simile datum Pyrrho apud *Ennium* Poëtam:

Aio te Æacidem Romanos vincere posse:

Hæc sufficiunt de oraculo Delphico. Quâ fuerint virtute aut arte edita, cur desierint edi post CHRISTI Salvatoris adventum in Mundum, cur fallacia, aut ambigua fuerint, discutiam infrà.

§. II. Oraculum Dodonæum, ejusque origo.

Oraculum Dodonæum.

Dodona civitas in Chaonia, regione Epiri, erat. Juxta eam propinquum erat nemus Jovi sacrum, querneum totum; & in nemore Jovis Dodonæi templum, & in templo oraculum; quod *Herodotus* lib. 2. ait fuisse omnium, quæ in Græcia fuêre, vetustissimum, & sub Pelasgis unicum.

De origine hujus Oraculi idem *Herodotus* loc. cit. scribit, Sacerdotes Jovis Thebani narrasse sibi, cùm Ægyptum lustraret, duas fœminas, quæ essent Sacerdotes Thebis Ægyptiis à Phœnicibus fuisse abductas; & harum unam in Libya fuisse venundatam, alteram in Græcia; atque has fœminas esse, quæ apud eas gentes oracula constituissent. Antistites autem Dodonæorum, eodem Herodoto teste, ajebant, geminas Thebis Ægyptiis columbas nigras advolavisse, unam quidem in Libyam, alteram ad ipsos; quarum hæc fago insidens humanâ voce locuta sit, dixeritque; eo loci in fatis esse, ut oraculum Jovis conderetur; & Dodonæos interpretatos fuisse, id sibi divinitùs annunciatum, & ob id se ita fecisse. Eam verò quæ ad Libyas abivisset, jussisse illis ut Ammonis oraculum conderent. Hæc illi. Ipse vero Herodotus putat, eam Sacerdotem, quæ in Pelasgiam ve-

nit, apud Thesprotos seu Dodonæos consedisse, ibiq; ancillantem con[illegible] se sub fago fanum Jovis, ut mos erat Thebis ministrare in Jovis templo, & oraculum posuisse. Quòd autem mulier illa à Dodonæis vocat[illegible] lumba, inde factum esse putat, quia barbara erat, & cum lo[illegible] Ægyptiacâ linguâ, simile quiddam avib, sonare ipsis videbatur. Postq[illegible] linguam ipsorum didicit, & quæ intelligere possent, loqui cœpit; [illegible] columbam humanâ voce locutam. Eandem dicunt fuisse ni[illegible] Ægyptia fuit. Esse autem hanc Dodonæi Oraculi originem, inde con[illegible] Herodotus, quòd pænè inter se similia sint Thebanum & Dod[illegible] oraculum, & quòd divinandi in templis ratio ab Ægypto adscita sit.

Hæc Herodotus. *Servius* ad Eclog. 9. ait, ideo fingi columba[illegible] dedisse Dodonæ, quòd vaticinantes fuerint linguâ Thessalicâ [illegible] columbæ. *Hesychius* verò, quòd olim ab avibus vates fatidici nomi[illegible] rint. *Eustathius* scribit, olim Dodonæ viros primùm resp[illegible] de *tres vetulas, quæ columbæ dicuntur linguâ Molossâ.*

Alii volunt, Sellos (quæ gens Dodonæa fuit) è quercubus [illegible] Dodonæi vaticinatos. Unde *Æschylus* in Promotheco: *Circa Do[illegible] tam, ubi oraculum sedesq; est Jovis Thesproti, & monstrum fi[illegible] quaces.* Et *Claudianus* in Panegyr. *Rursusq; locutæ in te Chaoniæ mo[illegible] miua quercus.*

Fuerunt & pelves æreæ Dodonæ, quæ radio solis ictæ, aut [illegible] nu, lapillo impulsæ, pariter sonum dabant, licèt una tantùm icta esset. Unde *Ausonius* Epist. 25.

> *Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,*
> *In numerum quoties radiis ferientibus ictæ*
> *Respondent dociles moderato verbere pelves.*

Estathius ait, cùm multæ olim pelves in delubro Dodon[illegible] sitæ sibi responderent inter se, si quis unam attigisset, [illegible] At *Suidas* tradit ex quodam Damone, Apollinis Dodonæi [illegible] betibus æreis undique septum fuisse, ita conjunctim collocatis, [illegible] se se contingerent. Itaque necesse erat fieri, ut uno aliqu[illegible] cusso, vicissim omnes resonarent, sonitu ab aliis ad alios mu[illegible] succedente. Durabatq; in longum tempus tinnitus iste, videlice[illegible] redeunte sono.

§. III. Oraculum Milesium, seu Didymæum, quod & Branchidicum appellabatur.

Oraculum Milesium, seu Didymæum.

FUit præterea cumprimis celebre oraculū Apollinis Didymæi antiquissimum, quod & Milesium, & Banchidicum nuncupârunt. De hoc *Strabo* lib.

lib. 14. Geograph. sic scribit: *Post Posidium, Milesium est oraculum, Apollini Didymeo sacrum, apud Banchidas, ad decem & octo stadia ascendenti.* Oraculum hoc in Milesiorum agro erat situm supra Panormum portum. Branchus Apollinis credebatur filius, & ipse futurorum peritissimus, utpote ab Apolline afflatus. Is præfuit templo & oraculo nominato, unde urbis incolæ Branchidæ, & oraculum Branchidarum seu Branchidicum fuit dictum. *Macrobius* lib. 1. Saturnal. cap. 17. scribit, Apollinem (hoc est Solem) dictum Didymæum, quòd geminam speciem sui numinis præfert, ipse illuminando, formandoq́; Lunam. Nam ex uno fonte lucis, gemino sidere spatia diei & noctis illustrat, interdiu per seipsum lumen præbens, noctu verò per Lunam à se illuminatam.

In Branchide scribit *Jamblicus* mulierem fatidicam solitam in axe sedere, aut virgulam manu tenere ab aliquo deorum datam, aut pedem limbumve tingere in aquam, vel ex aqua quadam vaporem haurire, & his modis impletam splendore divino, deumq́; nactam, & vaticinatam esse. Ipsam autem Sacerdotem antequam oracula daret, multa ritè peregisse sacrificia, observasse sanctimoniam, lavisse, triduum prorsus abstinuisse cibo, habitasse in secessu, incepisseq́; paulatim illuminari, & gaudere, ac priusquam ad locum aquæ veniret, quodammodò inspirari.

Templum hoc à Xerxe, cùm in Græciam irrumperet, incensum fuit atque eversum, deinde a Milesiis iterum maximis impensis magnificentissimè ædificatum tantâ amplitudine, ut trabes mille fastigio extruendo non sufficerent.

Seleuco Regi Syriæ, sciscitanti de suo in Macedoniam reditu, quam Syriæ à morte Alexandri Magni occupatæ, conjungere cupiebat, dissuasit consilium de reditu hoc oraculum, versu Græco, in hunc sensum:

Ne propera Europam, Asia tibi faustior ora est.

De morte verò, aut loco in quo moriturus esset percontanti, respondit ambiguè in hunc sensum.

Fatales perages annos, si fugeris Argos:
Ante avum fatale cades, cum veneris Argos.

Cùm ergo monitu Oraculi caveret & fugeret Argos omne, Peloponnesiũ, Amphilochicum, Jonicum & quartum in Oræstia situm; tandem accedens ab Hellesponto ad urbem Lysimachiã, post devictum & cæsum Lysimachũ, casu incidit in aram amplam magnitudine, ornatuq; splendidam, ac celebrẽ cultu, quam accolæ nominabant Argos. Ad aram illam sceleratè ex insidiis ab hospite Ptolomæo Ceranno interfectus complevit prædictionẽ oraculi. Ab eodẽ oraculo, Licinius Imperator, ut *Sozomenus* scribit, ambiguo delusus responso, & in falsam spem victoriæ inductus, pænè certò credidit Monarcham se solum futurum, ante conflictum cum Constantino Magno, in quo conflictu ad Chrysopolim Bithyniæ urbem acie victus, & captus, prorsus exci-

excidit imperio, quod antea cum Constantino affine & collega administrabat pariter. Græcos versus sic reddidit nonnemo.

Te vetulum vexat juvenum manus impete forti,
Et tua jam fracta est vis, adventante senectâ.

Meliùs alius: *O senior, vexat juvenis te miles in armis &c.*

§. IV. Oraculum Trophonii, ejusque origo, & ritus.

Oraculum Trophonii.

QVà montes consurgunt (inquit Pausanias in Bœoticis, sive lib. 9.) *Orchomeniis finitimi sunt Phocenses: quà campi patent, proxima est Lebadea &c: Modicè ab ea recedit Triphonii lucus &c.: Est verò oraculum supra lucum in monte: crepido in orbem candido saxo circumsepta. Crepidinis ambitus est instar areæ minimæ, altitudine minore quàm cubitûm duûm. Erecti sunt super crepidine obelisci, tam ipsi, quàm zonæ quibus continentur, ænei. Inter eos media sunt ostia. Intra ambitum specus est, non naturâ, sed arte, & certo proportionis modulo quàm solertissimè excisus. Ejus subterraneæ cellulæ forma fornaculæ persimilis, cujus latitudo dimensa per rectam lineam ab imo ambitu ad summum, cubita æquarit plus minus quatuor. In altum subsidit hiatus haud amplius octo ferè cubitûm. Nulli verò gradus constructi sunt, qui ingressos ad imum solum demittant, sed ad Trophonium descensuris scalas admovent, angustas æquè, atque habiles. Ubi descensum fuerit, media inter solum & antri testudinem cavernula est, latitudine duorum dodrantum, altitudine dodrantali. Qui eò penetrârit, humi procumbens melle subactas offas* (ceu placentulas) *tenens, pedes priùs in cavernulam illam immittit: mox genua properat ad pedes adjungere: statim reliquum corpus ad genua contractum, eodem propè modo, quo si maximi & concitatissimi amnis aquarum vortice correptum fuisset, intro abripitur. Qui certè intra penetrale descenderint, futura non uno & eodem cognoscunt modo; ex visis alius, ex auditis alius id consequitur. Per easdem fauces patet omnibus reditus, in pedes verò retrograduntur. Neminem ex iis qui eò pervaserint, non reducem evasisse affirmant, uno excepto, qui de spiculatoribus Demetrii fuit. Illum certè neque eorum quidquam sacrorum, quæ fieri ad fanum illud religione sancitum est, fecisse, & non sciscitandi causâ, sed quod argentum & aurum se, quod illic esset, erepturum speraret, introiisse ajunt. Ejus itaq; cadaver in diversam partem, & non per sacrum hiatus illius ostium ejectum.* Hæc de loco oraculi.

Ritus porrò & ceremoniæ, qui servari à descensuris debent, sic enumerat idem Pausanias: *Ubi statuerit quis in Triphonii descendere, primùm dierum certum numerum est ei in ædicula commorandum. Est illa bono Genio, & bonæ fortunæ sacra. Illic degens & alia suscipit expiationum genera, & calidis cum interdictum sit ad lavandum aquis, Ercynâ fluvio se abluit. Carnes ei de victimis largè suppeditant. Immolat enim qui huc descendit, Trophonio & filiis, Apollini*

præ-

præterea, Saturno, Jovi cui Regi cognomen, Junoni Heniochæ, & Cereri quam Europen nominant, ac fuisse Triphonii nutricem perhibent. Adest aruspex, qui cæsarum victimarum viscera inspectat Ex ea inspectione vaticinatur, nunquid Triphonius placatus jam & propitius consultorem sit accepturus. Alia tamen exta non tam perspicuè Trophonii mentem denuntiant. Verùm eâ quâ quis nocte descẽdit, arietem mactat ad ipsam foveam, Agamedam illum vocitãs. Exta cætera pro nihilo ducuntur, etiamsi maximè fuerint læta, nisi eo ipso ariete litatum fuerit. Id ubi ita evenerit, ut extorum cõsentiat significatio; bona cum spe descendit consultor. Atq; hoc maximè modo initiatus, hocq; ritu descendit. Deducunt Sacrificuli eum noctu ad Ercynam fluvium. Ibi hominem oleo perungunt pueri duo ex oppidanorum liberis, annos fermè nati tredecim. Hermas, id est, Mercurios illos nũcupant. Hi sunt qui illũ abluũt, quiq; ministrant quæ sunt opus omnia, ut puerorum est captus. Hinc non statim ad oraculum, sed priùs ad amnis fontes ducitur. Sũt verò duo inter se proximi. Bibenda illic est Lethes, quæ dicitur, aqua, quò cunctorum ei, quæ memoriâ complectebatur, oblivio contingat: Mnemosynes deinde, id est, Memoriæ, aquas bibit, ut ne mens effluat, quò minus quæ inter ea penetralia viderit, omnia memoriâ contineat. Jam simulacrum, quod fecisse Dædalum autumant, contemplatur. Nemini prorsus id ostendunt sacerdotes, præterquam iis, qui ad Triphonium sunt accessuri. Eo signo conspecto, & cum multa religione votis nuncupatis, ad oraculum progreditur, tunicam indutus lineam, ac tæniis cinctus, soleisq; popularibus in pedes inductis. Est verò oraculum supra lucum in monte &c. quæ suprà exposui. Quò ubi pervenit, descendit per scalas modo ibidem explicato; porrigens interim mellitas placendas anguibus, aliisq; reptilibus accurrentibus, ut notavit *Athenæus* lib. 14.

Pergit *Pausanias* describere reditum ex antro. *Consultorem à Triphonio reversum sacrificuli in solio collocant, quod Mnemosynes vocant. Positum illud est non procul ab adyto. Ab eo percontantur quæcunq; vel visa, vel audita reportarit. Ea ubi accepêre, suis illum reddunt. Hi in cellam Fortunæ bonæ & boni Genii, in qua veniens primùm commoratus fuerat, eum reducunt, multo illum quidem attonitum terrore, & sui met atq; omnium adsistentium oblitum. Resipiscit tamen paulò pòst, & pristina ei mens, & risus redit. Scribo autem non solùm audita, sed quæ & aliis accidisse vidi, & egomet sum expertus, cùm ad Trophonium consulendi causâ ipse etiam venerim. Coguntur sanè omnes qui à Trophonio redeunt, quæcunq; vel audiêrunt, vel viderunt, à se conscripta in tabulam referre.* Athenæus loco paulò antè citato ait, egressos nunquam ampliùs risisse, quòd à serpentibus in stuporem dati essent. Idem asserunt alii, addentes præterea, qui Triphonium consuluissent, vitam non ultra annum protulisse; quod mendacii arguit Pausanias, Socrates, Apollonius Thyanæus, Paulus Æmilius, & alii, qui in specum descenderunt, & diu supervixerunt, ac riserunt.

Malui hæc referre Pausaniæ, quàm meis verbis. Hoc si fecisset *Peucerus*,

& *Majolus*, qui sua de Oraculis ex Peucero descripsit; vitassent errores, quos inter enarrandum commiserunt.

Ad originem oraculi Triphonii quod attinet, eam citatus *Pausanias* ita describit *Hoc oraculum cùm antea prorsus ignoraretur, ex hujusmodi casu ad Bœotos ejus pervenit notitia. Cùm unum & alterum jam annum nullis terra imbribus irrigaretur; è singulis civitatibus Delphos missi sunt, qui opem implorarent. His siccitatis remedium exposcentibus, Pythius Apollo imperavit, ut Lebadeam venientes à Trophonio mali auxilium quærerent. Lebadeam itaq; profecti, cùm oraculum reperire non possent. Saon quidam Acræphaliensis, collegarum natu maximus, cùm apum examen conspexisset; quòcunq; illa divertissent, sequi statuit. Ubi igitur eas ad specum quandam advolantes vidit, & ipse subiens, oraculum quod quærebant, illud esse intellexit. Saonem hunc cùm ea quorum causâ missus fuerat, tum sacrorum omnem ritum, & quæ inter consulendum fieri fas est, edoctum à Trophonio memorãt.*

§. V. Oraculum Pharense.

Oraculum Pharense.

P*Hara Achæorum oppidum Patrensibus est ab Augusto attributum* (inquit Pausanias in Achaicis, sive lib. 7.) *Fori area magno & latè patenti ambitu est, quo scilicet spatio esse consueverant priscorum fora. In medio Mercurii marmoreum signum, cum barba, è quadrata basi eminens, modicâ magnitudine. Testatur inscriptio, à Messenio Simulo dedicatum Cognomen ei est Agoræo, quod idem omnino est ac si Forensem dicas. Proximo loco oraculum est. Ante Mercurii signum Vesta, & ipsa marmorea. Adposita ei sunt plumbo ferruminata anea lucernula. Qui deum consulunt, Vestam primùm thure incenso placant. Deinde oleo infuso lucernas accendunt. Tum verò in Ara dextera parte nummũ patriâ notâ signatum (appellant æreum) dedicãt. Ubi quod usu fuerit rogârit, aurem simulachro admovet. Inde è foro abiens, manibus aures premit. Ubi è foro excessit, amotâ manu quâ primùm excepit vocẽ, eã sibi oraculi loco ducit. Eadem apud Ægyptios in serapidis celebratur oraculi religio.* Hęc Pausanias: quæ Peucer9 dũ propriis verbis reddidit, insigniter corrupit.

§. VI. Oraculum fontis Cereris prope Patras.

Oraculum Patrense.

P*Ausanias* citato antea loco, ubi de Patris agit, cùm enumerasset templa deastrorum, & simulachra, cum luco, quæ circa urbem sunt; addit: *Proximum luco est Cereris fanũ Dea ipsa, & Proserpina stãt. Telluris effigies in solio sedet. Pro Cereris ade fons est, qui à templo lapideo pariete secluditur. Ad eum fontem per exteriorem tramitem descenditur Ibi oraculum maximè veridicũ est. Cognoscũtur ex eo non rerum omnium, sed morborum duntaxat evẽta. Speculum tenui suspensũ funiculo demittunt, ut in fonte omnino non mergatur, sed imo ambitu summam aquam contingat. Ubi odores adoleverint, & ritè deam precati fuerint, inspiciunt in speculum; & ex ejus imaginibus periturusne, an victurus is æger sit, de quo cõsulunt, divinant. Neq; latiùs omnino hujus aqua divinatio patet.* Hujus speculi memini in 4. par. Magiæ. lib. 6. Synt. 1. cap. 2. §. 4. & infrà mentionem faciemus lib. 4. cap. 13. §. 1.

§. VII. Oraculum Apollinis Thyrxei.

Oraculum

E*St verò in Cyaneis* (inquit Pausanias lib. 7.) *ad Lycia fines, Apollinis*

Digitized by Google

linis Thyrxei oraculum, Cyaneis petris proximum; ubi qui in fontem descenderit, planè omnia quæcunq́ velit, præscire posse dicitur. Apollinis Thyrxei.

§. VIII. Oraculum Clarium, seu Colophonium, & Delium.

CLarium oraculum in Jonia fuit juxta Clarum oppidum, non procul à Colophone; à quo Clarius Apollo dictus fuit: ibi enim specus & lacuna fuit, cujus potu mira oracula reddita sunt, breviore tamen vitâ bibentium. Hujus meminit *Plinius* lib. 2. cap. 103. dicens: *Colophone in Apollinis Clarii specu lacuna est, cujus potu mira redduntur oracula, bibentium breviore vitâ.* Consuluit hoc oraculum Germanicus, ut scribit *Tacitus* lib. 2. Annal. *Appellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non fœmina illic, ut apud Delphos, sed certis è familiis, & fermè Mileto accitus sacerdos, numerum modo consultantium, & nomina audit: tum in specum digressus, hausta fontis arcani aquâ, ignarus plerumq́ litterarum & carminum, edit responsa versibus compositis super rebus, quas quisq́ mente concepit. Et ferebatur, Germãico per ambages, ut mos est oraculis, maturum exitium cecinisse.* Hæc Tacitus. *Julius Cæsar Pulengerus* lib. 1. de oracul. cap. 9. ait, Strabonem Tacito æqualem indicare, oraculum Clarium ævo suo nullum fuisse. Verba Strabonis, prout Pulengerus Græcè & Latinè ea recitat, hæc sunt: *Colophon urbs Jonica, ante quam saltus Clarii Apollinis, in quo oraculum olim vetustum fuit.* In meo exemplari, editionis Basil. apud Joann. Vualder. An. 1539. hæc solùm verba lego: *Postea est Galtesius mons, & Colophon civitas Jonica, & ante eam Apollinis Clarii lucus.* Oraculi Clarii meminêre *Statius* lib. 8. Thebaid. *Pausanias* in Achaicis, sive lib. 7. *Tzezes, Ælianus, Virgilius, & alii.*

Oraculum Clarium seu Colophonium.

Delos, quæ & Ortygia, aliisq; nominibus nuncupabatur, insula erat maris Ægæi, Cycladum omnium clarissima, in qua Latona Apollinem & Dianam dicebatur esse enixa. Qua ex opinione hominum illa insula eorum deastrorum sacra putabatur. Fuit in eadem insula olim clarissimum Apollinis oraculum, cujus meminit *Virgilius* lib. 6. Æneid. *Delius inspirat Vates.* Pausanias redditum esse ait responsum Delo, Megarenses fore felices, si cum pluribus consilia cogitarent. *Peucerus* ait, Delias sortes, ob perspicuitatem & certitudinem, in admiratione fuisse, quòd sine ambiguo sensu, sineque obscuritate quæsita declarare persuasum fuerit, cùm oracula pleraque obscura & ambigua esse experientia coargueret.

Oraculum Delium.

§. IX. Oraculum Cyrrhæum, Diradioticum, Myrinæum, Pataræum, Abæum, Corypæum, Tegyræum, Oropæum, & alia in Græcia.

INfinitus sim, si omnia quæ in Græcia olim fuêre oracula enarrare, nedum explicare contendam. Quare reliqua paucis tantùm indico.

Oracula alia varia in Græcia.

Cyrrhæi, oraculi meminit *Statius* lib. 3. 7. & 8. Thebaid. & *Seneca* in Hercule Oetæo, apud Bulengerum lib. 1. de Oraculis cap. 8. Fuit autem Cyrrha urbs Phocidis, ad radicem Parnassi montis.

Diradioticum oraculum, quod Dirade Apollini Diradiotæ sacrum erat, describit *Pausanias* in Corinthiacis, seu lib. 2. his verbis: *Ascendentibus in arcem ostendit se Acrææ Junonis fanum: Apollinis etiam ædes, quam primus omnium Pythaëus Delphis veniens erexisse dicitur. Quod nunc extat in eo signum, ex ære est, recto statu. Diradiotes Apollo cognomento: nam & locus ipse, in quo templum, Diras, hoc est Jugum vocatur. Oraculum in eo templo (nam has ipsâ ætate in eo responsa consulentibus redduntur) hoc instituto celebratur. Fœmina cui viri consuetudine interdictum est, oraculo præsidet. Ea noctu agnâ facit, singulis mensibus, ac statim victimæ sanguine libato, furore divinitùs afflatur.*

Myrinæi oraculi meminit *Strabo* lib. 13. *Intra Sinum est Myrina ad stadia sexaginta, Aeolica civitas, quæ portum habet. Deinde Achivorum portus, ubi sunt duodecim deorum aræ. Deinde Grynium* (seu Grinæum) *Myrinæorum oppidum & Apollinis fanum, & pervetustum oraculum.* Meminit ejusdem *Stephanus, Ælianus, Virgilius*, & alii apud *Bulengerum* lib. 1. De Oracul. cap. 13.

Pataræi Apollinis oraculum commemorat *Pomponius Mela* lib. 1. qui Pataram Lyciæ urbem, Apollinis delubro nobilem facit, quod opibus & oraculi fide Delphico simile. *Servius* ait, Apollinem sex mensibus hiemis apud Pataram Lyciæ civitatem responsa dedisse, & sex mensibus æstivis apud Delum. Ad hoc alludit *Virgilius* lib. 4. Æneidos. *Herodotus* lib. 1. ait, Antistitem DEI PatarisLyciæ consuetudine virorum abstinuisse.

Abæi Apollinis & oraculi, apud Abas Phocensium, mentionem facit *Herodotus* lib. 1. & 8. *Hesychius*, *Stephanus*, *Strabo* lib. 9. Geograph. & alii apud *Bulengerum* lib. 1. de Oracul. cap. 15.

Corypæi Apollinis & oraculi, apud Corypen Thessaliæ urbem, meminit *Nicander* in Theriacis, apud *Buleng* loc. cit. cap. 16.

Tegyræum Apollinis oraculum fuit prope Locridem, ut *Plutarchus* in Pelopida meminit apud *Buleng*. cap. 17.

Apud Oropen Eubææ urbem fuisse sacrarium & oraculum Apollinis Oropæi, testatur *Stephanus* lib. de Urbibus, apud *Buleng*. cap. 18.

Apollinis Mystæ, qui per somnia solitus sit dare responsa, meminit *Artemidorus* lib. 2. de somniis sub finem, teste *Buleng*. cap. 19.

Apollinis Eutresitæ & oraculi nobilis apud Eutresen pagum, qui ducebat ex Thespiis Plateam, meminit *Stephanus* apud *Buleng*. cap. 20.

Hieræi Apollinis oraculum commemorat *Livius* lib. 38. Erat autem Hiera vicus in Caria, teste *Stephano*.

Bulengerus lib. 1. de Oracul. à cap. 22. meminit Oraculi Apollinis Soractini, Sminthii, Parnopii, Hysii, Spondii, Triopii, Ismenii, Ptoi, Te-

græi,

græi, Archigetæ, Lycii, Telmesii, Selinuntii, Corinthii, Philesii, Thymbræi, Pergameni.

Idem *Bulengerus* lib. 1. de Oracul. cap. 67. & 68. ait, in omnibus Apollinis templis olim dæmones responsa dedisse. Unde citato cap. 68. quam plurima recenset Apollinis templa.

Pergit *Bulengerus* à cap. 91. usque ad 160. & varia alia oracula colligit, nempe Jovis Nicephori, Deæ cœlestis, Dei Luni, Fontis Castalii, Dei Besæ, Antinoi, Pasiphaes, Apollonii, Sinopensis Apollinis, Æsculapii, Daphnes, Ulyssis, Neocæsareensis, Herculis Atheniensis, Herculis Gaditani, & aliorum pænè innumerorum.

Jamblicus lib. de Myster. Æpypt. num. 25. meminit inter alia oraculi Colophonii, de quo aliquid infrà §. 20. num. 8. & paulò antè §. 8.

§. X. Cur in Græcia tam frequentia fuerint oracula.

TAm frequentia, ut vidimus, oracula constituit in Græcia Dæmon (Dæmonem enim auctorem illorum fuisse, probabo postea) quòd, ut nonnemo benè asserit, eam gentem præ cæteris pronam in superstitiones ruere, avidissimè arripere nova quævis, motu levissimo & stolidâ garrulitate ea effutire, proclamare, atque extollere, eoque nomine huic suo instituto aptissimam esse nôrat. Quare cùm videret dæmon, ad Delphicum, Dodonæum, Trophonium, aliaque celebriora antiquitùs constituta maximo numero sciscitatum confluere non Græcos tantùm, sed aliarum quoque nationum populos; tanquam non sufficerent expediendis omnibus pauca loca, nova oracula adornabat alibi, locisque demonstratis, & additis mandatis, ut illa adirent & percontarentur, declaratâq; responsorum veritate eventu semel atque iterum, efficiebat ut mox clarescerent, consulerentur, donariis & opibus amplificarentur. Deinde, ne quid pateretur de suo uspiam dominio in hominum Genus, sibi à DEO permisso, decedere, mox si qua templa, aut loca oraculis clara, essent bellis spoliata, vastata, ac diruta, aut vetustate neglecta, instaurari, donisque exornari præcipiebat, uti ex variis Scriptoribus & historiis liquet.

Oracula cur tam frequentia in Græcia.

Fuit Delphicum Apollinis templum, de quo §. 1. omnium templorum ethnicorum locupletissimum, statuis ex solido auro argentoque confectis immensi ponderis, & aliis innumeris ac preciosissimis donariis refertum. Hippocratem etiam sceleton æneum, exquisitissimè ad figuram humani sceleti fabrefactum, eò collocasse ajunt, eâ fortasse spe, ut religione templi defensum conservaretur ad posteros. Quinquies destructum, exustumq; fuit; pluries direptum, à latrone quodam Eubœensi, à Phlegyarum gente, à Pyrrho Achillis filio, ab exercitu Xerxis, à Phocensibus, à Nerone; qui Nero inde quingentas æneas imagines absportasse fertur, mactatis ad ostium voraginis subterraneæ, ubi latebat diabolus, hominibus, & cada-

Delphici oraculi ac templi celebritas.

Digitized by Google

veribus eorum in specum dejectis. Sed communibus semper sumptibus restitutum ac locupletatum legimus, usq; ad extremam eversionem, à qua non est renovatum ampliùs. Et ut ostenderet diabolus, loca in quibus tam impensè colebatur, sibi curæ esse, non rarò gravibus suppliciis injurias illis allatas vindicavit. *Pausanias* in Laconicis sive lib. 3. scribit, Archidamum, quòd sacram pecuniam à Phocensibus, qui clarissimum orbis terræ oraculum spoliârunt, accepisset, illisq; auxilio in bello sacro fuisset, postquam in Italiam trajecisset, & Tarentinos in bello contra finitimos barbaros auxiliis juvisset, in pugna interfectum, sepulturæ honore caruisse, *Apollinis nempe, cujus numen læserat, irâ.*

§. XI. Oraculum Jovis Ammonis in Libya.

NOn minùs alias Gentes, quàm Græcos, oraculorum superstitione dementavit diabolus. Nonnulla indicabo.

Oraculum Jovis Ammonis.

Celeberrimum atq; antiquissimum fuit olim oraculum Jovis Ammonis seu Hammonis in Libya. Situm hoc erat cum templo suo in extimo sinu Libyæ, apud Garamantes, ultra Cyrenen, in solitudine vasta, arenosa, torrida, ac siccitate sterili; quò propterea difficillimus erat accessus. Circa ipsam oraculi sedem dicunt fuisse densum nemus, proceris atq; confertis arboribus consitum; copiosissimasq; fontium aquas, quæ solum naturâ suâ exsuccum & sterile irrigabãt, fœcundabantq; In templo idolum erat, nempe Jovis Ammonis statua, pellibus amicta arietinis, cum arietino capite cornibus instructo. Sacerdotes responsa petituri, idolum aurato navigio impositum circumvectabant, accinebantq; carmen patrium His veluti delinitum retibus, non voce, sed solo nutu, signisq; subobscuris, quę vellet, proferebat. Signa antistites iis, qui consulturi accesserant, referebant, ac declarabant, diaboli monitu atq; indicio. Cambysen Cyri, & Alexandrum Philippi aditum ad hoc oraculum tentasse, historiæ produnt.

De hoc oraculo ita scribit *Strabo* lib. 17. Geograph. *Ammonis oraculum quasi ex toto deficit. Priùs in honore maximo habebatur, quod ii imprimis declarãt, qui Alexandri gesta conscripserunt &c: Callisthenes dicit, Alexandrum ambitione quadam contendisse ut ad id oraculum ascenderet, cùm intelligeret Perseum & Herculem priùs eò ascendisse, atq; ex Paratonio digressum incumbente austro repulsum fuisse: cùm verò per pulverem erraret, adventu imbris, & duorum corvorum, qui iter commonstrârunt, servatum esse. Jam hac adulatoriè dicuntur.* Similia sunt quæ sequuntur, quòd solùm regi Sacerdos permiserit, ut in templum ingrederetur cum stola consueta, & quòd cæteri vestem mutârint; & quòd omnes extrinsecus oraculum adierint, præter Alexandrum qui interius erat, & quòd responsa non ut apud Delphos & Branchidas verbis darentur, sed magna ex parte nutu & signis, quemadmodum apud Homerum

Annuit, & vultu Pater illi clara sereno
Signa dedit.

Memi-

Digitized by Google

Meminit ejusdem oraculi *Herodotus* lib. 1.& 2.*Lucanus, Luctatius* Statii Scholiastes, *Mela. Q Curtius* lib.4.*S.Augustinus* lib.8.de Civit. cap. 5. *Statius* lib.8.Thebaid.*Claudianus* Paneg.4.& alii multi.

De Origine variant Scriptores, *Hyginus* lib 2. de signis cœlest. cap. de Ariete, ubi citat Hermippum; *Aratus* in Phœnom.V.Aries, *Cæsar* Arati interpres, *Martianus Capella*,& alii.Pleriq; tamen scribunt, cùm Liber per desertum Libyæ exercitum duceret,& siti cum omni milite laboraret; apparuisse arietem: quem dum fugientem persequeretur, pervenisse illo duce ad fontem amœnissimum: & cùm deinde nusquam ampliùs compareret aries, existimasse illum fuisse Jovem patrem, eiq; templum miræ magnitudinis in arena constituisse, posito ipsi simulachro arietis cornibus conspicuo, & Deum vocasse Ammonem, hoc est, Jovem arenarium. *Herodotus* tamen lib.2.ut vidimus suprà §.2. scribit conditum oraculum ab una ex Ægyptiis Sacerdotibus, quæ à Phœnicibus raptæ,& in Græcia ac Libya venditæ fuerint, vocatæq; columbæ.

§. XII. Oraculum Podalirii apud Daunios.

Dаunii seu Calabri solebant in pellibus ovillis dormire ad tumulum Podalirii,& ab eo in quiete accipere oracula (inquit *Tzezes*,) monerique quam rationem recuperandæ valetudinis inire debebant. Addit idem Auctor, solitos fuisse in propinquo fluvio Althæno lavari & ipsos, & greges, invocato Podalirio,& sanari.

Oraculum Podalirii.

§. XIII. Oraculum Apollinis Sarpedonii Seleuciæ.

Seleuciæ Ciliciæ urbe fuit oraculum Apollinis Sarpedonii, de quo *Zosimus* lib.10. Is Cilicibus, quos locustæ infestabant, aves Seleuciadas dedisse dicitur, à quibus hac lue liberati sunt. Meminit etiam hujus oraculi *Basilius Episcopus Seleucia* Isaur. lib. de Thecla, dicens Theclam se tanquam murum opposuisse dæmoni Sarpedoni, qui præmontorium ad mare occupârat,& multos decipiebat, atq; à fide abducebat *per adulteria, & fallacia oracula.*

Oraculum Apollinis Sarpedonii.

§. XIV. Oraculum Apollinis Beleni apud Gallos.

Herodotus lib. 8. meminit oraculi Apollinis Beleni apud Gallos & Aquileienses, his verbis: *Nonnulla oracula ferebantur patrii cujusdam numinis, victoriam promittentis. Belenum vocant indigenæ.*

Oraculum Apollinis Beleni.

§. XV. Oraculum Apollinis Hieropolitani apud Assyrios.

Meminit hujus oraculi *Macrobius* lib.1.Saturn.cap.24.Simulachrum Apollinis erat aureum,& vehebatur ferculo.Id consulebant præsentes, & absentes missis diplomatibus consignatis.

Oraculum Apollinis Hieropolitani.

§. XVI. Ora-

§. XVI. Oraculum Antiochenum.

Oraculum Antiochenum.

ANtiochenum Oraculum motu gestuq; capitis, & oculorum, ac totius vultus, vel arridente hilaritate, vel corrugatâ ac refugiente torvitate, cùm annuere requisitis, tum petita abnuere solitum scribunt, inquit nonnemo. Hujus idoli edicto, & propter idoli authoritatem, Imperatorum mandato, Christianos extorres actos, totâque submotos viciniâ diu oberrasse in Asia, priusquam recuperatis sedibus se se rursus confirmarent, scribit *Eusebius*.

§. XVII. Oraculum Jovis Beli.

Oraculum Jovis Beli.

A Jovis Beli statua, quæ in Apamea Syriæ colebatur, petita responsa impetrasse dicitur L. Septimius Severus Imperator, & de imperio, cùm privatus adhuc esset, & de conditione ac statu liberorum post mortem ipsius futuro, cùm ad imperii statum pervenisset. De liberis dixisse fertur statua: *Domus tua tota peribit sanguine*, Xiphilino narrante. Eventus respondit Oraculo. Nam Bassianus Caracalla, natu major filius, patri cædem intentavit, & hoc tandem in Britannia extincto, fratrem Getam in complexu matris confodit; & Romam civibus exhaustam, sanguine eorundem inundavit.

§. XVIII. Oraculum Latonæ in Ægypto.

Oraculum Latonæ.

DE hoc *Herodotus* lib. 2. ita scribit: *Oraculum illud in Ægypto Latonæ sacrum, in magna urbe situm, cui nomen Buto. Templum autem in ea urbe est Apollinis, & Dianæ, & fanum Latonæ in quo oraculum. Ex eo Cambysi de vitæ termino, & quo in loco vitam finiturus esset, inquirenti, responsum datum, in Ecbatanis ipsum moriturum. Sed in dubium adductus ambiguo nomine, cùm alteræ in Syria, in Media altera fuerint, locum cavere nequivit. Idem oraculum Mycerino Ægyptiorum Regi, qui templa idolorum, quæ antecessores duo clauserant abrogatis & prohibitis sacrificiis, reclusit, itidem de vitæ termino percontanti respondit, septimo anno moriturum.*

§. XIX. Oraculum Mopsi, Orphei, Amphilochi, Terræ, & alia.

Oracula alia varia.

MOpsus Apollinis & Mantûs filius, Tiresiæ nepos, tantâ augurandi gloriâ fuit, ut post mortem ei templa dicata sint, à quorum adytis sæpe homines responsa acceperunt, inquit Scholiastes Statii apud *Bulengerum* lib. 1. de Oracul. cap. 126.

Philostratus lib. 4. cap. 4. scribit, in Lesbo Orphei caput ex Thracia allatum, vaticinatum quòusq; ab Apolline concessum fuit. Cùm enim neq; in Grynæum, neque in Clarum (de quibus suprà) nec usquam aliò ubi tripus Phœbi esset, oracula petitum accederent homines, & solus Orpheus consulenti-

sulentibus responderet; superstans Apollo: Desine, inquit, quæ mea sunt occupare; jam enim satis te canentem pertuli. Idem *Philostratus* in Heroicis in Philoctete scribit. Cùm Lesbus parùm abesset ab Ilio, misisse Græcos ad oraculum quod ibi fuit. Dedisse autem Lesbum responsa ex Orphei capite, quod Lesbum appulsum incoluit hiatum, & in cava humo vaticinatum fuit. Addit, responsa hujus oraculi etiam Babylonem fuisse transmissa, & multa Persarum Regi cecinisse, Cyroq; illi antiquo responsum inde datum esse dicitur, *Mea, ô Cyre, tua sunt &c.*

Pausanias in Atticis ait, in Melto Ciliciæ fuisse Amphilochi oraculum veracissimum omnium quæ suâ ætate fuerint. Ejusdem meminit *Lucianus* in Philopseude, dicens fuisse clarissimum, & verissimum; & responsa dedisse disertè, ad verbum respondens iis quæ scripta in libello Prophetissæ dabantur.

Idem *Pausanias* in Achaicis meminit oraculi Telluris seu Terræ, quod fuit Ægyræ, *ubi sacerdos* (ait Plinius) *Terra vaticinatura, tauri sanguinem bibit, priusquàm in specum descendat.*

Strabo lib. 11. scribit, in Moschica Leucotheæ sacellum fuisse, à Phrixo positum, & oraculum ejus; ibique non arietem, sed hominem fuisse immolatum.

Idem *Strabo* lib. 5. ad Stygem prope Cumas oraculum fuisse ait. Ephorus eum locum attribuit Cimmeriis, scribitque ipsos in subterraneis cavis habitasse, & per fossas quasdam inter se commeasse, & hospites ad oraculum admisisse sub terra situm; vixisse autem è quæstu consulentium: Moris autem fuisse genti, ne quis Solem videret, sed nocte exivisse è cavis.

Herodotus lib. 2. ait, in Ægypto fuisse oraculum Herculis, Apollinis, Minervæ, Dianæ, Martis, ac Jovis. Præcipuo autem honore fuisse cultum oraculum Latonæ, de quo paulò antè. Idem lib. 3. prodit, plura alia in Ægypto fuisse oracula, quorum alia, quæ fallacia deprehenderat, sustulerit Amasis rex; alia, quæ veracia, donis ornârit.

Macrobius lib. 1. ad somnium Scipionis scribit, in Thracia apud Ligyros, in adyto Liberi patris, sacerdotes hausto mero vaticinatos.

§. XX. Qua virtute, quove auctore, oracula Gentilium fuerint edita; & cur tandem defecerint, ex aliorum sententia.

Oracula gentilium defecerunt.

DEfecisse tandem oracula omnia hactenus enarrata, aliaque ubivis locorum, præsertim post CHRISTI Servatoris nostri adventum, & res ipsa docet, & fatetur ac luget *Plutarchus* lib. de oraculorum defectu, & Patres Scriptoresque gravissimi testantur. *Symmachus* lib. 4. Epist. 33. *Non vi-*

 des,

Digitized by Google

des, oracula olim locuta desiisse, nec ullas in antro Cumano litteras legi, nec Dodonam loqui frondibus, nec de spiraculis Delphicis ullum carmen audiri? S. Athanasius lib. de Incarnat. *Omnia olim ubiq; magicis fraudibus plena erant, Delphis, Dodona, in Pæotia, Lycia, Libya, Ægypto, Cabiris. Pythia in miraculum erat. Dæmones obsederant fontes, fluvios, ligna, lapides, & præstigiis imponebant insipientibus &c:* Et postea: *Unde, ubiq; gentium oracula desierunt, & evanuerunt, nisi quia se ipsum in terra Servator manifestum fecit?* Eleganter ac fusè eandem rem tractat *Theodoretus* lib. 10. Contra Græcos, circa medium, ubi hæc inter cætera. *Universorum Dominus ac Conditor DEUS illorum (dæmonum) arces ac stationes funditus abolevit. Nullæ itaq; divinationes ad Castalias aquas fluunt, nulla ad Colophonium fontem, nihil prædicit lebes ille Thesprotius, nihil tripus ille Cyrrhæus, Dodonæum tintinabulum nihil nugatur, nihil loquitur vulgatissima illa quercus; sed tacet Jupiter Dodonæus, tacet Colophonius Apollo, Delius, Pythius, Clarius, Didymæus; silentium est in Lebadia, & in Trophonii antro; obmutuit Amphilochus, Amphiaraus obmutuit, & Ammonis oraculum.* Similia habet *Nanziazenus* Orat. 4. *Clemens Alexandr.* in Protreptico, *Prudentius* in Apothesi adversus Judæos, *Cyrillus* 6. in Julian. *Hieronymus* in cap. 41. Esaiæ, *Franciscus Picus* in Hymno suo secundo, & alii, quos omitto.

Sed ne hæc à Christianis conficta esse quispiam autumare queat, Gentilium Scriptores audiamus. *Plutarchus*, ut jam dixi, librum scripsit de Oraculorum defectu. *Cicero* suis temporibus oracula, quæ tam accurate descripserat, ubiq; defuisse testatur. Idem asserit de Delphico *Juvenalis* Sat. 3. *Celsus* Epicureus oraculum Clarium, Delphicum, Dodonæum, & alia obmutuisse fatetur: quod etiam de Ægyptiis oraculis testatur *Julianus* Apostata adversus Christianos. *Porphyrius*, infensissimus Christiani nominis hostis de Apolline valedicente refert sequentia lib. περὶ [illegible]

Hei mihi! tripodes congemiscite: Abiit Apollo,
Abiit, quia flammeum me cogit cœleste lumen.
Erat Jupiter, & nunc est, & erit, ò magne Jupiter!
Hei mihi, oraculorum deficit me claritas.

Et sacerdoti qui ultimus eum consuluit, respondit in hunc modum:

Ne me extremùm & ultimùm velu ipse rogare
Infelix Sacerdos, de divino Genitore,
Deque charo & unico Filio celeberrimi Regis,
Et Spiritu qui omnia circùm affatim continet,
Montes, terram, fluvios, mare, tartara, aërem, ignem.
Hei me etiam volentem Spiritus ille his ædibus expellit,
Actutumq; desertum linquetur limen hoc fatidicum.

Quæ-

Quæritur causa hujus oraculorum defectus. Quæ ut indagetur,& adsignetur , pretium operæ est priùs indagare eorundem oraculorum causam,seu auctorem.

Plutarchi opinio.

PLutarchus in lib.de Oraculorum defectu,ut tam hujus,quàm præcedentis quæstionis causam adsignet, in omnem se partem vertit. Ait enim primò, causam & originem oraculorum non fuisse aut deos,aut dæmones bonos, aut heroes;nec terrā divinā aliquā vi incitatam fatidicos anhelitus edidisse;alioquin enim nulla unquam vetustas eam confecisset ; sed eandē terram virtute prorsus naturali per halitus inde ortos ita movisse mentes vatum,easq; providas rerum futurarū effecisse, ut non modò praeviderint eas multò antè,sed etiam numero versuq;pronuntiārint. Sicut enim aliæ terræ aliis fœcundiores sunt,& quædam lectas fruges magna copiā,quædā fructus optimos ubertim ferunt,quędam auri &aliorum metallorum venis abundant,quædam bitumen fundunt,quædam sulphur gignunt,aliæ nitrū, aliæ calcem,salemve,prout quæq;vim ex temperie primarum qualitatum, cœliq;positu benigno adeptæ sunt.Sic quasdam terræ partes ait tali prædicas temperamento,ut pariant eiantq;Spiritus numinis afflatu conceptos. Et hanc vim inquit esse quidem divinam,non tamen inexhaustam , nec senii & interitûs expertem,nec perennem infinito tempore;sed longinquitate temporis sensim attenuari,atq;exhauriri, tandemque vetustate prorsus consumi.

Oracula gentilium quo auctore,& qua virtute, edita, ex Plutarcho.

Addit,Spirituum ejusmodi fœcundorum ac fatidicorum copiam nec gigni assiduè,nec fluere,atq; exspirare cōtinuò , sed certis periodis tum cōmovere sese,atq;æstuare&effervescere,tum majore halituū copiā voragines implere,quàm ut contineri possint.Hoc ubi fit,tum demum halitus agitatos in cavernis,luctantesq;,&erumpere nitētes,allidi violēter parietibus,& superstructa templa quatere , ut velut terræ motibus impulsa tremāt, alibi plùs,minùs alibi,prout hiatus vel laxioribus foraminibus pervii vel arctiùs conclusi atq; obstructi,spiritus agitatos diutiùs cohibent; tandemq;exitu invento per angustos aditus,cum fragore vehementi &citato impetu foras ruere. Variare etiam circuituum intervalla pro terrarum natura.Breviori nimirum spatio has spirituum eruptiones recurrere,ubi terræ vis viget,& idonea adest materia,quam illa subigens atq;elaborans fatidicos halitus exprimit,& maturationem juvat ac promovet;lōgiore verò, ubi vis effectrix spirituum languet , & materia minùs est idonea & sequax. Ob eam causam quibusdā locis toto semestri hiemali, in aliis toto æstivali, in aliis tantùm certis diebus responsa reddita,utpote vel Calendis . vel Idibus,vel augescente aut deficiente Lunā,vel incunte aut desinente die.

Ex his constare putat , cur oracula alibi exorta fuerint variis tem-

Digitized by Google

poribus, alibi evanuerint, alibi certiora prodierint ac veriora, alibi magis ambigua, magisque implicata. Tum nimirum primùm vim illam terræ se exeruisse, & innotuisse, quando exactè maturuerat, longo tempore astrorum terræque efficaciâ qualitatibus terræ exquisitè fortiterque inter se mixtis, & coctis, & temperie integrè absolutâ. Rursusque circumactâ periodo, sensim defecisse, tandemque evanuisse, vel quia languefacta aut dissoluta fuit temperies qualitatum illi actioni accomodata, vel quia materia spirituum consumpta fuit ac dissipata. Eò etiam certiora veriòraque prodiisse responsa, quò acrior, purior, elaboratior, & politior fuit terræ natura & vis; eò obscuriora, & magis implicata, aut ambigua, quò hebetior, aut impurior.

Exemplo rem explicare contendit. Sicut Ætna mons tunc ignem suum, igneosq; fluvios eructat, cùm sulphuris bituminisque materia, diuturnitate exactè concocta, flammas concipit, atque ebullit. Et sicut quanquam flagret continuo incendio, non tamen eodem modo semper aut ardentium favillarum eructat molem, aut globos ejaculatur igneos, sed habet suos circuitus & intervalla, definitque incendium, vel saltem eructatio igneæ materiæ, postquam consumpta est materia, atque ejecta; ita in re nostra &c.

Si obiicias, missos de specubus halitus, neque quosvis afficere, neque quorumvis animos fatidicâ vi imbuere, etsi plures circumstent, & attentur: respondet, id fieri ob sympathias & antipathias naturarum. Oportet enim, inquit, analogiam esse & sympathiam seu convenientiam naturæ inter agens & patiens. Quare ut non ex quovis ligno fit Mercurius, ita non quemvis ab illisis immissisq; corpori halitibus immutari: sed eos tantùm concipere fatidicos impetus, & hos etiam pro ratione naturarum suarum diversimodè, qui naturâ sunt ad concipienda visa & divinationes idonei, itaque comparati, ut sint ad perpessionem & mutationem accommodati; quales sunt præcipuè melancholici. Itaque si fit antipathia seu dissensio inter naturam terræ & hominis, non modo nihil fatidicum efficitur affectu habituum, sed insigniter læduntur, & sæpe velut veneno inficiuntur, aut strangulantur ii, qui quâdam curiositate prænotionem futurorum captant: sæpe decipiuntur, & in errores inducuntur, aut in opiniones falsas, incertas, ambiguas: turbatur enim mens illâ naturæ adversâ halituum constitutione, & à veritatis scopo abducitur. Hinc fit (pergit idem) ut alii clara explicataq; obscura alii, alii prorsus ambigua, aut penitus falsa, eâdem perciti ac delibuti halituum vi, prodant.

In hanc ferè sententiam Plutarchus de oraculorum origine, duratione, periodis, abolitione seu defectu disputat; concluditque tandem, non alia de causa conticuisse oracula, quàm quòd terræ vis omnis vetustate exoleve-

oleverit, quæ vatum animos antea concitabat. In eadem sententia fuit *Cicero, Plinius*, & alii veterum, teste Strabone. *Cicero* lib. 1. de Divinat. *Terræ vis, inquit, Pythiam Delphis incitabat, natura Sybillam.* Item: *Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus afflatæ mentes oracula funderent.* Hæc Tullius. *Plinius* lib. 2. *Alibi fatidici specus, quorum exhalatione temulenti futura præcinunt, & Delphis nobilissimo oraculo.* De eodem Delphico oraculo loquens *Strabo* lib. 9. ait: *Oraculum ipsum aiunt esse specum altissimè depressum, aditu non admodum lato. Ex eo spiritum efferri furoris divini efficacem &c:* Cum his sentiunt quoque *Jamblicus* lib. de Mysteriis Ægypt. *Pomponatius* lib. de Incantat. *Aponensis* in sect. 30. problemat. *Levinus Lemmius* lib. 2. de Occult. natur. & alii. Utuntur similitudine petitâ ab illis, quos atra bilis exagitat; quos inquiunt non modò sibi ignota fari solere, sed linguis etiam loqui quas nunquam antea sciverunt.

§. XXI. Refutatur opinio Plutarchi: & concluditur diabolum fuisse auctorem oraculorum, apud Gentiles, & desiisse ex DEI imperio.

HÆc pulchrè quidem & acutè sunt dicta, à veritate tamen prorsus aliena. Quare sanior & Christiana philosophia statuit oraculorum auctorem, cacodæmonem. Nam

Plutarchi sententia de oraculorum causa & defectu refutatur.

Primò. Rationi consonum non est, rem vitæ, sensus, & intellectus expertem, qualis est terra, elementum impurissimum ac deses, vim effectricem habere generandi in homine notitiam rerum futurarum, longè dissitarum, & ab hominum notitiâ hic & nunc remotarum, efficiendique ut illas aut clarè enuntiet, aut gryphis ac amphibologiis involvat, & quidem non solutâ tantùm, sed in versus ligatâ oratione. Solius hæc sunt naturæ intelligentis, & ejusmodi quidem naturæ quæ humani intellectus vim & perspicaciam longè superat; quæque futura & absentia pervidet, intimos hominum sensus perspicit, aut ex signis facilè atque argutè conjectat. Nec dicas, non terræ aut halitibus, sed homini ab illis afflato attribui vim prædictricem. Quæro enim, si homo antequam afflaretur, notitiam illarum rerum, quas afflatus enuntiat, non habebat, unde & à quo tam repentè illam consequitur? Non ab halitibus, qui virtute tali præditi non sunt, ut vidimus. Ab alio ergo, & quidem humanâ naturâ superiore, cùm quæ homo tunc eloquitur & revelat, hominis notitiam in circumstantiis illis prorsus excedant. Vel ergò à DEO, vel à Spiritu bono, vel à malo. Non à Deo, aut à bono Spiritu, quoniam sæpe falsa, plerumque impia, aut perniciosa fuêre, quæ fatidici homines enuntiaverunt. A dæmone ergo oraculorum origo.

Oraculorum apud gentiles auctor diabolus.

Secundò. Non semper per homines data fuêre oracula, sed sæpe ex antris prodiêre voces, sæpe ex statuis, ex arboribus, ex aliis rebus; sæpe non

Digitized by Google

per voces,sed per signa &nutus statuarum,per gestus animalium,per aquarum aut arborum motum, responsum acceperunt consulentes. Quis ergo tunc illorum auctor ? Non terra,non aqua,non exspirationes aut halitus, non Deus,non Angelus ; Ergo diabolus.

Tertiò. Ipse *Jamblicus* sibi contrarius lib.cit.cap.11.& 26. censuit, vaticinia nec ab arte,nec à naturâ,nec à ratione, nec ab alia quapiã causa manare, sed divinitus tantùm concedi. Jam autem vidimus ,& porrò videbimus , non à DEO , non ab Angelis bonis ortum habuisse; superest ergo ut dæmonibus eorum origo adscribatur.

Quartò. Omnia antiquorum oracula,olim vocalissima,post Verbi divini in carne adventum in hunc mundum , adeo cessarunt (tametsi aliqua citiùs,aliqua tardiùs) ut nullum ampliùs vestigium illorum supersit ; nec alia ab illo tempore fuerunt orta,sive iisdem,sive aliis in specubus & antris. Ex quo deducunt Sancti Patres,& antiquissimi Ecclesiæ Doctores,beneficio adventus Christi factum , ut elingues fuerint facti tum dæmones,tum dæmonum organa fatidici ac vates. Dæmonibus ergo,non causis aliis physicis adscribunt Sancti Patres ac Doctores Ecclesiæ,oracula ex antris,statu[illegible]s, rebusq; aliis olim prodeuntia. Nomina ita sentientium retuli initio hu[illegible] §. quibus omnes orthodoxi Theologi consentiunt, nec non saniores Phil[illegible]phi,& Medici,cum *Codroncho* & *Fernelio.*

Quintò. Ipse dæmon prodidit se auctorem oraculi Delphici , inter [illegible]mnia præcipuè. Nam Augusto Cæsari Pythiam interroganti de succe[illegible], qui post ipsum futurus esset Monarcha mundi,respondit :

> Παῖς ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων &c.
> *Me puer Hebræus jubet hinc,rex ille deorum ,*
> *Tartareas remeare domos,hâc æde relictâ.*
> *Pòst ergo ora tenens altaria nostra relinquas.*

Diabolus ergo per Pythiam loquebatur , quam priùs afflatam in[illegible]bat,ut involare solet energumenos.Quod autem de Pythia dic[illegible]tur, intelligi quoq;debet de cæteris oraculorum ministris:omnes enim agita[illegible] Diabolus,sed alios modis aliis.Nam quibusdam furentium, nõnullis ebrio[illegible], aliis trementiũ , aut ridiculè gesticulantium motus indebat,& nonn[illegible] vitam eripiebat,ut Pythiæ cuidã fatetur Plutarchus ætate suâ c[illegible].

Sextò. In libro de dea Syria *Lucianus* fatetur spontè,Ap[illegible]llinem [illegible] diabolum per ipsum vaticinia apud Assyrios Hierapoli edidisse. *Ora[illegible] quidem multa,*inquit,*tum apud Græcos , tum apud Ægyptios sunt ; multa a[illegible]tem & in Africa,& in Asia item multa : sed illa quidem neq; absq; sacerdo[illegible] , ne[illegible] absq; interpretibus responsa dant : hic autem Apollo & ipse per se movetur , & vaticinia ad plenum usq; per se peragit. Modus autem eorum talis est. P[illegible]quam illi placitum est vaticinari,in sede sua primùm movetur ; sacerdotes autem i[illegible]*

continuò in sublime attollunt; quòd si non attollant, ille & sudorem emittit, & se in medium etiam emovet. At postquam illi subeuntes portant ipsum, tum & illos secum agit, circumcircavertendo sese, & ab alio in alium subinde transilit. Postremò princeps Sacerdotum supplicans interrogat illum de omnibus rebus. Ille verò si quid non vult fieri, retrò recedit: contrà autem si quid approbat, agit in anteriorem partem gestantes; perinde ac si currûs habenas moderaretur. Atq; ita illi colligunt oracula, & neq; sacram rem ullam, neq; privatam absq; hoc gerunt. Prædicit autem illis & de anno, & de tempestatibus omnibus, & quando ampliùs futuri non sint. Addit deinde Lucianus, se præsente, cùm Sacerdotes Apollinem ferrent, illos quidem in terra reliquisse, ipsum verò solum per aëra delatum. Eadem habet *Macrobius* lib. 1. Saturnal. cap. 23. nisi quòd quam Lucianus Hierapolim, ipse Hieropolim nominat. Et addit, ferculum subivisse plerumq; provinciæ proceres, raso capite, longi temporis castimonia puros; motos autem non suo arbitrio, sed quò deus propellebat vehentes, *ut vidimus, inquit, apud Antium permoveri simulachra Fortunarum ad danda responsa.* Sicut ergo hîc dæmon ipse sacerdotibus motum, sic alibi verba ac vaticinia indebat. Crediderim tamen, in similibus casibus fraudem sacerdotum aliorumq; baiulorum intervenisse, qui motum à se causatum deastris, quorum statuas portabant, adscribebant.

Septimò. Quæ dicta hactenus sunt de diabolo oraculorum auctore, cōfirmantur ex ritibus aut obscœnis, aut impiis, aut ridiculis, quibus illa à vatibus captabantur. Pythia Delphici oraculi sacerdos, ut diximus suprà §. 1. per pudenda muliebria spiritum ex antro exhalatum excipiebat. Quod cōfirmat etiam *Origenes* lib. 3. contra Celsum ante medium, ubi de Pythia Delphica loquens ait: *Ori Pythii specus insidens, quam vocant prophetidem, per muliebria recipit spiritum Apollinis fatidicum, nullo convestitum terreno corpore.* nempe diabolum, qui cum halitibus ascendebat. Et lib. 7. ferè init. *De Pythia, inquit, quo non est aliud manteum celebrius, narratur vatem illam Apollinis desidere super foramen specûs Castalii, & ascendentem inde spiritum per muliebre gremium recipere; quo repleta profert ista præclara & divina, ut putantur, oracula.* Hæc Origenes, impurissimi dæmonis spurcitiam detestans. Quod & *D. Chrysostomus* facit Homil. 29. in 1. Corinth. ubi ait: *Pythia dicitur mulier quæ insidet tripodi Apollinis divaricatis cruribus; deinde hoc modo Spiritus pravus, infernè ascendens, & per loca mulieris transiens, eam insaniâ replet; hæc autem solutis crinibus sub hac bacchari, spumamque ore emittere, & ita in debacchatione constituta, insania verba profert.* Eadem habet *Oecumenius* in Epist. 16. Actorum, & omnino similia Aristophanis *Scholiastes*, & *Paschalius* lib. 8. de coronis cap. 16. addens, tripodem unde edebantur oracula Pythica, fuisse laureum, & lauro coronatum. *Jamblicus* tamen & *Elias Cretensis* cum aliis affirmant, fuisse sedem

æneam.

æneam, ut nos quoque suprà §. 1. asseruimus. Et fuit fortassis inauratus: nam interpres Aristophanis ait fuisse aureum, uti citato loco diximus. Circumplicatum tripodi serpentem, memorat *Constantinus Magnus* Orat. ad Sanctorum cœtum cap. 18. ut vel hinc appareat, cujus afflatu fusa fuerint oracula. *Elias Cretensis* in Orat. 4. Nazianze, & *Nicetas* in Orat. 39. Nazianz. addunt unum, quod apud alios non reperias. *Apud Delphos*, inquit Elias, *Apollinis templum erat, tripesq; aneus ingentis magnitudinis phialam gestans, in cujus mediâ parte inerat rhombus aneus pertusus, ex quo oracula edebantur &c: Pythia autem Pythii Apollinis sacerdos & vates erat: qua quidem in hujusmodi olla rhombo sedens, per eam corporis partem, qua ad gignendum data est, oraculis quibusdam à pravo spiritu emissis replebatur.* Per phialam, aut ollam, videntur intelligere pelvim, aut ut ex *Plinio* lib. 34. cap. 3. habetur, cortinam ex ære, quam halitui lethifero vel minore cum noxa, vel per eas tantùm corporis partes, quas spurcissimus dæmon designârat, excipiendo superponebant tripodi ad os specus locato, ut ei operculo vates insideret, ut benè notat *P. Theophilus Raynaudus* in Theolo. Natural. Dist. 4. quæst. 1. art. 3. num. 61, & nos quoq; suprà §. 1. innuimus. Videtur autem, ut notat citatus Auctor, Pythia institisse ipsi tripodi cortinâ contecti, ejus autem diducta crura subivisse rhombum illum, in quem superior phialæ seu ollæ (quam cortinam interpretati sumus) pars desinebat; atque ita halitum sine gravi noxa infernè excipere potuit, ac tum ipsimet tripodi insistere, tum etiam ratione externi operculi seu cortinæ illius ac phialæ, insidere eidem, ut factum asserunt qui Delphicum oraculum describunt. Quòd porrò primis temporibus Pythiam voluerit Diabolus esse virginem, & post Echecratis facinus, qui Pythiam corrupit, virginis loco mulierem ætate provectam, ut suprà §. 1. diximus, habitu tamen virginis, eoque plebeio, nec aliis uti suffimentis, quàm ex lauro, vel farina hordeacea, ut *Plutarchus* lib. de Pythia memorat, ad æmulationem DEI puritatem, humilitatem, & temperantiam amantis fecit impurissimus Spiritus. Idem dicito de ritibus sanctitatem aliquam præ se ferentibus, qui aliis in oraculis adhibebantur.

Octavò. In oraculis nonnullis captandis sacerdotes vaticinantes ita abalienabantur à mente, ut non intelligerent, quæ dicerent, nec circa ea haberent usum rationis. D. *Chrysostomus* ait, Pythiam vatem *in debacchatione constitutam, insania verba proferre*, ut suprà vidimus. *Nyssenus* Orat. de fato: *Spiritus*, inquit, *supernè per quoddam orificium permeans, intraq; fœminea viscera receptus, & ventri tumorem, & menti furorem ac delirium conciliat.* Idem ante hos scripsit *Origenes* lib. 7. contra Celsum. Vates Clarii seu Colophonii oraculi (de quo suprà §. 7.) sive fœmina fuerit, ut *Picus* lib. 4. de Prænot. in fine, ex Jamblico refert, sive vir, ut *Tacitus* lib. 2. Annal. & *Ficinus* ex citato Jamblico,

blico, vaticinabatur in ſubterraneo loco, in quo fons erat. Ibi Sacerdos ſtatutis noctibus ſacrificabat, poſtea guſtabat aquam, tandem vaticinabatur ibi factus præſentibus inviſibilis. Sed ante potum aquæ, diem noctemque cibo abſtinebat, & ad ſacra quædam vulgo inacceſſibilia ſe revocabat, ut hac in rebus humanis ſequeſtratione ſincerum ſe redderet, & aptum excipiendæ fatidicæ impreſſioni; quæ præmiſſâ præparatione illâ confeſtim aderat, ut *Jamblicus* ſcribit, ut interim dum œſtro illo percitus futura prænuntiabat, neque ſui juris eſſet, neque animadverteret quæ loqueretur, neque ſciret ubi eſſet, & poſt reſponſum vix ſe ipſum reciperet. Similia de ſacerdote oraculi Clarii refert *Tyrius ſerm.* 26. init. Ad horum aliquod oraculum reſpexit *Tatianus* Orat. contra Græcos, cùm ridens divinationem ſcribit: *Eſt qua potu aqua inſanit, vel thure adhibito demens fit, hanc tu vaticinari dicis.* Hanc autem mentis abalienationem in vaticinantibus, eſſe indubiam non divini, ſed dæmoniaci afflatus notam, ſcribit *Origenes* lib. 4. Periarch cap. 3. *Euſebius* in Procœmio lib. 5. de Demonſtrat. & apud ipſum lib. 5. Hiſtor. cap. 17. *Apollinaris Hieroſol D. Chryſoſt.* Homil. 29. in 1. ad Corinth. *S. Baſilius* Procemio in Eſaiam. *Epiphanius*, & alii apud *Raynaudum* in Theolog. Natur. Diſt. 4. q. 1. art. 3. n. 70. ubi etiam notat, ethnicis ita compertum fuiſſe, non aliter excipi dæmoniacam impreſſionem, ſeu vim vaticinandi (quam ipſi honeſtiore vocabulo *Enthuſiaſmum* vocabant) ut teſtetur *Arnobius* lib. 5. ethnicos vates ut ſe plenos numine fingerent, ſequeſtraſſe potionibus ſanitatem; & *Plinius* lib. 21. Hiſt. Natur, cap. 31. ſcribat, vaticinandi callentes ſuccum ex helicacabi radice bibere ſolitos, quòd furere ad confirmandas ſuperſtitiones videri vellent.

Nonò. Celebriora oracula in ſpecubus ac locis ſubterraneis fundi ſunt ſolita. Sic oraculum Delphicum fuit in cava ſpecu aditu non admodum lato, ut vidimus ſuprà §. 1. Sic Trophonium in antrum rependum potiùs fuit, quàm ingrediendum, ut vidimus §. 4. Terræ ſacerdos apud Ægyptum in ſpecum deſcendebat vaticinatura, teſte *Plinio* lib. 28. cap. 9. De Colophonio ſpecu jam diximus. Ex hoc iterum colligo, oraculorum antiquorum auctorem apud gentiles fuiſſe Dæmonem, cui ſolemne fuit oracula in ſpecubus & locis ſubterraneis fundere, idque ſive ad odium lucis, ut annotavit *Nazianzenus* Orat. 3. ſive ut Sacerdotes & alii oraculorum adminiſtri magis tectè ſuas ſtrophas concinnare poſſent, ut docet *Euſebius* lib. 4. Præparat. cap. 1.

Ex his omnibus concludo ut ſuprà, oracula gentilium non vi naturali, non virtute divinâ aut Angelicâ, ſed diabolicâ fuiſſe prolata, & ceſſaſſe tandem, quia diabolus eorum auctor fuit à Chriſto veluti fortiori ſupervenienti pulſus ſedibus ſuis, & vaſa ejus direpta.

Aa §. XXII. De

§. XXII. De falsitate, & ambiguitate oraculorum; & quæ sit hujus rei causa.

Aut omnia, aut pleraq; oracula quæ Dæmones olim ex antris, statuis, locisq; aliis quæ insederant, fundebant, fuisse partim falsa, partim ambigua, & res ipsa docet, & testantur gravissimi Scriptores inter ipsos etiam ethnicos famosi.

Oracula dæmonum falsa.

Falsitatis oraculorum testis luculentissimus est *Oenomaus Cynicus*, Philosophus & Orator apud Græcos eximius, apud *Eusebium* lib. 5. Præparat. Evangel. cap. 10. & seqq. is enim librum conscripsit integrum de falsitate & mendaciis oraculorum, cujus verba refert Eusebius citato loco. Idem præstitit *Porphyrius*, & *Diogenianus*, ut ex illis liquet quæ tradit *Theodoretus* lib. 10. contra Græcos paulò post initium. Deniq; Chrysippum Apollinis oraculis volumen integrum implesse, quæ *Tullius* lib. 2. de Divinat. putat esse partim falsa, partim casu vera, partim flexiloqua & obscura, vidimus suprà §. 1. Rectè igitur dixit *Cyprianus* lib. de Vanit. Idolo. post *Minutium Felicem*, annuentibus *Aristotele* & Peripateticis apud *Originem* lib. 7. contra Celsum, *Dæmones in Oraculis & falli, & fallere*. Unde mentitur splendidè *Plutarchus* lib. de Pythia, dum ait, oracula Apollinis Pythii nunquam convinci potuisse mendacii. Certè *Justinus* quæst. 2. Orthod. affirmat, nihil eorum quæ ethnici vates prædixerunt aut contra Deum verum, & ejus cultores, aut pro rerum ethnicarum constitutione reipsâ accidisse.

Oracula dæmonum ambigua.

Ambiguorum oraculorum exempla multa dedimus suprà §. 1. & seqq. Multa quoq; suppeditat *Theodoretus* lib. 10. contra Græcos ante medium, nominatim Aristomachi, Cræsi, & Juliani Apostatæ, ambiguis oraculis delusorum. Alia similia, sed recentiora exempla dat *Sibyllanus* Decade 3. cap. 5. q. 3. & *Grilládus* tract. de Sortilegiis cap. 6. n. 6. Hanc ob causam *Tullius* lib. 2. de Divinat. criminatur Apollinem flexiloquum & ambiguum, ut vidimus §. 1. citato, ubi diximus eundem Apollinem ab his ambiguitatibus cognomen traxisse, ut Λοξίας diceretur, ut notavit *Elias Cretensis* in Orat. 3. Nazianz. sub finem.

Causa porrò falsitatis & ambiguitatis oraculorum dæmoniacorum est ignoratio futurorum in Dæmonibus. Tametsi enim, ut vidimus suprà cap. 5. ex quatuor futurorum generibus quędam cognoscere queant, illa tamen omnia, quæ à liberâ hominum voluntate dependent, non nisi conjecturaliter cognoscunt. Quod sciens veterator, ne deprehenderetur, & ut per posticum sibi apertum relinqueret, quò elaberetur, si secus ac consulentes intellexerant, prædictio accidisset, ambiguo sensu eam involvebat, ut patet ex oraculis supra §. 1. allatis. Eadem de causa, vel ut *Porphyrius* ait, si quando Delphicus Apollo ex astris conjectari non posset, eos qui interrogatum venerant, ne rogarent, rogabat; & mendacia, si urgeretur, responsurum minaba-

nabatur. Ita Polmyrenis, ut refert Zosimus apud Clarissimum *Deusingium* in Prolegom. ad Oeconomum suum corporis animalis, percontantibus num Orientis imperio potituri essent, respondit ex Oraculo Dæmon:

Fallaces, praviq; domo discedite nostrâ:
Qui nimiis usq; graves Dîs immortalibus estis.

Eandem ob ignorantiam, ac etiam impotentiam, cùm malorum remedium petebatur., præscripsit præcepta quæ sciebat à consulentibus impleri non posse. Memorabile hujus rei exemplum insinuat brevissimè *Valerius Maximus* lib. 8. cap. 13. quod fusiùs *Philoponus* sic refert: *Delsis peste laborantibus consultus Apollo respondit, liberatum iri peste, si aram suam, quæ cubica erat figura, duplicassent. Conductores priori aræ alteram æqualem superposuerunt, atque ita cubi formâ immutatâ, facta est ara non cubica, sed quadrilatera columna. Peste itaque non cessante, iterum consulentibus respondit Apollo, non esse oraculo satisfactum: Se enim imperasse ut cubum duplicarent, hoc est, ut aram construerent cubicam, arâ priore duplo majorem; atque illi cubum cubo superimposuerunt. Venerunt itaque ad Platonem, ut rationem & methodum invenirent cubi duplicandi, manente scilicet formâ cubicâ. Plato respondit, neglecta Geometria Græcos à deo accusari: neque id aliter fieri posse, quàm si inter duas rectas lineas in dupla proportione, duæ mediæ proportionales invenirentur.* Quod problema Plato suis discipulis proposuit, qui de eo variè scripserunt, etsi nihil ampliùs jam extet.

Atq; hæc sufficiant de illusionibus ac deceptionibus dæmonum per oracula. Quam dæmonum fraudem elegantissimè describit *Basilius* Seleuciæ Episcopus apud *Bulengerum* lib. 1. de Orac. cap. 1.

CAPUT III.

De Dæmonibus varia & curiosa.

NEc dum finis diabolicæ malitiæ & fraudis. Ex innumeris quæ occurrunt, selectiora & curiosiora propono.

§. I. Diabolus ex cista suadet mortem innocentis.

Sus vorat vesicam suillam pecunia plenam.

FUit, ut *P. Martinus Delrio* lib. 4. Disquisit. Magic. cap. 2. quæst. 6. sect. 1. ex duobus recentioribus Scriptoribus Germanis, quos non nominat, refert, in Misnia rusticus quidam, qui domum retulit pecuniam vesicæ suis inclusam, & scamno imposuit: cùmq; aliò abivisset, sus domestica, ut vorax & multivorũ est animal, in vesicã incidit, ac simul cum involuta pecunia devoravit. Rustic9 paulò pòst rediẽs, quã non inveniebat, ab uxore deposcit. Negat mulier vidisse se. Quid agat de damno anxi9? Adit stolidus

vetulam propè degentem, quam pro veratrice habebant. Jubet muliercula virum in limine domûs resistere, nec à linea, quam cretâ notârat, latum abire culmum. Mox ingressa cubiculum dæmonem sciscitatur de fure, his verbis, arcam introspiciens. *Quidam N. pecuniam suam domum reversus tali amisit die; quem ais furatum?* Respondet veterator ex arca, velut novo suo tripode: *Sus comedit domestica: Tu autem dicito, conjugem ejus, ut cum sacerdote amasio eam obliguriret, clam sustulisse.* Respondet illa rustico, quod à dæmone jussa, tacet de sue. Sed rusticus cuncta sciebat, nam nihil veritus anile interdictum, pedetentim ac leniter illam fuerat subsecutus, & ante ostium cubiculi substiterat, ut quid malefica moliretur, accuratè per rimam observaret. Reversus domum, uxori & amicis cuncta narrat; ex eorum consilio suem mactat, crumenam potitur. Defert deinde triveneficam & calumniatricem, & dæmonis partiariam. Magistratus portentum flammis expiavit.

Dæmon ex cista suadet mortem innocentis.

Scivit Diabolus sublatam à sue pecuniam, quia aut præsens fuit ipse, aut ab alio dæmone tunc præsente intellexerat. Quamvis enim dæmones determinatam habeant extensionis sphæram, nec possint se momento, aut quacunque celeritate movere ab uno in alium locum, ut probavimus suprà cap. 7. celerrimi tamen sunt, adeo ut *Tertullianus* cap. 22. Apolog. audeat dicere: *Omnis Spiritus ales est; hoc est Angeli & dæmones; igitur momento ubique sunt; Totus orbis illis locus unus est; quid ubique geratur, tam facilè sciunt, quàm enuntiant; velocitas, divinitas creditur, quia substantia ignoratur &c.*

§. II. Dæmon ut pharmacopola vascula defert ad eremicolas tentandos.

Dæmon apparet ut pharmacopola.

IN Vitis Patrum lib. 7. cujus auctor est Græcus incertus, Interpres Baschasius S. R. E. Diaconus, sequens de dæmonis astu, & hominum perdendorum desiderio refertur historia. *Abbas Macarius referebat, quòd cùm maneret in illa solitudine, ubi solus residebat (inferiùs autem fuit altera solitudo, quæ plena erat multis fratribus) serò per viam circumspiciens, vidit dæmonem venientem in figura hominis, vestitum lineâ tunicâ perforatâ: & per singula foramina vasa parva pendebant. Et dixit ei senex: Quò vadis maligne? Et respondit ei: Vado commonere fratres qui sunt inferiùs. Ait senex: Et propter quid tot vascula tecum fers? At ille dixit: Gustum fero fratribus: & ideo tanta fero, ut si unum non placuerit, porrigam aliud: quòd si & illud displicuerit, ostendam aliud: & sic fieri non potest, nisi unum aliquid ex illis placeat eis. Et hæc dicens, discessit. Permansit autem senex in eodem loco, iterum per viam circumspiciens, usquequò dæmon rediret, & cognosceret, quæ indicaret. Et cùm rediret, dixit ei: Salvus sis. At ille respondit. Quid mihi istud verbum, quia omnes mihi contrarii facti sunt, & nul-*

Digitized by Google

& nullus consiliis meis acquiescit? dixit ei senex: Ergo neminem habes ibi amicum? At ille respondit: Unum habeo amicum, ipse mihi consentit; & quoties viderit me huc atque illuc, citò convertitur ad me velut ventus. Cùmque nomen ejus ab eo requisivit, dixit: Quia Theopistus dicitur. Et mox evanuit. Exurgens itaq; confestim Abbas Macarius, descendit ad inferiorem eremum. Quem cùm vidissent fratres à longè, egressi sunt obviam ei, & unusquisq; sperans quòd apud se maneret, præparabat se. At ille requirens cellam Theopisti, ad eum profectus est. Cumq; cum gaudio illum suscepisset, & essent uterque solis; dixit ei Abbas Macarius: Quemadmodum tecum est frater? At ille respondit: Interim orationibus tuis benè est. Et senex ait: Non te impugnant cogitationes? At ille ait: Interea bene sum. Erubescebat enim dicere. Et dicit ei senex: Ecce quot annis sum in solitudine, & ab omnibus honoror: & in hac ætate cùm sim senex, molestæ sunt mihi cogitationes. Respondit Theopistus, & ait: Crede, Abba, quoniam & mihi. Tunc senex singulas cogitationes quasi se impugnantes fingebat, usquequò confiteretur illi totum Theopistus. Posthac dixit senex: Quemadmodum jejunas? At ille dixit: usq; ad nonam. Dicit ei senex: Jejuna usque ad vesperam, & de Evangelio, vel de aliis Scripturis sine cessatione semper aliquid meditare: & quoties tibi aliqua cogitatio supervenerit, nūquam deorsum aspicias, sed sursum oculos cordis intende, & mox Dominus adjutor tibi erit. Et ita discessit ad propriam solitudinem. Et dum insisteret orationi, circumspiciens viam, iterum vidit dæmonem eundem, & requirit eum: Quò vadis? At ille simili modo fratres commonere, respondit. Cùm autem reverteretur, interrogavit eum senex: Quemadmodum nunc se habent fratres? At ille dixit: Malè, quoniam omnes agrestes facti sunt; & quod de omnibus pejus est, unum quem habui amicum obedientem mihi, & ipse nescio unde conversus, omnibus asperior est; & juravi me non calcaturum illum locum, nisi post multum tempus. Et hæc dicens discessit.

Sunt vitæ Patrum, quas citavi, fueruntque semper apud Orthodoxos permagnæ auctoritatis, quoniam illas Viri religione spectati, pietate illustres, doctrinâ conspicui, vel composuêre ipsi, vel è Græco in latinam linguam transferri curaverunt, vel earum lectionem religiosis suis commendârunt, vel earum partem pro authenticis scripturis jam à multis retro sæculis disertè receperunt, ut fusè ac doctè probat *P. Heribertus Rosvveydus* Prolegom. 25. in dictas vitas.

Potuit diabolus Theopisti cogitationes à se immissas cognoscere, si ex vultûs vel membri alicujus motu, aut mutatione, vel alio extrinseco signo prodidit. Tametsi enim suprà cap. 5. docuerimus, non posse Angelos ac dæmones scire occultas aliorum Angelorum ac hominum cogitationes; intelligendum tamen est, quàm diu occultæ manent, id est, aut nullo externo signo produntur, aut nullus accedit assensus ut ab illis sciantur.

§. III. An dæmon humanâ specie apparens, semper habeat deformitatem aliquam ex qua dignosci queat.

Dæmon apparens an semper habeat deformitatē aliquam.

Binsfeldius de confessio. Malefic. Prælud. 12. Anan. lib. 3. de natura Dæmon. cap. 16. aliiq; asserunt, speciem humanam nunquam à dæmone post Christi ad nos adventum apparente, assumptam integram sine peregrino aliquo additamento. Semper enim (inquiunt) se ostendunt dæmones humano corpore atro, illuvioso, squalido, fœtente, tetro ac formidabili; saltem obscuro, nigro, fœdoq; vultu; naribus vel deformiter simis, vel imanè aquilis; oris rictu sparso, profundoq; luminibus valdè abditis, flamantibusq;; manibus pedibusq; obuncis ac vulturinis, strigosis brachiis, cruribusque, & admodum villosis, caprinis etiam vel asininis tibiis, uno vel utroq; pede bifido corneoq;, interdum & solidungulo, interdum mutilo pede altero, vel utroque; demum staturâ corporis nunquam justâ ac decorâ, sed cui semper adsit aliquid insolitæ notæ, & deformitatem pravitatemq; dæmonis prodentis.

Dæmon variis formis apparuit variis.

Probant id veteribus recentibusq; exemplis, quorum multa jam attulimus in præcedentibus. Sancto Roberto abbati apparuit specie *rustici præcincti, nudis longisq; tibiis, ut scribit Auctor vetustus in ejus vita. Beato Martino morituro specie admodum terrificâ, ut legimus apud* Sulpitium *in Sancti hujus vita. Cuidam Florentio visus ore vastam flammam, naribus fumum fundens, ut scribit* Blasius Melanesius *in vita S. Joannis Gualberti. Beata Oportuna ferociens in specie nigerrimi Æthiopis, barbâ & capillis stillantibus quasi picem liquatam, oculis ferrum ignitum, & str. ctur as scintillantibus, ut habet* Adelelinus Episcopus *in ejus Vita apud Suriū mense Aprilis. Nobilis Silesis in domo comparent ut equites nigri & magni; alibi & aliis aliter deformati, uti tū ex præcedentibus, tum ex sequēti libro de Spectris liquet. Quod antē dæmones, ut citati Auctores putant, post Christi adventum nunquam integram sine peregrino aliquo additamento hominis formam assumant, referunt illi ad Incarnationis reverentiam, ob quam boni Angeli integrâ humani corporis exhibitione malos impediant.*

Ego existimo cum *Delrio* loc. cit. & *Raynaudo*. in Theol. Natur. dist. 4. num. 40. tametsi frequenter ita contingat nunc à Christo nato, & olim etiā ante Christum natum contigerit (nam serpentinos pedes dæmonum ex Pherecide Syro memorat *Ludovicus Vives* in lib. 10. de Civit. cap. 16. & Empusæ diabolici spectri alterum pedem asininum refert *Suidas* Verbo *Empusa*; & Dioni apparuit staturâ fœmineâ, grandi ore, nihil vestitu & facie à Tragica furia differens, ut scribit *Plutarchus* in Vita Dionis; & Marco Bruto formâ horrendâ & mōstrosâ, ut idem *Plutarchus* refert in vita Bruti:) Si tamē majore potestate non impediantur dæmones, posse humanâ etiam undiq; perfectâ, & omni ex parte pulchrâ apparere formâ. Moveor, quod in quampluri-

plurimis exemplis apparitionum dæmoniacarum specie hominis,quæ jam passim retulimus,ac referemus porrò, quæque magno numero recenset *P. Tyraus* lib. de locis infestis,& alibi,nihil deformitatis notetur.

§. IV. Cur antiquis Patribus & Eremitis tam frequenter visibiles apparuerint dæmones, nobis verò hoc tempore tam rarò.

Dæmon cur olim sæpius quàm nunc apparuerit.

P. *Martinus Delrius* lib. 2. Disquis. Mag. q. 28.sect. ult. ait, quæstionem hanc olim proposuisse Sanctum Joannem Briglintonium sancto Guilhelmo Shlegtholmensi;& hunc respondisse in hæc verba: *Antiquorum Patrũ animos non fallax splendor & inanis gloria, sed divina gloria illustrârat. Itaq; facilè illi fraudulentas inimici machinationes pervidentes, ceu pugiles invicti, illum fortiter expugnârunt. Quod ille superbus non ferens, difficillima tentationum certamina illis obijciebat, monstrosas formas & teterrimos impetus eis ingerens, ut vi illos protruderet in peccata. Nos verò, qui facilè ei obedimus, occultis tentationum jaculis citò prosternit, etiamsi nullam nobis tetram speciem repræsentet.*

Est hæc responsio non absimilis illi,quam Germanus quidam mihi notissimus,cùm ab alterius nationis quopiam interrogaretur,cur in Germania & Septentrione tot sint sagæ ac maleficæ, quæ ejurato vero DEO homagium dæmoni præstent (ita ille sibi persuaserat) in sua verò regione non item,respondit,nationis illius homines tot esse aliis vitiis corruptos,ut diabolus securus sit de eorum possessione aliquando acquirenda ; Germanos verò esse homines probos,nec ad vitia pronos, ideo allaborandum dæmoni modis omnibus ad aliquos saltem suo regno adscribendos.

Aptiùs ad primam interrogationem fortassis respondetur cum Delrio, olim id DEUM permisisse,quia minus periculi ab illusione imminebat.

§. V. Cur Diabolus non vocatus tam facilè ac promptè aliquibus appareat ; vocatus non item.

Dæmon vocatus cur non appareat, vocatus verò non appareat.

ITa se rem habere,diuturna docuit experientia. Posterius confirmo exemplis mihi notis.

Ante paucos años miles conscientiæ stimulis agitatus,&nocturnis terroribus vexatus, pro remedio ad me accessit. Rei causam ut deprehenderem , variis quæstionibus hominem adortus tandem intellexi , eum ante non paucos annos die quodam desperabundum , nescio qua de causa, urbe Viennensi sub vesperam egressum, in campis pernoctasse,& offensam Christi è cruce pendentis imaginem lapideam benè grandem horrendis primùm blasphemiis,deinde lapidibus & ictibus appetivisse ; tum ejuratâ Christi fide,diabolum totâ penè nocte ad summam defatigationem usque inclamasse , promittentem se in ejus arbitrio & potestate victurum ac moriturum : Sed cùm nusquam diabolus comparuisset , domum manè reversum , nomen dedisse militiæ , scelera sceleribus accumulasse,

mulasse, tribus cum hoste conflictibus in Belgio interfuisse, semper incolumem, semper DEI & animæ salutis oblitum. Quibus auditis, solatus hominem, & ad peccatorum dolorem ac pœnitentiam adhortatus, quieti divinâ ope restitui.

Alius juvenis, egregius Organista, diu antè Romæ mihi fassus est, se tanto desiderio omnes sui ævi Organistas ludendi dexteritate ac præstantiâ superâdi flagrasse, ut submississimis, ac multis non diebus tantùm aut septimanis, sed mensibus etiam continuatis precibus à cacodæmone petierit, sibi ut compareret, se seque coram instrueret; futurum se ejus non solùm docilem discipulum, sed perpetuum ac fidelissimum servum. Nunquam tamen se ullis aut precibus, aut promissis obtinere potuisse, ut in conspectum se daret diabolus, & quod petierat, præstaret. Alia exempla apud alios leges.

Quæstioni ut satisfaciam, ajo, causam esse singularem DEI & Angelorum tutelarium in quosdam majorem, quàm in alios, ob fines & rationes nobis occultas, providentiam; quam ob providentiam non permittit DEUS ut illis diabolus apertè compareat, ne in fraudem & ruinam inducantur. Nihil autem posse dæmonem sine DEI permissu, certum est apud Sanctos Patres, & Doctores scholasticos; & vel hinc manifestum fit, quòd non modò pro arbitrio suo tentare aut lædere non potuerit Jobum, sed nec perfidum Regem mancipium suum Achabum, ut legitur *lib. 3. Regum* cap. 22. imò nec porcos invadere; ut recitat *D. Matthæus*, cap. 8. Hinc factum putant, ut cùm Neroni Imperatori nec ingenium, nec opes, nec voluntas, nec studium, nec præceptores deessent, ad magiam vetitam discendam, ac exercendam; nunquam tamen per illum Diabolus vel ullum magiæ experimentum edere potuerit, sicq; Nero magicen contempserit, ut alibi me dixisse memini.

CAPUT IV.

De Dæmonibus Subterraneis, ac Montanis.

Dæmones subterranei.

SUprà cap. 12. ex *Michaële Psello* lib. de natura Dæmon. & *Joanne Trithemio* libro octo quæstionum ad Maximilianum Cæsarem quæst. 6. en[illegible]meravimus varia Dæmonum genera, à variis eorum officiis seu operationibus desumpta. Inter alia numeravimus etiam *Subterraneum* genus, sic dictum, quòd in locis subterraneis, ac ipsis terræ visceribus, ac præcipuè in fodinis metallicis degat. Lege quæ ibi scripsimus.

Proximè præcedenti capite egimus de dæmonibus montanis sive metallicis; [illegible]ximusque, de iisdem acturum P. Kircherum in Mundo subterraneo, tunc ab annis quinque inchoato, nunc tandem post decennium elapsu[illegible] absoluto, ac luce publicâ donato. In quo opere lib. 8. sect. 4. cap. 4. ait,

Dæmo-

Digitized by Google

ait, Dæmones ſubterraneos eſſe, non tantùm profanos, ſed & ſacros Scriptores unanimi conſenſu aſſerere. Quod ipſum quoq; *B. Judas Apoſtolus* in Epiſtola ſua Catholica verſ.6.innuit, dum ait: *Angelos verò* (apoſtaticos) *qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Quo loco tametſi pleriq; Interpretes nomine *caliginis* intelligant aërem inferiorem terræ proximum, commodiſſimè tamen accipi poteſt pro locis ſubterraneis, quæ propriè caliginoſa ſunt, aër verò lucidus eſt.

Idem (ſubterraneos videlicet dari dæmones) probatur evidentiſſimè allatis à nobis citato proximo capite exemplis; quibus addere placet ſequentia quoque, quæ habet P. Kircherus loco proximè citato ex Mundo Subterraneo.

Dæmones montani, eorumque varia exempla.

Relatum mihi eſt (inquit Kircherus) *& hoſce montanos dæmunculos in Tyrolenſium fodinis ſpectari; quibus niſi ex quotidiano commeatu portiunculam, ex pulte, placentulis, caſeoq; conſtitutam, certo loco deponant, foſſores eo die periculo non carere: adeoq; dæmonis aſtus hujusmodi ſuperſtitione foſſores infatuat, ut nonnulli quoq; vexationem ejus ſacro quodam ritu redimere non vereantur, omnibusq; modis placare ſtudeant, potiſſimùm dum certos quosdam dæmonis malleatoris ictus audiunt: tum enim fauſtum id in novis venis puriferis mox detegendis ſignum eſſe, prorſus ſibi perſuadent.*

Similia habet *Joannes Cyſatus* Helvetus, in deſcriptione montis Helvetici, quem *Pilati montem* vocant, cujus verba è Germanico in Latinum traducta idioma, hæc ſunt: *Inter cætera, mira quædam referuntur de virunculis montanis, quos* Bergmänlein *vocant, nanorum formâ & ſtaturâ præditis; qui in hujus montis cavernis & abditis cuniculis habitaſſe, & cum foſſoribus metallicis mira exercuiſſe, quosdam auro donatos amaſſe, alios diris modis infeſtaſſe; quin & quosdam irâ concitatos per montium ſcopuloſas cautes præcipitaſſe feruntur. Quæ quidem non per fabuloſos hoſce pygmæos, ſed per cacodæmonum technas, variasq; illuſiones, juſto DEI judicio accidiſſe, veriſimile eſt.*

Scripſit non ita pridem ad P. Kircherum Vir eruditus, ſæpe hujusmodi diabolica ſpectra ſub forma nanorum diverſis, tum ruſticis, tum foſſoribus apparuiſſe: de variis rebus quæſitos reſpondiſſe; imò ſe quodam die in longiſſimum ſubterraneum tractum aliquousq; venarum detegendarum gratiâ ingreſſum, juxta rivulum quendam in ſabulo humido pueri triennis veſtigia reperiſſe, & curioſè examinaſſe; & cùm ſibi perſuadere non poſſet, puerum hujus ætatis horridum illum ſubterraneum meatum unquam ingreſſum fuiſſe, tandem à vicinis, montanorum dæmunculorum veſtigia eſſe, intellexiſſe, qui ad foſſorum aviditatem accendendam talibus veſtigiis ut plurimùm ſuperſtitioſis hominibus illudere ſoleant.

Idem P. Kircherus, cùm non ita pridem quæſiviſſet per litteras è Magi-

 ſtris

Digitized by Google

ſtris & Præfectis fodinarum metallicarum in Hungaria, num ſubinde comparerent in illis dæmunculi ſubterranei, quos Bergmånlein ſeu pygmæos montanos vocant; ſic illi datis litteris reſponderunt. *Transactis temporibus viſi fuerunt tales Spiritus à foſſoribus, qui etiam foſſores in fugam egerunt, atq; extra foſſam pepulerunt; aliquando magnũ tumultum atq; rumores excitârunt. Plerũmq; quando ari diviti appropinquârunt, omen ſimile præceſſit.* Hoc ex relatione *Schapelmanni*, minerarum Præfecti in Herrengrundt.

De iisdem dæmunculis *Bernardus à Brun*, Præfectus fodinarum Hungaricarum, ita ſcribit ad P. Kircherum. *Certiſſimum eſt, Spiritus vel ſpectra in foſſis percipi, non ſolummodò ac ſi varios labores peragerent, quorum tamen nullum cognoſcitur veſtigium, ſed etiam foſſoribus inſultant, lapides in illos projiciunt, plures etiam ita acriter vexant, ut labores ſuos vix peragere poſſint; ſicuti tẽpore non ita pridẽ elapſo cõtigit cuidã foſſori Schemnitziano jam fatis functo, cui nomẽ Georgius Egger; qui cùm ſolus in fodina eſſet, ſpectra hujuſmodi ſe vidiſſe teſtatus eſt. Attamen ſæpius audiũtur, quàm videtur. Dum ſimile quid cõtingit, plerũq; ſequitur benũ vel malũ. Foſſores quoq; ſuperſtitiosè credunt, ſi quis ſimilem Spiritum viderit, atque viſionem confeſtim revelet, revelantem brevi moriturum. Quorum plura habentur exempla. Inter cætera contigit Schemnitzij tale quidpiam. Elapſis jam viginti annis, quidã nomine Simeon Krauſt, qui ſimilia viſa ſociis narravit, ſubitaneã morte periit. Ad majorem confirmationem ſunt plures ſenes fide digni, qui ſub fide juramenti & conſcientiæ ſequentia effati ſunt.*

Primus Martinus Zichy *metallurgus dicit, quatenus ſexdecim annis elapſis, quodam die Dominico de nocte in fodina quadam,* Oberpieberſtollen *vocata, retroſpiciendo viderit virulum ſtaturæ pueri ſex vel octo annorum, indutum veſte coriaceâ, pileo lato, magnis atq; fulgentibus oculis: ex cujus aſpectu, cùm ſolus eſſet, non parùm territus, ideoq; fuſtem tenens, in virulum projecit; qui evaneſcens ultrà non viſus fuit.*

Secundus. Paulus Welzſtein, *foſſor in* Oberpieberſtollen/ *dicit, quatenus viginti quinq; annis elapſis in quadam fodina Schemnitziana* Mohrer Erbſtollen *vocata, die Sabbathi audiverit vehementer laborare; ideoq; credendo ſocios eſſe, accedens neminem reperit: opinatur ſocios ſe abſcondiſſe, velleq; ſecum jocari, lumine ultrà quærens acclamatus fuit his verbis: Ba, ba: unde vehementer territus, cognoſcĩsque rem non rectè ſe habere, confeſtim ex fodina aſcendit, diverſorium petens ſocios invenit, quibus narrare cœpit quæ ſibi acciderint: illi ipſum ſtatim tacere juſſerunt; nihilominus ſtatim decubuit ægrotus triũ ſeptimanarum ſpatio. Species ſcabiei in faciem ipſi erupit; à qua tamen non niſi dictis tribus hebdomadis liberatus. Quibus exactis, vires recepit.*

Tertius. Chriſtianus Müller, *foſſor in eodem loco, affirmat, quòd unâ ſeptimanâ ſubſequenti, quâ dicta contigiſſent, idem ſibi quoq; acciderit. Cùm ſocius ipſum ſolum in fodina reliquiſſet, atque ſe juſſiſſet diutiùs ibidem morari; audiviſſe ſupra ſe vehementer laborare: idcirco volens ſcire, quis ibidem laboraret,*

quærendo

quærendo neminem invenit: Ad suum locum rediit, & iterum laborare audivit: denuò inquirens, neminem reperit. Unde terrore perculsus, ex fodina recessit. Cùm verò socius miraretur, illum tam citò se secutum; ille narrare cœpit, quæ contigissent; socius verò illum tacere jussit. Nihilominùs illum rigor invasit, & spatio duarum hebdomadum imbecillus decubuit.

Dicti viri multò plura narrare possent, quomodo similia spectra vel pygmæi in fossis varias actiones exerceant, quomodo sursum & deorsum vertant omnia; quos tumultus plerumq; ruinæ sequi videantur, ac si quidpiam intra aquas magno fragore præcipitaretur; & quando ruinæ quæruntur, ne minimum quidem vestigium laboris vel casus inveniatur.

Hactenus ex relatione Schemnitziana. *Georgius Schultzius* addit: *A longo tempore elapso visus est pygmæus seu virulus montanus. Et non sine causa vocatur diminutivè virulus, quia admodū est parvus sicuti ex ejus vestigiis patet: cùm enim terram lutosam & tenacem transierit, vestigium relinquit puerorum duorum vel trium annorū vestigio simile. Lumē quod manu portat, est fulgentis & clari splēdoris. Si his virulus intrando fossas fossores prædedit, bonam spem facit divitiarū & aris.*

Philippus Bernardus à *Brun* apud Kircherum ait, virulum montanum seu pygmæum non inveniri, nisi in ditioribus mineris. In mineris quoq; cupreis, cùm florerent, visum fuisse. Multa similia perscripsit ad eundem Kircherum *P. Andreas Schaffer* è Societate nostra, qui insignem notitiam habet fodinarum Hungaricarum.

P. Joannes Eissert Societatis JESU, ex Traunkirchiensi ejusdem Societatis Residentia scribens ad P. Athanasium de salifodinis seu Salinis Austriacis, ait inter cætera: *In Hydria, octo milliarium spatio Labaco dissita, argento vivo feracissima, & maximorum redditiuū fodina, Archiducum jurisdictioni subjecta spectatur: de qua memoratu dignum referunt, dæmunculos montanos quàm frequentissimè ibi spectari; felicesq; se credunt fossores, si eos audierint; & cōmunis opinio est, ibi solùm ejusmodi dæmunculos, ubi divites venæ sunt, reperiri; audiunturq; frequēter laborare malleo, cæterùm invisibiles. Blasphemos, jurantes, fistulatores, seu quosvis sceléstos non patiuntur: unde solent fossores superstitiosi indies ollulam cibo refertā certo loco illis exponere, & quotannis tegulam rubram ad longitudinem pueri, & certo tempore coëmptam illis veluti munus offerre: quod ni fecerint, inclementes & offensos virunculos experiuntur: tantam enim effodiunt, malleisq; excutiunt metalli quantitatem, quantam vix pluribus diebus fossores omni adhibito labore possunt. Ita homines superstitiosos ludit humani generis hostis Satanas.*

CONCLUSIO LIBRI I.

Innumera alia de Dæmonibus dicenda occurrūnt, quæ tamen libens omitto; tum ne in nimiam molem excrescat hic liber; tum quia in sequentibus libris, secundo ac tertio præsertim, de iisdem redibit iterum loquendi occasio.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

De

MIRABILIBUS SPECTRORUM.

PROOEMIUM.

De Spectris variis, variis formis, temporibus, ac modis, hominum oculis & auribus objici solitis, cùm multa ab ineunte maturiore ætate apud diversos Scriptores legerim, multa narrari audiverim, nonnulla etiam proprio experimento deprehenderim; dicere vix possum, quanto æstuaverim semper desiderio, ut veritatis adyta circa rem hanc penetrarem, & num uspiam spectra revera essent, quidque illa forent, deprehenderem. Videbam enim, alios, qui nihil eorum viderunt vel audiverunt unquam, aniles fabulas, aut sensuum ludificationem reputare, quidquid ea de re scriptum aut narratum intelligunt; alios verò seu simpliciores, seu timidiores, spectra judicare, quæ non nisi naturalia aut artificialia phasmata revera sunt; alios denique credulos magis ac pios, quàm doctos, multa pro spectris arripuisse pro sese, & obtrusisse aliis, quæ non nisi aut improborum imposturæ, aut facetorum joci, aut sensuum ludibria fuêre. Quod ergo ex aliis de re præsenti didici, quod veræ philosophiæ ac veritati conformius esse decrevi, hoc libro propalabo: dignum enim Curiosæ Philosophiæ argumentum est. Fauni quoque, Satyri, Ægypanes, Hippo-ac Onocentauri, Sphinges, Harpyiæ, Erinnes, Eumenides, Gorgones, Nymphæ, Dryades, Hamadryades, aliaque monstra, in aquis, montibus, sylvis & aliis locis comparere solita, olim præsertim, ad examen vocanda forent; at commodius id fiet postea, cùm de Mirabilibus Hominum & Monstrorum. Addentur tamen variæ spectrorum averruncandorum methodi ac normæ. Et licèt non postremum locum habebunt inter spectra nocturni insoliti fragores, qui hominum mortes, aliosque memorabi-

morabiles casus non rarò præcedunt; eorum tamen tractationem in Librum sextum, qui est de Mirabilibus Portentorum, reiiciam. Solam veritatem præ oculis habeo, simultatem omnem, omnem carpendi libidinem procul habeo. De tota hac materiæ fusè ac doctè scripsit P. Petrus Tyrhæus in suis De Apparitionibus, & Locis infestis, Libris; de Spirituum apparitionibus, & dæmonum spectris, nervosè P. Martinus Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 26. & 27; de Spectris & fragoribus nocturnis methodicè, nec malè Ludovicus Lavaterus Tigurinus, Calvinista, nisi quòd plùs æquo, & prter institutum, Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ sectatores ridet atq; exagitat (præter fidê in Epist. Dedicat. datam) probatissimisq; Ecclesiæ ejusdem Scriptoribus aut fidem derogat, aut elevat auctoritatem; suos verò oraculorum loco habet, ibi etiam, ubi plùs quàm aniles fabulas enarrant. In loca quædam suis locis digitum intendam, ut qua fide à me hæc dicta, intelligat æquus Lector. De Spectris etiam scripsit Petrus Leloyerus, Joannes Rivius, & alii, quos in sequentibus afferemus.

PARS I.

AN SINT SPECTRA.

Ad quatuor præcipuè Capita revocabimus, quæ de Spectris hoc Libro dicemus: nimirum an sint vera aliqua spectra: quibus potissimùm in locis comparere soleant: quid sint: quæ sint eorum conditiones: quibus tandem remediis contra eorum terrorem nos munire oporteat, illáq; à nobis aut à locis avertere. Incipimus à primo. Sed ante omnia, quæ Spectrorum nomine hoc loco intelligi velimus, discutiamus.

CAPUT I.

Quid Spectrorum nomine hoc loco intelligatur.

Spectrorum nomine nihil hoc loco intelligitur aliud, quàm simulacra quædam, sive idola, aut variarum formarum imagines, quæ seu noctu, seu interdiu domi, forisve, in campis, sylvis, montibus, sese hominum vigilantium, & incorruptæ imaginationis ac sensuum, conspectui offerre, variis locis, modis, formis, temporibus, dicuntur constanter, & firmiter creduntur; seu Angeli ea sint, seu Dæmones, seu defunctorum hominum animæ, seu quid aliud; quod infrà suo loco examinabimus. Hæc Græci vo-

Spectra quid sint.

cant φάσματα, φαντάσματα, πνεύματα; Latini nunc Spiritus, nunc visa seu ostenta, nunc Lemures, Umbras, Lares, Manes, Penates; Germani nostri Gesicht/Gespenst/Geister/etc. Itali, *Spiriti, ombre, fantasme*, &c. Interdum tamen non oculis, sed solùm auribus objicere sese dicuntur, strepitusq; excitare, & locorum incolas territare; adeò ut loca reddant infesta, & habitationi prorsus incommoda.

Non ergò de illis hoc libro agemus Spectris, quæ dormientibus persæpe objiciuntur; non de idolis ac phantasmatibus, quæ furiosi, phrenetici, febricitantes, melancholici, meticulosi, vesano amore æstuantes sibi imaginantur; non de imaginibus, quibus & Natura & Ars sensibus, etiam perfectis, hominum subinde illudit; non de ostentis variis, quæ impii quandoque, ut suam expleant avaritiam, exsaturent libidinem, per summum scelus, ingenti bonorum dolore, nec minore totius Ecclesiæ Catholicæ detrimento, callidissimè ac prorsus diabolicè confingunt, & simplici popello pro veris prodigiis venditant; digni flammis, & omni tormentorum genere. Durum profectò judicium summi æternique judicis manet hujusmodi, quicunque demum sunt. Non honoratur DEUS mendaciis nostris, nec Sancti DEI Amici imposturis nostris. Sed ad rhombum, & ad primum ex præpositis capitibus, an videlicet vera aliqua sint atque appareant Spectra.

CAPUT II.

Spectra videri atque audiri ab hominibus, probatur variis Gentilium historiis.

Spectra vera dari, probatur historiis Gentilium.

SPectrorum veritas efficaciùs stabiliri non potest, quàm hominum fide dignorum auctoritate, qui vel ipsi experimento proprio rem deprehenderunt, vel ab aliis narratam approbârunt, posterisque credendam tradiderunt. Horum non pauca in medium afferam testimonia, eò minùs dubia, quò minùs de fide illorum dubitandi suppetit causa. A Gentilibus incipio, quorum verba fideliter ex ipsis fontibus hausta adnumero.

§. I. Spectra ex Plinio Juniore.

Spectra ex Plinio juniore.

PLinius Secundus, Novocomensis, sagax rerum æstimator, *lib. 7. Epistolar*, ad Suram Philosophum, sequentem dedit Epistolam, in qua, quid de Spectris sentiendum, scire cupit; rem dignam judicans, quam Sura diu multumque consideraret, & in utramq; partem disputaret. *Et mihi discendi*, inquit, *& tibi dicendi facultatem, ocium prabet. Igitur perquàm velim scire, esse aliquid phantasmata, & habere propriam figuram, numenq; aliquod putes, an inanem & vanam ex metu nostro imaginem accipere. Ego, ut esse credam, inprimis eo ducor,*

Spectrum

tur, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africam comes hæserat. Inclinato die spatiabatur in porticu; offertur ei mulieris figura, humanâ grandior, pulchriorq; perterrito Africam se futurorum prænuntiam dixit; iturum enim Romam, honoresq; gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem Provinciam reversurum, ibiq; moriturum. Facta sunt omnia. Præterea accedenti Carthaginem, egredientiq; navem (nimirum cùm ad Præfecturam iret) eadem figura in littore occurrisse narratur. Ipse certè implicitus morbo, futura præteritis, adversa secundis auguratus, spem salutis, nullo suorum desperante, projecit.

Africanum Curtii Rufi.

Jam illud nonnè & magis terribile, & non minùs mirum est? quod exponam ut accepi. Erat Athenis spaciosa & capax domus, sed infamis, & pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, & si attenderes acriùs, strepitus vinculorum longiùs primò, deinde proximè reddebatur: mox apparebat idolon, senex macie & squalore confectus, promissâ barbâ, horrenti capillo: cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebatq;. Inde inhabitantibus tristes diraq; noctes per metum vigilabantur; vigiliam morbus, & crescente formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque quanquam abscesseras imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorq; causis timoris timor erat. Deserta indè, & damnata solitudine domus, totaq; illi monstro relicta. Proscribebatur tamen, seu quis emere, seu quis conducere, ignarus tanti mali, vellet. Venit Athenas Philosophus Athenodorus, legit titulum; auditoq; pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus, omnia docetur, ac nihilominùs, imò tantò magis conducit. Ubi cœpit advesperascere, jubet sterni sibi in prima domus parte; poscit pugillares, stylum, lumen; suos omnes in interiora admittit; ipse ad scribendum, animum, oculos, manum intendit, nè vacua mens audita simulacra, & inanes sibi metus fingeret. Initiò, quale ubique silentium noctis: deindè concuti ferrum, vincula moveri: ille non tollere oculos, non remittere stylum, sed obfirmare animum, auribusq; prætendere. Tum crebrescere fragor, adventare, & jam ut in limine, jam ut intra limen audiri. Respicit, videt, agnoscitq; narratam sibi effigiem. Stabat, innuebatq; digito, similis vocanti. Hic contrà, ut paululùm exspectaret, manu significat; rursusque ceris & stylo incumbit. Illa scribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus, idem quod priùs innuentem: nec moratus, tollit lumen & sequitur. Ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis. Postquam deflexit in aream domus, repentè dilapsa deserit comitem. Desertus, herbas & folia concerpta signum loco ponit. Postero die adit Magistratus, monet ut illum locum effodi jubeant. Inveniunt ossa inserta catenis, & implicita, quæ corpus ævo terraq; putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis. Collecta, publicè sepeliuntur: domus postea ritè conditis manibus caruit. Et hæc quidem affirmantibus credo; illud affirmare aliis possum.

Spectrum Atheniense Athenodori Philosophi.

Est libertus mihi non illiteratus. Cum hoc minor frater eodem lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quendam in toro residentem, admoventemque capiti suo cultros,

Spectra aliorum

Capillos tondentia.

tros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Ubi illuxit, ipse circa verticem tonsus, capilli jacentes reperiuntur. Exiguum temporis medium, & rursus simile aliud priori fidem fecit. Puer in pædagogio mistus pluribus dormiebat: venerunt per fenestras (ita narrat) in tunicis albis, cubantemq; totonderunt, & quà venerant, recesserunt. Hunc quoque tonsum, sparsosq; circà capillos dies ostendit. Nihil notabile secutum, nisi fortè quòd non fuit reus; futurus, si Domitianus, sub quo hæc acciderunt, diutiùs vixisset: nam in scriniis ejus datus à Caro de me libellus inventus est. Ex quo conjectari potest, quia reis moris est submittere capillum, depulsi quod imminebat periculi signum fuisse. Proinde rogo, eruditionem tuam intendas. Digna res est, quam diu multumque consideres. Ego quidem indignus, cui copiam scientiæ tuæ facias. Licet etiam utramque in partem, ut soles, disputes; ex altera tamen fortiùs, nè me suspensum incertumq; dimittas, cùm mihi consulendi causa fuerit, ut dubitare desinerem. Vale. Hæc Plinii Epistola integra; ad quam quid responderit Sura, ignoratur.

§. II. Spectra ex Suetonio, Plutarcho, & Pausania.

Spectrum Cæsari oblatum.

SUetonius Tranquillus in vita Julii Cæsaris scribit, eum, cùm ex Gallia in Italiam cum exercitu proficisceretur, & ad Rubiconem fluvium (qui Italiam à Gallia disterminabat olim) pervenisset; antequam trajiceret, paululùm constitisse, secumque reputantem quantum moliretur, conversum ad proximos dixisse: *Etiam nunc regredi possumus: quòd si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt. Cunctanti ostentum tale factum est. Quidam eximiâ magnitudine & formâ, in proximo sedens repentè apparuit, arundine canens. Ad quem audiendum cùm præter pastores, plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interq; eos & aneatores; raptâ ab uno tubâ prosiluit ad flumen, & ingenti Spiritu classicum exorsus, pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæsar: Eatur, inquit, quò deorum ostenta, & inimicorum iniquitas vocat. Jacta est alea.*

Spectrum Dioni oblatum.

Plutarchus in Vita Dionis, sub finem, scribit: *Constitutis hunc in modum insidiis, ingens ac prodigiosum Dioni se simulacrum obtulit. Dies vergebat in vesperam, cùm ille intra domi cubiculum solus secum cogitabundus sederat. Interim è regione porticus repentino exoriente strepitu, cùm nondum planè dies defecisset, stetit inspectans; grandem intuetur fœminam, nihil vestitu aut facie à Tragica permutatam Furia. Ea scopis quibusdam mundabat ædes. Perculsus gravi pavore Dion, convocatis amicis visum exponit, penitusq; consternatus cùm extimesceret, nè id denuo videndum soli sibi adventaret ostentum, eos obsecravit, ut cum eo pernoctantes manerent. Verumenim verò id haud rursus accidit, sed paucos intra dies filius ejus, cùm fermè pubesceret, ex parva quippe tristitia, & puerili quadam iracundia priùs causâ susceptâ è tecto se in caput præcipitem dejiciens periit.* Ipse verò Dion non multò pòst confossus ab inimicis fuit. Hæc Plutarchus, Lapo Florentino Interprete.

Idem

Digitized by Google

Idem *Plutarchus* in vita Marci Bruti, Guarino Veronensi Interprete, hanc de Bruto narrat historiam. *Cùm ergo ex Asia discessurus foret, exercitumque trajicere vellet; nox equidem erat profunda, & fermè media, lumen verò splendidum nimis contubernia non habebant, & silentium undique tenebant castra. Is itaque secum aliquid reputans, sibi ipsi intentus, aliquem ad se ingredientem præsentit. Ad introitum aspiciens, horrendam & monstrosam aspexit imaginem corporis feri atque terribilis silentiò sibi assistere. Interrogare tamen eam ausus Brutus: Quis, inquit, hominum aut Deorum es? quid tibi vis, qui ad nos venisti? Ad quæ submurmuravit ille: Tuus, ô Brute! malus Genius sum; in Philippis me videbis. Tum Brutus non exterritus, videbo, respondit. Verùm cùm evanuisset imago, accersitis pueris, atque his dicentibus se nullam vocem audivisse, atq; nullam vidisse imaginem, Brutus accubuit.* Brutus deinde post pugnam cum Antonianis seipsum interfecit dicto loco.

Spectrum Bruto oblatum.

Idem etiam *Plutarchus* in vita Cimonis, initio, narrat, cùm Dæmon ex Chæronea urbe, ob Romanos aliquot in illa primùm obtruncatos, urbisque principes deindè in curia necatos, cum suis profugisset, & in agros excursiones jam faceret, maximoque periculo urbi ipsi immineret: *Tunc oppidani eum dolo subducere aggressi, simulatâ veniâ reditum in urbem ei decernunt, missisq; ad eum legatis patria restituunt. Ita in urbem regressus, Gymnasii præfectus extemplò declaratus est. Inde eum, in thermis se unguentem, interfecêre. Eo loco horrenda species diu visa; suspiria (ut à patribus nostris accepimus) exaudita. Eapropter thermarum fores obstructa, atq; obturata; & nunc quoq; ejus loci vicini turbulentissimas ibi voces & simulacra circumferri, arbitrantur.* Hæc ille loc. cit. ex interpretatione Leonardi Justiniani. Idem ibidem, in fine, de Cimone classem in Ægyptum deducturo scribit sequentia. *Omnibus itaq; jam paratis, cùm in littore navales constitissent copiæ, horrenda Cimoni species in somnis visa apparebat: canem quandam in eum lacessitam latrare, inter latrandum verò humanâ voce admixtum hunc versum edidisse:*

Spectrum in thermis Chæronensibus.

Spectrum Cimoni oblatum.

I mihi teq; meis catulis facturus amicum.

Cimoni, quidnam hoc phantasma portenderet, ambigenti, Astyphilus Possidoniates, vir vaticinii peritus, exposuit, ut ibidem narrat dictus Auctor.

Pausanias in Atticis, loquens de campis Marathoniis, ait: *In his ipsis campis audiuntur per totam noctem equorum hinnitus, & pugnantium etiam virorum species cernuntur. Atq; hæc quidem, qui de industria auditum, spectatumvè venerint, malè mulctati abeunt; ex ira verò manium, iis, qui fortuitò id animadverterint, nihil omnino unquam triste accidit.* Eadem refert Lavaterus de Spectris part. 1. cap. 12. sed malâ fide, ut qui locum Pausaniæ non legerat, sed aliunde descripserat historiam. Ibidem addit *Pausanias* & aliud ostentum. *Accidit autem*, inquit, *ut in ea pugna (ut illi memorant) vir quidam specie*

Spectra in Campis Marathoniis.

Cc atque

atque habitu agresti opem tulerit. Qui cùm ex Barbaris quàm plurimos aratro interemisset, repentè evanuit: neque verò quærentibus, quisnam ille fuisset, Atheniensibus, aliud respondit oraculum, quàm ut Echetlaum heroa colerent. Hæc ibi, ex interpretatione Romuli Amasæi.

Spectrum sub Thesei forma.

Plutarchus in vita Thesei, in fine, ait, *Cùm in Marathone adversus Medos pugnatum est, compluribus Thesei simulacrum apparuisse visum, & ante omnes invasisse in Barbaros.*

§. III. Spectra ex Dione, Valerio Maximo, Xiphilino, Ammiano, Vopisco, & aliis.

Spectrum Druso oblatum.

D*io Cassius* Histor. lib. 55, initio, de Druso loquens, cùm narrasset eum in Chattorum Germaniæ populorum fines ingressum, obvia quæque non sine magno labore subegisse; congressosq; prœliis haud incruentâ victoriâ superando, usque in Suevos pervenisse; indè in Cheruscos converso itinere, Visurgim transgressum, omnia populando ad Albim usque perrexisse; addit: *Hunc cùm frustra conatus esset transire, tropheis constitutis recessit. Etenim mulier quædam humanâ amplior formâ ei obviam facta: Druse, inquit, quò tandem nullum cupiditati tuæ modum statuens contendis? non tibi fatis concessum hæc omnia videre; quin tu abi; jam enim & operum tuorum, & vitæ instat tibi terminus. Oblatam à Deo aliquo hanc vocem, mirum profectò est, neque tamen mihi fides abroganda videtur huic rei, quam statim eventus comprobavit: nam & continuò retrò ire Drusus cœpit, & in itinere priùs quàm Rhenum attingeret, morbo decessit. Adstipulantur huic, quod commemoravi, prodigio, etiam alia: namq; & sub mortem ejus lupi circum castra ipsius vagati ulularunt, & juvenes duo per media munitiones equis transvecti apparuerunt, ejulatusq; muliebris auditus fuerat, & stellæ in cœlo discurrerant.* Hæc Dio.

Castor & Pollux visi in prælio.

Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. inter miracula alia, quæ ibi refert: *Cùm apud lacum Regillum A. Postumius dictator,* inquit, *& Tusculanorum dux Manilius Octavus, magnis viribus inter se concurrerent, ac neutra acies aliquamdiu pedē referret; Castor ac Pollux Romanorum partium propugnatores visi, hostiles copias penitùs fuderunt.*

Spectrum Vatinio visum.

Item bello Macedonico P. Vatinius, Reatina præfectura vir, noctu Urbem petens, existimavit duos juvenes excellentis formæ, albis equis insidentes, obvios sibi factos nunciare, die qui præterierat, Persen regem à Paulo captum. Quod cùm senatui indicasset, tanquam majestatis ejus & amplitudinis vano sermone contemptor, in carcerem conjectus est. Postquàm Pauli literis illo die Persen captum apparuit, custodiâ liberatus, & insuper agro & vacatione donatus est. Idem ibidem: *Valerio autem Poplicolâ Cos. qui post exactos reges bellum cum Vejentibus & Hetruscis gessit, illis Tarquinio pristinū imperium restituere, Romanis nuper partam libertatem retinere cupientibus, Hetruscis & Tarquinio in cornu dextro prælio superioribus, tantus terror subitò incessit, ut non solùm victores ipsi profugerent,*

sed

sed etiam pavoris sui consortes secum Vejentes traherent. Cui rei pro argumento miraculum adjicitur. Ingens repente vox e proxima Sylva Arsia, quæ ore Silvani in hunc pene modum missa traditur: Uno plùs Hetrusci cadent; Romanus exercitus victor abibit. Mirandi dicti fidem digesta numero cadavera exhibuere. De Marte pro Romanis pugnante ait idem. *Cùm Brutii atque Lucani odio incitatissimo, maximisque viribus, Thurinæ urbis peterent excidium, ac præcipuo studio incolumitatem ejus C. Fabritius Luscinus Cos. protegeret; resque ancipiti eventu, collatis unum in locum utriusque partis copiis, gereretur, non audentibus Romanis prælio congredi; eximiæ magnitudinis juvenis primùm eos hortari ad capessendam fortitudinem cœpit. Deinde, ubi [illegible] animadvertit, arreptis scalis per mediam hostium aciem ad contraria castra evasit; & admotis, vallum conscendit. Inde voce ingenti clamitans, factum victoriæ gradum, & nostros ad aliena castra capienda, & Lucanos Brutiosque ad sua defendenda illuc traxit, ubi conserti dubio certamine tenebantur, &c. Postero die, cùm Consul inter honorandos, quorum strenuâ operâ fuerat usus, vallarem coronam ei se servare dixisset, a quo [illegible] erant oppressa, nec juvenis qui id præmium peteret, inveniretur; [illegible] pariter atque creditum est; Martem patrem tunc populo suo adfuisse. Inter [illegible] hujus rei manifesta indicia, galea quoque duabus distincta pinnis, quâ cœleste caput [illegible] fuerat, argumentum præbuit.* Tandem de C. Cassio narrat, quòd *cum acie Philippensi ardentissimo animo perstaret, vidit* Julium Cæsarem *humano habitu augustiorem, purpureo paludamento amictum, minaci vultu, & concitato equo in se impetum facientem. Quo aspectu perterritus, tergum hosti dedit.*

Xiphilinus in Trajano, cùm tragicè descripsisset terræ motum ingentem, qui Antiochiam, Trajano ibi commorante, concussit cum innumerabili hominum strage; addit de dicto Cæsare: *Trajanus autem fenestrâ ex ædibus, in quibus erat, effugit: nam eum quidam inusitata & plusquam humana magnitudinis, cùm ad ipsum venisset, eduxit foras.*

Julius Capitolinus in vita Pertinacis Imperatoris, cùm interitum ejus (a militibus interfectus fuit) enarrasset, addit. *Signa interitus hæc fuerunt; Ipse ante triduum quàm occideretur, in piscina sibi visus est videre hominem cum gladio infestantem, &c.*

Flavius Vopiscus in Tacito & Floriano, sub finem, de omine mortis Taciti loquens, ait: *Mortis omina hæc fuerunt: patris sepulchrum disruptis januis se aperuit: matris umbra se per diem & Tacito & Floriano velut viventis obtulit, &c.*

Ammianus Marcellinus lib. 25. de Juliano Imperatore scribens, ait. *Ipse autem ad sollicitam suspensamque quietem paulisper protractus, cùm somno (ut solebat) depulso, ad æmulationem Cæsaris Julii quædam sub pellibus scribentis, obscura noctis altitudine sententiis cujusdam philosophi teneretur; vidit squalidiùs (ut confessus est proximis) speciem illam Genii publici, quam, cùm ad augustum surgeret culmen, conspexit in Galliis, velatâ cum capite cornucopiâ per aulæa tristiùs discedentem.*

Silvani vox.

Mars in prælio visus.

Julius Cæsar in prælio post mortem visus.

Spectrum Trajano visum.

Spectrum Pertinaci visum.

Spectrum Tacito & Floriano visum.

Spectrum Juliano oblatum.

Omitto alia exempla apud alios diversos Auctores. Quæ narravimus hactenus, cùm vera esse credâtur ab omnibus eâdem fide, quâ alia à citatis Scriptoribus creduntur; constat non omnia quę de Spectris dicuntur, fabulosa esse. Qui tamen relatorum hactenus veritatem in dubium revocare vellet, dabit saltem hoc, antiquis Gentilibus persuasum fuisse, Spectra dari vera, & hominibus apparere.

Spectrum agricolæ in Campania visum.

Coronidis loco apponere huic capiti placet, quod *Lavaterus lib. de Spectris part. 1. cap. 12.* ex Collectaneis locorum communium Joannis Manlii scribit, Theodorum scilicet Gazam prædium habuisse in Campania, ex beneficio Nicolai Pontificis. In illo prædio cùm colonus effodisset urnã, in qua fuerunt ossa; apparuisse illi Spectrũ, quod jussit eum urnam rursus sepelire: nisi enim id faceret, fore ut filius ejus moreretur. Cùmq; id colonus neglexisset, ejus filium paulò pòst noctu interfectum fuisse. Interjectis aliquot diebus revertisse spectrum, minitans colono, se etiam alterum filium interfecturum, nisi ossa conderet. Colonus admonitus accepto damno, videns etiam alterum filium in morbum incidisse, rem Theodoro refert. Is profectus cum eo in prædium, & in loco ubi colonus urnam eruerat, rursum facto sepulchro, urnam cum ossibus sepeliunt. Repositis ossibus in suum locum, filius coloni statim convaluit.

CAPUT III.

Christianorum, tàm ortho- quàm heterodoxorum testimoniis probatur, hominibus spectra subinde apparere.

Spectra vera dari, probatur testimoniis Christianorum.

EX innumeris pauca afferam. *Sozomenus* igitur *lib. 7. cap. 23.* scribens de seditione Antiochiæ propter immodicam exactionem Theodosii Imperatoris excitata, quâ populus offensus, Imperatoris & Conjugis ejus statuas dejecit, & fune injecto traxit, contumeliosasq; voces sparsit; ait: *Fertur autem quod nocte præcedente, pòst quam statim orto die mota fuit seditio, visum fit spectrum mulieris, magnitudine immensum, & aspectu horrendum, in sublimi per plateas civitatis circumcursans, & aërem flagello horrisono verberans: Ut quemadmodum bestias ad iram incitare solent, qui ad ejusmodi spectacula serviunt; sic infestus quidam Genius dæmonum insidiis seditionem eam movisse appareret.*

Spectrum Antiochenum.

Spectra ex Alexandro ab Alexandro.

Alexander ab Alexandro lib. 2. Genial. dier, cap. 9. scribit: *Rem miram, & dictu æstimatuq; admirabilem, &c. familiaris meus quispiam modò mihi enarravit; quod equidem fabulosum aut commentitium videri posset, nisi gravioris esset ingenii, & præstabilis homo doctrinæ, ipsiusq; virtutis & non ambiguæ fidei plerumq;*

in

in rebus multa & magna documenta forent. Refert enim, quòd cùm Româ Cumas versus cum amico quodam ad balnea tendente iter habuisset, & in via mortuo amico funus curasset, ipseque & comites Romam reverterentur, & *jam aliquantùm viæ remensi essent, & nocte appetente, in unum, quod viæ proximum fuit, hospitium divertissent; ibi se animo & corpore fatigatum quieti dedisse. Cùmque solus degeret, & adhuc vigilans foret; fert, repentè amici nuper defuncti imaginem summo pallore & macie, ac eo fermè habitu oris, quali illum, cùm ægrotaret, dimiserat, ad se accessisse. Quem cùm fuisset intuitus, & præ timore nec animo, nec mente satis constaret, quinnam esset, interrogavit. Ille autem cùm nihil respondisset, exutus, ut videbatur, vestibus, in eodem quo se jacebat lectulo se collocavit, ac propè accessit, quasi eum amplexibus petiturus foret. Alter verò cùm propè jam metu exanimis videretur, ad lectuli spondam secessit; illumq́ propè accedentem abegit. Qui cùm se abigi expelliq́ vidisset, fert in eum torvo & minùs familiari vultu inspexisse; resumptisque mox vestibus illum à lectulo surrexisse, cinctumque & calceatum [illegible] abeuntem nunquam apparuisse. Quo timore familiaris ille perculsus, subitâ morbi correptus, ac propè ad internecionem gravissimâ valetudine oppressus fuit. Ferebat etiam, dum in lectulo cum illo luctaretur, nudum illius pedem usque adeo gelidum ac rigentem attrectasse, ut nulla glacies illius frigori comparari potuerit.*

Pergit idem Alexander ibidem. *Equidem memorabile hoc, & cunctis mirum videri posset, nisi pervulgata res esset, ædes quasdam Romæ evidentissimis ostentis ita infames, ut nemo illas incolere ausus fuerit, quin variis umbrarum illusionibus & tetris imaginibus, noctibus ferè singulis inquietaretur.*

Addit. *Gordianus amicus meus spectatæ fidei homo, mihi retulit, cùm Aretium ipse & familiaris suus iter unà intenderent, & à semita, ut fit, longè deviassent; loco infami & devio, ubi nè vestigium quidem apparebat humanum, per ardua, & propè invia, diversis tramitibus aberrare cœpisse; ibique cùm nec oppida, aut vicos, nec aliquid culti viderent, sed nemora tantum, saltusque invios & inaccessos, omniaque vasta, muta, & deserta ab humano cultu peragrarent, in quibus ipsa solitudo terrebat animos: vergente jam ad occasum die fessos labore & viâ consedisse. Cùmque hominis vocem audire procul visi fuissent, ad illam propiùs accessisse, homines obvios, quos de via interrogarent, dari sibi arbitrati. Nec mora: in proximo jugo trium hominum imagines immanes, & formidabiles ultra humanum modum, nigris & demissis tunicis, in veste lugubri funestâq́, barbâ capilloq́ submisso, horribili facie conspexisse: quos cum voce gestuque ad se ipsos advocarent, ac jam propè esset ut illud accederent; illos interim ingenti mole corporis longè humanâ majores apparuisse; atque alium specie non absimili, nudum & nullo amictum vestitu, mirificos edentem saltus, gestusq́ indecoros, conspexisse. Quo timore consternati, properè fugam cepere; viamq́ arduam & præcipitem emensi, vix rustici cujuspiam vile hospitium, ubi reciperentur, invenere.*

Spectrum Gordiano visum.

Spectrum Alexandro ab Alexandro visum.

Hæc ex aliis audiit Alexander; quod sequitur, ipsemet vidit. Prosequitur ergo: *Sed quod ego certum habeo, & satis certâ probatione tradiderim, profectò haud minus est. Cùm Romæ agrâ valetudine oppressus forem, jacerem q; in lectulo; speciem mulieris elegantis formâ mihi planè vigilanti obversatam fuisse. Quam cùm inspicerem, diu cogitabundus, & tacitus fui, reputans num quid ego falsâ imagine captus, aliter atque res esset, aspicerem. Cùmq; meos sensus vigere, & figuram illam nusquam à me dilabi viderem; quænam illa esset, interrogavi. Quæ tum subridens, & ea quæ acceperat verba respondens, quasi me planè derideret, cùm diu me fuisset intuita, discessit.* Hactenus ex Alexandro.

Spectra ex Fulgoso.

Ex *Baptista Fulgoso lib. 1. cap. 8.* refert Lavaterus libro de Spectris part. 1. cap. 15. in area ædium Matthæi Vicecomitis, qui Magnus dictus est, post occasum Solis visum esse virum armatum in equo, longè humanâ specie majorem: qui ubi à multis conspectus fuisset per horæ spatium, postea evanuerit, magno eorum qui rem viderant, horrore. Triduo quoq; pòst, tertiâ noctis horâ, eodem in loco duos equites pari specie diu inter se dimicantes conspectos fuisse; qui postea, ut antea alter solus, evanuerit; & non multo pòst tempore Henricum VII. Imperatorem, ex hac vita discessisse, non sine clade Vicecomitum.

Huic aliud subjungit idem Fulgosus, nimirum Ludovici Alodissii patrem, qui mole rerum potitus fuerat, haud diu posteaquàm decesserat, homini à secretis, quem filius Ludovicus Ferrariam mittebat, in itinere equo insidentem cum accipitre (ut in aucupio mos ei fuerat tenere) apparuisse atq; dixisse, ut filium juberet postero die in eum ipsum locum venire, quoniam magni momenti res ei prædicturus esset. Eâ re auditâ, Ludovicum, tum quòd non crederet, tum quòd insidias metueret, alium suo loco misisse. Huic illam ipsam umbram, quæ antea apparuerat, obviam factam, vehementer indoluisse quòd filius non venisset; longè enim plura dicturam ei fuisse: sed tunc illud solum referri jussisse, quòd transacto secundo & vicesimo anno, ac præterea uno mense, die quoque additâ, urbis imperium, quod obtinebat, esset amissurus; quod & evênit.

Spectra ex Melanchthone.

Philippus Melanchthon lib. quem inscribit Examen Theologorum, apud Lavaterum cit. loc. hujusmodi historiam recitat: Amitam suam, cùm mortuo marito assideret foco tristior, duos domum ingredientes vidisse, alterum in mariti specie, alterum procerum in Franciscani Monachi formâ. qui mariti speciem referebat, ad focum accedentem salutasse mœstam uxorem, eamq; sine metu esse jussisse, ac asseruisse, se venisse ut quædam ei mandaret: jusso deinde Monacho tantisper in hypocaustum secedere, rogasse atq; obsecrasse impensè, sacerdotes ut constitueret, qui Missas celebrarent: discessurũ sibi dexterã porrigi postulasse; porrectã usq; adeo uri visã, ut semper manserit nigra: evocato tandẽ Franciscano Monacho, simul evanuisse.

CAPUT IV.

Aliis variorum testimoniis atque exemplis probatur, vera spectra dari.

Spectra vera dari, aliis variis exemplis probatur.

Spectrum armatorum militum in Pomerania.

CRomerus lib. 5. Histor. Polon. hanc narrat historiam. *Naclum arcem Pomeranorum munitissimam Uladulaus I. Polonorum rex obsidebat. Ibi noctu lucente luná aspiciebantur crebrò ab excubitoribus quasi armatorum hostium acies, ex apertis campis ad Polonorum stativa adequitantes, & incursantes. Cùm id sæpius accideret, indignati Poloni inquietari sese, nec unquam in apertum certamen prodire hostes; nocte quadam, cùm ibidem hostes adesse nunciarentur, fremebundi agminatimè castris sese proripuére, diffugientesq; casso labore longiùs prosecuti sunt. Obsessi tumultu Polonorum exaudito, & excursione é castris adversâ, erumpunt subitò, & ignem in opera atque tuguria militum, stramine arundineq; contecta, conjiciunt; quo celeriter pluribus in locis se diffundente, paucis, qui in castris manserant, se defendentibus, facilè opera cum magna castrorum parte conflagrarunt. Nocturnas umbras illas fuisse autumant, quæ hostilis exercitus speciem ostentantes, Polonos ita divino permissu exagitarunt, propterea quòd solenne omnibus Christianis quadraginta dierum jejunium, priore expeditione, promiscuo ac temerario esu carnis & lactariorum, moribus & institutis Ecclesiæ Catholicæ contemptis, temeraverant.*

Spectrum equestrium virorum in Bohemia.

Joannes Niderus lib. ult. Formicarii narrat, *Cùm propter hæreses regnum Bohemiæ tumultu ac cædibus concuteretur, circa metas regni præfati, nocturno tempore, versus vallem quandam, auditos clamores & congressiones equestrium virorum; qui & coloribus variis induti, sæpius sunt visi. Fuerunt tunc duo armigeri audaces satis, in castro non multùm distanti à loco monstrorum; qui omnino scire volentes, quid veritatis sibi visa portenderent, nocte quadam versus vallem, ubi solita videri conspexerant, iter arripiunt. Antequam autem iis appropinquare auderent, compunctus unus dixit alteri: Sufficiat nobis ista vidisse; ego iis non approximabo; dictum est veterum, cum talibus nullum debere jocari. Quem alter, velut pavidum, increpans, equum pupugit, & cum eo congressu omnibus antedictis exercitibus appropinquavit. De quibus unus egrediens, caput illi amputavit, & ad suos rediit. Quo viso ille, qui timidiùs substiterat, fugam init, & funesta nova nunciavit. In crastina autem truncatus reperitur, & caput quidem in valle, ubi acies visæ fuerant, nullius autem hominis vel equi vestigium repertum est.*

Spectrum militis Rheni visum.

Idem *Niderus* ibidem aliud addit valde mirabile; quod ait sibi ab Archiepiscopo Moguntino, viro magnæ industriæ, & fide digno narratum esse *Nominavit*, ait, *quendam Rheni sibi bene notum militem, cujus pro tunc filius vivebat; qui miles super omnes penè inferioris Alemanniæ nobiles semper extiterat animis in rebus bellicis imperterritus; gerebat autem & patiebatur nonnunquam, propter suam animositatem vel fortitudinem, ab aliis graves guerras; propter quas non*

semper

semper de die, sed nocturno tempore, ad loca sibi commodosa equitare solebat. Hic igitur quadam nocte coassumptis famulis per silvam circa Rhenum equitare voluit, & principium ejusdem intravit. Antequam verò finem silvæ haberent, ultra quã campus latus jaceret; prout moris est eorum, qui verentur insidias, præmisit famulum, ut in termino silvæ videret, annè in campo insidiæ aliquæ essent. Lunâ enim splendente, vel astris lucentibus, hæc videri poterant. Famulus igitur, cùm per arborum ramos exploraret commissum, vidit per campi longitudinem exercitum satis mirabilem appropinquare in equis. Quo viso, considerata nuntiavit militi. Qui ait: stemus ad modicum, quia verisimile est, pro hujus exercitus custodia subsecuturos alios: ad hos properabimus, & an inimici sint, qui præcesserunt, an amici, experiemur, nec paucos timebimus. Deinde, morulâ transactâ, de silva miles cum suis recedit, in campum venit, & neminem nisi quendam equestrem in equo sedentem, & in manu alium ducentem equum, eminus sequentem suos intuitus est. Ad hunc cùm miles venisset, quis esset, quæsivit in hæc verba: Nunquid tu cocus meus es? ita enim sibi à longinquo videbatur: paulo etiam antea cocus ejusdem militis vitâ functus erat. Qui respondit: Sum domine. Cui miles, Quid, ait, hic facis? & qui sunt hi, qui præcesserunt? Cui defunctus respondit: Domine, hi qui præcesserunt, sunt nobiles, & armigeri tales & tales (multos enim expressit nomine proprio) quos oportet, & mecum eis, istâ nocte esse Hierosolymis; quia hæc pœna nostra est. Et miles iterum: Quid sibi vult equus iste, quem ducis nullo insedente? Ad vestrum, respondit, obsequutum erit, si mecum ad terram sanctam venire velitis. Securus esto, te per fidem Christianam, recedendo & revertendo vivum reducam, si meis obtemperabitis monitis. Tunc miles ait: Diebus meis mira attentavi; his hoc addam etiam mirabile. Dissuadentibus igitur illud famulis, de equo proprio miles desiliit, defuncti equum ascendit, & ab oculis famulorum uterq; equester subtractus est. Sequenti autem die, famulis juxta condictum exspectantibus, miles & defunctus redierunt ad locum, ubi primùm convenerant. Tunc defunctus militi ait: Ne phantasma omnino fictum credatis, duo quæ vobis dorara, reservate in mei memoriam. Inde protulit mappulam parvam de salamandra, & cultellum in vagina. Primum, inquit, cùm immundum fuerit, igne purgate: alterum cautè tractetis, quia ab eo vulneratus, intoxicatus erit.

Spectrum nobili Hispano visum.

Martinus Delrius lib. 6. Disquisit. Magic. cap. 2. sect. 1. q. 1. memorabile narrat exemplum de nobili quodam Hispano, sibi noto, in quo simul elucet divina ultio. *Degebat ibi* (Salmanticæ) *Theologiæ studiosus quidam, è prima nobilitate: qui pristinæ castimoniæ & pietatis oblitus, noctu magno periculo & labore parietibus transcensis, in quoddam Sanctimonialium monasterium, usq; ad Dormitorium (ut vocant) se penetrarat. Ibi, permittente DEO, priusquam ad cellulam, quam animo præoccuparat, pedetentim perveniret, objicit se illi spectrum, specie viri gravis & honesti, prolixo capillitio & barbâ, lorum ingens manu tenens; & nullo verbo facto, bubulam minitans insultationem. Venerat probè arma-*

tus

tus miser ad incestum, scuto, gladioq; : hunc stringit, ille se tegit. Visus sibi non semel latus adversarii, lorum sabiens, haurire, & brachia illi lorumq; rescindere: sed semper brachium corpori, lorum parti amputata subitò junctum apparebat. Tandem lorarius decussatim illi in utrumq; humerum sic viventi bovem mortuum (ut cum Comico jocer) impegit, ut in terram collapsus, vix trepidus se fugâ eripuerit; & domum reversus deprehenderit, ad modum Sanctæ Andreanæ crucis, sibi in pectore, & in tergo, ad quatuor digitorum latitudinem, notam contusionis rubore livoreq; mixta impressam. Tumuit mox vibex, & cum intolerabili ardore, quasi vermiculari nescio quid, quod gravissimum dolorem afferebat, miser sensit sub cute; & (nè vanum visum putes) altero tertiovè pòst die ad plures migravit. Nec annum, nec nomina addo, ut unius qui adhuc superat, & defuncti quoq; alterius honori consulatur.

Alterum præmittit ibidem de alio Hispano nobili, quod Burgis accidit. Hic dū nocturno tempore vagatur, in spectrum incidit specie Æthiopis tetri, mole giganteâ, romphæam stringentis: cui animosè tam diu restitit, impetum sustinens, & vulnera, sed aërem verberando, regerens, donec lassus cōcidit, & à vicinis, qui ad strepitum accurrerant, domum sublatus, multis pòst diebus lecto affixus, vix convaluit. Alia exempla turmarum militarium invenies infrà cap. 10. & 12. aliisq; in locis.

Spectrum alteri nobili Hispano oblatum.

CAPUT V.

Recentia Spectrorum visorum vel auditorum exempla.

INnumera alia exempla, quæ passim apud sacros profanosque Scriptores extant, quorumq; multa in sequentibus capitibus aliâ occasione referam, omitto, & ad recentia me converto. Ex innumeris porrò quæ narrari audivi, illa solùm enarro, de quorum certitudine dubitandi locus apud me nullus est.

Spectrorum verorum recētia exempla.

P. Nicolaus Mohr Collega meus, & in hac Herbipolensi Universitate Philosophiæ Professor, inter alia, duo sequentia, oretenus primùm, deinde scripto, me petente, mihi communicavit. *Religiosus quispiam cùm secundum morem suum concubiâ aliquando nocte in templi odeum oraturus se conferret; strepitu quodam excitatus, in ipsam templi navim despexit: ubi luculentum ignem extructum vidit. supraq; ignem ahenum, in quo tres suæ Religionis, ejusq; lóci incolas, sibi optimè & de facie notos conspexit, qui omnes eodem adhuc anno mortem oppetiêre. Legi in ipsa loci istius Historia manuscripta.* Fuit vir ille, cui spectrum oblatum, mihi optimè notus, sed vivere jam desiit.

Spectrum Religioso cuidam relatum.

Hoc primum. Alterum est: *Colonellus quidam in bello Mantuano Anni 1630. post plurimam collectam prædam mortuus, condito tamen priùs testamento hunc in modum; ut exequias quàm possent sumptuosissimè pararent; quidquid verò deinde superaret ex substantia, id mox à funere curato cæteri Legionis illius Capita-*

Spectrum Colonellis aliquibus oblatum.

nei & Officiales, sui in vivis commilitones, omne luxuriando & lasciviendo abligurirent, nec finem priùs facerent, quàm finis esset pecuniæ absumendæ. Scriptum, factum. Dumq́, ita nocte quadam impii testamenti improbi executores laborarent, totiq́, vino & spurcitie maderent; ortus derepentè strepitus, quasi innumeræ per gradus catenæ traherentur, donec ad ipsum, ubi potabatur, conclave appropinquaret & turba, & horror. Cohorruêre ad strepitum quidem, sed magis expaverunt, ubi sponte janua reserata vastissimum ante conclavis fores ignem, & inter ignis flammas quemq́, sibi ipsi exhibuit. Ex quo pavore turbatus conventus; & alii paucis diebus pòst diem obierunt, alii post menses aliquot, ita tamen, ut omnes intra anni unius (nisi fallor) spatium emortui sint, uno excepto, qui adhuc superstes vivit, & tragœdiæ hujus oculatus testis est, narratq́, ipse palàm; uti mihi retulit vir magnæ dignitatis, qui ex ore superstitis audivit.

Spectra à P. Kirchero visa.

Anno 1631. cùm in hac Herbipolensi Universitate Mathesin publicè prælegeret P. Athanasius Kircherus, vir toto Orbe notissimus; nocte quadam, circa illud tempus, quo Gustavus Adolphus Sueciæ Rex prælio vicit prope Lipsiam Tyllium ac Cæsarianos, dormiens in illo ipso cubiculo, quod ego nunc inhabito, evigilat; & nescit quo instinctu, per fenestrâ in Collegii nostri atrium ac hortum despicit: & ecce, totum atrium luculentâ flammâ repletum, & in flamma milites infestis armis congredientes. Territus hoc spectaculo, ac stupefactus, currit versus Superioris nostri cubiculum, ut excitatum somno ad idem spectandum deduceret; sed veritus, nè antequam eò perveniret, ostentum evanesceret, redit ad cubiculum, num adhuc duraret, exploraturus. Videt eadem quæ antea. Iterum ergo ad Superiorem currit, iterumq́; eâdem, ut antea, de causâ ad cubiculum redit. Sed dum tertiùm spectat, evanescit ex oculis. Narrat postero die visionem (eram ego eodem in Collegio, ejusdem Kircheri in Mathematicis discipulus) additq́; magnâ asseveratione, Suecum adventare, Collegio magnam calamitatem imminere, Eventus probavit omnia. Dispersis nobis in varias orbis partes, variè narrabatur factum. Quod hîc narravi, ipsemet Kircherus, rogatus, Romæ mihi retulit.

Spectrum Herbipolense.

Sunt hac eadem in urbe ædes peramplæ ac splendidæ, sed ante annos circiter sexaginta desertæ, ob molestissimas infestationes à spectro nocturno. Fama erat, ingentem in ædibus thesaurum esse absconditum. Ædium dominus, ut molestiâ se liberaret, excesserat, & præmiũ proposuerat, ut, qui thesaurum effoderet, domum cum dimidia thesauri parte sibi retineret. Juvenis quidam studiosus, cæteris audacior, conditionem acceptat; animum exomologesi purgat, & sacrâ synaxi confirmat; ligonem, candelas ternas, ac librum ad ædes defert. Primâ statim nocte, horâ ante noctis medium tertiâ, dum candelis accensis mensæ assidet, ac legit, ecce tumultus, catenarum strepitus, discursus per domum, procul tamen à conclavi, in quo juve-

juvenis ſedebat. Tandem circa noctis medium increbreſcere tumultus, & propiùs audiri, ipſumque oſtium magno impetu pulſari. Hîc animoſus juvenis: Omnis, inquit, ſpiritus laudat Dominum; ſi bonus es ſpiritus, ingredere. Ingreditur virili ſpecie ſpectrum, pullâ veſte ad talos usque demiſſâ, & manibus ac digito in ligonem, quem menſæ impoſuerat alter, intento, nutu ac ſignis, ut ſe ſequatur, evocat. Onuſtus ergo ligone, & candelis ternis inſtructus, ſequitur ductorem mutum, donec ad cellam vinariam deductus, ſignum accipit à ſpectro, ut in deſignato ſibi loco fodiat. Fodit audacter, ſpectro adſtante, ac ſilente; donec aheno ingenti deprehenſo diſparuit. Pergit juvenis, & ahenum antea dictum aureâ monetâ plenum reperit. Stat ædium dominus pacto; domum juveni cum parte theſauri dimidia donat; qui ab illo tempore, & poſteri ejus in diem hodiernum, ædes quietè poſſederunt.

Aliæ ſunt hîc ædes pervetuſtæ. Ad Templarios olim pertinebant; nunc ad Novi Monaſterii hujus urbis Canonicos, ubi cellam habent vinariam. Ante annos triginta circiter, cùm quatuor cives ac domini die quodam ad noctem usque variis negotiis diſtenti ibidem fuiſſent, & antequam diſcederent, ſtantes in atrio hauſtum ſumerent, ac de Templariis loquerentur; ait joco unus: Quid ſi jam defunctorum quondam hîc Templariorum aliquis compareret? Alius jocum joco excipit, arrepto ſcypho vini pleno, ac manu ad domus feneſtras intentâ: Propino tibi, inquit, Domine, quisquis in his ædibus fortaſſis lates; veni, & bibe. Vix dixerat, cùm ecce tibi vir, Templariorum habitu indutus, progreditur, & feneſtræ incumbens in atrium deſpicit. Quo conſpecto, omnes diffugerunt.

Spectrum Paderbornenſe.

A. P. Melchiore Cornæo non ſemel narrari audivi ſequentem hiſtoriam. *Paderbornæ vir erat Primarius, ſummæ ædis ibidem Canonicus; qui equo generoſo quem habebat, & impenſiùs amabat, vinum aduſtum largiùs identidem propinabat. Moritur non multò pòſt equus, nullo priùs morbi aut defectus ſigno deprehenſo. Suſpicatur dominus maleficio interfectum, & ariolum* (ein Weiſsagmann) *urbe ab Epiſcopo antea proſcriptum, clàm vocatum rogat, indicet maleficum, qui equum occidiſſet. Spondet facturum ariolus; additq; procuraturum, ut coràm ſeſe ſpectandum exhibeat. Discumbitur interim. Rogat ariolus, num jam videre allubeſcat maleficum: Lubet, inquit Canonicus. Pulſatur oſtium; monetur à vate, adeſſe quem cuperet; jubetur ingredi. Ingreditur mox ſpectrum, ipſiſſimum Canonicum vultu, habitu, inceſſu referens. Quæritur, quis equum occiderit. Reſpondet ſpectrum: Is occidit, qui vinum aduſtum propinavit; & cum dicto diſparuit.*

Spectrum ab Aucto-

Anno 1626. Canonicus quidam admodum juvenis ad D. Joannem in Haugis prope molendinum non procul à templo diſſitum (utrumque

re auditum.

nunc destructum cessit loco novis munimentis, in urbis tutelam nuperi bidem exstructis) à molitoris famulo proditoriè per summũ scelus fuit occisus,& in dicto templo sepultus. Ab exequiis mox templum infestari, scamna & sedes noctu everti,ut putabatur. Dormiebat noctibus singulis Sacerdos ejusdem templi in cubiculo,cujus fenestra chorum respiciebat, ad custodiendum Ecclesiæ thesaurum (erat enim templum extra muros) aliusq;in adjuncta domo,eundem ob finem. Prior igitur,nocturno strepitu territus,non audebat solus eò se conferre. Rogat me pro amicitia, impetratq;ut se comitarer. Feci, Deoque me commendans,in eodem cum dicto sacerdote decubui cubiculo. Circa mediam noctem ingens iterum strepitus atque tumultus utrumq;excitat. Proripit alter sese,& vestibus arreptis ad socium in vicina domo dormientem currit,me solo,& locorum ignaro, in tenebris relicto. Tenuit per horam plùs minùs strepitus, ac tandem conquievit.

Spectrum Uratislaviense.

Anno 1646. die 29. Januarii,scripta fuit Uratislaviâ è Silesia,ad Patres Collegii nostri Herbipolensis,à P. Julio Cæsare Codurio è Societate JESU, sequens historia. *Miles quidam, qui multis annis Cæsari militavit,& à Suecis diu captivus detentus,tandem ante aliquot annos liberatus, in hanc urbem advenerat,& inter Præsidiarios se scribi passus est, natione Suevus, religione Catholicus, vir pius ac fortis,ac germani pectoris,& jam dudum notus R.P. Superiori, tanquã Conterraneo suo,cum ante paucos dies accessit,eiq; narravit,domum quandam non procul à porta S. Nicolai,juxta ipsa civitatis mœnia,vehementer infestari à spectris, ita ut neq; de die,neq; de nocte,quisquam domus ipsius hypocaustum superius ingredi audeat. Se rogatum à patrefamilias,qui opificio funarius est,& Lutheranus,tum ab aliis quoq; consodalibus suis militibus,ut cùm Catholici se jactent posse expellere dæmones, ipse in illo hypocausto pernoctet, & tentet an hunc expellere possit; non defuturum præmium victori. Acceptavit intrepidè miles. Inde re explicatâ R. P. Superiori,auxilium petiit: à quo accepit sacram ceram,& imaginem S. P. IGNATII; jussus utramque sub thorace recondere: ac præterea sacrâ confessione & communione se armare. Quibus ritè peractis,ad infestam domum se contulit,sub noctem superius hypocaustum ascendit, tres candelas secum acceptas in mensa jussit ardere, & ipse partim flectens, partim sedens,rosarium B. MARIÆ Virginis devotissimè volvit: cùm ante mediam noctem monstrosus quidam vitulus,qui pedes habebat ursinos,ingreditur hypocaustum. Videt hoc miles;nil movetur,sed pergit in oratione. Cùm autem hoc monstrum circumiisset cubiculum; ipsumq; militem aliquoties, ut mos est canibus,admotis naribus olfacturus lustrasset;re nullâ perfectâ tandem recessit, nec ampliùs quidquam illâ nocte vel visum,vel auditum est. Rediit miles ad eandem stationem alterâ nocte,sed neq; tunc quidquam percepit. Totam autem noctem in oratione insomnis perduxit. Tertiâ nocte eodem rediit,prioribus instructus armis; & positis in mensa tribus candelis in honorem SS. Trinitatis. Illo autem orante circa decimam*

cimam noctu, audit impetu magno aperiri januam : & dum circumspicit, videt intrantem magnum & horribilem draconem, fumum & ignem spirantem; cujus cauda longissima, tota erat ignita. Juxta draconem stabat anima quadam, quasi veliis allis velata; in qua neque faciẽ, neq; pedes discernere poterat. Exhorrescit ad hoc spectaculum miles. Dum surgit in pedes, audit loquentem draconem: Quid tu hic agis? apage, tibi rem malã creabo. Negavit miles se abiturum; se Catholicum esse, ideoq; se non timere diabolicas minas. Pergit acrius minari diabolus, se collum illi obtorturum; adhuc integram legionem diabolorum se advocaturum, ni confestim abscedat: ille respondere, se contra etiam spiritualia arma opponere, & auxilium DEI. Non exiguo tempore duravit hoc colloquium, & minæ utrimque conjecta. Voces utriusque, & verba singula audita sunt & intellecta ab illis, qui in inferiori hypocausto erant: convenerant enim plurimi milites, & vicini, ut rei exitum cognoscerent. Cùm igitur miles neque abire, neque cedere vellet; draco totus concitatus, spiris caudæ suæ tres candelas è mensa decussit, & mensam ipsam ingenti impetu in latus militis ponè stantis devolvit: quo ictu accepto miles ingenti dolore afficitur, ita ut spiritum, quem ampliùs trahere non poterat, se in ipso vestigio emissurum putaret. Cùm autem magis insolesceret draco, & omnia quæ in cubiculo erant, susq; deq; terribili terrore concuteret, & in parietes omnes elideret; miles paulatim sibi redditus, ignarus tamen quid ageret, inclamatis sæpius sanctissimis nominibus, JESUS MARIA, memor se militem esse, gladium è vagina eripit, & ad monstrum: Apage, inquit, canis inferne; in nomine Sanctissimæ Trinitatis te hic confodiam (im Namen der drey Heiligsten / *inquiebat Suevicè*;) *& statim validum ictum in draconem vibravit. Fugere per cubiculum draco: miles insequitur, & in nomine SS. Trinitatis illi tres ictus impegit, semper loquendo, & ingeminando suevicè,* pack dich / du höllischer Hund. *Dum ita circumcursat, fumum & flammam evomens draco, miles ad januam currit, & advocat domesticos & milites, qui inferiùs aderant. Omnes illi accurrunt turmatim; quibus ille: en ibi est, qui domum vestram hactenus tam inquietam reddidit. Illi viso tam terribili monstro, tanto pavore perterriti sunt, ut dicto citiùs per gradus devoluti refugerint, & nonnulli super alios desiliendo deciderint. Redit igitur ad draconem miles iterum gladiatus, & clausâ januâ denuo agitare pergit, semper inclamans ut egrediatur. Qua in agitatione contigit res lepida quidem, sed memorabilis. Jacebat in pavimento liber quidam hæreticus. In hunc, cùm fugiendo sæpius transiisset draco, tandem per posticum excrementum quoddam emisit, adeo fœtidum, ut totum hypocaustum inexplicabili fœtore compleverit: ac tandem cùm post hoc eò acriùs persequeretur; per rimam quæ versus mœnia erat, impetu celerrimo prolapsus profugit. Interim dum inter militẽ & draconem certatur, anima quæ cũ dracone intraverat, toto tẽpore quieta persisterat. Pulso igitur dracone, ad illam miles vertitur, & in Dei nomine quærit, num quo subsidio egeat. Retulit illa hæc duo tantùm verba:* Schuldbrief / Almusen *(id est, Chirographum, Eleemosyna:) quo dicto, disparuit. Miles ob horribilem fœtorem ibidem diutiùs subsistere non potuit. Descendit igitur ad domesticos & milites; qui in hypocausto inferiore tantùm non examinati*

Digitized by Google

metu, rei exitũ exspectabãt, & omnia quæ gesta fuerant, distinctè intellexerant. Excipitur cum gratulatione. Hospes, licèt pauper, in signũ tamẽ gratitudinis donat illi quinq; taleros; ex quibus duos, facto manè, miles est elargitus pauperibus. Ubi ja illuxisset, omnes qui eá nocte in domo vigilaverant, ad hypocaustũ superius ascẽdũt, aliqua, ut putabãt, vestigia adhuc visuri certaminis nocturni. Invenerũt omnia disjecta, & eversa: in ipsa verò mensa repertũ vestigiũ adustũ, quod unicũ pro signo prioris pedis, uncis draco impresserat. Cùm autem mulier quædam librum suum miserata, quem in pavimẽto videbat conspurcatum, quâ parte mundus adhuc erat, elevasset, & propiùs tẽtare vellet, quænam foret materia, unde tantus fœtor emanaret; manus ejus dextra (mirùm sanè dictu!) mentum, guttur, & ubera (quæ partes huic pesti propiùs admotæ fuerant) tantâ subitò cõtagione sunt afflata, ut summo cũ dolore statim intumuerint, & aliquot dies tota pellis, quasi putrefacta, ex illis partibq deciderit: unde nondum restituta sanitati, graviter adhuc decumbit fœmina. Tota res statim emanavit in vulgus. Miles ipse de die citatur ad Commendantem Urbis, Colonellum Kracht; *qui in præsentia Colonelli* Ramstöfer/ *& aliorum nobilium & militum examinatur: narrat rem ut contigerat, & fidem apud omnes invenit, præcipuè cùm tot testes adessent. Venit quoq; ad Collegium, & rem, uti scripsi, narravit. In domo autem priùs infesta nihil ampliùs notatum est, nisi quòd in superiori hypocausto auditus sit strepitus quasi sacci decidentis cum frumento. Draco verò visus est ante aliquot dies à vigilibus noctu in turri quadam antiqua, in ipsis mœnibus sita, nõ procul à domo sæpius dicta. Hæc verò sunt certa. Sed quid ad hæc heretici? Quidam sanè mirantur, & fatentur Catholicos plùs habere potestatis in Cacodæmones, quàm ipsi habeant. Alii irrident. Multi dicunt:* Der Schwab ist ein Zauberer (Suevus iste Magus est.) *Quin factum sit, nemo negat, tot testibus convicti: sed dicunt, suos etiam prædicantes hunc dæmonem potuisse pellere, si adhibiti fuissent. Ego autem credo, nihil aliud in illos facturum fuisse dæmonem, quàm in librum eorum fecerit.* Hæc litteræ Uratislavienses.

MONITIO AD LECTOREM.

Spectra vera dari, negari sine impudentia non potest.

Ex relatis hactenus historiis, ac testimoniis, patet quid de spectrorum veritate sentiendum. Neminem enim existimo, eò impudentiæ progressum, ut fidem tot testibus negare sit præsumpturus. Nam, ut bene ait Lavaterus, Calvinista, & cui nostra omnia sunt suspecta; qui multiplicia hæc, & consentientia testimonia Veterum & Recentiorum prorsus negare audet, indignus videtur cui affirmãti aliquid credamus. Nam ut magnæ levitatis est indiciũ, si quis promiscuè omnibus, qui affirmãt se spectra vidisse, statim credat; ita ex opposito maxima est impudentia, si quis omnia,

quæ

quæ à tot, & fide dignis Historicis, Patribus, & aliis magnæ auctoritatis Viris affirmantur, temerè & impudenter rejicit. Sanctos Patres, ipsamque Sacram Scripturam, hanc eandem veritatem confirmantes apertissimè, adducam in sequentibus, cum innumeris aliis exemplis. Deditâ operâ abstinui ab exemplis, in quibus animarum in Purgatorio detentarum fit mentio; aut si in aliquibus animarum apparentium facta fuit, nihil de eorum statu statui; quoniam scio, hunc unicum esse scrupulum, qui nonnullos ab assensu relatis exemplis præstando absterret. In sequentibus mentem meam declarabo. Nunc de falsis ac fictis spectris aliquid subjiciamus.

CAPUT VI.

Non omnia, quæ spectra aliquibus videntur esse, vera sunt spectra.

TAmetsi verissimum sit, vera sæpe visa, & etiamnum quotidie videri spectra; non minùs tamen verum (nè quid dissimulem) multos sæpe falli, & pro spectris habere, quæ talia revera non sunt. Deceptio multis ex capitibus evenire potest, ac solet. Aliqua indicabo: Plura leges apud Leloyherum, Lavaterum, Delrium, & alios. His etiam diabolus sæpe se admiscet, & hominum proclivitate abutitur. *Serpit hoc malum diaboli* (inquit D. Augus. lib. 18. qq.) *per omnes aditus sensuales; dat se figuris, accommodat se coloribus, adhæret sonis, odoribus se subjicit, infundit se saporibus, & quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ: aliquando crudeliter torquens dolore ac metu; aliquando jocosè distrahens, vel subsannans ludicris.*

Spectra falsa posse esse ex multis capitibus.

§. I. Spectra falsa ex morbo, & vehementi passione.

PRimò, Febricitantes, phrenetici, melancholiâ ac magnâ tristitiâ oppressi, amoris œstro perciti, aliisq; vehemẽtibus passionibus imodicè exagitati, mira se videre atque audire credunt, & sibi credi volunt. Pleni sunt Medicorum libri. Nemo etiam est, qui cum hominibus dicta symptomata patientibus egit, & quod dico, verum esse non deprehendit.

Spectra falsa ex morbo, & passione.

Aristoteles lib. de Admirand. Audition. refert de quodam mente capto, qui in Abydo Asiæ urbe multis diebus se in theatrum vacuum conferebat, & ad spectandum considens, manuum complosione testabatur sibi omnia, quæ exhibita forent, mirificè placere.

Idem faciebat alter *haud ignobilis Argis* (inquit Horatius lib. 2. Epistolar. Epist. ad Florum) *Qui se credebat miros audire tragœdos, in vacuo lætus sessor plausorq; theatro: Cætera qui vitæ servaret munia recto more, bonus sæpe vicinus,* ama-

amabilis hospes, Comis in uxorem, &c. *Hic ubi cognatorum opibus, curisq; refectus expulit helleboro morbum, bilemq; meraco, & redit ad se se: Pol! me occidistis, amici, non servastis, ait, cui sic extorta voluptas, & demptus per vim mentis gratissimus error.* Videbat hic quæ non erant, & lætabatur; effectus sanus, tristabatur, quòd lætitiæ occasionem perdidisset.

De quodam Thrasylo, putante naves omnes quæ in Pyræum appellerent, suas esse, lætanteque mirificè de advectis mercibus, scribit *Ælianus lib. 4. varia histor.* & *Athenæus lib. 12.* Theophilus medicus, cæterà prudens, opinabatur, teste *Galeno lib. de Different. Symptom. cap. 3.* cùm febriret, prope lectulum tibicines & cornicines assistere, & continuè auribus ejus cantum insonare, atque hos se intueri rebatur; partim illic stantes, partim sedentes, adeoque sine intermissione sonantes, ut neque interdiu vel minimùm quiescerent: exclamare igitur non cessabat, ac jubere, ut domo ejicerentur. Nec ab hac persuasione, postquam convaluit, abduci potuit.

Lycanthropia. De Lycanthropia & Lycanthropis quid sentiat *Paulus Ægineta lib. 3. cap. 16.* cum Aetio, Condroncho, & aliis, vidimus lib. 1. cap. 26. §. 5. putant enim hi Auctores, morbum esse lycanthropiam dictum, quo qui corripiuntur, putent se lupos esse, ideoque domo noctu exilire, campos ac sylvas petere, circa defunctorum monumenta oberrare, oves ac homines invadere, atque decerpere.

Hydrophobia. Qui morsi à canibus rabidis fuerunt, aquam refugiunt, quòd putent se in ea videre canem, à quo sunt admorsi. Hydrophobi hi dicuntur, morbusque hydrophobia, de quo *Ægineta lib. 5. c. 3.* Alii etiam humorem omnem, eadem de causa, fugiunt: alii instar canum latratus edunt, & obvios morsu petunt.

Ephialtes. Est morbi melancholici species, quem Ephialten aliqui, alii incubum seu incubonem, Flandri *Mare*, Galli *Coquemare*, Hispani *Pesadilla*, Germani das Alp appellant. Quo qui corripiuntur, noctu præsertim, credunt, se opprimi à dæmone, aut à spectro aliquo, ut neque clamare queant, nec brachia aut crura movere, ac se ab oppressore liberandum. Quidam putant, illum à quo opprimuntur, paulatim ac velut ex insidiis adrepere, lectum conscendere, moxque iterum descendere. De me ipso hoc dicere possum. Diebus præteritis, cùm multa de spectris legerem, audirem, meditarer; post noctis medium dum semisopitus in lecto jaceo, videor audire felem ingredi cubiculum, lecto adrepere, tandemque ascendere: opprimor mox tanto pondere, ut nec vocem exprimere, nec brachia movere, tametsi summo conatu adniterer, possem: paulò pòst perfectè evigilo, & errorem meum corrigo. Nisi perspectum habuissem morbum, jurassem à spectro felis specie me oppressum.

De

De quodam Joanne Leonardo Sartorio, viro honesto & gravi, narrat *Lavaterus de Spectris part. 1 cap. 2.* persuasissimum habuisse, se instar Eliæ miraculo probare posse, quòd sua, id est, Calvinistarum religio esset vera & catholica; postulasse proinde ab aliquot Rebuspublicis Helveticis, ut convocarent Evangelicos & Papistas; se enim paratum, hoc miraculum edere; & nisi omnibus videntibus ederet, nullum supplicii genus recusaturum.

Mente capti, furiosi, phrenetici, febrientes, quàm mirabilia spectra sibi fingant, docet quotidiana experientia. Ante annos aliquot Mænis in Sicilia vocabar ad invisendum quendam febrientem. Vado cum Socio, & invenio robustissimum juvenem lecto hærentem, & vocibus, gestibus, ac minis prohibentem, nè quis accederet, ac se tangeret; se enim sanctum esse clamabat, nec à profanis hominibus tangi debere. Stabant procul à lecto pater ac mater ægroti, cum chirurgo, vocato ad capillos ægro abradendos, & columbarum pullos vivos dissectos capiti imponendos. Permittit tamen me, tanquam sacerdotem & confessarium accedere; at non socium, qui laicus erat. Accedentem arripit cingulo quo eram præcinctus; exultat præ gaudio, clamitans se sanctum esse, & Spiritum Sanctum jamjam per tectum illabi (solis radius per rimam se intromittebat) ut in se descenderet. Gratulor de sanctitate, ac persuadeo, ut capillos abradi permittat, quò mundior evadat; tunc enim futurum, ut Spiritus Sanctus specie columbæ in caput descendat. Permittit tandem se radi, fissam columbam vivam imponi, ligari; nunquam interim arreptum cingulum dimittit. Ut sentit vim medicamenti, furere vehementiùs, abjicere fascias, arripere fustem ingentem non procul à lecto hærentem muro, & instar furibundi in omnes alios, qui paulatim accesserant, debacchari; nec hominis furorem ego declinassem, nisi socius soluto cingulo me confestim abripuisset. Notæ sunt historiæ, quas Galenus & alii passim recitant de putantibus, taurinis se cornibus armatos; loco cedentibus, nè ab aliis velut vitrei frangerentur; mortuos se credentibus, & cibum propterea omnem respuentibus, aliisq; similibus, de quibus alibi fortassis.

Spectra phreneticorum.

Ajax tam graviter tulit, Achillis arma Ulyssi adjudicata, sibi abjudicata fuisse, ut præ dolore in amentiam versus, evaginato gladio in gregem porcorum insilierit, existimans se cum Græcorum copiis confligere. Tum duos majores porcos à trabibus suspensos flagris cæcidit, additis convitiis, existimans hos esse Agamemnonem & Ulyssem, quorum illi ut judici, huic ut victori potissimùm irascebatur. Restitutus sibi præ pudore manus intulit violentas.

Novi Panormi in Sicilia Religiosum mente captum, qui valetudinis causâ per menses aliquot in domo paterna, petentibus parentibus, consentienteque Superiore, in religioso habitu satis tolerabiliter ac modestè conversatus, tandem ad insaniam rediens, clàm domesticis aufugit, & Pa-

Mente captus putat se occidere diabolum.

normum, unde dimiſſus fuerat, rediit. In via non proc ul ab urbe offendit pauperem mendicum in prato ſecus tramitem jacentem, luridum, lacerum, macie confectum, mortuoq; quàm vivo ſimiliorem. Diabolum ſe videre exiſtimat maniacus. Lapidem ergo ingentem tollit, & ſuſpenſo gradu accedens homini caput comminuit, *morere diabole, morere diabole*, identidem inclamitans. Lætus deinde de victoria viam proſequitur, urbemque ingreditur, lapidem oſtentans, ſeque magnum Diabolum obtruncaſſe clamans. Denuo igitur à ſuis incluſus, veſtes omnes, & obvia quæque dilacerabat, ac diffringebat, in ſordibus ſuis volutatus; lætus tamen ſemper, & ſibi felix, ad ultimum usq; vitæ, quam diu protraxit, ſpiritum. Innumera alia exempla, quotidie obvia, omitto.

§. II. Spectra falſa ex ebrietate.

HUic veritati quotidiana adſtipulatur experientia; non noſtro tantùm, ſed quovis ævo, & apud quascunq; nationes. D. Ambroſius in Italia vivebat, ebriorum tamen ſymptomata viderat, & his verbis depingit lib. de Helia & Jejunio cap. 16. *Hinc variæ imagines ebriis, incerti viſus, inſtabilis greſſus, umbras tranſiliunt ſæpe ſicut foveas, nutat his cum facie terra, ſubitò erigi & inclinari videtur, & quaſi vertatur, timentes in faciem ruunt, & ſolum manibus apprehendunt; aut concurrentibus montibus ſibi videntur includi. Murmur in auribus, tanquam maris fluctuantis fragor, & reſonantia fluctu littora. Canes ſi viderint, leones arbitrantur, & fugiunt. Alii riſu ſolvuntur incondito; alii inconſolabili mœrore deplorant; alii cernunt irrationabiles pavores, vigilantes ſomniant, dormientes litigant.* Plinius quoq; in Italia ſcribit, & terribilia viſa apparere ebriis affirmat lib. 14. cap. 22.

Ebrietatis mirum exemplum.

Siculi, vel Græci potiùs, ſequentem luſerunt tragœdiam, quâ neſcio an quid rarius unquam ab ebriis exhibitum. Rem narrat *Cœlius Rhodig. lib. 17. cap. 2.* ex *Athenæo lib. 2. cap. 1.* ſequētibus verbis. *Auctor Timæus* Tauromitanus *eſt, fuiſſe Agrigenti domū quandam cognomento* τριήρης, *ab eventu tali. Adoleſcentes aliquot* (Tauromitani) *illuc convenientes, convivium hilariùs agitabant. Mox, uti aſſolet, cùm incaluiſſent vehementiùs, ita decuſſi mente ſunt, itaq; externati, ut in triremi ſe opinarentur conſtitutos, mariq; altiùs undabundo hyemem ingruere atrocem. Proinde, velut naufragium aeriti, tanquā egeſtis, quæ intus forent, navigium facturi levius, vaſa omnia, & quidquid mero fervidis occurrebat, in viam, ceu in mare, feſtinantiùs jactare adorati ſunt, accurrentibus hinc inde qui projecta diriperent. Inſequenti die, ubi adfuère Magiſtratus factum arguentes, cùm illi necdū ſatis edormiſſent, reſpondère, ſe metu mortis præoptaſſe, quæ in navi forent, diſperdere, quàm fluctibus devorari. Admirantibus mentis ſtuporem univerſis, qui inter eos videbatur natu grandior: Ego, ô viri Tritones, præformidine intra thalamos me conjiciens, in imo jacui. Cùmq; ampliùs delirare animadverterent*

terentur, dimittuntur ab ignoscente Magistratu, commoniti modò graviùs, caverent in reliquum invitationem hujusmodi brutalem. At illi, velut gratiam fatentes: Si inquiunt, servati ex tam procellosis undis portum fuerimus assecuti, inter marinos Deos vobis, ô Tritones, ut servatoribus in patria statuas surrigemus. Geminas lucernas videre ebrios, poculum in mensa collocatum non suo loco spectare, ideoque manum extendendo aberrare, aliaque similia deliramenta ab iis perpetrari, notum est lippis atque tonsoribus. Plura de ebriorum spectris dabimus infrà in libro de Mirabilibus Hominum, ubi de ebriosis.

§. III. Spectra ex apprehensione falsa.

Spectra ex apprehensione falsa.

MUlta ac lepida in hoc genere occurrunt. Recentissima solùm narrabo, ex multis pauca.

Novi in Sicilia Religiosum è Societate nostra, virum apprimè meticulosum. Hic cùm noctu, Lunâ splendente, per Collegii nostri ambulacrum iret, & sui corporis umbram in oppositum parietem projectam conspiceret; territus vehementer, quòd spectrum putaret, fugam meditabatur. Ut tamen generosè, ut ajebat, se vinceret, gressum non solùm stitit, sed concito gradu contrà ivit, frontemque cum impetu parieti allisit.

Quod sequitur, à viro docto & magnæ auctoritatis, qui etiamnum Madriti in Hispania superstes vivit, dum hæc scribo, olim in Sicilia narrari audivi. Erat, inquit, in regni Neapolitani Collegio quodam Societatis nostræ Religiosus juvenis, Humaniorum litterarum ibidem Professor, admodum timidus; qui ob id quemvis nocturnum in Collegio excitatum strepitum, spectrum suspicabatur: unde frequenter & apud Superiorem, & apud alios conquerebatur, loca omnia cubiculo suo vicina, esse spectris obnoxia; nec aliud tamen unquam, quàm risum absportabat. Contigit nocte quadam, cùm omnes cubitum concessissent, ut vento repentè excitato concuterentur vehementiùs valvæ è regione cubiculi cujusdam è Collegis apertæ, somnumque impedirent. Surgit is, & solo amictus indusio egreditur, clauditque valvas; sed perturbatâ phantasiâ, ut fieri in tenebris assolet, nescit quorsùm redeundum, dextrorsùmnè, an sinistrorsùm. Cùm igitur cubiculi sui januâ apertam sciret, aliorum verò in eodem ambulacro clausas existimaret; prehenso muro singulas pertentat januas; deprehēsóq; tandē ostio Bibliothecæ procùl à suo distantis aperto, ingreditur ociùs, & claudit. Mox errorē notat, & obseratum ostium intus aperire non valens, deficiente clave, pulsare incipit identidem. Audit strepitū juvenis ille meticulosus; horret, sudat, ac penè præ timore enecatur. Surgit tandem, ac precibus Superiorē perpellit, ut locum infestū secum accedat, & experimento manifesto deprehēdat, quod credere antea noluerat. Victus precib9 Superior, surgit, accedit, audit, credit, & exorcismos parat. Excitātur ergo socii, itur ad

Digitized by Google

locum cum cruce, candelis, aqua lustrali, & aliis simili occasione usitatis. Perstat interim clausus, & frigore horrens in indusio, pulsare frequentiùs ostium: accedunt exorcistæ propiùs: notat ille lumen, timensque linteatus deprehendi, clamat: Auferte hinc lumen; nolite accedere cum lumine. Insultant illi, &, jam scimus, inquiunt, qualis sis Spiritus, quoniam lucem odisti; egrediendum tibi hinc est, & ad Orcum migrandum. Quò verò magis lumen appropinquat, eò contentiori voce ille amolitur, eoq; magis instant atque insultant exorcistæ, facti jam metu spectri animosiores. Aperiunt tandem clave ostium, & alterum confusione plenum, frustraque dedecus à se amoliri conantem, deprehendunt, & cum risu tragœdiam finiunt.

Vir alius, minimè alioquin timidus, è Societate nostra, narrat, ante annos aliquot se pallium ad parietem cubiculi sui, loco consueto, è regione lecti suspendisse, & supra pallium è clavo pileum, prout semper solebat. Noctu evigilat, & Lunâ splendente videt è lecti regione Spectrum, ut putabat, chlamydatum ac pileatum. Miratur primùm, tum horret, tandem infra stragulam se condit. Increpans deinde timiditatem suam surgit; & dum spectrum invadere, ac propiùs pertentare audet, errorem suum deprehendit.

Paucos ante annos, cùm recens ex Italia venissem, & aliquantisper in Collegio nostro Moguntino subsisterem; Eminentissimus Elector, pro suo singulari erga nos affectu, gratissimos hospites quos in Arce tunc habebat, nimirum Serenissimos Duces Neoburgicum, & Sultzbacensem, cum Serenissimis Conjugibus ac liberis, aliisque è gynæceo primariis fœminis, epulo in dicto Collegio excipere voluit. Erat inter Collegas Religiosus juvenis, Humaniorum litterarum Magister, tàm timidus, quàm pius ac modestus. Mirabatur is, & tantùm non indignè ferebat, fœminas Religiosorum domum invisere, & cum Religiosis cibum sumere; tacuit tamen dolorem concoquens, & DEI vindictam pertimescens. Nocte sequenti unus quispiam è Collegis catharro derepentè adeo obruitur vehementer, ut nec clamare, nec eloqui verbum posset. Surgit itaque, & pulsans vicini ostium, nutibus ac gestibus opem implorat. Vocatur mox Collegii superior, parantur & adhibentur remedia quæ poterant. Itur interim ac reditur ab accurrentibus cum facibus accensis per Triclinium, in quo pridie cibum sumpserant quos dixi Principes. Audit meticulosus ille, de quo principio, strepitus atque discursus, videtque lumen ad cubiculi sui fenestram reflexum. Surgit; respicit per fenestram; videt Triclinium igne repletum totum, ut existimabat, luminaque huc illuc discurrentia; plenusque horrore, viciní cubiculum ingreditur, & : Eheu, perditi sumus, inquit; quod timui, evenit; en Dei vindictam manifestam; igne expiatur lo-

cum

cus quem Mulieres contaminarunt; spectra adsunt; spectris omnia sunt plena; discurrunt, tripudiant, insultant. Tum: obsecro, inquit, permitte in angulo aliquo hac nocte hic considere; oppidò enim timeo, nè vaga spectra invadant cubiculum meum. Post hæc orat cum socio, cui non modicum quoq; timorem incusserat, & consolando se mutuò reliquum noctis consumunt; nec ante timorem ponunt, quàm facto manè, & narratâ aliis visione, errorem deprehendunt.

Paulò ante contigerat in hoc Herbipolensi Collegio nostro hæc alia non illepida historia. Monachi duo Dettelbacenses, è S. Francisci Ordine, sacerdos unus Sacræ Theologiæ Lector, Theologiæ studiosus alter sacros Ordines suscepturus, pro more suo apud nostros diverterant. Noctu studiosus, necessitate quadam coactus, surgit; & reditum ad lectum quærens, longè à suo, & à Sacerdotis cubiculo aberrat. Primum nihilominùs, quod in cœcis tenebris deprehendit, pulsat, & aperit, ac sacerdotem socium, cujus id esse putabat, vocat. Audit vocem insolitam tempore insolito, qui in illo decumbebat (Sacræ Theologiæ studiosus è Collegis nostris erat) & quid sibi velit, interrogat. Ex voce data, errasse se agnoscit Monachus, & silentio abit, aliaque cubicula pertentat, suum quæritans P. Lectorem. Surgit interim noster; vicini cubiculū ingreditur; opem contra spectrū implorat. Surgit & alter, amboq; januā intus communiunt. Redit Monachus, & pulsat ostium oppessulatum. Hîc tremere primùm uterque, & januam occlusam probè custodire; tùm crucis signo sese munire, erigere animos, & *Omnis Spiritus laudat Dominum*, identidem inclamare; Tandemque erectis animis, quis sit, quidvè petat, interrogare. Respondit Monachus, & voce se prodit, metuque clausos, se errore, liberat, in suum reductus cubile.

Aliud de spectro, ex aliquorum saltem apprehensione putato exemplum, quod nuper admodum, Anno nimirum 1656. die 19. Julii, contigit in templo Collegii nostri, & cujus ipse oculatus sum testis, eleganter (ut solet) ac verissimè describit P. Melchior Cornæus in Anti-Crocio pag. 515. Reliqua quæ occurrunt, omitto.

§. IV. Spectra ex ignoratione causarum naturalium, & artificialium.

Spectra ex ignoratione causarum naturalium, & artificialium.

PLurima sæpe apparent, quæ imperitis, & causarum naturalium ignaris spectra videntur, dæmonumque ludibria, qui tamen genuini Naturæ effectus, & causam callentibus non modò nullum incutiunt horrorem, sed nè admirationem quidem afferunt.

Ignis fatuus.

Hæc inter præcipuum locum tenere videtur ignis ille, quem Meteorologici fatuum appellant, de quo fusè & exactè infra in Mirabilibus Meteorum. Fit, dum exhalationes pingues & viscosæ ab aëre frigido & nimis condensato, prope nos detinentur, & ab aliis succedentibus vehementiùs

agitatæ calefiunt, ac tandem inflammantur. Apparent inter equorum iter agentium aures; in eorũdem jubis; supra hominum sudantium, vel vino, irâ, aliavè ex causa effervescentiũ vertices; in cœmiteriis, juxta sepulchra, bustuaria, patibula. Hujusmodi ignes qui noctu in campis sequuntur, sæpe seducũtur, & in loca paludosa aut stagna seipsos præcipitant. Quæ causa est, cur non vulgus tantùm, verùm etiam nonnulli doctiores, sed rerum causas ignorantes, existiment illos spectra, ac dæmonum ludibria esse, malũque Genium insitum habere. Hac in sententia est *Auctor. Damonol. lib. 2. c. 3.* & *Lutherus Comment. in cap. 9. Genes.* ubi ait, se non dubitare, saltantes capras, volantes dracones, lanceas, & similia meteora, esse effectus malorum Spirituum in aëre sic ludentium, ut aut terreant, aut decipiant homines. Sed de hac re exactiùs in Mirabilibus Meteorum.

Spectra quoque videntur subinde multa ex illis pyroparastasibus, de quib9 in Magia nostra Pyrotechnica egimus 4. part. Magiæ lib. 2. cujusmodi sunt noctiluca plurima ibi recensita, nempe ligna putrida, fungi, capita & squamæ lucii, gobii, ranę piscatricis, halecis; ostreacea item crustacea maris soboles, præsertim dactyli. Eruca quoq; montium Guatimalensium Novæ Hispanię, Cocoyus Hispaniolæ; succus cicindelarum, solenis, pulmonis marini, &c. Huc spectant variæ parastases Naturæ, de quibus in 1. part. Magiæ lib. 4. fusè egimus, inter quas est Morgana Rheginorum in freto Siculo, aliæque quas recitavimus ex Photio, Scipione Mazzello, Cornelio Agrippa, Pomponio Mela, Plinio, Haythone, Herrera, Thoma Fazello, & aliis. Nonnullas brevissimè indico, in illorum gratiam, qui dicto nostro Opere carent.

Ludibria oculorum, quæ spectra aliquibus videntur.

Damascius itaque in Vita Isidori Philosophi apud Photium in Biblioth. ait, in aliquibus locis Siciliæ videri equitum pugnantium simulacra, idque maximè æstatis tempore, cùm ardentissimus est meridies. *Scipio Mazzellus* in Descriptione Regni Neapolit. loquens de Nerito oppido, ait, circa illam videri sæpe, Austro flante, in aëre, velut in speculo, imagines quasdam rerum circumjacentium, quas vulgus, causam ignorans, dæmonum illusionẽ existimat. *Agrippa* lib. 1. Philosoph. Occultæ ait, sæpe in aëre densato, velut in speculo, reflecti imagines castrorum, montium, equorum, hominum, & aliarum rerum. *Pomponius Mela* refert, in Mauritaniæ regionibus retro Atlantem, circa meridiem intra montes varia spectra comparere, quæ gestus hominũ in omnibus æmulentur, ita ut videas ibi choreas, audias tubarum tympanorumque strepitus. *Plinius* ait, intra Imaum in Scythia regionem esse, in qua quotannis in vasta planitie appareant varia spectacula rerum sub figura hominum, animaliumque, & instar exercitus; quibus viatores non rarò in avia & devia deducãtur. *Haython Armenus* refert, ad flumẽ Obii regionem esse, ad quam nullus adhuc penetravit, ob formidabilium spe-

ſpectrorum,quæ ex illa fluminis parte comparent,multitudinem: ibi quoque audiri hinnitus equorum,balatus ovium, hominum vociferationes; ideoque vulgus exiſtimare, illam eſſe diabolorum regionem. *Herrera* de quodam loco in Quitamalenſi regno Americæ refert,ibi quotannis, ſtato tempore, idolum quoddam ceu Deaſtrum aliquem in nube comparuiſſe, choro quodam Deaſtrorum ſtipatum *Thomas Fazellus Decade 1. lib. 2. cap. 1.* ſcribit, in freto Siculo certis temporibus varias animalium hominumq; formas in aëre crebrò cerni,quarum aliæ penitus immotæ ſint, pleræq;vel in aëre diſcurrant,vel inter ſe dimicent.

Horum omnium ſpectrorum cauſam naturalem loco cit.diximus eſſe, variam rerum in aëre vapido, & ad reflectendum imagines apto,reflexionem;quod qui ignorant,dæmonum ludibria eſſe exiſtimant.

Ludibria aurium, quæ ſpectra aliquibus videntur.

Hæc oculorum ſunt ludibria,non à malo dæmone,ſed à ludente Natura exhibita. Nec ſua deſunt auribus.Hujuſmodi ſunt omnia illa,quæ *2.part. Magia lib.2.Syntagm.4.* retulimus in Hiſtoria Echonica, de Echo Syracuſana,Cadurcenſi,Auricuſæ Dionyſii Syracuſis, Villæ Simonettæ Mediolani, quadruplici apud Cardanum,variis apud Plutarchum, Plinium,Pauſaniã; Sepulchri Metellorum Romæ,& aliis alibi. Talia etiam ſunt, quæ ibidem *Syntagm.5.*diximus de prodigioſis quibusdam ſonis, videlicet rupis loquacis in montibus regni Goyamæ,Specus horriſoni Smellen in Finlandia,mõtium Britannicorum & Perſicorum,aliorumq;multorum locorum. Talia deniq; ſunt mirifici quidam ſoni uterini,*quando* (ait Cornel.Gemma lib. 1. Coſmocrit.cap.7.)*à venenato ſpiritu inflatæ arteria,deductæq;in amplitudinẽ,ſecundùm longitudinem contrahuntur; unde neceſſe ſit aliquando mulierem ſtrangulari: unde & voces mirandas ex imis viſceribus exaudiri,nunc velut ranarum coaxatus,nunc ſerpentum ſibilos,nunc crocitus corvorum, gallorum cucurritus,latratus canum,&c.quæ tamen pro viarum & erumpentis ſpiritus proportione caſus effingit.*Quæ quidem res imperitis Medicis non rarò imponit.

Nec naturalia tantùm,ſed artificialia etiam quandoque decipiunt imperitos,& pro ſpectris habentur.Nam ut taceam de ſtatuis automatis Dædali,de ſerpentibus æneis ſibilantibus Boëthii,de bovis capite mugiẽte Alberti,de ferrea muſca Norimbergæ inter diſcumbentes circũvolitante, de aquila ænea ibidem Cæſari Carolo V.obviam volante,de remigibus argenteis triremem argenteam Pariſiis circumagentibus, multisq; Hydraulicis artificiis in Mechanica Hydraulico-pneumatica relatis: ut nihil dicam de mirabilibus artificiis opticis, catoptricis, dioptricis, anamorphoticis,paraſtaticis,de quibus in 1.part.Magiæ noſtræ: ut omittam phonocamptica,phonotectonica,echotectonica,muſica,otica,& alia multa,de quibus in 2.part. Magiæ: innumera etiam mathematica artificia, de quibus in

Digitized by Google

in 3.part. Magiæ: hisce spectavi oculis non semel, spectra, aut spectris similia censuisse multos artificia omnis generis, quæ P. Athanasius Romæ in Museo suo exhibet, & quorum multa in Operibus meis jam explicavi.

§. V. Spectra ex metu, ex oculorum vitio, ex medii alteratione, aliisque capitibus.

Spectra ex metu.

MEticulosos persuadere sibi, multa se videre atque audire quæ revera non sunt, notius est quàm ut confirmari debeat. Exempla multa dedimus in præcedentibus toto hoc capite. Unum hic addo mirabile & memorabile, ex *Plutarcho* in Libello de sera Numinis vindicta, de Besso quodam. Is cùm patrem interfecisset, delituit longo tempore, metu interim, nè deprehenderetur, agitatus. Tandem cùm aliquando cœnatum iret, nidum hirundinum ex ædibus hastâ deturbavit: cùmque simul cœnantes hanc ejus crudelitatem detestarentur, & objurgarent; Nonnè, respondit, jam diu falsum testimonium adversum me ferunt, clamitantes me patrem interfecisse? Præsentes admiratione ducti, hæc verba ad Regem detulerunt; qui tormentis Bessum subjecit, reque diligenter discussâ, ac deprehensâ, parricidii pœnas de illo sumpsit.

Addo alterum ex *Procopio*, qui in principio libri de Bello Italico tradit, Theodorico Regi Italiæ cœnanti, post occisos egregios viros Boëthium & Symmachum, cùm in mensâ esset caput piscis oblatum, horrendam ac minacem in illo visam Symmachi faciem, quæ labro inferiore mordicùs apprehenso, sibi torvis oculis minaretur; ideoque Regem pavore consternatum, in morbum incidisse, & obiisse.

Apostoli etiam Christi, cùm eum noctu super aquas ambulantem conspicerent, ac sibi appropinquantem; cùm post resurrectionem suam januis clausis ingressus fuisset intra cœnaculum, in quo congregati erant propter metum Judæorum; præ pavore putarunt, se Spiritum seu phantasma videre.

Spectra ex vitio oculorum.

Constat itaque, ex metu multos sibi imaginari se videre, vel audire, quæ minimè vident, aut audiunt. Venio ad oculorum vitio laborantes. Oculorum suffusio facit videri volitantes ante oculos quasi muscas, vel saltitantes formicas; quod de se conqueritur *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. qu. 27. sect. 1.* Apud hunc *Abenzoar. lib. 1. cap. 1. tract. 8.* meminit morbi cujusdam oculorum, dicti *balahol* Arabicâ linguâ; quo qui affecti sunt, singula se putant videre gemina. Hoc ipse laboravi olim longo tempore in Sicilia, ac per eum visûs præstantiam, quâ antea pollebam, perdidi. Paucis etiam ante diebus virum honestum idem sibi contingere conquerentem audivi.

Apud *Aristotelem* me legisse memini de quodam, qui suammet imaginem

Digitized by Google

nem seu simulacrum in aëre sibi, quasi in speculo, propter oculorum vitium, semper obversari existimabat. De Siculo quodam retuli alibi, qui cùm diu Solis eclypsin libero oculo, contemptâ aliorum admonitione, fuisset intuitus, longo tempore putavit se Solem ante se videre; nec quidquam aliud præter Solis simulacrum, cùm ad videndum quidpiam se applicaret, aspiciebat.

Medii alteratio efficit, ut res aut majores quàm sunt, aut longè aliter quàm deberent, appareant. *Cominæus* in fine libri 1. de rebus gestis Ludovici XI. Galliarum Regis, scribit, cùm Carolus Dux Burgundiæ, & alii Principes, exercitum ad Lutetiam admovissent, eum per indicium cognovisse, quòd Rex postero die cum omnibus suis copiis eos adoriri constituisset. Sequenti igitur die Carolus præmisit equites speculandi causâ; qui cùm cœlum obscurius, aër densior ac vaporosior esset, putârunt se eminùs videre ingentem numerum hastatorum: progressi dein longiùs cœlo jam sereniore, cognoverunt eum locum, in quo arbitrati erant regem copias omnes habere coactas, consitum esse præaltis carduis, qui ex longinquo, per medium densius sui species refringentes, hastarum speciem præbebant.

Spectra ex medii alteratione.

Brakelius in Historia sua narrat, & nos retulimus in 1. part. Magiæ lib. 4. rusticum quendam in Lithvvania sub crepusculum matutinum vidisse lupum simul & proceram arborem, eâ positione, ut radius visualis per lupi verticem protusus, summum quoque arboris cacumen attingeret; credidisseque lupum arboris magnitudinem exæquare, & vicinos armasse contra lupum prodigiosæ magnitudinis; qui tamen deinde non nisi ordinariæ magnitudinis fuit deprehensus.

Loco citato Magiæ, circa finem, in Diacrisi Parastasis 3. narravi de quodam milite historiam, qui noctu in excubiis putans se ingentis molis gigantem videre, contra se tendentem, exanimis corruit, & diu mutus perstitit.

Eodem loco Magiæ nostræ retulimus varias praxes ex Porta, & Pseudo-Alberto Magno, efficiendi ut adstantes lumini appareant sine capitibus, aut formâ giganteâ; habere capita equina vel asinina, ut videatur conclave esse plenum serpentibus, homo habere tria capita, &c.

PARS II.

QUIBUS IN LOCIS SPECTRA SINT.

Ex dictis ab initio hujus Libri huc usque patet, tametsi sæpe fallantur sensus, & imaginatio hominum, ut putent se spectra, aliaque mira

videre atque audire, quæ revera non vident, nec audiunt; certum nihilominùs esse, vera sæpe videri atque audiri Spectra. Videndum nunc, quibus in locis potissimum occurrant. Quamvis enim nulla propemodum loca sint, in quibus Spectra subinde non appareant, aut audiantur; quædam tamen peculiariter & præ cæteris infestantur, ut ex sequentibus patebit.

CAPUT VII.

Spectra in locis desertis, seu solitudinibus.

Spectra in solitudinibus.

INter loca Spectris infestata, præcipuè videntur esse desertæ & incultæ solitudines. Innuere videtur hoc *Isaias cap. 34. v. 14.* ubi cùm dixisset, Idumæã adeo devastandam fore, ut deserta sit futura, addit: *Et occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem.* Et *S. Joannes in Apocal. cap. 18. v. 2.* de Babylone excidenda, & in solitudinem redigenda loquens, ait: *Et facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis Spiritus immundi.* Raphaël Angelus, ut habetur *Tob. 8. v. 3. apprehendit dæmonium* (Asmodæum) *& religavit illud in deserto superioris Ægypti.* Christus Dominus in deserto tentatus fuit à diabolo, visibili specie ad se veniente, *Matt. cap. 4.*

De spectris, & dæmonum insultibus, quos sustinuit S. Antonius in eremo, scribit *S. Athanasius in vita S. Antonii*, Dæmones, bestiarum formas induentes, omnia, ubi vir Sanctus agebat, replevisse phantasiis leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentum, scorpionum, pardorum, ursorum: & hæc singula secundùm suam fremuisse naturam: *Rugiebat leo, occidere volens; taurus mugitu, & cornibus minabatur; serpentes sibilo personabant; luporum impetus inhiabat; pardus discolor auctoris sui calliditates varias indicabat; truces omnium vultus, voces horridæ, dirus auditus.* De eodem S. Antonio per eremum iter ad Paulum primum Eremitam habente, scribit S. Hieronymus, conspexisse hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum hippocentauro nomen dedit: item inter saxosam convallem haud grandem homunculum, aduncis naribus, fronte cornibus asperatâ, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Sed de his infrà suo loco.

Joannes Curopalates in Compend. Historiar. de Adriano patritio Novarcho scribit, cùm ad liberandos Syracusas cum exercitu à Constantinopolitano Imperatore mitteretur, & haud prosperâ navigatione usus, in portu Peloponensi hæreret, intellexisse à dæmonibus deserta loca incolentibus, urbem esse captam. *Locus est*, inquit Curopalates, *in Peloponneso, qui vocatur Galis, propter sylvæ, quæ ibi est, densitatem, hoc sortitus cognomentum: Hic Romanorum classis in statione erat. Quadam igitur nocte, cùm dæmones illic habitantes*

tes inter se colloquerentur, audierunt pastores, heri captas, & solo æquatas Syracusas; divulgataque ab alio in alium famâ, ad Adrianum quoque pervenit: qui accersitis pastoribus, diligenterq; interrogatis, comperit quæ audierat illorum verbis confirmata: cùmq; vellet suis auribus ipse ea percipere, per ipsos dæmones percunctatus, audivit jam captas esse Syracusas. Hujus rei mentionem fecimus lib. 1. cap. 12. ex Fazello & Delrio. Huc spectat etiam historia, quam suprà cap. 3 retuli ex Alexand. de Gordiano.

Ex his patet quod proposuimus, spectra nimirum iu desertis frequenter reperiri. Hinc *D. Cyrillus* in cap. 34. Isaiæ, ait, Spiritus malos libenter in desertis locis habitare. Hinc etiam quidam eorum, cùm ab obsessis hominibus ejiciendi forent, rogârunt, ut in deserta migrare liceret, ut refert *Fortunatus Pictavorum Episc. in Vita S. Germani* cap. 30. Et *Procborus* in Vita S. Joannis scribit, eum relegasse dæmones, qui Ephesi & locis vicinis habitabant.

CAPUT VIII.

Spectra in locis humidis & paludosis.

Constat hoc ex dictis lib. 1. cap. 12. de dæmonibus aquaticis; quem locum vide. Confirmatur exemplo relato ibid. cap. 34. de spectris in lacu Badensi. Et hac fortassis de causâ frequentiora sunt spectra, præsertim diabolica, in regionibus suppolaribus, insulisq; circumjacentibus, ut loco proximè citato, & aliis passim in locis vidimus ex Olao Magno, Saxone Grammatico, & aliis. Eâdem fortassis de causa dæmones ignibus fatuis, qui in locis humidis viscosis, ac paludosis maximè reperiuntur, sese imiscent, & viatores subinde seducunt, quia videlicet iis in locis frequentes reperiuntur.

Spectra in locis humidis.

Cromerus lib. 9. Histor. Polon. circa finem refert, in Cracoviensi tractu lacum propter spectra ab omni piscatione cessasse, & anno 1283. novo spectro factum esse celebriorem. *Memoratur,* inquit, *in Cracoviensi tractu spectrum apparuisse. Lacum enim quendam peramplum infestatione dæmonum piscationibus & usibus hominum exemptum fuisse. Ad eum hybernâ glacie concretum, vicinos cum sacerdotibus vexilla, cruces, & reliquias sacras, quibus vis dæmonum propulsaretur, ferentibus, piscandi gratiâ convenisse: immisso autem reti, primo quidem tractu, contendentibus piscatoribus tres pisciculos; altero nihil nisi rete convolutum; tertio denique monstrum horrendum, caprino capite, & in speciem ignis ardentibus oculis extractum esse: territis autem & diffugientibus cunctis, spectrum illud sub glaciem se submersisse, ac toto lacu discursans, terribilem strepitum & sonitum edidisse; afflatosq; ab eo nonnullos homines, fœda ulcera retulisse.*

Monstrum Cracoviensis lacus.

Petrus Thyræus lib. de Locis infestis part. 1. cap. 1. refert ex Michaële ab Isselt Anno 1585. Historiæ suæ, esse locum palustrem, decem passuū milli-

millibus ab Odepe, quod prædium est Episcopatus Vendæ in Livonia, in eoque lacum quendam ita fuisse infestatum, ut nisi singulis annis sanguis Infantium in eum mitteretur, ultra modum affligerentur vicini, & plurima damna iis dæmones afferrent, conturbarent aërem, tonitrua, fulmina, procellas, & tempestates excitarent. Hinc usitatum apud illos erat, matribus furari infantes, atq; in lacum projicere; aut saltem extractum ex eorundem corporibus sanguinem, in eundem mittere.

Diodorus Siculus lib. 3. cap. 4. affirmat, in ea Libya, quæ circa Syrtes est, quãdoq;, & maximè quieto à ventis tempore, apparere in aëre diversatum animantium formas, quarum (inquit) quædam quiescunt, quædam moventur; & hæ aliquando fugiunt, aliquando fugientes insequuntur; quos verò comprehendunt, frigido circumdant contactu.

Spectrum Bingense.

Aventinus lib. 4. Annal. Bojor. historiam refert, quæ in pago *Camen* vulgò, quasi caput montium, dicto, non procul à Binga oppido, ubi Naa fluviolus Rheno miscetur, accidit, sanè memorabilem. *Ibidem*, inquit, *hisce diebus (circa Annum 858.) desertor ac perfuga Spiritus multa miracula edidit, circulatorias præstigias lusit, incolas infestavit. Primò umbra feralis, à nemine quidem conspecta, lapides in homines jactare, pulsare foris cœpit. Mox sub humana specie pestilens ille genius delitescens responsa edidit, furta prodidit, criminatores quoscunq; notâ infamia aspersit, discordias simultatesq; excitavit. Paulatim horrea, casas omnes succendit, atque excussit. Sed uni molestior extitit, perpetuò ejus lateri, quocunque diverteret, harens, atque domum comburens; & ut viciniam universam in necem innocentis excitaret, ob scelera illius hunc locum infamem ac devotum esse, pravus mẽdaciorum faber jactabat. Coactus est homo sub dio manere: ab omnibus enim, quasi lemuribus nocturnis sacer, tecto arcebatur. Atque ut ille confinibus satisfaceret, candens ferrum manibus portavit, ac cùm non violaretur, insontem se comprobavit. Nihilominùs tamen in agris frumenta ejus in acervos composita, idem perditus combussit. Cumq; odiosius in dies magis ac magis esset, coacti pagani, rem ad Pontificem Moguntinum deferunt. Sacerdotes missi, agros, villas, sacris comprecationibus, lustrali aquâ, saleq; lustrico expiant, atque collustrant: Prava ac conturbata mens primò quidem renitebatur, ac lapidibus quosdam vulneravit; verùm divinis carminibus incantatus, efficacibusq; supplicamentis adjuratus, tandem conticuit, nec unquam gentium comparuit.* Eandem historiam habet Sigebertus dicto anno, & Chronicon Hirsaugiense Trithemii.

Huc spectat etiam spectrum Cæsari & militibus ejus visum ad Rubiconem, de quo suprà cap. 2. §. 2. Item alterum Cimoni visum, de quo ibidem.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IX.

Spectra in campis, & sylvis.

Memorabile,& cui vix simile invenias, proditum memoriæ fuit exemplum à *Guaguino* Histor.Francor.Scriptore,apud Delrium lib.2. Disquisit.Magic.quæst.27.sect.2. scilicet *Philippo Bello Rege, quendam laicum sive Conversum (ut vocant) monasterii vallis Sarnariæ, nomine Adamum, paulo ante Natalitia Festa, summo mane, ad monasterii negotia peragenda, una cum famulo se in viam dedisse equitem. Ei se in via offert arbor ingens, gelu & pruinis obsita, ad ipsum properans, quasi conferre gradum & corpus cupida. Equus expavefactus caput retrorsum flectit, & viã remetiri, quam peregerat, conatur. Adamus ingenti labore jumentum retinet, & calcibus porrò cogit. Propinquior ut arbori fuit, illa confestim evanuit ex oculis, odore tetro atque sulphureo relicto. Argumentum inde ducit Adamus, dæmonicum esse spectrum, seq; DEO precibus commendare satagit, nec iter intermittit. Paulò post respiciens, videt nigrum quendam virum, equo insidentem spadici, se subsequi; cui subiratus:* Quomodo, *inquit,* infelix & damnate, audes me his technis aggredi? An nescis, fratres meos, qui domi sunt, pro me, saluteq; mea supplices ad DEUM preces fundere? Abi quantum potes; nulla tibi mei curatio; nil in me possides. *Abit malus: sed ecce, mox redit, similis viro, gracile & protensum habenti collum. Adamus, tot molestiis pertæsus, gladium, qui ad ephippium ligatus, stringit, & ense ter quaterve per aërem vibrato, aëreq; propter celerem divisionem sibili sonum edente, conatur abigere spectrum: hoc verò subitò personam mutat, & sistit se staturâ mediocris viri, cui caput cappâ, & scapulario Monachi corpus ornatum, oculi scintillantes instar chalybis vel æris radiis solaribus oppositi. Adam punctim hostem aliquoties petit, sed irritis & cassis ictibus, aëreq; cedente. Tum majori despectu & irrisione, dæmon induit formam asini. Perterritus famulus, hero suadet, gladio circulum in terra ducere, & in circuli medio crucem Dominicam efformare. Adamus consilium exequitur: verùm veterator non desinit. Mutat auriculas asini in cornua, & sic minabundus irrumpere in circulum se velle simulat. Denique lusûs jam satur, in rotam se vertit, & seipsum volvens Monachum invadit, superq; illum continuâ latius rotatione (sic videbatur) transit circulum, & Monacho prorsus illæso conspectum fugit. Fidem rei fecêre, longa famuli terrorem consecuta ægritudo, & diuturnus fœtor vestium Adami, & raucedo ejusdem, atque difficilis respiratio; à quibus ægrè convaluit; equi denique subita mutatio, qui ex mansueto & cicure, post visionem hanc ferox, sternax, calcitrosusq; esse cœpit.*

Spectra in campis & sylvis.

Spectrum mirabile religioso cuidam apparens.

Olaus Magnus lib.3.cap.XI.refert, apud Aquilonares populos solere frequenter nocturnos viatores, gregumque & armentorum excubiis intentos, portentis ac spectris diversi generis circumfundi, mirifico concentu. Hunc nocturnum monstrorum ludum vocant incolæ choream Eluarum.

Spectra Aquilonaria.

Digitized by Google

rum. Veſtigia harum larvarum manè interdum in herba roſcida deprehenduntur, interdum verò ceu igne exeſa conſpiciuntur.

Spectrum Liparitanum.

Ariſtoteles lib. de Admirand. Audition. & ex ipſo *Fazellus lib.* 1. *de Rebus Siculis*, refert, in Lipara Inſula tumulum olim fuiſſe, ad quem noctu accedere nemini licebat. Cymbala namque crotali, & immanes ſonitus atque tumultus, cum inconditis cachinnis ibi exaudiebantur. Quibus territi Liparenſes, ne quid ſibi mali accideret, illuc progreſſi perhorrebant. At cùm mero quidam correptus, eò temerè pervaſiſſet; juxta tumuli ſpecum obdormivit; perquæſitusque à domeſticis, poſt triduum exanimis eſt repertus. Pro mortuo autem inde elatus, cùm ſepulturæ, paratis exequiis ac funebri pompâ, tradendus efferretur; repentè omnibus mirantibus experrectus, quæ viderat, & paſſus fuerat, enarravit.

Spectrum Speſſardicum.

Sylvam noſtram Speſſardicam nocturnis ſpectris infeſtari, communis eſt perſuaſio eorum, qui noctu illam pertranſeunt. Novi ego magnum aliquem Principem, qui cùm aliquando cum ſolo poſtario equite noctu illam pertranſiret, audivit totâ nocte inſequentes ſe ſtrepitus atque tumultus; nec cauſam interrogans reſponſum accepit, antequam penitus illuceſcente die evaſiſſet: tunc enim intellexit, ſpectra eſſe, quæ iter illac agentes inſequi ſolerent.

CAPUT X.

Spectra in locis ubi commiſſa prælia.

Spectrum VVormatienſe.

IOanne *Trithemio* in Chronico Hirſaugienſi, circa annum Domini 1098. referente, non longè à Wormatia, multis diebus ac noctibus, maxima multitudo armatorum equitum, & peditum apparebat, tanquam ad prælium proceſſuri; & nunc huc, nunc illuc, quaſi per turmas diſcurrebant; circa horam verò nonam noctis ad vicinum montem, ex quo prodire conſueverant, revertebantur. Tandem nocte quadam Monachus Limburgenſis Cœnobii, non procul à monte illo diſtantis, aſſumptis ſecum quibusdam aliis, ad locum infeſtum acceſſit; muniensq; ſe ſignaculo ſanctę crucis, exeuntes de monte, qui eſſent, per virtutem Sanctæ & individuæ Trinitatis, ut dicerent, adjuravit. Cui unus ex turmis. *Non phantaſma, inquit, ſumus, nec militum viventium turba; ſed animæ hominum, quondam in hoc mundo, Principi terreno militantium, non ante multos annos in hoc loco interfectorum. Arma, habitus, & equi, quæ nobis, dum viveremus, inſtrumēta fuerunt peccati, etiam nunc poſt mortem, in nobis ſunt quædam indicia tormenti. Omne quod jam cernitis circa nos, totū ignitum eſt nobis; quanquam vos ignem noſtrū minimè videatis. Cùmq; Monachus, utrum ab hominibus juvari poſſent, inquireret, reſpondit Spiritus: Jejuniis, & orationibus, & maximè oblatione corporis & ſanguinis Chriſti, adjuvari poſſumus, & rogamus. His dictis, omnis illa multitudo Spirituum, quaſi unâ voce, clamabat tri-*

Digitized by Google

nâ vice: Orate pro nobis: orate pro nobis: orate pro nobis. *Mox omnes in ignem resoluti videbantur. Sed & mons ipse, quasi arderet, ignem, & maximum fragorem arborum & strepitum emisit.*

Spectra campi Romani.

Damascius in vita Isidori Philosophi, apud Photium, hæc habet. *Commissâ pugnâ contra Scythas ante conspectum urbis Romæ, quos Attila contra Valentinianum, qui post Honorium Romæ imperabat, duxit, tanta utrimque facta est cædes, ut nemo pugnantium ab utraque parte servaretur, præterquam duces, paucíq; satellites eorum. Hoc verò omnium narratu maximè incredibile: cùm cecidissent pugnantes, corpore defatigati, animo adhuc erecti, pugnabãt tres integras noctes atq; dies, nihil viventibus pugnando inferiores, neq; manibus, neq; animo. Visæ igitur, & auditæ animarum forma pugnantes, & armis strepentes, & antiquas similesq; bellorum facies in hunc usq; diem videri ajunt; nisi quòd omnia illa faciendo, quæ vivi homines bellando solent, ne parvam quidem edere vocem possint. Et unum spectrũ quidem in campo juxta Sudam, qui olim palus fuit; videri autem manè visionem, aurorâ jam terrã illustrante: secundum in Cubis campo Cariæ; ibi enim non quotidie, sed interdũ aliquibus diebus, nec illis certis, circa crepusculũ matutinum aurorâ oriente in aëre frequentia animarum spectra umbrarum figurâ, inter se pugnantia videri.*

Spectrum Taurinense.

Hujus generis fortassis fuit spectrum illud, cujus mentionem fecimus *in 1. part. Magiæ lib. 4. c. 1. Parastasi 1.* in fine; ubi diximus, Anno Christi 1654. cùm adhuc Romæ degerem, non procul à Taurino Pedemontii urbe apparuisse frequenter, in valle quadam, militum pugnantium ac circumcursantium species die clarissimo. Quæ res cùm ad P. Athanasiũ Kircherum delata fuisset, ipsiusq; de ea judicium requisitum; diligentissimè in veritatem inquirendum censuit. Taurinum igitur scripsit ad quendam è Societate nostra Presbyterum, sibi notum, rogavitq; ut locum accederet, & num ipse quoq; ab aliis visa videre posset, tentaret. Fecit quod jussum fuerat Presbyter, & alio assumpto socio equum conscendit, atq; à manè usq; ad meridiem obequitando loca omnia, ab aliis sibi designata, nihil ullibi deprehendere potuit. Incalescente jam igitur vehementer sole, reditum parabat cum socio, cùm ecce in subjecta valle vident militum manipulos inter se concursantes. Socius igitur perterritus, additis equo calcaribus aufugit. Presbyter verò propiùs cum equo accessit, viditq; contra se explodi bombardas, & ex equo præcipitatus aliquamdiu exanimis jacuit, donec resumptis viribus & ipse sese proripuit, & rem totam ad P. Kircherum perscripsit; qui illam mihi legendam tunc tradidit.

Spectra in campo Marathonio.

In campo Marathonio, in quo olim pugnatum à Dario contra Græcos fuerat, spectra frequentia apparuisse, auctor est Pausanias in Atticis, ut suprà etiam diximus cap. 2. §. 2.

Historia mirabilis de capite hominis.

Referri etiam huc potest mirabile illud, quod, teste *Bonfinio Rerum Ungaric. Decade 3. lib. 3.* narratur cõtigisse in Valachiæ quodam campo, post cruẽtam admodum pugnam inter Dæan & Merchen eodem genere natos, & de

Vala-

occisi loquente.

Valachiæ dominatu contendentes Principes. *Secundo, inquit, tertiovè anno, cùm plerique in eum campum descendissent, ubi patratam stragem fuisse memorarant, editissimumq; cadaverum acervum spectarent; emissam inter ossa vocem subinde exaudivêre, tristissima JESU Christi Salvatoris, & Divæ MARIÆ Virginis nomina resonantem. Admiratio simul & pavor hos incessit. Cùm ad verba subticuissent, eadem paulò pòst, quasi difficulter expressa, accepêre. Dum vocem inter ossa disquirerent, portenti desiderio succensi; loquax inter cadavera caput inveniunt. Quod ubi homines sibi adesse agnovit: Quid tam, inquit, stupidi hic statis viri? Christianus ego sum, & magnæ Matri D. MARIÆ semper addictus, inexpiatus, inconfessusq; in hoc bello occubui. Magna Dea, in cujus tutela vitam degi, me æterni supplicii reum esse non patitur. Hic me adhuc linguæ compotem servavit, ut & delicta fateri, & animam sacris ritè Apostolicis lustrare queam. Proinde sacerdotem, qui confessionem exaudiat, ut me expiatum reddat, accersite, quæso. Rogatus, quid tantum à Dea beneficii promeruisset; respondit, peculiare sibi id in vita fuisse numen; se trina quotannis in vita sua festa reverentissimè celebrasse, religiosissimisq; jejuniis, ex pane duntaxat & aqua, decorasse; sacris fuisse quàm studiosissimè operatum; illi tantùm numini cunctas animi vires dedicasse. Accersito è pago proximo sacerdote, confessionem ritè transegit, & impetratâ erratorum omnium remissione, acceptâq; novissimâ lustratione, id defuncti caput repentè conticuit, perpetuoq; quievit.* Hæc Bonfinius & alii multi ex ipso. Verba, *Dea*, & *numen*, quæ B. MARIÆ Virgini attribuit, sano sensu accipienda sunt.

CAPUT XI.

Spectra in thermis, & balneis.

Spectrum in thermis Chæronensibus, & in thermis angularibus.

HUc spectat historia, quam suprà cap. 2. §. 2. retulimus ex Plutarcho in Vita Cimonis, de spectro in thermis Chæronensibus. *D. Gregorius Magnus* lib. 4. Dialogor. cap. 39. scribit, in thermis angularibus à Germano Capuano Episcopo visum esse Spiritũ Paschasii cujusdam, his verbis. *Post multum temporis* (à morte Paschasii) *Germano Capuano Episcopo medici pro corporis salute dictaverant, ut in angularibus thermis lavaretur. Ille ingressus thermas, Paschasium Diaconum obsequentem in caloribus invenit. Viso ipso vehementer extimuit, & quid illic tantus vir (Apostolicæ sedis Diaconus) faceret, inquisivit. Cui ille: Pro nulla alia causa, inquit, in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentii, contra Symmachum sensi. Sed quæso te, pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognosces, quòd exauditus sis, si huc rediens me non inveneris. Fecit vir Domini Germanus, quod rogatus fuit, & post paucos dies rediens, jam dictum Paschasium in eodem loco minimè invenit.* Simile huic aliud exemplum habet idem D. Gregorius, quod à Felice Portuensi Episcopo se accepisse asserit.

Grego-

Gregorius, Nyssenus dictus, in vita Gregorii Neocæsariensis, apud Surium Tomo 4. meminit etiam infestorum balneorum; aitque, spectra quæ in iisdem fuêre, plurima mala attulisse; & neminem illorum qui balnea noctu intrasset, manè vivum exivisse, præter Gregorii Neocæsariensis Diaconum, qui signo crucis munitus nil sit passus. Verba auctoris sunt: *Cùm vespere ingressus civitatem Diaconus lassus esset ex itinere, necesse esse duxit corpus lavacro reficere. In eo autem loco dominatum obtinebat quidam dæmon homicida, versans in lavacro: cujus vis exitialis post tenebras operabatur in eos, qui accedebant. Ea de causa post occasum Solis non patebat ad id aditus, neque id exercebatur. Ad quod cum accessisset, rogabat eum qui illi præerat, ut id ei aperiret, & non ei invideret balnei usum, quo se recrearet. Cùm is autem testaretur, nullum ex iis, qui illâ horâ ausi sunt intrare, suis rediisse pedibus, sed dæmonem omnes vespere superasse, multosq; ob ignorationem passos esse gravissima, quos prosperat a recreatione exceperunt lamentationes, ejulatus, & sepulchra. Cùm hæc referret, & quæ sunt hujusmodi; ille nihil de suo remisit desiderio, sed instabat omnino, cogens ut eum intromitteret. Ille autem satis se lucrifacere existimans, si non cum hospitis ignoratione unà veniret in periculum; cùm ei dedisset clavem, procùl recedit à balneo. Post quã autem nudatus fuit intus, multiplices terrores, & varia obstupefaciendi causæ adornabantur à dæmonio: nempe omnis generis visa, ostendentia naturam igne & fumo mixtam, & quæ in forma hominum & ferarum in oculos incurrebant, in auribus resonabant, anhelitui appropinquabant, & in orbem circa corpus effundebantur. Ille verò se signaculo crucis muniens, & Christi nomen invocans, domos pervasit illæsus. Interiùs autem progressus, in graviora incidit spectacula, in graviorem aspectum transformato dæmonio. Nam & simul terræ motu existimabat domum concuti, & perruptum solum nudam flammam ostendere inferiùs, & scintillas ex aquis emitti flammeas. Rursusq; ei arma itidem fuêre signaculum, & Christi nomen, & quod per Magistri* (Gregorii) *preces ferebatur auxilium, discutiebat quæ videbantur, & fiebant terribilia. Aquâ autem recreatus, cùm properaret egredi; rursus prohibebatur, fores opponente dæmonio. Sed hoc quoque impedimentum pari rursus virtute est solutum, foribus signaculo cedentibus. Postquam autem ei omnia processerunt ex sententia, dicitur dæmonium voce humanâ ad eum exclamasse, ne sibi vim illam attribueret, per quam effugit exitium. Vox enim quæ eum commendavit ei, qui custodiebat, præstitit, ut minimè læderetur. Hoc ergo modo conservatus, magnam attulit admirationem iis, qui loco præerant, cùm nullus apparuisset vivus ex illis, qui illâ horâ aquam ausi essent ingredi.* Hæc Gregorius de Gregorii Neocæsariensis Diacono.

Spectra in aliis thermis.

Prochorus Discipulus S. Joan. Apost. in ejus Vita, *cap. 3.* mentionem facit balneorum & spectri diabolici in illis commorantis, his verbis. *Cùm primùm ponerentur, talis dæmonum illusio circa eos facta narratur. Nam cùm fundamenta locarentur, dæmonis suggestu quidam venefici juvenculam ventre prono adhuc viven-*

Spectrum in balneis Ephesinis.

viventē supposuerūt; quæ & ibi mortua est; cœperūtq; ædificare thermas illas, persuasi eas faustiores ob juvenculā futuras. Sed longè aliter evenerat. Nā diabolus in eo loco diversabatur, & illā occasione ludificabat homines, & ter in anno aut juvenē, aut juvenculam in illis balneis suffocabat. Deinceps verò quidam Ephesina civitatis, nomine Dioscorides, observatum tempus penes se habebat, quo tempore, & quo die, id contingere soleret. Qui filium formà decorum, unde vicesimum natum annum habebat; cui insidiabatur dæmon ut suffocaret, non observato solito tempore. Ego pariter ingressus cum ministris suis, vas ministerii mei portabam. Verùm immundus dæmon repentinum impetum faciens, eum illicò suffocavit, dimisitque mortuum.

CAPUT XII.

Spectra in arcibus & castellis.

Spectra in arcibus & castellis.

ARx est in extremis terris Finlandiæ suppolaris, inquit *Olaus Magnus lib. 20. cap. 19.* regno Suetiæ subjecta, dicta Arx Nova, arte & naturâ munitissima. Eam præterlabitur fluvius vastissimus, & inscrutabilis profunditatis. Ad hunc spectra subinde apparent; & imminēte morte Præfecti arcis, vel militis alicujus, citharœdus per noctem in mediis undis ludens conspicitur, & auditur.

Sterlingi arx in Scotia, teste *Boëthio lib. 4. Histor. Scotor.* à Spiritibus infestatur: & quia ibidem gementes & clamantes noctu audiuntur, nomen accepit, ut Mons dolorosus dicatur.

Kerope castrum est unum ex iis, teste *Michaële ab Isselt* Anno 1585. Historiæ suæ, quæ Moschus Polono cessit; in quo multi Germani à Moschovitis occisi sunt. Castrum hoc, & tota vicinia, illusionibus diabolicis adeò erant ante annos adhuc duodecim (inquit dictus Scriptor) infesta, *ut Cacodæmones palàm, & in conspectu omnium, cùm Luna nocte splenderet, in equis sedentes, effusis habenis circum mœnia, magno cum impetu, currerent, ut subinde equi morerentur. Interdiu quoq; more Moschorum vestiti, integros currus onustos frumento, in humeris suis ferentes, omnibus aspicientibus, in vicinum locum villa cujusdam arci proxima conjicerent.*

Glycas in Anastasio narrat quod sequitur. *Erat his temporibus Rex Persarū Coades; qui cùm in castello quodā gemmas magni pretii didicisset, ac quò minùs potiretur, ab incolis loci Geniis impediretur; omni genere prastigiarum usus est. Nam & Judæos, & quosdam alios accersitos adhibebat: neq; tamen illorum quisquam aliquid efficere potuit. Tandem Antistes ejus loci solo crucis signo dæmonem expulit.*

Alia exempla arcium à Spiritibus infestatarum, tam antiqua, quàm nova, passim occurrunt. Hinc ubique ferè extant arces desertæ, ob molestias quas incolæ à spectris sustinebant, nunc intempestā nocte, nunc etiam clarâ die.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Spectra in fodinis, & specubus subterraneis.

HUc spectant quæ diximus lib. 1. cap. 12. de dæmonibus subterraneis; & cap. 38. de dæmonibus montanis sive metallicis, ubi exempla aliqua ex Agricola, & Lavatero. Addimus nunc aliud ex *Chromero* lib. 1. Histor. Polon. fol. 485. ubi ait:

Spectra in fodinis & specubus.

In salinis Bochnensibus exaudiuntur nonnunquam canum, gallorum, & aliorum animalium assimulatæ voces in profundissimis specubus: idq; mali & incommodi alicujus imminentis portentum vulgo habetur.

Refert quoque *Georgius Presbyter*, in Vita Magistri sui, Theodori Archimandritæ, apud Surium tom. 2. fol. 741. quòd cùm Gratianopoli, in Gordiana regione, incolæ pro ponte construendo, in lapidibus eruendis occuparentur, magna vis dæmonum eruperit; quorum pars viros & fœminas invaserit, & torserit; pars cæteris graves morbos attulerit; complures occupârint vias, & transeuntibus atque bestiis molestiam pepererint.

Idem *Georgius* ibidem refert quod sequitur. *Ex Ponti oppido Heraclea Theodorus, cognomento Datzeas, dives, claro loco natus, ad pium virum* (Theodorum) *accessit, & ad pedes ejus prostratus, lachrymans supplicabat, ut ad urbem suam veniret, & in sacra æde sanctissimæ DEI Genitricis pro domesticorum suorũ salute precaretur. Cùm enim domi suæ foderetur, ex ea fossione contigit, ut magna Spirituum immundorum multitudo, tum familiares suos, tum alios cives invaderet, & acerbè vexaret. Beatus igitur vir, cùm in æde illa sanctissimæ DEI Genitricis precari cuperet, abiit cum illo, & desiderio suo satisfecit, familiãq; præclari viri, & reliquos, ab immundis Spiritibus, precibus & supplicationibus liberavit.*

Eodem *Georgio* teste, collis quidam fuit in oppido Sandi, in quo plurima dæmonia fuerunt. Cùm enim Eutolmius quidam aream suam cuperet reddere ampliorem, & collis jam dicti lapidem amoveret; immundi mox Spiritus egredientes, greges, armenta, atq; homines invaserunt, & excruciarunt; nec finem malorum fecerunt, donec adveniens Archimandrita Theodorus, omnes rursus in locum, unde egressi erant, compulit.

CAPUT XIV.

Spectra in locis, ubi versantur crudeles homicidæ.

CRudeles quosdam homicidas, & innocentis sanguinis effusores, occisorum Manes, aliavè spectra insequi, atque infestare, sequentia docent exempla.

Spectra homicidas infestãtia.

Plutarchus in Vita Cimonis refert, Pausaniam Spartanorum Regem, interfectâ Cleonice Byzantinâ virgine, per tenebras Manibus illius ad mortem usque exagitatum fuisse. *Fama est*, inquit Plutarchus, *virginem Byzantinam, illustribus ortam parentibus, nomine Cleonicen, quam stupri causâ accersiverat Pausanias, à parentibus fuisse necessitate & metu subactis dimissam. Eam pro cubiculo precatam ut lumen auferretur. Cùm per tenebras silentio ad cubile pergeret sopiti jam Pausaniæ, incurrisse invitam in lucernam, eamq; evertisse. At illum ex strepitu obturbatum, stricto pugione, qui propè jacebat, quasi ab hoste aliquo peteretur, percussisse, & prostravisse puellam; eamq; ex vulnere mortuam non permisisse Pausaniæ quietem, sed spectrum noctu se offerens in somno, hunc versum cum indignatione ad illum protulisse.* Tu cole justitiam; teque atque alios manet ultor. *Quod factum socii cum Cimone, iniquo animo ferentes, arctè obsederunt eum Byzantii: elapsus tamen est, & viso illo exterritus Heracleam confugit ad Manium oraculum; evocatâq; Cleonices animâ, offensam deprecatus est. Illa in conspectum Pausaniæ venit, ac brevi eum ostendit illis malis explicatum iri, ubi Spartam venisset; obscurè, ut conjicio, imminentia illi fata designans.*

Antequam cadaver C. Cæsaris Caligulæ sepeliretur, custodes hortorum Lamiarum umbris inquietati sunt. In domo verò, quâ occubuit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam esse affirmarunt, donec tandem incendio domus consumpta est. Ita *Suetonius* in Caligula.

Neronem, postquam matrem Agrippam, dicta factaque ejus acerbiùs corrigentem, interfecit, ubique Spiritus infestantes secuti sunt. *Nunquam*, inquit Suetonius, *potuit sceleris conscientiam ferre: sæpe confessus, se maternâ specie exagitari, atque verberibus Furiarum, ac ardentibus tædis.* Ante ejusdem Neronis mortem, in Curia barbaricum murmur, cum multo risu; & tumultum in theatro, cum magno fletu auditum esse, cùm tamen nullus ibi hominum esset, scribit *Xiphilinus* in Dione.

De Ottone refert *Suetonius*, eum à suppliciis imperium, occiso Galbâ, auspicatum; sed infeliciter: siquidem nox, quæ primum diem imperii secuta est, adeo infesta illi contigit, ut gemitus ediderit ingentes, repertusque sit humi ante lectum jacens, à Galbæ Manibus se expelli & prosequi dicens. Suetonii verba sunt: *Dicitur eâ nocte per quietem pavefactus, gemitus maximos edidisse; repertusque à concursantibus humi ante lectum jacens, per omnia piaculorum genera Manes Galbæ, à quo deturbari expelliq; se viderat, propitiare tentasse.*

CAPUT

CAPUT XV.

Spectra in Monasteriis, Templis, aliisq́; locis Sanctis.

Cassianus Collat. 7. cap. 23. ait, in Cœnobiis ubi olim degebant Monachi octo, vel decem, ita dæmones grassatos fuisse, & tam frequenter, *ut non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicissim aliis degustantibus somnum, alios vigilias celebrantes, psalmis, & orationibus, & lectionibus inhæsisse.*

Spectra in Monasteriis.

In monte Sertato, insidiis dæmonis, qui eremitam simulabat, tentatum, atque superatum, & gravissimis se criminibus fornicationis atque homicidii obstrinxisse virum alioquin sanctum, solitudinis cultorem, Joannem Garinum, referunt Annales Hispaniæ, & ex his P. *Theophilus Raynaudus* in lib. de Sobria alterius sexus frequentatione cap. 3. ubi & alia ejusdem generis reperies exempla.

Maximas quoque à dæmonibus molestias sustinuisse Monachos ejus loci, ubi S. Gregorius Oratorium suum habuit, docet in ejus vita *Diaconus* cap. 89.

Horrendam historiam de Monialibus quibusdam à spectris vexatis, refert *Joannes Wierus* lib. 4. de Præstigiis dæmon. cap. 10. quam istiusmet verbis referre placet. *Admirabilis*, inquit, *& horrifica fuit vexatio quarundam Monialium, occlusarum VVerteli in Comitatu Hornensi, exercitata à dæmoniis. Initia autem ejusmodi dedisse pauperculam fœminam narrant, quæ in Quadragesima salis libras tres mutuò à Virginibus acceperat. Hinc in Dormitorio inveniebantur sphærula candida, velut incrustata saccaro semina, at gustu salsa; quæ tamen non edebantur, nec quomodo pervenissent eò, sciebatur. Postea eodem in loco observabatur incessus rei ingemiscentis, velut hominis ægroti. Audiebatur item quandoque vox, plerasque Virgines ut surgerent, & ad ignem secum accederent, se ægrotam esse, commonefaciens: ubi verò surrexissent, morbidam sororem invisura, nihil inveniebant. Si quando etiam ha in arrepta matula mejere tentarent, eâ violenter ereptâ, lotio conspurcabant lectum. Aliquoties pedibus è lecto ad passus aliquot subtrahebantur, atque adeo sub plantis titillabantur, ut præ nimio risu morituras se vererentur. Quibusdam carnis particulæ evellebantur. Plerisque in adversam partem prorsus intorquebantur tibia, brachia, & facies, &c. Aliqua supra hominis caput evehebantur, & vicissim dejiciebantur. Cùm ægrotas, tunc sedatas lætasq́; recreaturi circiter tredecim numero amici simul monasterium aliàs ingrederentur, illæ è mensa deorsum citra vocem & intellectum dilabebantur: nonnullæ inversis tibiis & brachiis tanquam mortuæ jacebant. Una in altum sustollebatur; & quanquam manibus injectis obluctarentur assistentes, tamen supra eorum caput abripiebatur, eoq́; denuo præcipitabatur modo, ut haberetur mortua. Postea ad se tanquam à somno rediens, è nosodochio in monasterium progreditur illæsa. Non-*

Wertelensis Monasterii Spectra.

Digitized by Google

nulla incedebant tibiarum extremitatibus innixæ, velut apodes, citra pedum usum; qui videbantur trahi, tanquam ligamētis nimium luxatis, in sacculo penduli. Arbores quoq; conscendebant ut feles, ab iisq; proserpebant, nullâ corporis immutatione. Alia omitto. Duravit hæc excarnificatio ad annos tres.

Non absimile (pergit ibidē Wierus) *fuit, quod Virginibus Brigittæ strictis legibus inauguratis, in cœnobio non procul à Xanctis dissito olim usu venit; quæ miris quoq; modis divexabantur, plerumq; exilientes, nonnunquam balatum vocesq; elidentes horrendas. Urgebantur interdum ex designatis in templis sedibus, ubi & capitis velamen quandoq; abripiebatur. Fauces his etiam, ne cibum admitterent, nonnunquam præcludebantur. Perstitit varia & dira ea calamitas in plerisq; ad decennium. Tragœdiæ causa imputabatur virgini, juvenis amore aliquando sauciæ, quem eâ affinitate non dignarentur hujus puellæ parentes. Idcirco huic in extremo mærore positæ, dæmon, accitâ juvenis illius effigie, se objicit, eam in votum illud monasticum cogens: quæ dicto audiens, se cancellis constringi patitur. Inclusa, velut furore percita, omnibus horrendum plurifariam exhibuit spectaculum. Quod quidem malum velut contagio in multas proscripsit virgines.*

Idem ibidem, *Moniales in Hessi monte Neomagii dæmonium aliquot annos infestasse audio; quod dormitorium noctu velut cum turbine ingressum, testudine cithrâq; tam videbatur ludere suaviter, ut ad choreas temerè induci potuissent Virgines. Inde canis instar in unius lectum insiliebat.* Cętera quę sequuntur usq; ad finem capitis, omitto; uti & quæ habet duobus sequentibus capitibus.

Wilhelmus Parisiensis apud Bodinum lib. 3. Dæmonom. cap. 6 narrat, Pictavii in Parochia S. Pauli Anno 1447 fuisse Spiritum, qui *cyathos, & vitramenta frangebat, injectis lapillis; neminem tamen mortalium præsentium læderet.* Huc spectat quod diximus suprà cap. 5. de tumultu nocturno, à me in templo Haugensi audito, post Canonicum ibi sepultum.

Joannes Diaconus in Vita D. Gregorii lib. 4. cap. 19. scribit, Spiritum quendam habitationem suam habuisse post absidem Oratorii, ubi Gregorius DEO laudes consueverat celebrare: eundemq; intempestivo incursu sæpius sanctum Virum, orationi intentum, perturbasse; equos ex stabulo eduxisse; duos ex ipsis præcipites egisse; viros religiosos, ejusdem cum B. Gregorio professionis, nunc in formâ catti unguibus tentasse lacerare, nunc sub specie Æthiopis lanceâ petivisse.

CAPUT XVI.

Spectra in ædibus privatis.

Spectra in ædibus privatis. Hesperii domus à

PLurima exempla huc spectantia retulimus in præcedentibus. His adjungimus sequentia ex probatissimis Auctoribus.

S. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. refert, domum Hesperii cujusdam, viri Tribunitii, à Spiritibus plurimum vexatam fuisse. *Vir Tribunitius,* inquit,

Digitized by Google

inquit, *Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, Cubedi appellatum; ubi, cum afflictione animalium, & servorum suorum, domum suam Spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus; obtulit ibi Sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio; Deoque protinus miserante cessavit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam, de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur.*

Spectris infestata.

Georgius Presbyter, in Vita Theodori Sicæorum Archimandritæ, meminit infestæ cujusdam domus, in qua & hominibus, & jumentis plurimùm molestiarum afferebant immundi Spiritus. In eadem cùm domestici pranderent, aut cœnarent, *lapides in mensas à Spiritibus jaciebantur, & tela mulierum rumpebantur. Tanta quoq; murium & serpentum multitudo domum occupabat, ut præ formidine nemo ingredi auderet.*

Metaphrastes in Vita S. Parthenii, apud Surium tom. 1. meminit officinæ purpuraceæ, quam dæmon ita infestabat, ut cum magno detrimento domini eam deserere fuissent coacti, nisi Parthenius rogatus, in Christi nomine Spiritū ejecisset. Verba Metaphrastis sunt: *Accidit ut officina, in qua tingebatur purpura, impediretur ab immundo Spiritu. Sed & immundus Spiritus apparebat tinctoribus, & opus Imperatoris non sinebat effectum reddere; adeò ut ex hac re magnum periculum & damnum servi sustinerent, & tinctores. Quamobrem cùm hoc rescivisset homo DEI Parthenius, & ab iis fuisset rogatus; prompto & alacri animo venit ad locum officinæ: & cùm advocasset immundum operantem dæmonem, & eum invocasset terribili, & sancto nomine Christi; fecit eum evanescere ex omnibus finibus, illo clamante omnibus audientibus: tanquam ab igne expellor in gehennam, &c.*

Purpuracea officina à spectris infestata.

De domo quadam Corinthi refert Pythagoricus quidam Arignotus apud *Lucianum* in Philospeude, sequentia: *Inhabitabilis illa erat, propter terricula: quòd si quis inhabitasset, expavefactus subitò fugiebat. Deciderat ergo jam, tectumque rumpebatur. Nullus erat qui ingredi auderet. Arignotus hæc audiens, incantationibus & carminibus armatus, domum ingreditur, Umbram, si appareat, domo exacturus. Dum tacitus in vastissimo atrio sedens, ad lumen legit; adest dæmon squallidus, hirsutus, & tenebris nigrior; tētatq; si qua ratione terreat, & expugnet; & nunc in canem, nunc in taurum, nunc in leonem se vertit. Nihil his omnibus commovetur Arignotus, sed assumpto carmine, in quendam domicilii tenebrosum angulum, Spiritum compulit; ubi mox ille disparuit. Manè sumptis ligonibus jussit effodi locum, ubi Spiritum se conferentem noctu observàrat: invenitur cadaver hominis defuncti; quod exhumatum, ubi sepultura fuit traditum, omnis infestatio domum reliquit.*

Spectrum Corinthiacum.

De

Digitized by Google

Familiaris Spiritus Hudekin

De Spiritu quodam in Diœcesi Hildesheimensi, Hudekin appellato Saxonicâ linguâ, à pileo quo caput operiebat, mira refert *Petrus Thyraus* lib. de Locis infestis part. I. cap. I. ex *Trithemio* in Historia Hirsaug. circa Annum Domini 1132. Is hominum conversatione videbatur plurimùm delectari, quibus nunc sub humana specie, in habitu rustico, sese exhibebat; nunc invisibiliter illudebat. Principes viros de rebus magnis admonebat; aliis sua obsequia non negabat. In culina Præsulis frequentiùs inveniebatur cocis ministrare. Cùm quidam, longiùs profecturus, ipsi uxorē satis procacē commendasset per jocum, officio ille strenuè functus, qui libidinis causâ uxorem petebant, aliquoties impedivit. Neminem, nisi priùs læsus, injuriâ afficiebat. Læsus non parcebat. Itaq; cùm in prædicti Præsulis culina puerulus quidam, assiduâ consuetudine ipsi familiarior factus, eundem contumeliis afficeret; principio culinæ Præfectum admonuit, ut insolentiam pueri coërceret. At ubi nihil profecit, inventum in culina dormientem puerum primùm suffocat, mox in frusta dividit, tandem igni appositum coquit. Nec hac vindictâ contentus, multis aliis modis & culinæ Præfectum, & alios ex aulicis vexat; donec ab ejus loci Episcopo Bernardo, per Ecclesiasticas censuras, Provinciâ illâ excedere coactus fuit.

Alia etiam loca infestari solent à spectris, illa nimirum, ubi homines quidam graviùs DEUM offenderunt, ubi versantur gravibus peccatis obnoxii, ubi Gentilium vigent superstitiones, &c. Sed omnia exemplis confirmare, infinitum foret. Calamum ergo contineo, & quid spectra sint, inquiro; quod tertium est propositæ disputationis caput.

PARS III.

QUID SINT SPECTRA.

Spectra quid sint.

Hoc est præcipuum Disputationis nostræ de Spectris caput. Et licèt ex dictis hactenus historiis atque exemplis hæc quæstio decidi facilè queat; paulò tamen accuratiùs eam examinabimus, simulq; Adversariorum argumentis respondebimus.

Qui Spectra vera agnoscunt, in eo consentiunt omnes, ut illa Spiritus esse credant, seu in assumptis corporibus quæ visui nostro objiciunt, seu sine corporibus. At quoniam duo sunt Spirituum genera, Angelici nimirum alii, alii humani, hoc est, animæ hominum jam defunctorum; volunt nonnulli, Spectra esse solùm Angelicos Spiritus; bonos quidem aliquan-

Digitized by Google

aliquando, malos verò ordinariè. Alii præter Angelicos, admittunt etiam humanos, seu animas hominum, quocunque in statu & loco degant, seu in cœlo, seu in inferno, seu alio in loco.

Qui solos Angelicos Spiritus in spectrorum censum referunt, & inter illos, etiam bonos, animas verò defunctorum excludunt; variis ducuntur rationibus, inanibus alii prorsus ac futilibus, alii apparentibus quidem, sed inefficacibus, ut suo videbimus loco.

CAPUT XVII.

Spectra sæpe sunt dæmones, & aliquando fortassis etiam Angeli boni.

Posse ac solere Angelicos Spiritus, tam bonos, quàm malos, assumere humana aliaq; corpora, in iisque hominibus comparere, loqui, movere alia corpora localiter, variasque alias operationes exercere; constat ex dictis Libro 1.

Spectra aliqua sunt dæmones.

Spectra sæpe esse dæmones; constat ex dictis hoc Libro 2. quoniam frequenter à Scriptoribus, maximè Christianis, dæmones appellantur; aut tales sunt actiones eorum, ut si Angelici sunt Spiritus, non nisi malos esse credibile sit. Talia sine dubio fuerunt spectra illa, quæ in Thebaide terre[illegible]nt S. Antonium; & quæ Pastoribus Peloponnesiis indicârunt [illegible] Syracusas; de quibus cap. 7. Item illud quod describunt Michaël ab Isselt, & Aventinus, de quibus cap. 8. Item illud quod Monacho Adamo comparuit, & alterum in Lipara Insula; de quibus cap. 9. Item illud quod occurrit Diacono D. Gregorii Nysseni in balneo, & quod occidit [illegible]is filium; de quibus cap. X[illegible]. Item illa quæ in fodinis & locis subterraneis visuntur; de quibus cap. 13. Item illa quæ Monachos & Moniales tam [illegible] vexârunt, & ad ruinam vel pertraxerunt, vel pertrahere tentârunt; de quibus cap. 15. Item spectrum Uratislaviense; de quo cap. 5. Item [illegible] diœcesis Hildesiensis; de quo cap. 16. Item spectrum quod agrum [illegible]ensem afflixit, & choreæ Eluarum apud Septentrionales, aliaq; multa; de quibus in præcedentibus Partis 1. huius Libri capitibus.

Dæmones quinam maximè molesti soleant esse hominibus.

Quoniam porrò dæmones maximè molesti esse soleant hominibus, patet ex dictis Libro 1. cap. 12. si fides adhibenda est Psello, Trithemio, Agrippæ & aliis. Quidam distinguunt dæmones, qui hominibus apparent, & humanis rebus intersunt, in *Mites* & *Tetricos* seu *Truculentos*. Utrorumque meminit etiam [illegible] Collat. 7. cap. 32. Priorũ his verbis: *Nonnullos im[illegible] Spirituũ (quos etiam Faunos vulgus appellat) ita seductores & joculatores esse manifestum est, ut certa quædam loca seu vias jugiter obsidentes, nequaquam tormentis eorum, quos prætereuntes potuerint decipere, delectentur; sed*

risu tantummodò & illusione contenti, fatigare eos potius studeant, qu[illegible]
Posteriorum verò sequétibus verbis: *Alios ita e[illegible]e furori ac trucul[illegible]*
est manifestum, ut non sint contenti hominum tantummodo corpora, q[illegible]
rint, atroci dilaceratione vexare; sed etiam irruere super eminus [illegible]an[illegible]
affligere illos sævissimâ cæde festinent. Utrorumque multa exemp[illegible]
præcedentibus. E priorum genere fuit ille, cujus memini [illegible]
risiensis cap. 8. part. 2. principalis, qui cum joculatore, quem W[illegible]
ait se novisse, solebat ludere, nec eum quiescere patiebatur n[illegible]
tem nunc lapidibus in parietem injectis, nunc tumultu & stre[illegible]
pellectilis, nunc detracto lecto interturbabat. Verissimum ta[illegible]
quod notant Thyræus & Delrius, & nos etiam diximus, cum [illegible]
dæmonibus egimus, nullos esse qui tantùm sint mites, [illegible]
inesse nocendi voluntatem, nec à damnis inferendis abstinere, [illegible]
à DEO concedatur, & si majus inde lucrum sperent. Patet id ex [illegible]
mensi Hudekin, aliisque dæmonibus familiaribus, de quibus in [illegible]
37. §. 6.

Ad bonos Angelos quod attinet, an spectrorum officium [illegible]
quando, & homines bonos aliquo fine terreant incertum qu[illegible]
tamen omnino improbabile, uti ex dicendis meliùs patebit.

CAPUT XVIII.

Spectra aliqua esse animas defunctorum, persuasio fuit Gentilium.

Animas defunctorum apparere hominibus, persuasio fuit Gētilium.

POsse ac solere nonnunquam animas defunctorum apparere [illegible]bus, illosque terrere, affligere, ad aliquid obtinendum rogare [illegible] ad sepulturam corporum, aut liberationem à pœnis; multi nega[illegible]t. [illegible] è numero fuerunt olim Stoici, & Epicurei, & nunc omnes Ath[illegible]i, qui ne-gant animam hominis immortalem esse, & post mortē superesse. C[illegible] magno numero *Delrius Comment.* in Senecæ Troad. Choro 2. ubi & [illegible]los refutat, & ante ipsum multi cum Platone & Aristotele re[illegible] scriptaq; ab Ecclesia est eorum opinio, ideoq; apud fideles ulteriori [illegible]tione non indiget.

Alii, etiam Philosophi, sed sensibus nimis addicti, fatentur quidem animam corpori superstitem esse, sed negant illam ad viventes re[illegible], [illegible] iisque videri aliquando, atque audiri, ideò tantùm, quia id quo [illegible] non intelligunt. Hi docendi sunt modum, & rationem; quod in sequentibus præstabimus, maximè cap. 29.

Alii idem negant, sed aliis ex capitibus. Quidam enim spectra v[illegible] rejiciunt penitus, eosque qui se vidisse illa & audivisse asserunt, judica[illegible] imaginosos, delusos, imò & lymphatos. Alii admittunt quidem [illegible]

spectra

[illegible] , [illegible] quæ de hominum ſpiritibus narrantur , fabuloſa vocant, & [illegible]in anuum vana ſomnia. Contra priores in præcedentibus pugnavi- [illegible]a poſteriores nunc pugnam aggredimur, eâ moderatione, quæ [illegible]m Religioſum, veritatis & pacis amantem, decet. Vellem, ut illi qui [illegible] ſentiunt, animo nullâ opinione obfirmato hæc noſtra legerent, ſi- [illegible]e q; inter Ortho- & Heterodoxos de Purgatorii articulo paulisper ſe- [illegible]nt: nec enim controverſiam illam hîc exagitare intendimus, cùm [illegible] à propoſito noſtro.

A[illegible]itur, communem fuiſſe Gentilium antiquorum perſuaſionem, [illegible]unctorum ad homines ſubinde redire, hominibus ſe ſpectandas [illegible]iendas præbere, illos terrere, & affligere; atq; adeò *ſpectra aliquando eſſe* [illegible]*mas defunctorum*. Rectè, an ſecus, ita ſenſerint, nunc non disputo: potue- [illegible] multa eorum, quæ animabus defunctorum adſcribuntur ab illis, [illegible] operâ fieri. Teſtes ergo produco. *Plato* in Phædone, ſeu in Dia- [illegible] An[illegible]a, in Socratis perſona ait, Animam , ſi pura hinc diſceſſerit, [illegible] aliquem ſimilem, nim. *excellentem, purum, inviſibilem, nobis occultū,* [illegible] *nnm ſapientemq; Deum migrare. Sin autem polluta impuraq; dece-* [illegible] *re quæ corpus ſemper amplexa ipſum duntaxat coluerit , & amaverit,* [illegible] *libidinibus quaſi veneficiis quibuſdam delinita fuerit, &c.* [illegible] *umenta ſepulchraq; verſatur, circa quæ jam nonnulla apparuerunt ani-* [illegible] *umbr[illegible] phantaſmata, &c.*

[illegible]m ducent Platonici, Porphyrius, Athenæus, Maximus Tyrius, [illegible]atus, Eunapius, & alii; inter quos *Apulejus lib. de Deo Socratis*, Plato- [illegible]ntiam explicans, ait, animas humanas, à corpore ſeparatas, ſi boni [illegible]t, poſterorum ſuorum curam ſortiri, & pacato quietoq; numine [illegible] poſſidere, & vocari Lares familiares: ſin ſceleratè vixerint, nullis [illegible] d[illegible]us recipi, ſed in terra vagatione, ceu quodam exilio, puniri, & [illegible] terriculamentum bonis hominibus, noxium malis, Larvas [illegible].

[illegible] *Apulejus* Apolog. 1. ait: *Et tibi Æmiliane, Deus iſte Mercurius ſupe-* [illegible] *commeator, virorumq; Deorum, malam gratiam, & ſemper obvias* [illegible] *rum, quidquid umbrarum eſt unquam, quidquid Lemurū, quidquid* [illegible] *quid Larvarum, oculis tuis ingerat: omnia noctium occurſacula, o-* [illegible] *um formidamina, omnia ſepulchrorum terriculamenta.*

[illegible]em opinione erat Virgilius, lib. 2. Æneid. de Anchiſe filio canés: [illegible] *um, atque ipſius umbra Creuſæ viſa mihi ante oculos, & nota ma-* [illegible] [illegible] perſuaſi opinione Romani , *Remuria*, ſive *Lemuria* inſtitue- [illegible] erant Lemuribus ſacra. Ex eadem ſceleſta apud antiquos [illegible] *omantia*, ſeu *Necromantia*, hoc eſt, evocatio mortuorum, & [illegible]llos ; de qua re egimus *4. part. Magiæ lib. 6. Syntagm.* 1.

Hh 2 *cap.*

cap.2.§.1. Item nota paucis eorum consuetudo, si socii in peregrin[illegible] nibus obiissent, animas in patriam revocandi. Communis quoque [illegible] ma apud illos persuasio erat, solere animas iis, qui per cædem iniquam [illegible] lenter ipsas corpore expulissent, apparere, omnibus adesse locis, mi[illegible] terrere, divexare.

Exempla dedimus in præcedentibus cap. 14. ex *Plutarcho* in Ci[illegible], de Cleonice Pausaniam persequente; ex *Suetonio* in Nerone, de matre A- grippa infestante filium; ex eodem de Galbæ Manibus Ottonem a[illegible] tibus. Similia exempla habet *Plutarchus* in Dione, in Bruto, in Alcib[illegible].

Alia exempla adduximus suprà ex Aristotele de quodam in L[illegible], ex Valerio Maximo de Castore & Polluce, ex Plinio Junio e de Philoso- pho Atheniensi Athenodoro, ex Luciano de quodam in domo Co[illegible] ca, &c.

Ex his patet, quid de animarum apparitionibus senserint anti[illegible] Gen- tiles. Scio aliquos falsò putasse, hominem constare animâ, corpore, & umbrâ sive simulacro, tanquam medio inter utrumque (quo in errore e- iam est Paracelsus Medicus in libello de Scientia Astronom.) & animam qui- dem petere cœlum, corpus in terram desinere, umbram sive simulacru[illegible] de- scendere ad inferos: hoc tamen putabant malo Magorum carmine ev[illegible] & ad homines redire. Scio præterea, multa ex prædictis ad dæmonum illu- siones referri posse, ut jam antea insinuavi.

Nihilominùs negari non potest, quod intédimus, persuasum nimirum fuisse Gentilibus, animas defunctorũ ad nos redire, & spectra aliqua esse ta- les animas. Et hoc non tantùm libenter concedit *Lavaterus lib. de Spectris par. 2. cap. 1.* sed etiam allatis aliis testimoniis & exemplis confirmat.

Cùm igitur non apud vulgus tantùm, sed etiam apud doctissimos quo- que Gentilium hæc viguerit persuasio; meritissimò affirmare licet, non ca- ruisse probabilissimo argumẽto, seu id varię fuerint apparitiones factæ, seu doctrina ab Ægyptiis & Hebræis hausta, & ad posteros propagata.

CAPUT XIX.

Animas defunctorum hominibus aliquando apparere, persua- sio fuit Judæorum, Chaldæorum, Mahumetanorum, Jurisconsultorum.

Animas defunctorum apparere, persuasio fuit Judæorum, Mahumeta-

JUdæos ante Christi adventum putasse, animas defunctorum apparere quandoque hominibus, patet ex eo, quòd persuasum habuerint, animam Samuelis apparuisse Sauli (ut refertur *lib. 1. Regum, cap. 28.*) non carmini[illegible] magici vi à Pythonissa excitatam, sed à DEO ad Saulem objurgandũ m[illegible]. Quod quidem senserunt non veteres tantùm Rabbini *Abias, Saadias, & Eleazarus*, teste Delrio lib. 2. Disquisit. Magic. q. 26. Sect. 4. sed etiam *Josephus* lib.

lib. 5. Antiquit. cap. 15. Hoc an verum sit, postea examinabimus. Oniam quoque summum Sacerdotem, & Jeremiam Prophetam, diu ante defunctos, Judæ Machabæo apparuisse, narratur in *libro 2. Machab. cap. 15.* Christo vivente, apparuêre in Thabor monte Moyses & Elias, ut habetur *Matt. 17. Luc. 9. & Marci 9. cap.*

norum, Jurisconsultorum.

Cum Christus antea crucifixus, & mortuus, ut Apostolis constabat, post resurrectionem suam ad illos januis clausis fuisset ingressus, retentis in manibus pedibus, & latere, vulnerum cicatricibus; territi fuerunt Apostoli, teste *S. Luca cap. 24. v. 37.* quia *existimabant se Spiritum videre*, animam videlicet Christi, in corpore non proprio, sed phantastico seu aëreo, sibi tamen noto, ut *Theophilactus*, *Augustinus*, *Eucherius*, *Beda*, & alii explicant.

Putabant ergo Apostoli, posse ac solere defunctorum animas apparere sub corporea specie hominibus; nec ob id repræhensi fuêre à Christo, sed statim edocti, quòd non Spiritus esset, sed ille ipse in vero ac proprio corpore.

Post Christum idem sensêre Judæorum docti apud citatum Delrium, nempe *Simeon Ben. Joaz* in libro Machar Hasudoth, & *Rabbenus Haccadas* in libro Gala razeya (ubi multas refert apparitiones) & alii citati à Leloyero lib. 4. de Spectris cap. 5. & 6. *Josephus* etiam loc. cit. narrat, Catulum à Spiritibus [illegible] dirè vexatum fuisse.

Lavaterus quoque lib. de Spectris p. 2. cap. 1. ait, *Posteris verò sæculis, longe post Christum exhibitum tempore, aliquot fuisse apud Judæos, qui senserint animas separatas à corporibus, errare; hinc colligi potest, quòd quidam ex Rabbinis scribant, animam Nabothi (qui propterea ab Achabo interfectus fuit, quòd Achabo vineam suam tradere nollet) fuisse Spiritum illum, qui suam operam in decipiẽdo Achabo promittebat, ut qui expeteret ejus interitum.* Judæi ergo existimârunt, animas ad nos redire. Idem tribuit Leloyerus loc. cit. Cabalistis.

Idem censuit *Zoroaster Chaldæus* in Magicis. Idem, Delrio teste, Muselmanni ex suo Pseudopropheta, ut *Avenzoer*, & *Avicenna*. Idem Indorum Brachmanes Calecutii, Coloimi, Malabares, & cæteri Orientales, teste *Pantaleone lib. 3. cap. 28.*

Apud dictum Delrium cit. loc. *Ulpianus* agnoscit ostentum quoddam, [illegible]; & Manes agnoscit *Martianus*; & magica sacrificia, quibus Spiritus evocari putabantur, damnat *Modestinus*, & pœnam mortis sancit Imperator *Constantinus*. Et hanc de animarum apparitione sententiam tenuere Jurisconsulti *Budæus, Alciatus, Christophorus Porcius, Arnoldus Ferron. Alexander ab Alex. Didacus Covarruvias, Petrus Leloyerus, Barthol. Bressemius*, & alii.

CAPUT XX.

Animas defunctorum viventibus apparere posse, ac solere, per[illegible] fuit Ecclesiæ Catholicæ Patribus, Theologis, Historicis, ali[illegible] que viris doctis.

Animas defunctorum apparere, persuasum fuit Patribus, Theologis, Historicis, &c.

SI parùm firma fortassis videntur testimonia hactenus adducta; [illegible] qu[illegible] Spirituũ apparitionibus allati testes in mediũ afferunt, non ani[illegible] sed Angelorum aut dæmonum apparitiones videbuntur obstinati[illegible] producamus testimonia; quæ si rejiciantur, omnium Scriptorum fide[illegible] auctoritas pari jure rejiciendæ erunt.

D. igitur *Hieronymus lib. adversʃ. Vigilantium*, hæc habet. *Ais, ve[illegible] Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram DEI, animas Apostolorum & [illegible] rum consedisse, nec posse suis tumulis, & ubi voluerint, adesse præsentes. Senato[illegible] delicet dignitatis sunt, & non inter homicidas teterrimo carcere, sed in [illegible] staq; custodia, in fortunatorum insulis, & in campis Elysiis recludu[illegible] DEO leges pones? tu Apostolis vincula injicies? ut usque ad diem judicii te[illegible] custodiâ, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: Sequuntur A[illegible] quocunque vadit. Si Agnus ubiq; ergo & hi qui cum Agno sunt, ubiq. e[illegible] crede[illegible] sunt. Et cùm diabolus & dæmones toto vagentur in Orbe, & celeritate nimia u[illegible] sentes sint; Martyres post effusionem sanguinis sui arca operientur inclusi, [illegible] exire non poterunt?* Hæc Hieronymus.

D. *Ambrosius Serm. 77.* de Natali Octavii, &c. ait: *Nam licet un[illegible] cti ubiq; sint, & omnibus prosint; specialiter tamen illi pro nobis interve[illegible] supplicia pertulêre pro nobis: Martyr enim cùm patitur, non sibi tantum pa[illegible] sed & civibus.* Hæc & alia Ambrosius.

D. *Augustinus lib. de Cura pro mortuis*, totus ferè in eo est, ut prob[illegible] cundùm legem DEI ordinariam, & solâ ac nudâ ipsarum animarum [illegible] rali facultate, animas illis, quibus adscriptæ sunt locis, egredi ad te[illegible] posse; extraordinariâ tamen Dei permissione, quando voluerint, e[illegible] receptaculis ad homines visendos egredi posse. Et cùm *cap. 10.* scrip[illegible] mortuos apparuisse viventibus, & quo loco illorum corpora [illegible] humata, nescientes docuisse, mõstratisq; locis monuisse ut sepu[illegible] retur; subdit: *Hæc si falsa esse responderimus, contra quorundam scripta [illegible] contra eorũ sensus qui talia sibi accidisse affirmant, impudenter veniri [illegible]* Idem ibidem *cap. 15.* ait: *Mitti ad vivos aliquos ex mortuis, divina S[illegible] statur, & Samuelis atq. Moysis apparitionibus id confirmat.* Fide er[illegible] dendum id censuit S. Augustinus. Idem postea cap. 16. Confe[illegible] cùm à Barbaris oppugnaretur Nola, *non solùm beneficiorum e[illegible] etiam ipsorum hominum aspectibus apparuisse, non incertis rumoribus, sed te[illegible]* (ait) *certis se cognovisse. Verùm* (addit,) *ista divinitùs exhibentur, longè a[illegible]*

qua[illegible]

[illegible] *habeat usitatus ordo, singulis creaturarum generibus attri-* [illegible]

[illegible] ergo Sanctus Doctor, fieri posse, ac solere, ut defunctorum animæ [illegible] apparent, verùm non naturaliter, sed Dei permissione & [illegible] singulari, ac speciali privilegio. Dum ergo lib. eodem *cap. 13.* de [illegible] Monica defuncta scribens, dicit: *Si rebus viventium interessent animæ* [illegible] *um; ut de aliis taceam, meipsum pia mater nullâ nocte desereret;* tan[illegible] ac id fieri de lege ordinaria, & pro libitu earundem animarum. O[illegible] aliorum Patrum testimonia, ne longior sim.

Ad[illegible]randam historiam prodidit *Gregorius Cæsariens.* Presbyter, apud [illegible] Tom. 6. in Orat. de Nicæna Synodo. *Duo*, inquit, *Sancti Episcopi*, [illegible] *& Musonius, cùm nondum decisioni suas adjecissent subscriptiones;* [illegible] *divinâ providentiâ ab humanis excederent. Divini ergo Patres* (Nicæni Concilii) [illegible] *venissent ad communem locum, in quo dormiebant; cùmq; simul* [illegible] *& quæ dicebantur, audirent: O Fratres, dixerunt, & Patres, præcla-* [illegible] *um certamen decertastis, cursum perfecistis, fidem servastis. Si ergo* [illegible] *Deo gratum judicatis (nunc enim priùs cernitis) ne quid sit impe-* [illegible] *minùs vos quoque decisionem subsignetis. Hæc simul & dixerunt, &* [illegible] *Sanctorum Patrum loculo impositâ, totam illam noctem insomnem* [illegible] *e. Die autem sequenti, cùm venissent ad loculum, solutis quæ e-* [illegible] *signaculis, cùm sanctam revolvissent decisionem; invenerunt Sancto-* [illegible] *ad eas adjectas subscriptiones.* Nicephorus lib. 8. cap. 23. addit ipsi[illegible]nis verba.

[illegible] patet, omnes prædictæ Synodi Patres persuasum sibi habuisse, [illegible] defunctorum solere viventium rebus interesse, Deumq; id permit[illegible] in temerè petivissent quod narratum fuit.

Historicos quod attinet, sunt ii omnes qui historias hactenus relatas, [illegible] de re referendas scripserunt. Quibus adde *Fulgosum* in lib. Exé-plor. *Paulum Jovium* in Vita Actii Vicecon. & Hist. lib. 30. *Carolum Sigoniũ*, [illegible] Imperio Occid. lib. 3. & 10. & Regni Italic lib. 1. *Alb. Cranzium* Hist. Saxon. [illegible] 14 & 16. & lib 9. Metropol. c. 13. *Franciscũ Gomaram* Mexicanæ Hi-[illegible] 4. *Hier. Osorium* de Rebus Emanuel. *Petrum Maffeium* in Hist. [illegible] *Bosium* de Notis Ecclesiæ passim, *Cæsarem Baronium* in singulis [illegible] Ecclesiast. tomis; & alios multos.

Theologi sunt penè innumeri, qui in eadem sententia sunt. Inter alios [illegible] *Aquinas*, 3. p q. 69. art. 2 *Guilhelmus Parisiensis* part. ult. de Univers. [illegible] in 4. dist 45. q. 3. *Richardus, Paludanus, Scotus Gerson, Jacobus* [illegible] in libro de hac re edito, *Dionysius Carthusianus, Tostatus, Sotus, Pelta-* [illegible] *Valentia, Bellarminus, Angles, Thyræus, Delrius, Marulus, Mendoza,* & alii innumeri, quos citat *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. q. 26.*

Historia admiranda, quæ in Concilio Nicæno contigit.

CAPUT

CAPUT XXI.

Animas Beatorum in cælo cum Christo regnantium frequentissimè apparuisse hominibus, probatur exemplis.

Apparitiones variæ Sanctorum.

PRobat hoc fusissimè *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 26. sect. 5.* di[illegible]currens per omnia Sæcula ab initio Ecclesiæ à Christo fundatæ. Ex iis [illegible] sequentia paucula desumpsi.

Primo igitur Sæculo Christus ipse D.N. se B. Petro Apostolo, persecutionem vitanti, conspiciendum præbuit extra Urbem Romam: quem cum Petrus agnosceret, & quæreret, Domine quò vadis, respondit, Romam se contendere, ut iterum crucifigatur; unde Domini mentem intelligens Petrus, reversus est, & in crucem actus. Locum, in quo apparitio contigit, sæpe vidi, & veneratus fui. Testantur hoc *D. Ambros. contra Auxent. D. Gregor. in psalm. pœnit. Hegesippus lib. 3 de Excidio Hieros. cap. 2.* & alii. Eodem Sæculo, Carpo Cretensi apparuit JESUS multis Angelis comitatus, & in clementiæ nomine reprehendit, quòd lapsi fratris & seductoris pœnam à DEO infligendam expeteret. Testatur *D. Dionysius Areopag. Epist. 8. ad Demoph.*

Secundo Sæculo, teste *Eusebio lib. 6. cap. 4.* D. Potamiæna apparens [illegible] carnifici, & ipsum, & multos alios ad fidem convertit.

Tertio Sæculo, D. Gregorio Thaumaturgo apparuit MARIA Deipara, cum B. Joanne Evangelista, teste *D. Gregorio Nysseno* in vita dicti Sancti. B. Quarillosæ apparuit filius Martyr, & ad martyrium confirmavit, ut narratur in *Epistola Africanorum Confess.* apud Surium tom. 1. die 24. Februar. B. Agnes parentibus ad ejus sepulchrum assiduè vigilantibus, [illegible] nocte choro Virginum comitata apparuit, teste *S. Ambrosio serm.* [illegible] B. Agathæ apparuit S. Petrus Apostolus in carcere Catanæ in Sicilia ([illegible] ipsemet fui) & mamillam ejus pectori restituit, ut habent *Acta S. Agathæ* apud Surium die 5. Febr. Post martyrium S. Agatha apparuit [illegible] viventi, & matrem ejus à sanguinis fluxu liberavit, ut habent *Acta S. Luciæ* apud Surium die 13. Decemb.

Quarto Sæculo, SS. Apostoli Petrus & Paulus apparuerunt Constantino Magno Imper. & sanitati recuperandæ consilium dederunt, ut testatur *Concil. Nycænum 2. Act 2.* Cùm Constantinus templum Deiparæ [illegible] jussisset, architecto apparens ipsa, rationem docuit, quâ columnæ [illegible] erigi, teste *Gregor. Turon. de Gloria Martyr. cap. 8.* Spiridioni [illegible] filia Irene, & locum depositi ostendit, teste *Socrate lib. 1 cap. 5.* [illegible] *lib. 1 cap. 5.* B. Febronia Martyr & Virgo, natalis sui die [illegible] mediæ noctis tempore in Nocturnis precibus, apparebat [illegible] choro versantibus, eo ipso in loco procumbens, ubi psallere solita, ut [illegible] *Mena*[illegible]

Metaphrast. apud Surium tom. 3. die 15. Junii D. Martino Turonensi Episc. apparuit è cœlo descendens B. Virgo MARIA, & ex inferis ascendens anima cujusdam latronis, qui pro Martyre colebatur, ut habet *Sulpitius Sever. in vita S. Martini.*

Quinto Saeculo, S. Martinus apparuit iis, qui corporis ejus translationem parabant, ut narrat *Gregorius Turon. lib. de mirac. D. Martini.* S. Joannes Baptista cùm antea duobus Monachis apparens, docuisset quo loco caput suum fuisset ab Herodiade defossum, idem hoc Sæculo Marcello Monacho mirabili modo locum sepulchri sui capitis (cujus memoria jam interierat) indicavit, ut docet *Prosper & Sigebert. in Chron. Sozom. lib. 8. cap. 21. Niceph. lib. 12. cap. 49.* Ubinam sepulta forent corpora DD. Gervasii & Prothasii, per visionem eorum D. Ambrosius didicit, teste *B. August. lib. 22. de Civit. cap. 8. & lib. 9. Confess. cap. 7.* S. Ambrosius eodem die, quo obiit, apparuit quibusdam sanctis viris alibi existentibus, orans cum illis, teste *B. Paulino in Vita S. Ambrosii.* D. Chrysostomo, commentarios in D. Pauli Epistolas scribenti, assistentem, eumque docentem B. Apostolum vidit Procopius Constantinopolitanus, ut habetur *in Vita S. Chrysost.* apud *Leonem Augustum, & Metaphr.* Eidem D. Chrysost. ab exilio redeunti, Comanæ in templo D. Basiliscus Martyr apparuit, ut narrat *Palladius in Dialog.* Multa alia omitto.

Sexto Saeculo, Cosmianæ uxori Germani Patricii apparuit Deipara cum aliis sanctis fœminis, & propter hæresis contagium à templi aditu arcuit, teste *Sophronio in Prato Spirit. cap. 30.* D. Bartholomæus in Daris apparuit Anastasio, & ubi corpus suum sepultum esset, indicavit, ut scribit *Niceph. lib. 16. cap. 37.* Romam Gothis obsidentibus, mœnium partem à B. Petro Apostolo defensam fuisse, scribit *Procopius lib. 1. de Bello Gothico.* B. Stephanum visum apud Apostolorum Principes pro urbe Metensi intercedere, in qua erant ejus reliquiæ, scribit *Gregor. Turon. lib. 2. Histor. Franc. cap. 6.*

Septimo Saeculo, teste *S. Gregorio Magno Pontif. lib. 4. Dialog. cap 17.* B. Musæ apparuit B. Virgo, cum coævis ei in vestibus albis: *& cap. 12.* B. Probo Reatino Episcopo SS. Juvenalis & Eleutherius Martyres B. Ildephonso Toletano Episc. candidam vestem donavit B. Virgo; eidem, & Regi, totique Clero ac populo, ex tumulo suo surgens B. Leocadia apparuit, velum manu quasi porrigens, teste *Pomerio apud Surium tom. 1. die 23. Jan.*

Octavo Saeculo, S. Suibertus apparuit ægris, quos multos curavit, teste *B. Marcello in ejus Vita* cap. 30. apud *Surium Mense Martio.* B. Joanni Damasceno manum restituit B. Virgo Maria, ut narrat *B. Joannes Patriarcha Hierosolym. in ejus vita.* Arnulphus Longobardus in prælio protectus fuit à B. Sabino Martyre, quem vidit & agnovit Barbarus, teste *Paulo Diacono lib. 4. cap. 5. de gestis Longob.* Alia omitto.

Nono Sæculo, Raymiro Regi Hispaniæ apparuit S. Jacobus Apostolus, jussitque milites confiteri, & sumptâ Eucharistiâ iterum præliari, & in prælio visus est cum equo albo, ut narrant *Rodericus Episc. Chronicum Alphonsi Regis*, & *Mariana lib. 7. cap. 13.* Quidam usurpator bonorum Ecclesiasticorum vidit D. Mauritium sibi apparentem, & increpantem, & pedum sacrum capiti illidentem, ut habetur *in Annalib. Andegav.* Omitto alia.

Decimo Sæculo, cùm nostri in Apulia contra Saracenos bellum gererent, SS. Apostoli Petrus & Paulus in prælio conspecti, Christianis victoriam maximam pepererunt. Omitto alia.

Undecimo Sæculo, nostri in Bello sacro à S. Andrea Apostolo apparente fuerunt confirmati, & moniti de loco lanceæ Dominicæ, teste *Guilhelmo Tyrio lib. 6. cap. 4. & 9.* Eodem bello, cùm nostri expugnarent Hierosolymam, Adimarus Episcopus, diu ante defunctus, visus est milites præire, & muros conscendere, & adhortari ut se sequerentur. Ita *Nauclerus vol. 3. Gen. 37.* Paulò antè Christus Dominus, cum B. Virgine, SS. Petro, Johanne, Stephano, Martino, & aliis, multisquoque Angelis, Henrico II. Imper. ostendit se noctu in templo Romæ vigilanti. Idem *Nauclerus Gener. 34.* Omitto alia innumera.

Duodecimo Sæculo, Alphonso Regi Castellæ Baëzam obsidenti apparet D. Isidorus, & auctor est prælii committendi. Ruperto Tuitiensi apparet B. Virgo, & ad scribendum impellit, teste ipso *Ruperto Proleg. in Cant.* Omitto alia.

Decimo tertio Sæculo, D. Jacobus Alphonso Legionensi Regi ad Emeritam, & D. Isidorus Zamoræ aliis apparuit, & auxilium præliantibus tulit, teste *Mariana lib. 12. cap. 15.* Omitto alia.

Reliquis subsequentibus Sæculis vixêre multi Theologi magni nominis, qui sentiunt, animas defunctorum apparere hominibus. Aliquos infrà citabo. Vide *Delrium loc. cit.* in Sæculo 14. 15. & 16.

CAPUT XXII.

Animas damnatorum sæpe hominibus apparuisse, probatur exemplis.

Animas damnatorum sæpe hominibus apparuisse probatur exemplis.

PRæcedenti capite, in Sæculo quarto, retulimus ex *Sulpitio Severo in Vita D. Martini*, dictum Sanctum vidisse animam cujusdam latronis, qui pro Martyre tunc colebatur, ascendentem ex inferis. *Marulus lib. 5. cap. 11* scribit, Eliam quendam in deserto Ægypti vitam agentem, teste Cyrillo, vidisse animam cujusdam Anconitani Episcopi, divino tribunali sisti, statimque pòst ad gravissima supplicia rapi. *D. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 30.* ait, à quodam Eremita, in Lipara Insula habitante, visum Theodoricum

Digitized by Google

dericum Regem Arrianum, inter Joannem Pontificem & Symmachum patricium vinctis deduci manibus, & detrudi in ollam Vulcani. Idem *D. Gregor. ibid. cap. 30.* asserit, visam monialem in Ecclesia S. Laurentii Romæ, ante altare per medium secari.

Instar multorum exemplorum sit, quod ex Litteris Peruanis Anni 1590. recitat *Franciscus Bencius* apud *Delrium lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 26. sect. 5.* his verbis: *Accidit in Missione* (illa Itatina) *eidem Patri Samaniego res admirabilis, & consideratione digna, cuiq́; eo in genere vix contigit similis; quæ etiam ejusdem urbis incolis in qua evenit, ita innotuit, totq́; testimoniis confirmatur, ut nullus dubitandi locus relinquatur; quæ ab iis personis accepta est, qui oculis & auribus hauserunt. Qui casus eventu infelix, ideò permissus est, ut hic novus populus discat, qua fide & integritate uti debeat pœnitentiæ Sacramento, in quo non parvam sentit difficultatem. Quare etiam Inda, quæ in omnium oculis legem integræ confessionis violabat, videntibus eisdem punita est, & castigata, ut unius animæ ruinâ, multarum salus procuraretur. Res igitur quæ accidit, est ejusmodi. Agebat in domo præcipuæ cujusdam Dominæ hujus loci adolescentula decem & sex circiter annorum, quæ bello capta, ac baptismo tincta, Catharina vocabatur. In ea cum ætate crescebat libertas, & mores dissoluti, etiamsi non rarò ab hera reprehensa castigaretur: quæ eò pervenit malitiæ, ut cum perditis quibusdam clàm consuesceret, nec tamen propterea à confessione abstineret; sed hoc peccatum labris premeret, ne meretricula aut perditis moribus haberetur. Hæc igitur Kal. Augusti 1590. morbo depressa, Sacerdotem evocavit, cui animi noxas aperiret. Sed id fecit non integrè, ut & in eadem ægritudine novem aliis vicibus. Recedente Sacerdote præsentibus aliis famulis contemptim ridebat, hac fermè oratione: Aliud quod agerem, non erat, quàm ut peccata faterer: adjectis etiam turpibus & inhonestis verbis; quibus offensæ cæteræ, singula ad heram referebant; quæ meritò Catharinam increpans, tandem vultu & voce mutatis amicè rogavit, quænam illa essent, quæ Patri aperire non vellet. Narravit illa non difficulter, adjunxitq́; quoties Patrem in morbo vocasset, ut se purgaret confessione, stetisse ad lævam quendam Æthiopi similem, qui moneret ne fateretur; quod ea peccata levissima essent, & nullius momenti, & ex illorum confessione à Patre dissolutior haberi posset: A dextra verò manu apparuisse S. Mariam Magdalenam, exhortantem ut quidquid esset, liberè evomeret. Accersitum rursum Patrem Domina de omni eo, quod acciderat, instruxit: qui modis omnibus tentavit, ut ad integram animæ expiationem induceret; sed frustra: quò enim exhortabatur magis, eò reddebatur obstinatior, ita ut nec nomen JESU enuntiare vellet. Alio etiam tempore cùm illi sacram crucifixi imaginem offerrent, ut in eum intueretur, & animo revolveret Christum, pro nobis cruci affixum, & in cruce mortuum; summa cum indignatione, & animi commotione respondit: Jam scio, sed quid vultis faciam? Ad quam hera: ut ad Christum te convertas, qui admissa crimina remittat, si fatendo recognoscas. Cui Catharina: obsecro ut mihi desinatis esse molestæ. Cùmq́; hera abscessisset, cœpit amores suos & turpitudinem decantare; du-*

ravitq; ad dies plures hæc agendi & dicendi ratio, donec quadam nocte, accersitâ cum ancillis herâ, hæc in verba prorupit: Torqueor, & animo angor plurimùm, ob violatam confessionem. Et ab ea hora usque ad mediam noctem toto corpore obriguit, ut crederetur mortua, & de humatione ac sepultura esset cogitatio. Sed ad se reversa, accitoq; Sacerdote, nihil de antiquâ fatendi consuetudine remisit. Tres post horas, paulò antequam expiraret, exhortata à servis, ut apprehensâ manu cruce, & cereo sacro, nomen JESU invocaret; respondit: Quis est ille JESUS? eum non novi: ac in ultimam partem lecti reflexa, sedensq;, audiebatur cum alio quodam, qui tamen oculos fugiebat, colloqui. Ac alia serva, quæ eodem in loco ægra decumbebat, vehementer Dominam rogavit, ut in distinctum cubiculum transferretur; quòd, ut ajebat, larvas quasdam atras videret, quibus admodum terrebatur. Nocte eâ, Catharina extincta est, domus tota tam fœtido ac putri odore perfusa est, necessarium ut fuerit, cadaver loco patente & aperto exponere. Dominæ etiam frater è cubili brachio extractus est. Ancillis quædam in humeris veluti calce percussa est, pertulitq; aliquot dies ejus læsionis signa. Equus mansuetissimus alioquin, actis in murum calcibus, huc & illuc discurrens, totâ nocte insaniit. Idem fecerunt & canes multâ discursione & latratu. Humato jam corpore, cùm ex ancillis quædam locum intrasset, in quo Catharina decubuerat; nemine conspecto sensit in se vas quoddam, quod tabulatis impositum est, jaci. Major præterea pars hujus urbis vidit multo crepitu & sonitu huc & illuc plurimos lateres & tegulas, etiam ad duo millia passuum projici; non quòd in palatio ullus sit later vel tegula, cùm, ut pleraque hujus urbis ædificia omnia, paleâ tegatur. Ancilla alia, spectantibus multis, pede protracta fuit longissimè, etiamsi qui traheret non videretur. Septimo Octobris cùm quædam serva vestiarium esset ingressa, ut inde vestem aliquam sibi sumeret; vidit Catharinam erigentem sese in pedes, ut vas quoddam arriperet: fugiente illâ, tanto impetu vas in murum impulit, ut in mille partes frangeretur. Die insequenti vestiario annexa fuit crucis imago chartacea; quæ uno impetu à muro avulsa in conspectu omnium, tres in partes distracta est. Eodem die cùm in horto Domina cœnaret, medius later lanci injectus totam cœnam evertit: cujus filius annorum quatuor, eo ipso tempore clamare cœpit: ô Matercula! Catharina me præfocat; appensisq; ad collum Sanctorum exuviis, ab ea pœna liberatus fuit. Hæc Dominam coëgerunt, ut ædes mutaret, & in consobrinæ domum se reciperet, relictis ancillis quibusdam ædium custodibus. Decimo dicti mensis, cùm ex ancillis aliqua in officinam dispensatoris ivisset, sensit se ter à Catharina vocari, quam timore nimio dilapsam exhortatæ sunt cæteræ, ut invocato Domini nostri auxilio, cereoq; sacro accenso, regrederetur. Assumptis duabus, quæ cæteris animosiores videbantur, securè rediit; quã defuncta monuit, ut dimissis aliis, cereo abjecto, quòd pœnam inferret, sola persisteret. Emittebat Catharina ex omnibus corporis juncturis flammas, incredibili cum fœtore; caput cum pedibus ardebat; cincta erat veluti ignitâ fasciâ, octo aut decẽ digitis latâ, quæ in terrã usque protendebatur, videbaturq; libidinis & admissæ turpitudinis pœna & castigatio quædã. Viso hoc spectro, tremere

& exal-

& exalbescere cœpit serva. Ad quam infelix defuncta: Accede huc; quoties ego te evocavi? Respondit serva, penè exanimis: Bone JESU, quis non horreat te visâ! Quæ cùm diceret, in eundem locum descendit formosissimus puer albis vestibus, qui servam hortatus est, ut posito timore forti esset animo, notaretq́; diligenter, quæ à Catharina acciperet, ut in alios evulgaret, ac simul atque ab hoc loco abscessisset, confessione maculas omnes expiaret. Tum hæc in verba Catharina: Scias inferno me mancipatam, & gravissimis subjectam pœnis, quòd cùm Sacerdoti advolverer, ut peccata faterer, levissima tantùm referrem, cujusmodi sunt, quòd garrula essem & loquax, in iram proslruis, & id genus alia; silentio verò involverem libidines, & consuetos cum adolescentibus congressus. Tu igitur disce benè confiteri, & nullum crimen tacere. Horum vos commoneo, quod ita mihi imperatum sit, cogarq́; aliorum in exemplum hæc verbis aperire. Jam pulsus ad salutandam Deiparam Virginem audiebatur; defuncta mox in angulum quendam secedit, & evanescit. Angelus verò (Angelum enim fuisse, quem viderat puerum, credebat famula) abire ad suos famulam jubet; quod & fecit. Historia est omni fide contestata, jamdudum omnibus nota, multorum litteris ac libris evulgata; talique loco ac tempore patrata, ut si falsa esset, aut falsis permixta, dudum foret & verbis & scriptis confutata.

CAPUT XXIII.

Animæ defunctorum sæpè à viventibus, quibus apparuerunt, orationis & aliorum bonorum operum subsidium petiverunt, aut pro obtento gratias egerunt.

NOn disputo hic, an purgatorium sit, animæque defunctorum nonnullorum pro culpis in hac vita admissis satisfaciant in altera: alterius id loci est, & ab aliis præstitum. Solùm ergo ex historiis fide dignissimis ostend, defunctorum animas sæpè à viventibus postulasse subsidium orationis, aliorumque bonorum operum, atque adeo, præter animas defunctorum cœlo & inferno addictas, alias esse, & hominibus apparere quocunque in loco, & quomodocunque appellato degant. Quæ quidem historiæ, ob Scribentium, aut eas asserentium auctoritatem tales sunt, ut si rejiciantur, aut in dubium vocentur, pari ratione omnes antedictæ rejici, aut vocari in debium dubeant.

Animæ purgandæ sæpe apparuerunt.

S. Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. cap. 40. de anima Paschasii hanc narrat historiam. *Cùm adhuc essem juvenculus, atque in laico habitu constitutus, narrari à majoribus atque scientibus audivi, quòd Paschasius, hujus Apostolicæ sedis diaconus, cujus apud nos rectissimi & luculenti de Sancto Spiritu libri extant, miræ sanctitatis Vir fuerit, eleemosinarum maximè operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor sui. Sed hic in ea contentione, quæ inardescente zelo fidelium inter Symmachum atque Laurentium facta est, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit, & omnium*

pòst unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque ad diem sui exitus perstitit, illum amando atque præferendo, quem Episcoporum judicio præesse sibi Ecclesia refutavit. Hic itaque cùm temporibus Symmachi Apostolicæ sedis Præsulis esset defunctus, ejus dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statimq; sanatus est. Post multum verò temporis Germano Capuano Episcopo, cujus superiùs memoriam feci, Medici pro corporis salute dictaverant, ut in angularibus thermis lavari debuisset. Qui ingressus easdem thermas, prædictum Paschasium diaconum stantem, & obsequentem in caloribus invenit. Quo viso vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret, inquisivit. Cui ille respondit: Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentii contra Symmachum sensi. Sed quæso te, pro me Dominum deprecare. Atque in hoc cognosces quòd exauditus sis, si huc rediens me non inveneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies redit, sed jam dictum Paschasium in loco eodem minimè invenit. Quia enim non malitia, sed ignorantiæ errore peccaverat, purgari post mortem à peccato potuit. Quod tamen credendum est, quia ex illa eleemosynarum suarum largitate hoc obtinuit, ut tunc posset promereri veniam, cùm jam nihil posset operari. Hactenus D. Gregorius.

Idem D. Gregorius eodem libro 4. cap. 55. hanc aliam narrat historiam. *Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare; ita ut hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur. Nam prædictus Fœlix Episcopus, à quodam vitæ venerabilis presbytero, qui usque ante biennium vixit, & in diœcesi Centumcellensis urbis habitabat, atque Ecclesiæ B. Joannis, quæ in loco qui dicitur Tauriana, sita est, præerat, cognovisse se asserit, quòd idem presbyter in eodem loco, in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quoties corporis necessitas exigebat, lavari consueverat. Ubi dum die quadam fuisset ingressus, invenit quendam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret, vestimenta susciperet, & exeunti de caloribus sabana præberet, atque omne ministerium cum magno famulatu perageret. Cùmq; hoc sæpius fieret, idem presbyter die quadam ad balnea iturus intra semetipsum cogitans, dixit: Viro illi qui mihi solet tam devotissimè ad lavandum obsequi, ingratus apparere non debeo, sed aliquid me necesse est, ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit. Qui mox ut pervenit ad locum, hominem invenit, atque ex more ejus obsequio in omnibus usus est. Lavit itaque; & cùm vestitus voluisset egredi, hoc quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petens ut benignè susciperet, quod ei gratiâ charitatis offerret. Cui ille mœrens afflictusq; respondit: Mihi ista quare das, Pater? Iste panis sanctus est, ego hunc manducare non possum: ego etenim, quem vides, hujus loci dominus aliquando fui, sed pro culpis meis hîc post mortem deputatus sum. Si opem mihi præstare vis, omnipotenti DEO pro me offer hunc panem, ut pro peccatis meis intervenias. Et tunc exauditum te esse cognosce, cùm huc ad lavandum veneris, & me minimè repereris. In quibus verbis disparuit, & is qui homo esse videbatur, evanescendo innotuit, quia spiritus fuit.*

Idem

Idem verò presbyter hebdomadâ continuâ se pro eo in lachrymas afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, & reversus post ad balneum, eum jam minimè invenit. Quæ ex re quantum prosit animabus immolatio sacra oblationis ostenditur, quando hanc & ipsi mortuorum Spiritus à viventibus petunt, & signa indicant quibus per eam absoluti videantur.

Eodem capite 55. narrat & hanc historiam. *Neque hoc silendum puto, quod actum in meo monasterio ante hoc triennium reminiscor. Quidam namque Monachus, Justus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem monasterio constituto sedulò obsequi, atque in assiduis ægritudinibus meis excubare consueverat. Hic itaque languore corporis præventus, ad extremum deductus est. Cui in ipsa sua molestia frater germanus, nomine Copiosus, serviebat; qui ipse quoque nunc in hac urbe per eandem medicinæ artem temporalis vitæ stipendia sectatur. Sed prædictus Justus cùm jam se ad extremum pervenisse cognovisset, eidem Copioso fratri suo, quia occultatos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirum fratribus non potuit celari, sed subtiliter indagantes atque illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos invenerunt absconditos in medicamine. Quod mox ut mihi nuntiatũ est tantum malũ de fratre, qui nobiscum communiter vixerat; æquanimiter ferre non valui: quippe quia ejusdem mei monasterii semper regula fuerat, ut cuncti fratres ita communiter viverent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mœrore percussus cogitare cœpi, vel quid ad purgationem morientis facerem; vel quid ad exemplum viventibus fratribus providerem. Pretioso igitur ejusdem monasterii Præposito ad me accersito dixi: Vide ut nullus ex fratribus se ad eum morientem jungat, nec sermonem consolationis ex cujuslibet eorum ore percipiat, sed cùm in morte constitutus fratres exquisierit, ei suus carnalis frater dicat, quia propter aureos, quos occultatos habuit, à cunctis fratribus abominatus sit; ut saltem in morte de culpa sua mentem ipsius amaritudo transverberet, atque à peccato quod perpetravit, purget. Cùm verò mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur, sed quolibet in sterquilinio fossam facite, & in ea corpus ejus projicite, ibique super eum tres aureos quos reliquit, jactate, omnes simul clamantes:* Pecunia tua tecum sit in perditione. *Et sic eum terrâ operite, &c.* Quod & factum. *Cùm verò post mortem ejus triginta jam essent dies evoluti, cœpit animus meus defuncto compati, ejusdemq; cum dolore gravi supplicia pensare, & si quod esset ereptionis ejus remedium, quærere. Tunc advocato ad me eodem Pretioso, monasterii mei Præposito, tristis dixi: Diu est quòd frater ille qui defunctus est, in igne cruciatur; debemus ei aliquid charitatis impendere, & eum in quantum possumus, ut eripiatur, adjuvare. Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris offeratur. Qui protinus abscessit, & dictis paruit. Nobis autem alia curantibus, atque dies evolutos non numerantibus, idem frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cùm vidisset, inquisivit, dicens: Quid est frater?*

frater? quomodo es? Cui respondit: Nunc usque malè fui; sed jam modò benè sum, quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens protinus indicavit fratribus in monasterio. Fratres verò sollicitè computaverunt dies, & ipse dies extiterat, quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta, &c. Hæc ex S. Gregorio; cujus quanta sit auctoritas, nemo non videt.

Scribit Constantinus Presbyter in Vita S. Germani Episcopi Antisiodorensis cap. 17. *Cùm Sanctus Vir in loco quodam spiritu infesto moraretur intrepidus, subitò ante os legentis adstitit umbra terribilis, & paulatim sub oculis intuentis erigitur. Parietes etiam saxorum imbribus colliduntur. Tunc verò deterritus lector, præsidium Sacerdotis imploravit. Qui statim prosiliens, effigiem terribilis imaginis intuetur, & præmissâ obsecratione nominis Christi, imperat, ut quis esset, quidvè illic ageret, fateretur. Qui protinus terrificâ vanitate depositâ, voce humili more supplicantis eloquitur, se comparemq; suum auctores fuisse multorum criminum; insepultos jacere; & ob hoc inquietare homines, quia ipsi quieti esse non possent. Rogat, ut pro eis Dominum precaretur, quatenus recepti requiem mererentur. Ad hæc vir sanctus indoluit, imperatq; ut locum ostenderet, quo jacerent. Tum verò cereo præcedente, dux umbra progreditur, & inter difficultates maximas ruinarum, intempestâ nocte locum; in quo projecti fuerunt, indicavit. Ut verò mundo redditus est dies, circumjectos incolas invitat, hortatur, ipse operis maturator insistens; rudera tumultuariè superjecta ad tempus rastris avulsa purgantur. Inveniuntur corpora fusa sine ordine, ossa ferreis adhuc nexibus illigata. Ad legem sepulturæ fossa dirigitur; humus superjecta componitur; oratio intercessionis impenditur; requies defunctis obtinetur, ita ut post eandem diem, sine ullo terroris indicio, domicilium frequentato habitatore floruerit.* Hæc citatus Auctor apud Surium Mense Julio.

S. Bernardus in Vita S. Malachiæ Hyberniæ Episcopi de dicti Sancti sorore hanc narrat historiam. *Mortua est Malachiæ soror. Hujus siquidem sanctus vir carnalem exhorruerat vitam, & tanto zelo, ut se devoverit non visurum eam in carne viventem. At illâ carne solutâ, solutum est votum; & cœpit videre in spiritu, quam in carne noluit. Quadam nocte audivit per somnium vocem sibi dicentis, sororem ejus stare foris in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil gustasse. Qui evigilans, citò intellexit, cujus esca inediâ marceret: & diligentèr discusso numero dierum, quem audierat, ipsum esse reperit; ex quo pro ea panem de cœlo vivum non obtulisset. Tunc ille, qui sororis non animam oderat, sed peccatum, beneficentiam quam intermiserat, rursum adoritur. Neque id frustra. Non multò pòst visa est illi pervenisse ad limen Ecclesiæ, necdum tamen posse intrare; appareret etiam in veste pulla. Cùmq; ille perseveraret, curans nè quo die solitâ stipe frustaretur; secundò vidit eam in veste subcandida, admissam quidem intra Ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertiò tandem visa est aggregari cœtui candidatorum, & in veste candida, &c.* Hæc D. Bernardus.

Glycas part. 4. Annal. scribit, in Historia Ecclesiastica Philonis histo-

storici reperiri, *quodam persecutionum priscarum tempore, seniori Ecclesiastico ab Antistite Sacris interdictum fuisse. Cùm autem senior ille quandam ob causam necessariam alio profectus fuisset; accidit ut ab Ethnicis comprehensus testimonio suo veritatem obsignaret. Hinc intra templum eo loco conditur, & renovalia peragūtur. Cùmq; Antistes hæc verba pronuntiaret:* Pax universis; *sandapila templo excessit, idq; non semel, sed bis, terve factum. Hinc per quietē Antistiti Senior oblatus: Abito, inquit, & Episcopo meo sis auctor, ut huc veniat; meq; vinculis exsolvat: nam officio me sacro exclusit, ideoq; sacris interesse vobiscum nequeo. Testimonii quidem coronā consecutus sum, sed DEI faciem nondum conspexi. Quòd si me ipse profectus huc non exsolverit, alius exsolvere nemo poterit. Cùm igitur his obtemperatum esset; sandapila templo excedere desiit.*

Franciscus Picus, Mirandulæ Comes, in Vita Joannis Pici patrui scribit non longo post obitum Joannis Pici tempore spectrum apparuisse Hieronymo Savonarolæ, eiq; dixisse, torqueri se pœnis expiatoriis, eò quòd non satis diligenter & fœcundè talentum sibi à DEO creditum eruditionis & ingenii multiplicasset, & quia non quanti par erat, fecisset internas Dei suggestiones, inspirationesq;, quæ adhortabantur, honestos labores, quos inchoârat, non abrumpere, & quæ sibi animo proposuerat, ea instanter operari atq; perficere.

Omitto innumera alia exempla, quoniam hæc pauca sufficiunt ad persuadendum id quod proposui, etiam pervicacibus. Si enim sedato, & nullâ antea opinione præoccupato animo, hactenus dicta legant, expendantque utrum æquiùs tutiùsq; sit, credere tot omnium Sæculorum testibus, tot piis ac eruditis Scriptoribus, tot Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus, tot Synodi Nicænæ Patribus, tot gravibus Theologis, & probatæ fidei Historicis, quàm paucis hujus ac Superioris Sæculi Scriptoribus, qui negant mortuos viventibus apparere ad tempus posse ac solere, pernegantq; Deum id unquam permittere; fieri non posse existimo, quin in veram & receptissimam concedant sententiam. Nunc secùs sentientium argumentis respondeamus.

CAPUT XXIV.

Respondetur argumentis illorum, qui putant defunctorum animas nunquam comparere viventibus.

QUi spectra vera admittunt nulla, pauci sunt, & vix aliud afferunt sui erroris argumentum, quàm quòd non capiant quomodo Spiritus, tam Angelici, quàm humani, cùm invisibiles sint atq; impalpabiles, hominum sensibus objici queant, & illas exercere operationes, quæ spectris attribuuntur. Sed hi cùm vel athei sint, animæque immortalitatem ne- *Spectra omnia negant aliqui.*

 gent,

gent, ac fortassis etiam Spiritus quoscunque; vel carnales, in quibus videlicet tota regula intelligendi est consuetudo cernendi ac palpandi, nihilque credant quod sensu non percipiunt, ideoque revera nihil credant; dimittendi sunt: si enim tot sacris ac profanis testimoniis adduci non possunt, ut spectra aliquid esse credant; nec si modus explicetur quo apparent, id credent. Posse porrò ac solere Angelos, tam bonos, quàm malos, corpora assumere, in iis comparere hominibus, & varias exercere operationes humanis similes; probatum fuit libro præcedente. Ad eundem ergo modum defunctorum animæ, si DEUS permittat, assumere poterunt similia corpora, vel propriâ, vel Angelorum operâ efformata, eaque loco movere, & alias operationes in illis ac per illa exercere, ut in sequentibus dicemus.

Spectra in dubium vocant aliqui.

Heterodoxorum aliqui, ut suspectum reddant omne apparitionum genus, ajunt Catholicorum libros, præsertim à Monachis scriptos plenos esse *impurissimis & obscœnis fabulis* de beatissimæ Virginis Mariæ apparitionibus, aliasq; fabulosas apparitiones aut fingi ab ipsis, aut ab aliis confictas in medium adduci, vehementerque exaggerari. *Lavaterus* addit, Legendis Sanctorum, Promptuariis exemplorum, & Vitis Patrum, in quibus multæ apparitiones Spirituum continentur, non multùm esse tribuendum, quòd pleraque parum verisimilia sint, & fortassis ad religionem ac timorem hominibus injiciendum conficta. Idem dici posse ait de multis Pontificiis Scriptoribus. Sed quàm hæc temerè & falsò sint dicta, suppositis relatis, æquus lector judicet. Impuræ ergo & obscœnæ fabulæ sunt, quæ D. Gregorius, D. Ambrosius, D. Augustinus, D. Bernhardus, aliique Sancti Patres, & Ecclesiæ Catholicæ columnæ crediderunt, & libris suis mandârunt? An plùs credendum paucis Neotericis, quàm tot ac tam doctis antiquis Historicis? Demus nonnullos impios, invidiâ atque avaritiâ stimulante, falsas confinxisse apparitiones; num propterea reliquæ omnes rejiciendæ? Sed pergo ad alia.

Spectra omnia esse Spiritus Angelicos, aliqui putant.

Lavaterus part. 2. libri de Spectris, probare conatur, Spectra, quæ revera variis temporibus ac locis apparuerunt, & sæpe etiamnum quotidie apparent, nunquam esse animas defunctorum, neque fidelium, neque infidelium, sed semper esse vel dæmones, vel Angelos bonos. Conatur id probare auctoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Ex Scriptura ut probet opinionem suam, adducit multa loca, in quibus videtur asseri, animas defunctorum statim à morte deferri vel ad cœlum, vel ad infernum, indeque nunquam exire ante diem judicii; unde concludit purgatorium nullum esse, & nunquam animas ad nos redire. Ita cap. 4. loci citati. Ex quo patet, totam hanc disputationem eò dirigi, ut probet, nullum esse purgatorium: cujus contrarium probare cùm non sit nostri instituti, & ab aliis

aliis abundè jam sæpe præstitum fuerit; ideo non immoror. Solùm dico, ex Scriptura Sacra constare, Samuelem apparuisse Sauli, Jeremiam & Oniam Judæ Machabæo, Moysen & Eliam Christo & Apostolis in monte Thabor, Lazarum à Christo resuscitatum rediisse è sepulchro, post Christi mortem multos mortuorum surgentes apparuisse multis, innumeras animarum apparitiones agnoscere Patres, & Scriptores doctissimos, indubitatæq; fidei. Vel ergo fallit Scriptura, Patres, & Historici; vel fallitur ac fallit Lavaterus. Respondet tamen sequentibus capitibus, & ait, Samuelem non apparuisse, sed dæmonem Samuelis specie: Machabæorum libros non esse Canonicos: Moysen & Eliam ex singulari DEI ordinatione apparuisse: Lazarum & alios fuisse quidem resuscitatos, at non petivisse vivorum suffragia. Sed hæ responsiones, primâ exceptâ (de qua postea) non sunt ad rem, ut consideranti patet.

Ex Sanctis Patribus ut probet eandem opinionem suam, adducit primò multa eorum testimonia, quibus videntur docere, defunctorum animas statim à discessu à corpore deferri vel ad cœlum, vel ad infernum, & præter hæc nullum alium esse locum in quo post mortem detineantur: cùm ergo neque è cœlo, neque ex inferno redeant, ut putat se probasse ex Scriptura; concludit non redire ad nos. Hîc iterum ducit nos ad controversiam de purgatorio, quæ huc non pertinet.

Secundo loco adducit testimonia D. Chrysostomi, Tertulliani, Athanasii, & D. Augustini, dicentis, si animabus defunctorum potestas foret ad nos redeundi, singulis noctibus matrem suam sibi adfuturam. Sed hi omnes, aliique, tantùm negant posse animas pro libitu suo locis suis, quibus à DEO addicti, excedere; aut non permitti, ut compareant ad satisfaciendum curiositati nostræ; non verò negant absolutè id fieri posse, aut solere. Vide *Delrium lib. 2. Disquisit. Magic. q. 26. sect. 5.*

CAPUT XXV.

Utrum verus Samuel apparuerit Sauli in Endor, an verò loco Samuelis diabolicum Spectrum.

Quæstionem hanc, sæpius in præcedentibus tactam, distuli in hunc locum. Referam primò historiam; secundò aliorum; tertiò meam sententiam; quartò contrariæ sententiæ rationes solvam.

Historia habetur *lib. 1. Reg. cap. 28.* ubi cùm dictum fuisset, Philisthæos congregavisse agmina sua contra Israël (post mortem Samuelis, & post expulsas à Saulo magos & hariolos de terra) & castrametatos fuisse in

Samuelis anima an verè apparuerit Sauli.

in Sunam; congregaviſſe autem & Saulem univerſum Iſraël, & veniſſe in Gelboë; ſubjungitur: *Et vidit Saul caſtra Philiſthijm, & timuit; & expavit cor ejus nimis. Conſuluitq; Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas. Dixitque Saul ſervis ſuis: Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, & vadam ad eam, & ſciſcitabor per illam. Et dixerunt ſervi ejus ad eum: Eſt mulier Pythonem habens in Endor. Mutavit ergo habitum ſuum; veſtituq; eſt aliis veſtimentis, & abiit ipſe, & duo viri cum eo, veneruntq; ad mulierem nocte, & ait illi: Divina mihi in pythone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi. Et ait mulier ad eum: Ecce, tu noſti quanta fecerit Saul, & quomodo eraſerit magos & hariolos de terra: quare ergo inſidiaris animæ meæ, ut occidar? Et juravit ei Saul in Domino, dicens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem. Dixitque ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi ſuſcita. Cùm autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magnâ, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu enim es Saul. Dixitq; ei Rex: Noli timere; quid vidiſti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra. Dixitq; ei: Qualis eſt forma ejus? Quæ ait: Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul quòd Samuel eſſet; & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adoravit. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietaſti me ut ſuſcitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: ſiquidem Philiſthijm pugnant adverſum me, & Deus receſſit à me; & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum; neque per ſomnia: Vocavi ergo te, ut oſtenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David: quia non obediſti voci Domini; neque feciſti iram furoris ejus in Amelec: idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. Et dabit Dominus etiam Iſraël tecum in manus Philiſthijm: cras autem tu & filii tui mecum eritis, &c.* Et hanc hiſtoriam reſpicit *Eccleſiaſticus cap. 46.* dum poſt enarratas Samuelis res geſtas & laudes, ſubjungit: *Et poſt hoc dormivit; & notum fecit regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem gentis.*

De Samuele igitur per pythoniſſam ſuſcitato, utrum verus Samuel fuerit, an tantùm ſimulacrum ejus diabolico formatum artificio, adeoq; diabolicum ſpectrũ, vetus eſt, & diu in utramq; partẽ agitata quæſtio. Qua in re

Prima ſententia negans.

Prima ſententia eſt, quòd non fuerit verus Samuel, ſed ſpectrum diabolicum repræſentans exactè, dæmonis ope, Samuelem. Hanc videntur convincere ſequentia, *Primò*, ſi pythoniſſâ artem necromanticam exercente, apparuit verus Samuel Sauli, vel ſponte ſuâ & volens apparuit, vel coactus virtute ac potentiâ necromanticâ, vel adactus voluntate ac potentiâ Dei: ſed nullum ex his fas eſt ſentire ac dicere de ſanctiſſimo illo viro; ergo, &c. Non primum; alioquin dicendum foret Samuelem exemplo ſuo ſuffragatũ eſſe arti magicæ, maximamque apud homines fidem ei adſtruxiſſe, quaſi

ejus

ejus potentiâ suscitatus ipse fuisset: Nec secundum, alioquin concedendum erit, dæmones ac magos habere jus & potestatem in animas Sanctorum, possecq; illas pro libitu suo revocare ad nos: Nec tertium, quia DEUS, *Deuteron. cap.* 18. prohibuit consulere pythones, & à mortuis veritatem sciscitari. Ergo, &c.

Secundò. Ille qui tunc apparuit Sauli, passus est adorari se ab illo, uti ex relata historia constat: at Samuel nullo modo admisisset illam adorationem, utpote contrariam legi divinæ, & soli DEO debitam; ergo, &c.

Tertiò. Ille qui apparuit, dixit Sauli: *Cras tu & filii tui mecum eritis.* Sed hoc, si de vero Samuele intelligatur, falsum est, quia ille erat in limbo Patrum, seu in Sinu Abrahæ, cum reliquis Sanctis; quò Saul non erat perventurus, utpote qui post peccatum hariolationis commissum, erat seipsum occisurus; si verò de Diabolo, sub Samuelis larva comparente, intelligatur, verum est; ergo, &c.

Quartò. Ille qui apparuit Sauli, dixit illi: *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* atqui verus Samuel, cujus anima in Sinu Abrahæ quiescebat, non potuit inquietari à Saule per pythonissam aut per diabolum, cùm nullum jus ac potestatem in eum habuerint; ergo, &c.

Quintò. Saul legitimè consulens Deum per somnia, per Sacerdotes, per prophetas, non meruit responsum à Deo ullũ accipere; ergo multò minùs permisit Deus, ut impiè consulens pythonissam, responsum acciperet à Sanctissimo propheta Samuele, mirabiliter ab inferis suscitato: præsertim cùm Deus, *Deuteron. cap.* 18. minaciter prohibuerit, ne discamus à mortuis, aut ab illis veritatem inquiramus, ut jam antea dictum.

Sextò. Qui Sauli apparuit, nil boni consuluit, sed eum in desperationem conjecit, nec ad pœnitentiam hortatus est; ergo non fuit verus Samuel, sed larvatus ac phantasticus.

Septimò. Non potest adsignari idonea ac probabilis causa, ob quam DEUS contra usitatam & ordinatam viam voluerit, ut Samuel impio regi, ad pythonissæ mandatum, exiens è limbo, compareret.

In hac opinione est *Tertullianus*, *Auctor* librorum de Mirabilibus Sacræ Scripturæ; *Auctor* Quæstionum Veteris testamenti. *S. Augustinus, S. Justinus Martyr, Procopius, Theodoretus, Rupertus, Cyrillus, Beda, Jansenius, Leloyerus, Lavaterus,* & alii. Ex his *Tertullianus lib. de Anima cap.* 57. sic scribit. *Ecce, hodieq; Simonis hæreticos tam diu præsumptio artis magicæ extollit, ut etiam Prophetarum animas ab inferis movere se spondeant; & credo; quia mendacio possunt: nec enim pythonico tunc Spiritui minùs licuit animam Samuelis effingere, post Deum mortuos consulente Saule. Absit autem, ut animam cujusquam Sancti, nedum Prophetæ, à dæmonio credamus extractam; certi, quòd ipse Satanas transfiguretur in Angelum lucis, etiam Deum se asseveraturus, signaq; poten-*

tiora editurus, ad evertendos, si fieri posset, electos. Ita Tertullianus. Idem asseveranter traditur in *lib.2.* de Mirabilibus S.Script. & in *libro qq. Veteris testam. q.27.* qui habetur inter Opera S. Augustini, ille tomo 3. hic tomo.4. *S. Augustinus lib.2. ad qq. Simpliciani in responsione ad q.3.* Et *in libro de octo qq. Dulcitii q.6.* ait, fieri potuisse, ut ex dispensatione divina Spiritus Samuelis, non invitus, nec magicâ arte coactus, sed volens, & obtemperans occultæ dispensationi DEI, se ostenderit conspectui Saulis; propensior tamen est ad credendum, non fuisse verum Samuelem qui apparuit, sed spectrum aliquod diabolicâ arte formatum, ipsi simile; appellari tamen in Scriptura Samuelem, quod illum habitu, specie, & auctoritate ad amussim repræsentarit: Non enim infrequens est, tum in communi hominum loquendi consuetudine, tum in sacris litteris, rerum imagines & simulacra, nominibus ipsarum rerum appellari. *S.Thomas 2.2.q.95.a.4.ad 2.& q.154.a.5.ad 4.* in utramque partem disputat propositam quæstionem, sine alterius asseveratione.

Secunda sententia affirmans.

Secunda sententia est, apparuisse verè animam Samuelis, in corpore aëreo assumpto, quale assumunt Angeli, dum hominibus apparent, & quasi induuntur aliæ animæ viventibus visibiliter comparentes. Rationes pro illa hæc sunt. *Primò*, quia id clarè & indubitanter docet Ecclesiasticus loc.cit. dum ait, Samuelem post mortem prophetasse, & exaltasse de terra vocem suam in prophetia, adeoque hanc ultimam & maximam laudem dat Samueli. Sicut igitur aliæ præcedentes laudes, quas ipsi dat in eodem capite, verè conveniunt vero Samueli, & non ejus simulacro; ita & hæc eidem convenit, & non simulacro ipsius. Et quæso, quæ laus esset Samuelis, si ejus imago seu umbra, usurpata à dæmone, serviisset pythonissæ, ejusq; magiæ & incantationi, & si dæmon sub larva Samuelis, non ipse Samuel, Sauli prædixisset illa, quæ postea evenerunt?

Secundò, quia id ipsum clarè significat narratio rei gestæ in citato cap. 28. libri 1. Reg. ubi nō alius nominatur, loquitur, prophetat, quàm Samuel propheta. *Dixit autem Samuel ad Saul: quare inquietasti me, &c. Et ait Samuel: quid interrogas me, &c. Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, &c.* Locutus autem fuerat Dominus Sauli in manu veri Samuelis, dum adhuc viveret, & non per dæmonem sub specie & umbra Samuelis; ergo verus Samuel loquitur Sauli, non phantasticus, seu dæmon. Et certè, uti alibi semper, ita etiam hîc, verba Scripturæ accipienda sunt ut sonant, nisi aliquid falsi, aut absurdi inde sequatur; quod hîc non sequitur, ut in responsionibus ad contrarias rationes patebit.

Tertiò, quia idem arguit prophetia quæ in prædicta historia à Spiritu Sācto tribuitur Samueli: eâ enim graviter, & verè, DEI nomine, mortē Sauli, Hebræis cladem, ob scelera eorum intentat & vaticinatur: quæ omnia ad litterā, uti prædicta fuêre, evenerunt; ut dubium esse non debeat, hanc

non

non fuisse conjectionem vel illusionem diabolicam , sed verissimam prophetiam, Deiq; oraculum: neq; enim dæmon, tametsi probabiliter prævidere poterat, prælium committendum, & multos occidendos, scire poterat, etiam probabiliter, Saulem cum filiis occidendum.

Hanc opinionem amplectuntur *S. Ambrosius in cap. 1. S. Lucæ, S. Hieronymus in cap. 7. Isaiæ, S. Justinus Martyr libro contra Tryphonem; Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Dionysius Carthus. Rabanus, Palacius, Hugo Cardinalis, Caspar Sanchez, Cornelius à Lapide, Bonartius, Serarius, aliiq; recentiores in cap. 28 lib. 1. Reg. S. Basilius Epist. 80. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. Pererius in cap. 8. Exodi Disput. 8. Bellarminus lib. 2. de Purgator. cap. 6. Thyræus lib. 1. de Apparit. Spirituum cap. 16. thesi 410. Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. q. 6. & q. 26. sect. 4. Cornelius à Lapide in cap. 46. Ecclesiastici, P. Joannes de Pinna ibid. Suarez in 3. part. S. Thomæ tom. 2. disput. 42 sect. 2 Salianus Anno Mundi 2979. n. 76.* Præterea *Josephus lib. 6. Antiq. cap. 15.* Imò *& S. Augustinus lib. de Cura pro mortuis cap. 15. & S. Thomas 1. p. q. 89. a. 8. ad 2.* posito quòd Liber Ecclesiastici sit Canonicus ; quod post Concilium Trident. non potest revocari in dubium.

Notandum autem, librum qq. ad Orthodox. citatum pro contraria sententia sub nomine S. Justini, nequaquam esse S. Justini, ut bene alii probant, præsertim ex eo, quòd aliqua Sacræ Scripturæ contraria continere videatur.

Samuel verè apparuit Sauli.

Hæc secunda sententia, ut communior, ita sine dubio verior est , propter rationes adductas, præsertim illam, quæ ex lib. Ecclesiastici cap. 46. desumpta est. Dico itaque, verum Samuelem in assumpto corpore apparuisse Sauli, non quidem vi artis magicæ , quam tunc exercere inchoaverat Pythonissa; nec à dæmone coactum atque adductum; sed imperio DEI, occasione tamen magicæ superstitionis tunc à Pythonissa exerceri cœptæ.

Argumenta contrariæ sententiæ solvuntur.

Ad *primum* argumentum contrariæ sententiæ respondeo , Samuelem apparuisse quidem , Pythonissâ incantationes suas necromanticas exercente, non tamen (ut jam dixi) coactum ab ipsa, aut à dæmone, sed jussu DEI sponte occurrisse illi, imò prævenisse & impedivisse ejus incantationem, & incantationis effectum. Constat id primò ex eo, quòd cùm Saul consuluit Pythonissam, illicò se ei ostẽdit Samuel, antequam ipsa sua carmina magica recitare, ritusq; alios magicos (qui morosi & longi esse solent) ad evocandã umbrã Samuelis exercere posset, ut patet ex versu 12. dicti cap. 28. lib. 1. Reg. Constat secundò ex eo, quòd Pythonissa turbata fuit, cùm vidit Samuelem comparere, antequam eum evocasset. Non ergo à Pythonissa , sed à DEO suscitatus Samuel, Pythonissæ sponte occurrit, & incantationes prævenit, tum ut eas impediret, nè dæmon specie Samuelis compareret; tum ut Saulem pro hoc magiæ crimine, aliisq; sceleribus, denũtiatione mortis & cladis futuræ terreret , & castigaret , ex voluntate DEI. Ita *S. Augustinus ad Sim-*

Simplician.lib.2.q.2. ubi ait: *Non est absurdum credere, ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante aut subjugante magicâ potentiâ sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi DEI, quæ & Pythonissam illam, & Saulem latebat, consentiret Spiritus Prophetæ se ostendi aspectibus regis, divinâ eum sententiâ percussurus.* Neque novum est, DEUM occasione illicitæ alicujus impiorum actionis aliquid per se, aut per alios facere: sic enim, cùm Baalam vellet consulere dæmonem pro Balac rege Moab, prævenit eum Angelus DEI, ac sublimem illam de Israële & Christo prophetiam per ipsummet Balaam edidit, *Numer. cap. 22. v. 32.* Sic quoque cùm Ochazias rex Israël æger mitteret legatos, ad consulendum idolum Beelzebub de vita & sanitate sua, prævenit eos, DEI ordinatione, Elias, ac propter hoc peccatum illi à DEO mortem prænuntiavit, & intentavit, *lib. 4. Reg cap. 1. v. 16.* Samuelis ergo evocatio, & apparitio, à DEO facta est, accedente fortassis ministerio Angelorum, qui corpus illi adaptârunt.

Ad *secundum* argumentum respondeo, illud leve esse, & jam passim à multis tum hac, tum aliis occasionibus solutum. Verbum enim *adorandi*, neque in lingua Hebraica, neque in usu Sacræ Scripturæ significat tantùm adorationem latriæ, soli DEO debitæ; sed quamlibet venerationem & cultum, sive DEO, sive Angelis, sive hominibus, cum exteriori quadam corporis inclinatione ac demissione factum, ut patet ex Genes. cap. 18. & cap. 23. & ex aliis Scripturæ Sacræ locis.

Ad *tertium* argumentum respondeo, verissimum fuisse illud, quod Samuel dixit: *Cras tu, & filii tui mecum eritis:* non enim dicere voluit; Saulem futurum secum in limbo Patrũ, sed eum moriturum, & descensurum ad inferos, apud quos etiam Samuel erat, licet diversò in receptaculo. Itaq; verba, *mecum eritis*, significant generatim & confusè locum statumq; defunctorum, qui erat in inferioribus partibus terræ; non autem particulatim & distinctè idem receptaculũ & sedem: alio enim in loco erat Samuel, nempe in limbo Patrum; in alio futurus erat Saul, nempe in inferno; in alio deniq; fortassis Jonathas, nempe in purgatorio. Insinuat hoc S. *Augustinus loc. cit. ad Simplician.* dicens, verba illa Samuelis non ad æqualitatem felicitatis, sed ad similem conditionem mortis referri debere; ut sensus sit: cras eris inter mortuos; & apud inferos, ubi ego sum.

Ad *quartum* argumentum respondeo, Samuelem fuisse inquietatum à Saule per Pythonissam, non causaliter, quasi verò Saul, aut Pythonissa eum suscitârit; sed occasionaliter, quia ad petitionem Saulis, & ad præveniendam incantationem Pythonissæ, Deus suscitavit illum, & è loco quietis in terram eduxit, ad Saulem objurgandum, & malo mortis castigandum.

Ad *quintum* argumentum respondeo, DEUM priùs non respondisse Sauli, *neque per Somnia, neque per Sacerdotes, &c.* quòd indignus esset divino

responso,

responso,& ut inde cognosceret se despectum à DEO, & à facie ipsius rejectum. Postea verò respondit illi per Samuelem, ut detestabilem ejus impietatem in Pythonissa consulenda insuper admissam damnaret, simulq; futuram cladem & mortem denuntiaret, per illum ipsum, cui dum viveret, nomine DEI imperanti obedire noluerat. Itaque responsum accipit, non ad consolationem, sed ad majus tormentum, in pœnam novi insuper sceleris admissi, dum pythonissam consuluit.

Ad *sextum* argumentum respondeo, Samuelem indicasse Sauli sententiam à DEO decretam, missum ab eodem Deo; quod alii etiam Prophetæ impiis fecerunt. Quod si Saul inde desperandi causam assumpsisset (quòd non constat; non enim ex veniæ à DEO obtinendæ desperatione se occidir, sed ex metu, ne in manus hostium deveniret) id non Prophetæ, sed propriâ culpâ fecisset.

Ad *septimum* argumentum respondeo, jam dictum sæpius Samuelem non ad Pythonissæ, sed ad DEI mandatum comparuisse. Causæ autem idoneæ, ob quas id voluit DEUS, jam sunt indicatæ.

PARS IV.
DE VARIIS SPECTRORUM CONDITIONIBUS.

Vera Spectra dari, eaq; Spiritus esse vel Angelicos, vel humanos, ex hactenus disputatis constat. Nunc variæ illorum conditiones sunt examinandæ: ut, quænam frequentiùs appareant; unde constare possit, utrum adsint αὐτοπροσώπως seu in propria persona, an ἑτεροπροσώπως seu in persona aliena; quibus de causis, quibus maximè temporibus, quibus hominum generibus, quibus modis ac formis sese hominum sensibus offerant; aliaq; hujusmodi. Sit igitur.

CAPUT XXVI.
Quænam Spectra frequentiùs appareant, & homines ac loca infestent.

Brevissimè perstringam multa, ut nihil omittam eorum quæ ad Spectra pertinent, nec tamen prolixitate nimiâ molestiam creem Lectoribus. Itaque

Spectra quænam frequentiùs appareant.

I. Quod ad Spiritus Angelicos spectat, tametsi certum sit ex dictis tam hoc, quàm præcedenti Libro, & bonos Angelos, & malos apparere homini-

Digitized by Google

bus posse, ac solere, variis sub formis; tamen qui spectrorum vicem subeunt, hoc est, qui homines terrent, & loca reddunt infesta, mali potiùs quàm boni sunt Angeli. Ratio ex dictis patebit, cùm de causis seu finibus, ob quos Spectra apparere permittuntur, agemus infrà cap. 33.

Dæmones quinam frequentiùs appareant hominibus.

II. Ad Dæmones quod spectat, diximus lib. præcedenti cap. 11. & 12. non omnes nunc in inferno, saltem perpetuò usque ad extremi judicii diem, degere, sed multos in aëre, in aquis, in cavernis Terræ, aliisq; circa Terram locis habitare; quod etiam confirmavimus variis exemplis hoc libro cap. 7. & seqq. Ajo igitur, omnes quidem cupere viventium rebus interesse, homines terrere, & loca reddere infesta; quia omnes cupiunt inferno excedere, utpote molestissimo carcere; omnes hominibus nocere, quibus modis possunt, utpote quibus infensissimi sunt: non tamen id omnibus à DEO permitti videtur, sed iis tantùm, vel saltem potissimùm, qui extra infernum in variis locis circa Terram versantur. Ratio quæ me movet, est, quia ex una parte dæmones qui inferno sunt mancipati, pro libitu excedere non possunt, non secus ac alii apud nos malefactores ob delicta sua carceribus mancipati; alioquin enim & frequenter excederent, & semper exessent, tum ut infernalis carceris supplicium effugerent, tum ut hominibus nocerent: ex alia verò parte nulla apparet causa, ob quam Deus permittat, ut inde egrediantur, ad homines & loca infestanda, cùm hoc sufficienter præstari queat ab aliis dæmonibus inter homines habitantibus.

Animæ defunctorum quænam frequentiùs appareant.

III. Quod ad humanos spiritus attinet, credibile mihi videtur, rariùs damnatorum hominum spiritus interesse viventium rebus, & molestias excitare, quàm hominum purgandorum. Ratio est eadem ferè quæ antea, quia neque ipsi sponte suâ excedere possunt inferno, utpote non minùs quàm dæmones, illi velut carceri sceleribus suis digno à DEO mancipati: neque causa satis efficax apparet, cur DEUS permittat, ut frequenter vel excedant per se, vel à dæmonibus inde educantur, cùm per dæmones efficere queat DEUS, quod per illos vellet. Cùm ergo sæpius defunctorum hominum Spiritus apparere soleant, ut ex allatis suprà exemplis ac testimoniis patet; sequitur frequentiùs apparere purgandorum spiritus, quàm damnatorum.

IV. Inter damnatorum porrò Spiritus illi potissimùm apparere videntur, Dei permissione, qui graves exercuerunt tyrannides in subditos, vel innocentes ab aliis fuerunt in peccatis suis occisi, vel gravissima aliqua scelera commiserunt. Patet ex historiis in præcedentibus allatis. Inter purgandorum verò Spiritus illi frequentiùs, ad auxilium à vivis petendum, apparent, qui misericordes fuerunt in egentes, dum viverent; & qui ære alieno obstricti decesserunt, hæredibus commisso onere restituendi. Patet etiam ex variis historiis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Unde constare possit, Spectra, quæ apparent, esse dæmones, vel humanas animas.

Suprà cap. 14. & alibi sæpe diximus, aliquos in ea persuasione esse, ut putent, humanos Spiritus nunquam αὐτοπροσώπως seu in propria persona viventibus apparere, sed semper ἑτεροπροσώπως seu in persona aliena, nempe Angelorum, maximè malorum. Adducunt testes *Sanctum Chrysostomum* Homil. ult. de Lazaro, & aliis nonnullis locis, *Tertullianum* lib. de Anima, *Athanasium*, aut quisquis Auctor est qq. ad Antiochum q. 11. & 13. *Isidorum* lib. 8. Etymolog. cap. 9. *Theophylactum* in cap. 8. Matthæi. Rationes adsignant, Primò, quia via aperiretur multis erroribus ac deceptionibus; ut animas putaremus spectra illa, quæ revera dæmones forent. Secundò, quia nulla est necessitas, nulla utilitas apparitionum à defunctorum animabus αὐτοπροσώπως factarum. Tertiò, quia explicari non potest, quâ ratione animæ possint in corporum formis apparere, tumultus excitare, aliaque similia præstare, quæ à spectris fieri scimus.

Animæ non semper sunt, quę animę videntur in spectris.

Nos in præcedentibus capitibus concessimus, non semper animas esse; quæ animæ nobis videntur, aut quæ se tales esse asserunt; sed sæpe dæmonum fraudem intervenire: qui cùm se in Angelos lucis transformare, & non tantùm Sanctorum, sed Christi ac DEI ipsius personam mentiri possint ac soleant; mirum videri non debet, quòd defunctorum quoque personas induant. Certè qui Necromāticis carminibus exciti se sistunt hominum conspectui, dæmones sunt hominum tecti specie, non ipsi homines, cùm dæmones in defunctos potestatem non habeant, ut quovis tempore, loco, occasione, & fine, hominum conspectui illos statuant, seu inferno addicti sint, seu purgatorio. Quis enim credat, homines, non dæmones fuisse, quos Osthanes, Necromantiæ expertissimus, teste *Plinio lib. 30. cap. 2.* revocavit? & quem Appion per cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto dicitur Osyrites, evocatum interrogavit, quâ patriâ Homerus, quibus vè parentibus esset genitus? item qui excitus ab Erictone veneficâ, apud Lucanum, denuntiavit Sexto Pompeio, exitum Pharsalicæ pugnæ?

Asseruimus nihilominùs, sæpe defunctos apparere, etiam αὐτοπροσώπως seu in propria persona. Probavimus id historiis ac testimoniis omnium temporum, ac locorum. Testes ergò à contraria sententia adducti tantùm volunt, animas non apparere virtute propriâ, & pro libitu suo, sed DEI permissione ac virtute, ut suprà etiam diximus ex S. Augustino.

Signa discernendi Spiritus

Nunc ulteriùs Asserimus, tametsi verè difficilis sit Spirituum hujusmodi discernendorum ratio, nec cui vis concessa; non deesse tamen signa

apparentes. à doctis, prudentibus, & experientiâ frequenti instructis hominibus tradita, quæ vel singulatim sumpta, vel cum aliis juncta, in re dubia nobis præluceant. Tradidit illa olim *Bertramus Episcopus* lib. de illusion. dæmon. *Joannes de Indagine Carthus.* lib. de apparitione cujusdam defunctæ, *Jacobus de Chusa* lib. de apparitionibus Spirituum, *Peltanus* de Purgator. cap. 5. *Petrus Thyræus* lib. 1. de apparition. Spirituum, c. 16. & lib. de Locis infestis part. 2. cap. 1. & seqq. *Delrius* lib. 2. Disquisit. Magic. q. 26. sect. 3. Ex his sequentia desumpsimus signa, non quidem omnes spiritus qui apparent, discernendi, sed illos solùm qui spectrorum nomen merentur, hoc est, qui homines, aut loca, aut utraq; infestant. Itaque,

I. Si Spiritus qui apparent, & de quibus dubium est, humani nè sint, an dæmoniaci, si, inquam signum crucis, nomen JESU, vel MARIÆ, vel aliorum Sanctorum, eorumvè reliquias, agni DEI ceream effigiem, lustralem aquam, benedictum panem, salem, cereum, & alia hujusmodi Sacramentalia, vel Catholicæ religionis symbola fugiant, aut detestentur; si postquam quod semel exegerunt, præstitum fuit, rursus urgeant ut præstetur; probabile est dæmones esse, aut damnatorum animas. Ratio est, quia id docuit frequens apud Catholicos pios, & ab omni superstitione, omniq́ue fallendi animo alienos, experientia antiqua & recens; quam omnem repudiare, non est hominis veritatem indagare volentis. Scio Novatores, & ab Ecclesia Catholica Segreges, ridere similia; sed hos nil moror. Pergo.

II. Si Spiritus qui apparet, dicat se esse animam damnati, suspendendum est judicium, aut pro diabolico habendus. Ratio est, qui rarò, ut præcedenti capite dixi, damnatorum animæ apparent: & quia nullum incurritur periculum, vel ullum infertur nobis, aliisvè damnum, sive judicium suspendamus, sive dæmonem esse credamus: nec enim beata, aut purgatorio addicta potest esse anima, quæ damnatam se esse asserit.

III. Si prætexit apparitioni causam falsam, vel malam, ut si dicat, se apparere coactam vi conjurationis magicæ, vel ut revelet, aut interroget curiosa, parum necessaria, aut quæ nesciri expediret; dæmon est, aut certè malus spiritus. Ratio per se patet, quia nec beatorum, nec purgandorum animæ talia faciunt.

IV. Si oratio ejus est manifestè falsa, superstitiosa, malesuada; si desperati, superbi, libidinosi, vindictæ appetentis, aut aliter perturbati animi ostentationem præ se ferat; malus est spiritus. Ratio est eadem.

V. Si appareat formâ non humanâ, sed canis, hirci, serpentis, suis, draconis, bufonis, vel similium animalium, aut nigri Æthiopis apud non Æthiopes; malus est genius. Si verò humanâ formâ apparet, considerandæ sunt aliæ circumstantiæ, ut capitibus sequentibus dicemus. Ratio primi clara est, quia bonos spiritus sub tam tetris & monstrosis apparere indecens

Digitized by Google

cens est, & alienum à fine, quem præfixum in apparitionibus suis habent. Ratio secundi patebit ex sequentibus, in quibus meliùs relata signa examinabuntur, & alia insuper adsignabuntur.

CAPUT XXVIII.

De modis quibus Spectra præcipuè homines & loca infestare solent.

NOn uno modo Spectra se manifestare, ac infestare homines & loca, constat ex relatis toto hoc libro historiis. Nam aliquando percipiuntur visu, aliquando solo auditu, aliquando tactu, aliquando aliis modis.

Spectra variis modis percipiuntur ab hominibus.

§. I. Spectra visui objecta.

VIsui variis formis sese objiciunt, præcipuè tamen aut sub specie humana, aut brutorum animantium, aut horrendorum monstrorum; aliquando etiam sub aliis formis.

Spectra sub humana specie visa.

IN forma humana apparere, docent innumera ferè exempla, toto hoc libro relata. Et quidem aliquando apparent *sub ea specie, quam viventes homines habuerunt.* Ita apparuit Spiritus Paschasii, de quo cap. 11. quem ob id statim agnovit Germanus Episcopus Capuanus. Item Spiritus Agrippæ matris Neroni filio, de quo cap. 14. & spiritus Julii Cæsaris (vel potiùs dæmon ejus loco) Cajo Cassio, de quo cap. 2. §. 3. & umbra matris Taciti ac Floriani, de qua ibidem: & spiritus Ludovici Alodisii patris Secretario filii, de quo cap. 5. & spiritus mariti amitæ Melanchthonis, de quo ibid. & spiritus coci Militis Rheni eidem Militi, de quo cap. 4.

Spectra sub humana specie visa.

Huc spectat quod refert *Olaus Magnus lib. 2. cap. 3.* esse in Islandia Insula, circa polum arcticum, promontorium perpetuis ignibus instar Ætnæ mõtis æstuans, ibiq; submersorum, sive alio violento casu occisorum spectra sese offerre congressibus notorum hominum, tam manifesta, *ut tanquam viventes accipiantur ab ignaris mortis illorum*; nec deprehendi errorem, priusquam disparuerunt umbræ.

Aliquando *sub tristi, & macie quasi confecta imagine sese spectandos præbent.* Talis fuit Spiritus, qui Athenis Athenedoro philosopho apparuit, de quo cap. 2. & qui Corinthi apparuit Arignoto, de quo cap. 16. & qui apparuit Juliano Cæsari antequam occideretur, de quo cap. 2. & qui amico Alexandri ab Alexandro in hospitio, de quo cap. 3. Spectrum quod Curtio Ruffo apparuit, de quo cap. 2. §. 1. habebat *mulieris formam humanâ grandiorem, ac pulchriorem*: quod Julio Cæsari propè Rubiconem, de quo ibid. §. 2. *Tritonis formam habebat eximiæ magnitudinis*: quod

Dioni, de quo ibid. *fœmina erat grandis, Furia tragica persimilis*: quæ in campis Marathoniis, *pugnantium virorum species referebant*; aliud ibidem *viri agrestis*; aliud *Thesei*. Druso Germanico, ut diximus cap. 2. § 3. apparuit *mulier humanâ formâ grandior*: Romanis ad lacum Regillum pugnantibus, *Castor & Pollux*: P. Vatinio *duo juvenes equis insidentes*: Romanis ad Thurinam urbem *Mars*: Pertinaci Cæsari *homo cum gladio infestans*. Gordianus, de quo c. 3. vidit *trium hominû imagines immanes, & formidabiles, nigris & demissis tunicis, barbâ capilloq; submisso*. Poloni Naclum obsidentes, ut diximus cap. 4. vident *armatorum hostium acies, stativa sua adequitantes & incursantes*: Bohemi *viros equestres variis coloribus indutos*: Miles Rheni *cocum suum equo insidentem*: Hispanus nobilis *virum gravem prolixo capillitio & barbâ, loum ingens manu tenentem*. Aliis alio habitu, sub humana tamen specie, spectra fuerunt objecta, ut ex aliis hujus libri capitibus patet.

Ostentum Lubecense.

Non possum hic omittere, quod Albertus Kranzius narrat lib. 8. Vandaliæ cap. 29. hisce verbis. *Anno 1531. grandis ubique per Germaniam sæviit pestis. Lubecæ in conventu Prædicatorum audivit Frater ex Conversis, qui curam habebat præ cæteris coquinæ, nocte unâ subter se, cùm in strato esset, in hospitali domo strepitum; & interea vocem loquentis ad fenestram coquinæ: Coce, para cibum abituris fratribus. Et ille intus: Quot sunt transituri? Tum ille: Triginta sex de Conventu, & duo allvenæ cum illis profecturi. Miratus ille intempestam evocationem, de lecto surgens intuetur per foramen in domum hospitalem. Videt mensæ assidere numerum Fratrum, quem audierat, in albis, velatis frontibus, ut fieri solet jam tumulandis. Horrens rediit in lectum, nec audebat rem detegere. Sed cùm eventus omnia probasset, funeratis triginta sex de Conventu Fratribus, & duobus qui Hamburgo venerant; tum palam dixit, quod antè vidisset.*

Spectra sub brutorum specie visa.

Spectra sub brutorum specie visa.

Aliquando etiam spectra seu spiritus apparent sub forma brutorum, ut canum, felium, ursorum, leonum, serpentum, &c. Marcus Brutus vidit *horrendam & monstrosam imaginem corporis feri atque terribilis*: Cimon *canem latrantem ac loquentem*, ut diximus cap. 2. Miles Uratislaviæ cum aliis multis vidit *Draconem horribilem, fumum & ignem spirantem*, ut diximus cap. 5. S. Antonius vidit dæmones *sub formis leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentum, scorpionum, pardorum, ursorum*, ut diximus cap. 7. Sub iisdem formis spiritus molestos fuisse Guthlaco Anachoretæ & Confessori, testatur *Wilhelmus Ramesey* Anglus apud Surium tom. 2. & Wilhelmo Pictauorum Comiti ac Eremitæ, ut habet in ipsius vita *Theobaldus*: & Sabæ Abbati, ut est apud *Metaphrasten* in Cyrillo, qui ejusdem res gestas scripsit. Sic ipsorum quidam molestus fuit bubulcis sub specie *tauri*, in fundo Barbiliano, teste *Jo. Diacono* in vita S. Gregor. lib. 4. cap. 93. Alius sub

Digitized by Google

specie *bovis cornupetæ* S. Catharinæ, filiæ Brigittæ, apud Surium tom. 2. Alius in forma *serpentis* adolescenti, qui S. Nicetam consilium rogaturus accedebat, apud Surium tom. 2. Alius in forma *merulæ* avis, Machario Alexandrino, apud Palladium in vita duorum magnorum Machariorum. Alius in forma nunc *passeris*, nunc *simiæ* S. Dominico, ut scribit Theodorus de Apoldia in ejus vita lib. 3. cap. 7. Alius in forma *canis*, religioso cuidam, teste Jo. Diacono in vita B. Gregorii lib. 4. cap. 89. Alius sub forma *arietis*, Duci cuidam sepulchrum Domini visitare cupienti, ut habetur in Prato Spirit. cap. 49. Adamo illi, de quo cap. 9. apparuit dæmon, inter alias formas, sub *asini* specie.

Spectra sub monstrorum specie visa.

Spectra sub monstrorum specie visa.

S. Antonio visus est diabolus, teste *S. Athanasio* in ejus vita, eâ fermè formâ, quâ describitur à B. Job. cap. 41. *Oculi enim ejus erant sicut species luciferi; ex ore ipsius procedebant lampades ardentes; crines incendiis spargebantur; ex naribus egrediebatur fumus, quasi fornacis æstuantis ardore carbonum; halitus ejus ut prunæ; flamma verò ex ore ipsius glomerabatur.* An huc pertineat Hippocentaurus, id est, *homo equo mixtus*; & Satyrus, id est, *homunculus aduncis naribus, fronte cornibus asperatâ, pedibus caprinis* (quos idem S. Antonius vidit in itinere ad S. Paulum primum eremitam, teste S. Hieronymo) examinabimus in lib. de Mirabilibus monstrorum. Huc spectat monstrum Cracoviensis lacus, de quo cap. 8. & forma diaboli, qua se B. Dominico exhibuit in specie *lacertæ deformis, duo grandia capita gerentis*, ut in ejus vita legitur lib. 3. cap. 7. & quæ terruit Marinam Virginem, cui se exhibuit per modum *draconis multicoloris, & serpentibus per totum corpus cincti*, ut testatur frater ipsius S. Gregorius Nyssenus. Illa quoque, qua *centimanus & centipes* aggressus est S. Brigittam puellam adhuc teneram, teste Surio tom. 4. Et illa, quâ in Præmonstratensi monasterio se cuidam Religioso exhibuit, *tria capita* ostendens, & SS. Trinitatem se esse contestans, ut refert Sigebertus circa annum Christi 1125.

§. II. Spectra auditui objecta.

Spectra auditui objecta.

Multa Spectra non tantùm visu, sed etiam auditu, aut certè solo auditu percipiuntur. Quædam enim agitato solùm aëre præsentiam suam insinuant; alia strepitus excitant; alia incedunt, screant, gemunt, vociferantur, rident, similiaque faciunt. Sæpe domus infestas inhabitantes putant noctu ollas, patinas, orbes, mensas subverti, & per scalas dejici; manè tamen facto nihil loco motum deprehendunt. *Lavaterus* lib. de Spectris p. 1. c. 16. asserit, quosdam Spiritus evulsam è cardinibus

bus januam abjecisse, & omnia in domo evertisse ac turbasse, nec postea loco suo reposuisse. Idem ait, noctu in monasteriis, & locis aliis solitariis audiri strepitum instar vietorum, vasa vinaria religantium; aliorumque opificum opificia sua exercentium. Et quando exstruuntur novæ domus, vicinos noctu audire fabros lignarios, cæmentarios, & alios opifices non aliter omnia tractare, quàm si labori diurno intenti essent; cùm tamen constet omnes ab opere cessasse.

Nunc exemplis rem confirmemus. Spectrum Atheniense, de quo cap. 2. §. 1. & Herbipolense, de quo c. 5. & Corinthiacum, de quo cap. 16. *catenarum strepitum excitabat.* Quod ego audivi, *scamna & sedes evertere* putabatur. Virunculi domestici, de quibus lib. 1. cap. 38. *solo strepitu*, quo aliquid facere se simulant, deprehenduntur; quamvis interdum cachinnos edant. Spiritus familiaris Drepanitanus, de quo cap. 37. *lucivè canebat*, & domesticos *clamoribus* præmonebat, loquebatur, & alia faciebat, quæ solùm audiebantur. In fodinis metallicis dæmones montani se *flatu* prodiderunt, ut vidimus lib. 1. cap. 38. In arce Sterlini Scotiæ, ut diximus cap. 12. *gementes & clamantes* noctu audiebantur. In domo, quam inhabitabat Alexander ab Alexand. nocturni audiebantur *tumultus, & horrendi fremitus cum ejulatu, stridulaq. vocis sono.* In Bochnensibus Salinis exaudiebantur *canum, gallorum, & aliorum animalium voces*, ut vidimus cap. 13. In Monasterio Virginum Werteli, quod, ut vidimus cap. 15. à spectris infestabatur, observabatur *incessus ingemiscentis, velut hominis ægroti, & audiebatur vox* evocantis ad se virgines. Nocturna spectra apud Aquilonares populos circumfundunt viatores & armentarios *mirifico concentu.* Dæmon familiaris Drepanitanus, de quo cap. 37. §. 1 jaciebat saxa prægrandia, nullius tamen detrimento: & vasa domestica altè jaculans, non frangebat.

Lavaterus lib. de Spectris p. 1. c. 17. refert ex Felice Malleolo lib. de Nobilitate cap. 30. in historia Rodolphi regis Romanorum extare, quòd Rodolphus, cùm prælio Othocarum regem Bohemiæ vicisset, in campo ubi prælium commissum fuerat, pernoctarit, quòdq; intempestâ nocte lemures seu spectra exercitum *horribili clamore & tumultu* turbarint. Fuisse autem spectra, hinc apparuisse, quòd fumi instar disparuerint.

Idem ex eodem cap. 33. scribit, Anno Domini 1444. ante fortissimam illam pugnam, quam pauci Helvetii contra ingentes Ludovici Delphini Franciæ copias, prope mœnia urbis Basileensis commiserunt, aliquot noctibus, circa illa loca auditos esse, *militum clamores, armorum sonitus, pugnantium strepitus, &c.*

Theodoretus in Vita S. Jacobi cap. 21. apud *Baronium* tom. 5. circa Annum Domini 424. refert de seipso, cùm inimicus esset Marcionistarum hæreticorum, eosque persequeretur; talem noctu vocem audivisse. *Cur tu bel-*

lum

Digitized by Google

lum geris cum Marcione? Cur hanc pugnam adversus eum suscipis? Quanam te unquam affecit molestiâ? Desine belligerare; desine à malevolentia; aut disces experientiâ, quantum bonum sit quies, &c. quæ dabimus infrà cap. 41. §. 3.

Gregorius Turonensis de peste inguinaria à civitate Trevirensi depellsa scribens, hæc habet in vita S. Nicetii. *Cùm lues inguinaria Trevericum populum in circuitu civitatis valdè vastaret, & sacerdos DEI* Nicetius *pro ovibus commissis DEI misericordiam imploraret assiduè; factus est sonus de nocte magnus, tanquam tonitruum validum, super pontem amnis, ita ut putaretur urbs ipsa absorberi. Cùm omnis populus exterritus in lectulis resedisset, lethiferum sibi interitum operiens; audita est in medio vox una cæteris clarior, dicens: Et quid hic, ô socii, faciemus? Ad unam enim portam Eucharius Sacerdos observat; ad alteram Maximinus excubat; in medio versatur Nicetius. Nihil hic ultra prævalere possumus, nisi sinamus hanc urbem eorum tuitioni. Hac auditâ voce; statim morbus quievit, &c.*

Cardanus lib. 19. Subtilit. ex Erasmo Roderodamo, refert historiam, quam hic ex Henrico Glareano audiverat, de oppido Schiltach, octo milliaribus Germanicis à Friburgo distante, dæmonis fraude in cineres penitus redacto, Anno Christi 1533. quarto Idus Aprilis, die Jovis ante Pascha. *Dæmon*, inquit, *sibilo signum dedit è quadam ædium parte. Caupo suspicans esse furem, ascendit, & neminem reperit. Sed idem signum rursus ex altiore cœnaculo redditum est. Et huc conscendit caupo, furem persequens. Cùm nec illic quicquam appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarii. Illicò tetigit cauponis animum, esse dæmoniacum quid: jubet suos esse præsenti animo. Acciti sunt sacerdotes duo: adhibitus exorcismus. Respondit se esse dæmonem. Rogatus quid illic ageret, ait se velle exurere oppidum, &c.* Paulò pòst, totum oppidum conflagravit.

Joannes Curopalates in Histor. Basilii & Constantini fol. 97. sequentia refert. *Hoc tempore*, inquit, *incredibile prodigium accidit in Tracensium regione, ad radices montis Cuzæ, ubi fons est pulcherrimus, & limpidissimæ aquæ. Vox quædam audiebatur miserabilis, cum lamentis, & veh, & ploratu, & mulieris ejulatui similis; idq; non semel, aut iterum, sed à Martio mense usque ad ipsum Junium, dies noctesq;. Cùmq; abiissent quidam locum exploratum, ubi vox illa emittebatur; ejulatus aliò evasit.* Huc spectat historia, quam suprà cap. 7. ex eodem Auctore retulimus de Spectris, nuntiantibus Syracusas esse captas. Item quod retulimus cap. 15. de Spiritu testudine ac citharâ Moniales ad choreas provocante.

§. III. Spectra tactui objecta.

Spectra tactui objecta.

VAriis etiam modis Spectra tactui se objiciunt. Aliquando enim sine ulla corporis læsione, & sine doloris sensu tangunt: aliquando tactos

 propel-

propellunt, protrudunt, & præcipites agunt: aliquando urunt, aut verbera infligunt: aliquando ipsam necem inferunt: aliquando non corporibus tantùm, sed bonis etiam fortunæ incommodant; denique aliquando ad stuprum compellunt.

Spectra sine læsione tangentia.

Ad primum modum, quo *sine corporis dolore & læsione* tangunt, pertinet, quando dormientibus lectum detrahunt, aures vellicant, manus capiti ac faciei admovent, &c. Huc pertinet quod narravimus supra cap. 3. de amico Alexandri ab Alex. in cujus lecto se spectrum collocavit, ad eum propè accessit, quasi eum amplexibus petiturum. Item quod retulimus cap. 2. §. 1. ex Plinio secundo, de fratre liberti sui, & de puero quodam, quibus capilli fuêre à spectro detonsi. Item quod de familiari dæmone patris Cardani retulimus suprà cap. eodem §. 2. quod manum supra Cardani faciem ponebat, & digitum in os ingerebat.

Spectra alios propellentia & præcipitantia.

Ad secundum modum, quo *propellunt, & præcipites agunt*, pertinet quod diximus cap. 16. ex S. Augustino de Spiritibus domum Hesperii vexantibus. Item quæ ex Gregorio Presbytero de aliis Spiritibus retulimus ibidem. Sensit & similes molestias Otto Imperator, qui à Spiritibus è proprio lecto aliquando exturbatus fuit, ut vidimus cap. 14. Sensit operarius in fodina Georgiana, quem ex infimo loco ad supremum, non sine corporis attritu subvexerunt, ut diximus cap. 38. Sensit S. Nicolaus Tolentinas, quem improbus spiritus nunc in terram prostravit, nunc fustibus excepit, nunc dirè ad angulos allisit, ut scribit in ejus vita *Surius tom.* 5. Sensit Euphrasia virgo, à spiritu malo ex tertio solario aliquando præcipitata, aliquando etiam in puteum dejecta, ut in ejus vita narratur apud eundem *Surium tom. 2.*

Spectra alios verberantia.

Ad tertium modum, quo *ustione & verberibus* affligunt, spectat, quod diximus cap. 3. de Nerone Imperatore, qui confessus est, se non præsentiâ solùm matris interfectæ molestari, sed etiam verberibus Furiarum, & ardentibus tædis cruciari. Virginibus Wertelensibus sæpe particulæ carnis ex corpore detrahebantur; & nunc tibiæ, nunc brachia in adversam partem torquebantur, ut vidimus cap. 15. Nobilis Hispanus à Spectro loris crudelissimè fuit cæsus, ut ex Delrio retulimus cap. 4. Euphrasia, cujus paulò antè meminimus, ab immundo spiritu aliquando miserè sauciata fuit, aliquando oleo bulliente perfusa. Alia exempla in præcedentibus inveniet Lector, maximè cap. 13. & libro 1. cap. 38.

Spectra necem inferentia.

Ad quartum modum, quo *necem inferunt spectra*, pertinet quod diximus suprà cap. 11. ex vita Gregorii Neocæsariensis de Spectro, quod in balneis omnes vespere ingredientes gravissimè affligebat, & occidebat. Et quod ibidem ex Prochoro retulimus de Spectro, quod in thermis Ephesinis inter alios multos, quos singulis annis suffocabat, occidit filium Dioscoridis.

dis. Dæmon metallicus Annebergicus in fodinis interfecit uno flatu ampliùs duodecim homines, ut vidimus cap. 38. lib. 1. Hudekin in diœcesi Hildesheimensi strangulavit puerum sibi insultantem, ut vidimus cap. 16. Huc referri potest horrendum exemplum, quod retulimus lib. 1. cap. 37. de quodam Ludimoderatore: & alibi de caupone pejerante, quem dæmon causidici specie abstulit. Item illud quod refert *Michaël ab Isselt* contigisse Anno 1584. Historiæ suæ in pago Apeldorn. *Duo nobiles Germani, inquit, ordinibus militantes, inter se convenerant, ut vino adusto sese tamdiu ingurgitarent, donec alter illorum exspiraret. Si quis prior surgeret, in eum diabolus potestatem haberet. Accidit dum strenuè hac lege potarent, mercatorem fortè illac transire; quem, ut se tertium adjungeret, coëgerunt. Invitus ille huc inductus est, mortisq; metu. Paulò pòst malignus spiritus ingressus locum, ubi sedebant, utriq; cervicem fregit.* Huc præterea spectat historia, quam ex Sifrido Presbytero Misnensi lib. 2. Epitomes suæ, affert *Thyræus* lib. de Locis infestis cap. 19. num. 16. his verbis. *Anno 1260. studiosus quidam miserè deperibat puellam. Cùm aliâ ratione non posset, ipsius sibi copiam fieri per Necromanticum, datâ pecuniâ summâ, cupit. Hic se, adolescentemq́; circulo includit, severissimè, ne eundem egrediatur, imperans. Mox ad conjurationes converso, plurima se species phantasmatum offert; tandem ipsa quoque quæ quærebatur, imago puellæ. Hic adolescens, libidine victus, præcepti immemor, manum extendit, amatam apprehensurus; sed maximo suo malo: siquidem à Spiritu nequam parieti allisus, miserè exhalat animam.*

Germani duo a diabolo abripiuntur.

Adolescens à diabolo occiditur.

Huc denique spectat, quod memini me sæpè audivisse, ac legisse, ni fallor, apud Joachimum Rheticum, de quodam, qui ut motum mirabilem planetæ Martis agnosceret, diabolo se devovit, si eò deferretur, ubi rem propè inspicere liceret: his enim cogitationibus ac desideriis intentus cùm in cubiculo suo sedet, à spiritu quodam arreptus capillitio, cubiculi tholo alliditur, ac ter quatervè circumactus, in terram cum impetu deturbatur, his additis verbis: *Sic est motus Martis.*

Ad quintum modum, quo *bonis fortunæ incommodant*, pertinet id, quod diximus suprà cap. 16. de Spiritu, qui Hesperii domum infestabat, & non tàntùm hominibus erat molestus, sed etiam animalia affligebat. Qui à Theodoro Sicæorum Archimandrita pulsus fuit, mulierum telas, præter alia, rumpebat, ut diximus ibidem. Qui in agro Bingensi sæviebat, horrea & casas rusticorum incendebat, & ad extremam paupertatem miseros redigebat, ut diximus cap. 8. Qui sibilo in oppido Schiltach se prodebat, totam urbem incendit, ut paulò antè diximus. Virginibus in Monasterio prope Xanctas velamen capitis abripiebatur, ut diximus cap. 15. Spiritus Pictavii in Parochia S. Pauli frangebat cyathos & vitra, ut diximus cap. eodem. Alius, ut ibidem dictum, equos è stabulo eductos, agebat præcipites.

Spectra bonis fortunæ incommodantia.

Digitized by Google

Spectra stupra intentantia.

Ad sextum modum, *quo stuprum intentando, aut inferendo infestant homines* diabolici spiritus, pertinent ea, quæ diximus lib. 1. c. 21. & 22. de dæmonibus incubis ac succubis. Hujus rei exemplum contigit in oppido Flandriæ Boerburgi, haud procul à Gravelinga, anno Domini 1587. ubi post quatuor annorum molestias, quas vir doctus ac pius, Joannes à Porca, ibidem Plebanus, cum castissima sorore passus est; tandem spiritus immundus compti adolescentis personam induit, & sororem solam domi deprehensam primò muneribus, deinde minis ad stuprum sollicitavit; tandem etiam, ubi sic nihil proficit, vim Virginis pudicitiæ afferre cœpit: & perfecisset, nisi superveniens frater sororem ex dæmonis manibus eripuisset. Historiam narrat *Thyræus* loco proximè cit. n. 7. ex Appendice ad Historiam dicti anni Michaëlis ab Isselt.

Dæmonis incubi & succubi exempla.

Similia duo addit ibidem Thyræus ex Cæsario, quorum alterum Bonnæ in Diœcesi Coloniensi contigit, alterum Prumiæ in Eiflia. *Bonnæ*, inquit Thyræus, *cùm quidam filiæ suæ pudicitiæ timens, illam in solario domus suæ, si quando exiret, includeret; spiritus in forma adolescentis ad virginem ingressus, cum illa rem habuit. Ægerrimè tulit illa se à Spiritu deceptam, tantùmq; non in furorem rapiebatur. Pater filiæ casum miseratus, ut impósterum à Spiritus molestia libera esset, ipsam aliò misit. Apparet mox dæmon parenti, uxorem suam repetens, & stomachabundus ita pectus ipsius percussit, ut post sanguinis vomitum tertiâ die exspiraverit. Prumiæ verò non fœmina, sed vir diaboli versutias expertus est; verum tamen justâ suâ culpâ. Sollicitaverat ille puellam, ut ad se intempestâ nocte libidinis explendæ causâ, veniret. Venit non illa, sed in illius forma spiritus nequam, fœdumq; concubitum perficit.* Prius illud Cæsarius cap. 8. posterius cap. 10. lib. 3. recenset.

Addit his Thyræus, quod Sozomenus in Trip. lib. 8. cap. 1. refert de Appelle eremita & simul fabro ferrario. Huic, cùm nocte quadam fabrilem artem exerceret, apparuit Dæmon, sub forma speciosæ mulieris, invitans eum ad turpem libidinem, nec non ad labefactandam corporis, & vitæ, quam diu coluerat, puritatem. Statim ille ferrum, quod elaborabat, è fornace extrahens, in faciem eam percussit. Et dæmon stridens, ac ingemiscens, procùl aufugit.

Menippus Lycius à dæmone mulieris specie decipitur.

Placet hoc loco addere historiam miram, quam recitat *Celius Rhodiginus* lib. 29. cap. 4. de quodam Menippo, his verbis. *Fuit Menippus Lycius annos natus quinque & viginti, ingenio haut inscito, corpore item multâ exercitatione valido, ita ut formosi athletæ liberalisq; speciem præ se ferret. Hunc peregrinæ mulierculæ plerique amoribus irretitum putabant. Ea verò, ut tum videbatur, speciosa quidem erat, & prœmollicula, nec non divitiis ubertim fulta; cæterùm ea omnia ostentationem modò exhibebant, veri suberat nihil. In ejus se familiaritatem ad hunc*

Digitized by Google

hunc modum insinuasse ferebatur. Pergebat quandoque Menippus Corintho Concheas solus: ecce phantasma quoddam illi occurrit, quod se in mulieris speciem conformaverat; atque ex manu apprehendens Menippum, jam pridem inquit se illius amore teneri implicitam: esse verò se genere Phœnissam, & in suburbano quodam juxta Corinthum habitare; idq; etiam digito monstrans, illuc veniret, hortari cœpit. Quod si, inquit, feceris, intentam musicis invenies me, & vinum bibes quale non sæpe alias, nec te rivalis ulla vellicabit suspicio. pulchra siquidem pulchro contenta vivam, & moriar. His blāditiis delenitus adolescens, etiāsi philosophia mysteriorū haud expers, amoribus tamen obniti obluctariq; non valens, vesperi ad mulierem pergit, ac frequenter deinceps, perinde ac ad suas delicias. Necdum enim, cujusmodi phantasma esset, callebat. Id intuitus vir quidam (ut ipse interpretor) magus, aut philosophus, ut tum creditum est, & summa gravitate ac prudentiæ, primò statuarii instar Menippum inspectans, hominem expendebat, contemplabaturq́. Ubi verò rimatus abundè est visus: O formose! inquit, & à formosis expetite mulieribus, ὄφιν θάλπεις καὶ σὲ ὄφις, id est, serpentem confoves, & te. Cùm in iis mirabundum animadverteret Menippum; hoc proinde, inquit, dixi, quoniam mulier est tibi, quæ uxor non est. Sed rogo te, ecquid ab illa te amari putas? Per Jovem, inquit Menippus, & quidem eximiè. An igitur, inquit is, eam tibi in matrimonium adscisces? Equidem, respondit: quid enim jucundius, quàm amantem ducere? Quando, inquit ille, futuras opinaris nuptias? Citò, ait; vel fortasse cras. Id cùm vir ille inaudisset, observans convivii tempus, cùm jam vocati præstò forent, posteaquam illuc & ipse perrexit: Ubinam, inquit, mulier est, cujus causâ convivium celebraturi convenistis? Tunc Menippus: Propè adest, inquit. At is: argentum hoc, & aurum, cæteraq; domus hujus ornamenta, tuanè, an mulieris sunt? Mulieris, inquit; ac semilaceram & pilarem omnino vestem ostendens: Tales mei, inquit, cultus sunt. At ille ad eos qui aderant conversus: Tantali, inquit, hortos videtis, qui, sicuti ab Homero proditum est, speciem quidem præferunt aliquam, cùm tamen sint nihil. Ejusmodi verò ornatum hunc omnem concipiatis licet; neque enim quæ videtur materia ulla subest, sed simulacrum modò est, ac imago. Quod ut verum sciatis, bella hæc sponsa, una est τῶν ἐμπουσῶν, ἃς λαμίας τε καὶ μορμολυκίας οἱ πολλοὶ ἡγοῦνται, hoc est, ex Empusis, quas lamias & mormolycias plerique putant. Sunt autem in amorem & Venerem proclives, & humanas carnes vehementer expetunt; Venereorumque cupidine alliciunt multos, quos deglutiant mox. Hæc verò audiens illa: Age, inquit, meliora loquere: atque inde offensior ac perturbatior philosophos paulò procaciùs proscidit, eos omnes delirare inquiens. Ubi verò aurea supellex, & imaginarium argentum, velut fumus effluxére, administriq;, & coqui, ac reliqua familia increpita evanuit; lamia lacrymanti jam similis rogabat, ne se torqueret, nevè quid esset, fateri cogeret. Illo autem acriter instante, nec se dimissurum asserente, tandem sese lamiam confessa est, & voluisse Menippum volupta-

Dæmonis succubi historia mira.

 tibus

tibus delinitum obvolvere, ut ejus postea corpus deglutiret. Esse namq; sibi persamiliare, formosiorum vesci corporibus, ubi ad summam sanguinis abundantiam venissent. Hactenus Rhodiginus, qui ea ex Philostrato desumpsit.

Fuit hæc mulier sine dubio dæmon, mulieris specie. Formosorum corporibus se vesci dixit, quia id persuasum habebant antiqui. De Lamiis nos infrà, cùm de Mirabilibus Hominum, aut Monstrorum.

Dæmonis incubi mira historia.

Succubi dæmonis historiam audivimus: addamus nunc aliam Incubi, priori mirabiliorem, quam ex vita S. Bernardi refert *Thyreus* lib. de Locis infestis cap. 92. de muliere quadam à diabolo miserrimè vexata, his verbis. *Apparuit illi diabolus in specie militis valde pulchri aspectu, in amorem suum intus suggestione latenti, extra locutione blandienti, animum ejus falaciter inclinavit. Cumq; assensum mulieris obtinuisset, expansis brachiis pedes ejus supra unam manuum suarum posuit, alterâ verò manu caput ejus operuit, sibiq; tam hujus fœderis signo dotavit. Illa quidem virum habebat strenuum militem, sed hujus execrabilis commercii penitus ignarum. Abutebatur ergo illâ, etiam in eodem loco cubante marito, invisibiliter, impurissimus ille adulter, & incredibili vexabat libidine. Sex annis tantùm latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo verò anno confusa est in seipsa, & expavit, tum propter colluvionem tam continua turpitudinis, tum propter timorem DEI, cujus judicio singulis momentis timebat intercipi, & damnari. Confugit ad Sacerdotes, & piaculum confitetur; peragrat loca sancta, & Sanctorum implorat suffragia: sed nulla ei confessio, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio suffragatur. Quotidiè ut priùs, & importuniùs à dæmone infestatur.* Quomodo tandem à D. Bernardo fuerit liberata, dicemus infrà hoc eodem libro.

CAPUT XXIX.

Qualia sint corpora illa, in quibus Spectra apparent hominibus.

IN tribus præcipuè formis Spectra apparere hominibus diximus, hominum, brutorum, monstrorum. Quærimus nunc, qualia sint illa corpora, in quorum formis apparent: an vera, an phantastica.

§. I. Qualia sint ex philosophia communi.

Corpora Spectrorum qualia sint.

SUppono ex dictis lib. 1. variis capitibus, *Primò*, posse Angelos ac dæmones producere vera aliqua animalia imperfecta; & tam hæc, quàm perfecta, aliunde celerrimè adducere. *Secundò*, posse assumere hominum ac brutorum tam vivorum, quàm mortuorum, corpora; in iisque exercere actiones similes hominum ac brutorum actionibus, cujusmodi sunt ambulare,

Digitized by Google

lare,ſedere,clamare,loqui,tangere , percutere,&c. quæ tamen non ſint actiones vitales,cùm careant principio vitali,quæ eſt anima informans.

Suppono præterea ex philoſophia communi,tract de Anima ſeparata, habere animam ſeparatam , quocunque in ſtatu ſit,potentiam naturalem movendi ſe,& alia à ſe diſtincta,non ſecus ac Angeli illam habent. Itaq; ſi corpori alicui vicina ſit,aut eidem intimè præſens,poterit illud movere ;& illo mediante,alia corpora. Similiter ſi corpori hominis,aut bruti alicujus, ſive organicum illud ſit,ſive ex aëre formatum,internè ſit præſens ; poterit cum illo progredi,ſedere,tangere alia corpora,percutere,&c. An verò ipſa ſibi ipſi propriâ virtute formare poſſit corpus ex materia aliqua , ſicut de Angelis ac dæmonibus diximus,incertum eſt. His ſuppoſitis,

Ajo I. Corpora Spectrorum quæ humanam figuram referunt,vel ſunt humana cadavera,vel corpora ex aëre aut alia materia formata. Ratio eſt; quia tam dęmones,quàm animæ ſeparatę,poſſunt aſſumere cadavera,&in illis apparere:Item dæmones poſſunt formare ſibi elementaria corpora , illaque aſſumere : Animæ verò ſeparatæ,ſi non poſſunt illa eadem formare, poſſunt tamen ab Angelis aut dæmonibus formata aſſumere , & cum illis ambulare,ſedere,&c. Exiſtimo tamen,rariſſimè cadavera aſſumi à dæmonibus,& animabus ſeparatis,quia humana corpora in quibus apparent,plerumq; objiciuntur ſub nota aliis ſpecie, & tamen longo tempore poſt obitum illorum , quos referunt,apparent,quando cadavera jam ſunt ſanie ac tabe confecta.

Ajo II. Corpora Spectrorum,quæ brutorum figuram referunt,vel ſunt verorum brutorum corpora , à dæmonibus aliunde allata;aut,ſi imperfecta ſint,ab ipſiſmet producta ; vel utplurimùm ſunt corpora elementaria ab ipſis efformata dæmonibus,ab iiſq; aut animabus aſſumpta. Ratio eſt, quia talia eſſe poſſunt ; alia verò ab his omnibus diſtincta eſſe non poſſunt,in communi philoſophia.

Ajo III. De monſtrorum corporibus , in quorum formis ſpectra apparent,idem dicendum eſt,quod de brutorum corporibus diximus.

Ajo IV. Spectra quæ apparent ſub tribus prædictis formis , nec veri ſunt homines , nec vera bruta,nec vera & viva monſtra. Ratio eſt , quia quæcunque illa ſunt corpora, in quibus apparent Spiritus , aut non ſunt verè organica; aut ſi organica ſunt , non informantur ab illis : nam dæmones non ſunt formæ informantes,ſed ſubſtantiæ completæ ; animæ verò ſeparatæ non poſſunt propriâ aut dæmonum virtute informare corpora, quæ antea informaverant , alioquin reſuſcitatio ſeu reſurrectio hominis poſſet fieri naturaliter.

Ex hoc ſequitur,corpora in quibus Spectra apparent, non eſſe animata ac viventia,cùm neque in hominum,neque in brutorum , neque in mon-

ſtrorum

ſtrorum etiam genere ſint. Vera tamen ac realia ſunt corpora, quia aut cadavera, aut ex aliqua materia efformata.

Ajo V. Corpora in quibus Spectra apparent, poſſunt eſſe phantaſtica. Ratio eſt, quia Angeli & dæmones poſſunt illudere ſenſibus noſtris, & facere, ut appareat eſſe id, quod non eſt, ut vidimus lib. 1.

§. II. Qualia ſint ex philoſophia nova.

AUctores aliqui recentiores, quibus vileſcunt vetera, & prurit ad nova atque exotica ingenium, novam cudunt philoſophandi rationem circa modum quo res corporeæ ſenſum movent; putantque, illo admiſſo facillimè explicari poſſe quomodo res ſpirituales, nempe intelligentiæ & Animæ ſeparatæ, nulla aſſumendo corpora, efficere queant ut videantur, audiantur, tangantur, ſub certis corporum ſpeciebus, eo prorſus modo, quo corpora, ſub quorum ſpeciebus videntur, audiuntur, tanguntur, viderentur, audirentur, &c. Unam aliquorum philoſophandi rationem inſinuavi lib. 1. cap. 10. Aliam nunc affero ex Emanuele Magnano cap. 33. & ult. Philoſophiæ Naturæ Propoſit. ult. num. 31. ubi ait, Animas corpore exſolutas, pariterque alias Intelligentias, aliquando mortalibus apparere ſub ſpecie humana, vel alia, haberi ex hiſtoria, tum ſacra, tum profana: modum autem, quo fiunt hujusmodi apparitiones, talem eſſe. *Res corporea, cùm nullam aliam agendi vim habeant, quàm ut moveant localiter, vel reſiſtant motui locali; conſequenter non aliâ vi ſe prabent ſenſibus, quàm eâ, quâ proprios motus tanquam proprios characteres ſeu ſpecies imprimunt ſenſibus, vel quâ reſiſtunt alienis motibus. Itaque ſi intelligis, poſſe ſubſtantiam immaterialem exercere in ſenſus illos omnes motus, quos poteſt hac vel illa corporea ſubſtantia in eosdem ſenſus exercere; itemq; reſiſtere motibus alienis ad modum & menſuram reſiſtentiæ, quam ad eosdem motus exercet ſubſtantia corporea: hoc ipſo intelliges, eandem immaterialem ſubſtantiam poſſe percipi ſenſibus ſub ſpecie non propria, ſed aliena; id eſt, poſſe apparere ſub ſpecie & forma corporea, videlicet ejus corporeæ ſubſtantiæ, cujus imitabitur movendi, aut motui reſiſtendi modum atque menſuram. Igitur anima ſeparata, vel Angelus, ut dent ſeſe in conſpectum noſtrum; minimè egebunt (ut vulgò putatur) compingere ſibi, & coaptare corpus aëreum tali modo compactum, conſtipatum, figuratum, &c. ut colorem habeat, & figuram, & duritiem, & pondus ejus corporis; in cujus ſpecie optant apparere: ſed ut viſui v. g. ſe exhibeant, omnino ſufficiet eis (quod eſt longè facilius & expeditius) ſi illâ ipsâ vi, quâ putantur compingere, formare, movere, &c. aëreum illud corpus, lucem incidentem refringant, & reflectant ad oculum eâdem menſurâ, & eodem modo, quo eam refringeret, & reflecteret, ſi adeſſet corpus illud, cujus in ſpecie volunt apparere. Ac ſimiliter ut auditui ſeſe offerant, ſufficiet, ſi aërem velut ex arte, nempe imitando naturam, eodem modo pellant & verberent,*

berent,quo eum pelleret ac verberaret, si adesset res corporea sonora , cujus imitari incipiunt sonum : sic enim aër verberatus , motum illum ab immateriali substantia receptum , communicabit tympano auris ; & consequenter hac percipiet sonum omnino similem ei,quem ederet,vel edere solet res illa corporea ; & ita substantiam immaterialem percipiet auditus sub specie talis rei sonora. Et ita de aliis sensibus. Atque ut vides ,hac arte potest facillimè Angelus vel anima dare se in conspectum unius,& se occultare alteri : quod sanè esset illis impossibile in eo aëreo , ut putant, involucro assumpti corporis:hujusmodi enim corpus,quantum est de se,omnibus indifferenter & aquè daret species sui.

Hæc philosophandi ratio est,meo judicio,longè difficilior , quàm communis ; quod facilè ostenderem , si hoc hîc agendum foret. Unum solum quæro,cur frigida Spectrorum corpora plerumque sint, prout esse experientiâ constat,& postea cap. 32. dicetur ; & quomodo succubi & incubi officium peragant dæmones,si vera corpora non sunt, in quibus illa opera exerceant. Retineo igitur communem & à tot jam Sæculis receptam philosophiam: alioquin dicendum foret,semper in hujusmodi apparitionibus illudi sensibus nostris,& nunquam percipi verum corpus.

CAPUT XXX.

Quales sint voces , soni , strepitus , ac tumultus, quos spectra excitant.

Spectra sonos ac tumultus excitantia.

EX variis historiis toto hoc libro relatis constat , spectra sæpe excitare voces,clamores,gemitus,risus,cantus,strepitus,tumultus,&c. Quæritur quales hi sint;an veri videlicet,nec ne. Breviter expedio.

Soni à spectris quomodo excitentur.

1. Soni,strepitus,tumultus,&c. qui à spectris excitantur, aut excitari putantur,aliquãdo sunt veri,aliquando nõ.Ratio primi est cõmunis omniũ sensus atque consensus,quotidianâ experientiâ confirmatus : omnes enim judicant,se audire veros sonos ac strepitus,nec probabile est,omnes hactenus fuisse falsos,tametsi aliqui subinde fallantur , ut dicemus. Confirmatur ex eo , quòd aliquando organum auditûs graviter ex ejusmodi sonorum perceptione lædatur;& quòd ab omnibus , qui aliquo communi loco circumscribuntur, percipiantur , tametsi propter unum tantùm ex omnibus terrendũ aut affligendum excitentur, reliqui verò innoxii sint. Ratio secundi est , quia aliquando contigit,ut in multorum præsentia unus tantùm aut alter tumultus ac strepitus se audire putet , & afferat,reliqui verò nihil percipiant. Verum quidem est,contingere posse,ut veri etiam soni ab uno aut altero percipiantur,ac aliis præsentibus non percipiantur;quoniam uti organum visûs,ita & auditûs impediri à dæmone potest, quò minùs objectum suum percipiat ; negari tamen non potest , auditui non mi-

Digitized by Google

nùs quàm visui illudi posse, ut audiri putentur, quæ minimè sunt. Patet ergo Assertio.

Voces Spectrorum non sunt verè & univocè voces.

II. Voces, clamores, gemitus, risus, & cantus, qui subinde à Spectris fiunt, non sunt verè & univocè voces, clamores, &c. sunt tamen aliquando veri soni. Ratio primi est, quia ad voces, clamores, risus, & cantus edendos, qui verè tales sint, requiritur anima informans partes corporis, ad similia edenda requisitas, velut organa, ut ex Philosophia constat. Sola ergo animalia edunt veras & univocas voces, gemitus, risus, cantus, &c. Ratio secundi est, quia formantur ex collisione aëris & corporum, & auditus organum alterant, non secus ac verorum hominum & animalium voces, &c.

Ex hoc sequitur, Spiritus, qui prædictas voces, clamores, risus, &c. edunt, non indigere organis, hominum & animalium organis similibus; hoc est, non indigere ore, non palato, non dentibus, non linguâ non gurgulione, non pulmone, non aliis instrumentis: possunt enim sine illis edi prædictæ non veræ & univocæ voces, &c.

Strepitus quomodo excitentur à Spectris.

III. Soni, strepitus, ac tumultus, non semper à Spectris excitantur iis corporibus ceu instrumentis, quibus excitari putantur. Ratio est, quia sæpe disjecta putatur suppellex, susque deque versa scamna & similia alia, quæ tamen prorsus immota manent. Sæpe excitari putantur soni malleis, quãdo nullus malleus est domi: sæpe armorum, catenarum, aliarumq; rerum collisio creditur fieri, cùm nulla sint arma domi, nullæ catenæ. Aërem itaque collidunt sæpe spiritus, eâ arte, ut prædictorum corporum collisio repræsentetur. Sæpe tamen illis ipsis corporibus excitatur sonus à Spectris, quibus excitari creditur, quoniam verè aliquando similia corpora reperiuntur disjecta, & confracta. Hæc sufficiant pro hoc capite.

CAPUT XXXI.

Quomodo Spectra in assumptis corporibus tangant, verberent, urant, necem inferant.

Spectra in assumptis corporibus quomodo tangant, &c.

QUòd verè Spectra viventes tangant, verberent, urant, interimant; probavimus suprà multis exemplis cap. 29. Quomodo hæc fiant, brevissimè explico.

I. Spectra in assumptis corporibus vero mathematico contactu tangunt viventium corpora illa, quæ tangere vulgò dicuntur, adeò ut inter spectrorum corpora quæ tangunt, & viventium corpora quæ tanguntur, nihil intermediet, sed utrorumq; extrema simul existant. Patet experientiâ frequenti & ferè quotidianâ, dum spectra alios verberant, vellicant, trahũt, attollunt in altum, dejiciunt, guttur elidunt, &c. Non tamen talis tactus respectu spectrorum est vera & vitalis sensatio, quoniam non proficiscitur ab animato corpore.

II. Ex

Digitized by Google

II. Ex his patet, quid de verberatione, vulneratione, occisione sit dicendum: verè enim Spectra verberant, & vulnerant, & aliquando ad necẽ usque, ut ex suprà relatis exemplis constat. Et hæc quidem faciunt aliquãdo immediatè, per assumpti corporis mẽbra, puta manus, pedes, &c. aliquãdo per arrepta alia corpora velut instrumenta, puta per fustes, lora, gladios; aliquando per solum aërem vehementiùs concitatum, quo alia corpora impellunt, evertuntque. Patet ex iisdem exemplis.

III. Urunt vel assumpto aliunde vero igne: vel corpora ita compingendo ex variis materiis, ut urendi vim habeant aut formaliter, ut ignis; aut eminenter, ut urticæ. Hæc sufficiant.

CAPUT XXXII.

Discutiuntur conditiones corporum, in quibus Spectra apparent.

Corporum conditiones, in quibus spectra apparent.

CORpora vera, in quibus Spectra videntur, audiuntur, tanguntur, & subinde etiam odoratu percipiuntur (ut ex relatis suprà exemplis de Spectro Uratislaviensi, & illo, quod Monacho Fratri Adamo apparuit, constat) aut verorum animalium corpora esse diximus, aut humana ferinavè cadavera, aut ex aëre, aliavè materia compacta simulacra. Lubet hæc meliùs stabilire exemplis, & ratione.

§. I. De veris verorum animalium corporibus.

Corpora verorum animaliũ, in quibus spectra apparent.

AD vera igitur verorum animalium corpora quod attinet, quin illa dæmones saltem subintrare, & varias operationes per illa exercere queant, dubium non est, & patuit in serpente qui Evam decepit, & quotidie in energumenis experimur. Et talia fuêre verisimiliter corpora animalium illorum, in quorum forma apparuerunt dæmones S. Antonio in eremo, ut vidimus suprà cap. 7. ex S. Athanasio in Vita dicti Sancti. Talem etiam fuisse credibile est canem Agrippæ, de quo lib. 1. cap. 37.

§. II. De cadaveribus humanis, ac ferinis.

Corpora cadaverica, in quibus spectra apparent.

AD cadavera humana ac ferina quod attinet, possunt sine dubio dæmones illa assumere, movere, ac impellere, non quidem motu vitali, id est, ab anima informante profecto, sed locali tantùm. Et hæc corpora, si non sunt valde dissoluta ac tabida, possunt ita temperare, calefacere, inflectere, ac movere, ut non tantùm visus, sed etiam tactus sensum fallant, existimenturque esse viva corpora, propter carnis mollitiem, ossium duritiem, teporem ac suavem calorem, & cæteras tangibiles qualitates. Nec desunt hujus rei exempla. *Guilhelmus Parisiensis* part. ult. de Univers. scribit, dæmonem aliquando assumpto bestiæ cadavere delusisse

Digitized by Google

militem; qui cùm putaret, se formosâ potitum virgine, invenit se in amplexu cadaveris belluini tabe soluti fœtidissimè jacentem, ut diximus etiam lib. 1. cap. 21. in fine. Quid cum cadavere studiosi Lovaniensis fecerit dæmon jussu Agrippæ; diximus eodem Lib. cap. 36. ubi etiam alia similia exempla reperies. In historia Laodunensis energumenæ Nicolai de Obry, legimus, diabolum Baltazum, assumpto suspendiosi corpore, conatum abigere ab ea Exorcistam. *Cæsarius* Monachus Eisterbacensis lib. 12. Miracul. cap. 3. scribit, cujusdam Principis Germani mortui corpus gestasse dæmonem integro anno, priusquam sepeliretur, & ita rexisse, quasi illud vegetaret. Subdit, similia legi in vita S. Patricii Hybernorum Apostoli, de quodam homine, in cujus corpore multis annis diabolus habitans pro anima, ad nutum viri Sancti tandem exivit, corpus verò corruit, & in pulverem redactum fuit. Et cap. 4. ejusdem libri scribit, Clericum quendam adeo dulcem ac suavem habuisse vocē, ut audire eum deliciæ putarentur; donec Religiosus quidam vir superveniens, monuit non esse hominis vocem sed diaboli; dæmonemque adiuravit: *quo discedente, cadaver corruit planissimè fœtens.* Credibile etiam est, diabolum sive succubum, sive incubum, utplurimùm induto cadavere humano cum sagis rem habere; unde & in hoc hominum genere cadaverosum quendam fœtorem graveolentiæ deprehendi ait *Delrius lib. 2 Disquisit. Magic. q. 28. sect. 1. in fine.*

Succubi dæmonis exemplum mirabile.

Mirabile est exemplum, & fabulæ simile, quod *Phlegon Trallensis* (qui eclipsin, quæ Christo in cruce moriente contigit, cum aliis spectavit) lib. de Mirabilibus & Longæv. refert; quod tamen occulatâ se fide Trallis cognovisse testatur. Rem compendio narrat ex ipso *Delrius* loco paulò antè citis verbis. *Philinnium Damostrati hospitis & Charitus filia, Machatem hospitem amare cœpit. Indignè id ferentibus parentibus, mœrore mortua, & publicè fuit funerata. Sexto post obitum mense, cùm eò reverti sset Machates, ingressa ad illum Philinnium hospiti se, post longa colloquia, commiscuit non semel illo vesperi; quo & cum eo cœnam sumpsit, & annulum ferreum, & poculum inauratum à Machate dono accepit, ipsi vicissim annulum aureum, & fasciam pectoralem dedit. Nutrix, dum pergit sedula, ne quid hospiti desit, satagere; videt cum eo in lectulo jacentem alumnam. Læta parentibus id indicat. Illi stupentes accurrunt, & altero die utrumque deprehendunt, & cum ejulatu dormientem cum hospite filiam amplectuntur. Sed torvis in eos intuens Philinnium: O vos crudeles, ait, in filiam parentes! ergonè vos invidisse mihi, meo Machatâ, paterna in domo vel triduum solidum frui? Magno vobis dolore hæc sive curiositas, sive duritia stabit. Renovabitis dolores præteritos, & filiam iteratò sepelietis. His dictis, expalluit, & concidit cadaver, mortuo iterum simile, seu potiùs (ut erat) mortuum. Concidêre simul oppressi mœrore parens uterque. Re populus & Magistratus intellectâ, jubent sepulchrum aperiri. Vacuum id corpore repertum. Erant in eo duntaxat annu-*

Digitized by Google

annulus ferreus, & Scyphus auratus, dona Machatæ. Sed in cubili & lectulo inventum cadaver Philinnii; & Hilli cujusdam auguris consilio, ut prodigium, ejectum extra urbis limites, avibus ac feris devorandum. Ipse Machates à spectro videns se delusum, sibi paulò pòst manus, ignominiam non ferens, conscivit. Hæc ex Phlegonte, fusiùs narrante, Delrius.

§. III. De Corporibus elementariis.

Corpora elementaria, in quibus spectra apparent.

AD corpora elementaria, ex aëre aliavè materia compacta, quod attinet, circumdat ea sibi utplurimum diabolus, dum visibili formâ apparere vult, & non aliter sibi unit, quàm motori intus existenti corpus mobile & inanimatum unitur. Et in talibus corporibus plerumque etiam animæ defunctorum apparent, quamvis non ipsæ sibi illa conficiant, sed Angeli boni, aut mali. Dubitat tamen *Delrius loc. cit. sect. 2.* an possit dæmon ex solo aëre materiam desumere pro talibus corporibus; putatque non posse eum condēsare solum aërem ita, ut quid solidū exhibeat. Sed sive possit, sive nō possit, ait solere ipsū aëri commiscere partes terreas, & aqueas, nubiū, vaporum, exhalationum, ut & colores faciliùs hac mixtione exprimat, & meliùs membra conglutinet atque condenset. Et hanc ait esse sententiam *P. Ludovici Molinæ* 1 part. q. 51. a. 2. disp. 2. & antiquiorum. Nec Virgilium id ignorasse, cùm cecinit Æneid. 10. *Tum Dea nube cavâ tenuem sine viribus umbram, in faciem Æneæ, visu mirabile monstrum, Dardaniis ornat telis, &c.* Non aëre solo, sed nube mixtâ efformat umbram seu simulacrum. De vapore *Sprengerus in Malleo* docet, visas veste subductâ in agris mulierculas, corpus motitantes, crissantesque solas; & adspectum mox dæmonem vaporis sive exhalationis atræ habitu recedentem. Ego putarim, utrumque posse ac solere Angelos ac Dæmones, ex solo scilicet aëre, & ex aëre aliis materiis mixto, efficere corpora, quæ elementaria vocavi: nam sæpe apparentes in assumptis corporibus, evanescunt subitò in conclavibus undique clausis, ut nullum appareat vestigium vaporis, aut alterius crassioris materiæ. Solo ergo aëre tunc constant talia corpora. Nisi velimus dicere, celerrimè subduci ex conclavi, & extrà abire in aërem ac vaporem, &c.

Talia corpora habuerunt sine dubio Spectra plurima, quorum in præcedentibus mentionem fecimus, ut illud quod apparuit Athenodoro, Facio Cardano, Curtio Ruffo, Pertinaci Imperatori, Constantio Juliano, Julio Cæsari, & aliis. An verò in his, & in omnibus Gentilium ac damnatorum apparitionibus semper dæmones & nunquam animæ damnatorum apparuerint (quod existimat *Delrius loc. cit. Sect. 2.*) non ausim dicere: puto enim (ut suprà dixi) etiam damnatorum animas subinde in assumptis cor-

poribus apparere; cujus contrarium docet Delrius. Crediderim tamen quod addit, dæmonum apparitiones esse illas omnes, in quibus Spectra apparentia miscent varia, multiplicia, & otiosa colloquia; ut fuit illa Facii Cardani, de qua lib. 1. cap. 37. §. 2. Hinc pronum est judicare de apparitionibus factis *Melanchthoni*, qui *lib. de Anima*, testatur, se & colloquia & disputationes cum plurimis Spectris instituisse. Qualis fuerit vir ille grandis, quem Basileenses Ecclesiastæ in quadam Epistola, teste *Thyræo lib. 1. Apparit. cap. 9.* ajunt, visum in templo, Carolstadio concionante, ædes ipsius intrasse, ac filio imperasse, ut patri indicaret, eum post triduum à se auferendum (quod & factum, sublato tertio die è vivis Carolstadio) judicet Lector.

Spectrorum apparentium corpora subinde brevi temporis spatio crescunt, & decrescunt, & quæ antea sub gigantea videbantur mole, paulò pòst pigmæorum vix excedunt. Hujus rei causam putat esse *Psellus*, quòd aërea constent substantiâ, quæ facillimè rarefieri ac condensari, ac proinde dilatari ac spissari, dæmonis ope potest.

§. IV. De corporibus mirè efformatis.

Corpora mirè efformata, in quibus spectra apparent.

PRæter tria enumerata corporum genera, ait *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. Sect. 2.* reperiri aliud rariusculum, quorundam figmentorum seu statuncularum; de quibus exhibet ex *Thoma Brabantino lib. 2. de Bono Univers. cap. 57. pag. 21.* sequentia duo exempla. *Gunerchena Brabantiæ villa est solemnis & nota. In hac quidam juvenis puellam virginem adamavit. Cùmq; pro ejus nuptiis parentibus ejus loqueretur, & illi renuerent; puella medio tempore incidit in febrem acutam: quâ ingravescente, omnibus mori visa est. Luctu ergo facto, campanæ quasi pro mortua pulsatæ sunt. Nec mora: juvenis amator puellæ de villa eadem in crepusculo noctis transibat ad aliam: & cùm per dumeta pergeret, audivit vocẽ quasi fœminæ lamentantis. Sollicitè ergo discurrens, & quærens auditam, invenit puellam quam mortuam æstimabat; cui & dixit: Mortuam te plangunt tui, & hùc unde venisti? Ecce, ait, vir ante me vadit, qui deduxit me. Stupefactus ad hoc juvenis, cùm neminem alium nisi puellam videret, audacter rapit eam, & in domum extra villam protinus occultavit. Hinc regressus in villam, amicis suis loquitur: ingreditur ad patrem puellæ, cum amicis suis sedentem ad funus: quærit si filiam suam sibi daret, quam quasi mortuam deplangebat. Cui pater admiratus respondit: Nunquid pro DEO mihi es, ut mortuam resuscites, & accipias in uxorem? Cui juvenis: Tantum, ait, libens spondeas, ut filiam tuam habeam in uxorem, si vivam reddidero, & sanatam. Cui pater consentiens, dictum coram omnibus confirmavit. Mox juvenis revelato linteo, quo cooperta putabatur, figmentum mirabile, quale à nullo hominum fieri potuit, invenerunt. Dicitur autem ab his, qui figmenta hujusmodi Diabolica inspexerunt, esse interiùs putrido ligno similia, levique exteriùs*

Digitized by Google

ter ius pellicula circumducta. Hinc reducta puella est,& patri reddita: sanaq́, post dies aliquot dictum juvenem maritum accepit,& usque ad tempora nostra incolumis perduravit.

Simili propè modo, cùm quidam in confinio Flandriæ sororem languidam, & mortuam putatam, sub eadem die, antequam sepeliretur figmentum, inter arundineta juxta maris littora invenisset; reduxit eam ad propria: & ingressus domum, ubi ab amicis quasi mortua plangebatur, discoopertum figmentum extracto gladio in frusta concidit, horrentibus cunctis, & clamantibus, cur in funus sororis tanta crudelitate sæviret. Et mox subridens: crudelis, inquit, videor in sororem? Non est illud sororis corpus, sed figmentum & illusio dæmonum. Et hæc dicens, secum cunctos accepit, & adduxit ad domum propriam, & eis sororem reductam ostendit. Et hæc usq; ad tempora nostra permansit.

Quid de his sentiendum, ait Delrius cum Alberto Magno, & Cantipratense, sibi non liquere. Fieri posse à dæmone, DEO permittente, dubium non est. Putat tamen idem Delrius, procum in primo hoc exemplo, & puellam in secundo, fortè Satanæ partiarios fuisse. Idem ego judicium formavi, antequam Delrii crisin legissem.

§. V. De forma corporum, in quibus spectra apparent.

Corporum forma, in quibus spectra apparent.

IOannes *Tritbem.* libro octo Quæstion. quæst. 6. *Thyræus* lib. 1. Apparit. cap. 9. & seqq. *Delrius* lib. 2. Disquisit. Magic. q. 26. sect. 3. & alii, signa aliqua commemorant, è quibus agnosci queat, utrum spiritus qui in corporali forma apparent, Angelici sint, an humani; Angeli boni, an dæmones; Animæ beatæ, an damnatæ, aut purgandæ.

Animæ in quibus corporibus appareant.

I. Humanas animas jam beatas ajunt lætiore vultu apparere; quæ adhuc purgantur, nubilo ac tristiori. Hoc probabile videtur. Adderem, damnatorum animas apparere vultu tetrico, deformi, irato, &c. Sed hæc melius postea.

Angeli in quibus corporibus appareant.

II. Angelicos ab humanis spiritus ita discernunt aliqui, ut humanos esse velint, si se barbatos, senes, pueros, fœminas exhibeant; aut mœsto habitu; nihil enim horum Angelos decere autumant. Item si in animalium formis appareant; putant enim Angelos in nulla animalis, etiam columbæ specie, solere se exhibere. Item si humanam cognitionem superantia prædicant. aut doceant. Item si preces, vel quid aliud subsidii postulent. Sed hæc discrimina nec Delrio, neque mihi quoque placent. Nam Angeli etiam prædictas formas suscipere solent, ut dicemus; & animæ Beatorum multa nunc nôrunt, quæ viatorum superant cognitionem, ut & futura etiam, DEO revelante. Incertæ ergò sunt illæ notæ. Quibus & historiæ nonnullæ repugnant. Nam in vitis Patrum habetur, Angelum Anachoretæ judiciorum DEI inscrutabilem abyssum intelligere cupienti apparuisse

specie

ſpecie & vultu ſenili. S. Auguſtino Commentarios de Trinitate cogitanti apparuit Angelus pueri ſpecie , conantis caſſo labore totum Oceanum exiguo cochleari exhaurire, & in exiguam ſcrobem transfundere, ut ſcribit *Jacobus de Voragine ſerm. 3. de Trinit.* & alii multi. Hiſtoria pervetus certaminis D. Dorotheæ, apud *Surium tom. 1.* narrat, Angelum ſimilem puero quadrimo pulchellulo, & tenellulo, roſas ſuavè rubentes, & mala recentia, Theophilo, mediâ hyeme, cùm illis in locis omnia gelu vi frigoris conſtricta horrerent, attuliſſe, ut Theophilus *(per jocum tamen)* petierat, & animoſa Virgo promiſerat. Ruffinus & D. Bonaventura teſtantur, D. Gregorio Nazianzeno ſe videndam obtuliſſe Sapientiam cum Caſtitate: probabile autem eſt , fuiſſe Angelos fœmineo ſchemate indutos. In vita D. Gommari apud *Surium tom. 5.* legitur, Angelum à DEO miſſum, in columbæ ſpecie mirabili ſplendore rutilantis , ſupra tentorium ſe conſpiciendum præbuiſſe. Alias hiſtorias lege apud *Delrium loc. cit.*

Corpora à dæmonibus aſſumpta, an ſemper defectum aliquem habeant.

III. Vulgaris perſuaſio eſt, quando diabolus in humano corpore apparet, ſolere ſemper aliquid in iis eſſe , quo deprehendatur dæmonicum eſſe Spectrum. Quam perſuaſionem etiam Chinenſibus communem eſſe, narrat *P. Martinus Martinius in Hiſtoria ſua Sinenſi Dec. 1.* ubi aſſerit , ideo Chinenſium mulieres tanto ſtudio niti , ut quàm minimos nanciſcantur pedes, continuo & horrendo cruciatu illos conſtringendo, quoniam id pulchritudinis præcipuæ in fœminis apud illam gentem eſt indicium ; idque ideo, quòd uxor neſcio cujus Imperatoris Chinenſis , quæ omnium totius regni ſpecioſiſſima uno ore deprædicabatur, tam exiguos habuerit pedes. Addunt autem Chinenſium Hiſtoricorum nonnulli, dæmonem fuiſſe uxorem illam fœmineâ ſpecie, ſed caprinis pedibus; quos ut tegeret, faſciis involvere, & ſtrictis calceis conſtringere ſolebat.

Hirci ſpecie ſæpe apparet dæmon.

Veriſimilis eſt hæc vulgi opinio. Puto tamen cum *Delrio lib. 2. Disquiſit. Magic. q. 28. ſect. 3.* ſi majore poteſtate non impediantur dæmones, poſſe quâ velint apparere formâ, humanamque perfectam & omni ex parte pulcherrimam exhibere. Talem fortaſſis exhibuit B. Alberto Carmelitæ, à quo crucis ſigno objecto fuit fugatus, ut narratur à *Joanne Maria Compoſtellano.* Talem etiam fortaſſis Menippo Lycio ſe monſtravit, de quo cap. 28. Utplurimùm tamen videtur in eo præſtando impediri à DEO , ne deſit aliquid, quo detegatur fraus illius ; & ne quam mortales ignorantiæ juſtam excuſationem prætexant, inquit Delrius. Qui etiam addit, Deum nondum permiſiſſe dæmonem comparere in forma columbæ, oviculæ, agni; fortè quòd Chriſtus ſit verus agnus DEI, quòd Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ apparere ſit ſolitus, quòd hæc animalia dolo careant, &c. Nec obſtant quæ de columbis Dodonæis referuntur ; non enim veræ columbæ, ſed mulieres ita dictæ fuerunt ut alibi explicabimus. Frequentiùs apparet

paret in forma hirci seu capri, ut patet ex multis exemplis relatis lib. 1. cap. 23. Et valde solenne illi est, quando pactum expressum init cum aliquo, offerre se conspicuum formâ virili; post pactum, quando adorandus, formâ hirci, ut sibi accidisse fatetur Joannes Stapulensis apud *Delrium loc. cit.* & innuitur in confessione Edelini Doctoris Sorbonici, apud *Jaquerinum cap.4.* & habetur in sententiæ Avenionensis Breviculo apud eundem *Delrium lib. 5.* Quando vult familiaritatis & fidei specimen præbere, sumit effigiem catti, vel canis. De cattis quotidiana sagarum confessio fidem facit, ait *Delrius lib. 2. q. 28. sect. 3.* De cane habemus exemplum in canibus Simonis Magi, & Cornelii Agrippæ, de quibus lib. 1. cap. 37. §. 4. Si quis aliquò devehendus, equum induit, ut contigit Hadingo apud *Olaum Magnum* lib. 3. Comiti Matisconensi apud *Petrum Cluniacensem lib. de Miracul.* Roman Ramirez apud *Delrium lib. 2. quæst. 24.* & apud *nos suprà lib. 1. cap. 32.* Si per locum angustum, vel rimam subiturus, vel custodibus illusurus; fit vespertilio, musculus, mustela, ut est apud *Cyrillum in Vita S. Danielis*, & *Apuleium in Milesia.* Si quos latere vult, ne loquentem se audiant; fit musca, & partes auribus vicinas occupans insusurrat quæ vult, ut scribit *Niderus lib ult. Formic.* Si in gregem, aut in homines sævire vult; induit lupum, ut habet *Remigius cap. 13.* S. Pachomio apparuit ut gallus gallinaceus magnus & ferociens, apud *Surium in Majo ex Metaphraste*: S. Romualdo ut corvus, aut vultur, apud *Damian. in ejus vita*: S. Hilarioni ut vulpecula, apud *D. Hieronym in Hilarione*: Dunstano ut canis, apud *Surium in ejus vita Mense Majo*: Leonardo Corbeiacensi ut serpens, apud *Marulum lib. 5.* D. Margaretæ, & Ferdinando Gunsalvo Castellæ Comiti, & ejus exercitui, ut draco, apud *Rodericum Sancium part. 3. Histor. Hispan. cap. 21.* Si ad malum specie boni velit inducere, apparet formâ Christi, ut D. Martino apud *Severum*; vel formâ DEI, ut Theodoræ viduæ; vel formâ Angeli, ut D. Julianæ apud *Marulum* loc. cit.

Formas varias induit diabolus.

In vita S. Roberti Abbatis legitur sequens exemplum. *Nocte quadam vir sanctus vidit malignum ad chori auditum consistere, & conari quidem sæpius ingredi, sed frustra tamen. Habebat formam rustici præcincti, nudis longisque tibiis, ferentis à tergo sportulam, & ad pectus lignum funibus innexum. Cœpit porrò producto collo circuire chorum, oculos in fratres attentè conjicere, si quid posset forsitan gratum sibi in aliquo cernere. At viro DEI instantius orante, & fratres à torpore excitante, improbus explorator diu frustra exspectans, cùm nil se proficere videret, indignabundus ad chorum fratrum Conversorum se contulit, illic quoque cunctos curiosè contemplans; si quos videret somnolentos, cachinnans sprevit; si noxiis cogitationibus occupatos, mirum in modum tripudians applausit. Tandem inter Novitios reperit juvenem quendam animo ad illicita evagantem, nec nisi solo corpore illic præsentem, imò etiam clandestinam fugam meditantem. Anim-*

Monachis insidiatur dæmon.

advertens igitur illum suæ sortis esse, fuscinulâ apprehensum in fiscellam suam projecit, & celeriter inde se proripuit. Cernens id Vir Sanctus, multùm pro salute illius anxius & sollicitus, manè diligenter jussit illum inquiri. Sed ille ante auroram vagus & profugus excusso suavi jugo Christi, secutus erat inimicum. Adjunxit autem se hominibus sceleratis, deditusq; latrociniis, non diu pòst captus est, & capite plexus, miserrimè è vita excessit.

Abbatis specie diabolus apparet.

Simile huic est, quod *Petrus Cluniacensis Abbas* lib. 1. de Miracul. cap. 13. narrat, his verbis. *Cùm aliquando Frater quidam, Joannes nomine, natione Italicus, regularis disciplinæ severitatem fastidiens, etiã fugere de monasterio cogitaret; ipse ei diabolus Abbatis specie assumptâ se obtulit. Nam duobus dæmonibus in specie monachorum se comitantibus, Fratri in quodam monasterii loco secreto soli residenti, multaq; secum volventi, opportunum fallendi tempus se invenisse credens, apparuit, eiq; assidens dixit: Ego, Frater, modò huc hospitandi causâ diverti; sed casu te conspiciens, agnovi multâ te sollicitudine laborare, multosque in corde tuo cogitationum æstus versare. Quorum causâ licèt, quibusdam referentibus, mihi ex parte nota sit; si tamen eam pleniùs indicaveris, potero forsitan utile tibi dare consilium. Unde quis sis, & quare mœstus sis, amico quærenti expone. Cùmque Frater ille ignoto, ut putabat, homini secreta cordis sui aperire formidaret, & se tantummodò natione Italicum esse respondisset; dæmon, qui monachus videbatur, adjunxit: Et ego ipsius regionis Abbas sum, & tibi benè in omnibus auxiliari possum. Novi enim, licèt tu reticeas, quod Abbas monasterii hujus, & cæteri malè te tractant, neque ut dignum esset, honorant, insuper multis sæpe injuriis vexant. Unde admoneo te, ut tibi consulas, & locum hunc omnibus perniciosum derelinquas, & mecum recedas: paratus ènim sum te ab his malis eripere, & Abbatiam meam, quæ Cryptaferrata dicitur, perductum, omni te ibi honore sublimare. Ad hoc Frater respondit: Ego hinc exire nullo modo possum, quia & clausura monasterii prohibet, & Fratrum me multitudo circumdat. Tunc diabolus. Nec ego, inquit, quàm diu hîc fueris, te in aliquo juvare potero: sed fac qualibet arte, ut septa monasterii transgrediaris; quod postquam feceris, ego statim adero, teque ad locum meum, ut dixi, perducam. Sed misericors DEUS, qui non permittit nos tentari suprà quàm ferre possumus, non ultrà passus est hostem procedere; sed sicut scriptum est,* qui fecit illum, applicavit gladium ejus. *Quando namq; hoc agebatur, Fratrum conventus in refectorio, ex consuetudine, horâ cœnandi residebat: quâ expletâ, à Priore, secundùm morem, uno ictu scilla percussa est. Quo sono audito mox dæmon, qui Abbatem se fingebat, actus divinâ virtute, à Fratre, cui loquebatur, se abripuit, & præcipiti cursu, ac maximo impetu ad latrinas, quæ proximè erant, tendens, vidente Fratre iam dicto, in earum se inferiora demersit.*

S. Roberto Abbati, de quo paulò antè, apparuit dæmon in nuptiarum pompa calamistratus, procaci vultu, & actiosus: Maximo Rhegiensi, ut navis & nautæ recens appulsi: Evagrio, ut Clericus hæreticus: Macario,

semel

ſemel ut meſſor, ſemel ut pharmacopola; Nathanaëli, ſemel ut agaſo agens aſinum, ſemel ut ſervus lorarius. Referunt hæc *Marulus cap. 7.* & *Sabellicus lib. 10 exempl. cap. 3.* Apelli apparuit ut pulchra, compta, & illecebroſa mulier, ut ſupra etiam dixi ex *Sozomeno* lib. 6. cap. 28.

Sed quantumvis ille velit (inquit Delrius lib. 2. Disquiſit. Magic. q. 28 ſect. 3.) *pulcherrimam hominis ſimilitudinem repræſentare, quæ DEI bonitas eſt, tamen ſolet aſſumere, quam & qualem DEUS permittit, teſte D. Chryſoſt. hom. 4 de Lazaro: & ideo vel ipſo invito fieri videmus, ut qui non obeſæ nimium mentis ſunt, ſemper, ſi attendant, fucũ queant deprehendere. Aut enim ſe oſtendunt dæmones humano corpore atro, illuvioſo, ſqualido, fœtente, tetro, ac formidabili; ſaltem obſcuro, nigro, fœdoq; vultu; naribus vel deformiter ſimis, vel immanè aquilis; oris rictu ſparſo, profundoq; luminibus valde abditis, flammantibusq; manibus pedibusq; obuncis ac vulturinis, ſtrigoſis brachiis cruribusq; & admodum villoſis, caprinis etiã, vel aſininis tibiis; uno, vel utroq; pede bifido corneoq;, interdum & ſolidungulo; interdũ mutilo pede altero, vel utroque; demum ſtaturâ corporis nunquam juſtâ ac decorâ, ſed cui ſemper adſit aliquid inſolitæ notæ, & deformitatem pravitatemq; dæmonis prodentis.* Probant id exempla paſſim allata à nobis, & à *Sebaſtiano Michaelis* Pneumalog. cap. 4. *Thyræo* lib. 1. Apparit. cap. 9. *Binsfeldio* de confeſſ. malef. præl. 12. *Remigio* lib. 1. Dæmon. cap. 7. aliisq;. Moribundis etiam teterrimâ ſpecie ſolet apparere, ut ex hiſtoriis variis conſtat.

Formam undequaque pulchram ut aſſumat dæmon, rarò permittitur.

Quando Spectra diabolica in aſſumpto corpore loquuntur, ſermone utuntur utplurimùm illo, quo regionis illius incolæ, in qua apparent. Sed utuntur voce ſtridulâ, ſubſibilante, confuſâ, obſcurâ, debili, puſillâ, & quaſi ex dolio, vel per teſtam rimoſam. Docent hoc ſagarum confeſſiones plurimæ apud *Remigium lib. 1. Dæmonol. c. 8.* Ratio eſt, quia inſtrumẽta in tali corpore nõ ſunt ſatis apta. Crediderim etiam, aliquos diabolos ſcire meliùs attemperare corpora aſſumpta, & ad loquendum, aliasq; functiones obeũdas aptare. Crediderim præterea, animas purgandorum comparentes in aptatis ſibi ab Angelo bono corporibus, aut nihil ſæpe, aut valde parum loqui, quia non habent ſufficientia inſtrumenta, aut minùs ſciunt illis uti, quàm Angeli ac dæmones.

Vox & loquela dæmonum qualis ſit.

§. VI. Cur corpora Spectrorum ſint plerumque frigida.

FRigida eſſe tactu corpora à Spiritibus Angelicis, ſaltem malis, aſſumpta, aut humanis Spiritibus adaptata, patet ex iis quæ diximus lib. 1. c. 37. in fine, ex *Cardano lib. 16. Variet. cap. 93.* & hoc libro 2. cap. 3. ex *Alexandro ab Alexandro lib. 2. Dierum Genial. cap. 9.* Refert *Cajetanus in 2. 2. q. 95. art. 3.* dæmonem cuidã ſagæ de hoc frigore & horrore corporis querenti reſpõdiſſe, ſe non poſſe meliùs facere. Cauſa hujus frigoris eſt, quia vel dæmon ca-

Corpora ſpectrorum frigida cur ſint.

Digitized by Google

IV. DEUS quemadmodum omnibus in rebus, ita & in his quoque apparitionibus, quas permittit, ac subinde præcipit, non nisi hominum bonum quærit. In purgandarum enim animarum apparitionibus præcipuè misericordiæ & bonitatis suæ documenta, tum erga animas defunctorum quæ apparent, tum erga homines viventes quibus apparent: nam illæ fidelium operibus juvantur, hi ad peccata vitanda, ad pœnitentiæ opera subeunda incitantur. In damnatarum animarum apparitionibus similiter misericordię signa, erga viventes saltem, exhibet, dum meritas pro peccatis pœnas exhibendo, illos ad vitæ præteritæ pœnitentiam excitat. In Dæmonum apparitionibus mali à malis absterrentur, boni confirmantur in bonis.

Deus cur spectra apparere permittat.

V. Innumeras alias utilitates mortalibus afferunt apparitiones. Discunt enim, animas post mortem non interire, sed aut meritas pro peccatis pœnas, aut debita pro bonis operibus præmia percipere. Discunt valorem orationum, reliquiarum, aliarumque rerum consecratarum. Discunt quanto odio prosequatur DEUS innocentium cædem, pauperum oppressionem, aliorumque similium scelerum perpetrationem. Omitto alias utilitates.

Utilitates ex spectrorum apparitionibus.

VI. Ex his reddi potest causa, cur quibusdam hominum generibus frequentiores contingant apparitiones, quàm aliis. *Purgandæ* animæ apparent potiùs fidelibus, quàm infidelibus; & inter illos potiùs affinitate, vel consanguinitate, aliove quopiam vinculo conjunctis, quàm extraneis: quoniam ab unis subsidium sperant, non ab aliis. Damnatæ animæ iis apparent frequentiùs, qui pœnarum infernalium authores ipsis fuerunt. In dæmonum apparitionibus potest haberi ratio vel criminum, ob quæ mortales persequuntur; vel perversæ voluntatis, quâ nocere appetunt. Ratione prioris, majores molestias ab iis patiuntur, qui gravioribus peccatis sunt impliciti; ratione posterioris, qui integrioris sunt vitæ. Hinc tot ab illis molestias sustinuerunt celebres eremi incolę, Paulus, Hilarius, Antonius, aliique; item Sanctissimi Religiosorum ordinum Institutores, cum innumeris utriusque sexus Sanctis, uti ex multis exemplis in præcedentibus allatis patet. Quibus adde quod refert *Alexander ab Alexan. lib. 4. Genial. Dierum* cap. 19. his verbis. *Sed præ omnibus quæ audiverim, aut viderim, res est admiratione digna, quam recenti memoriâ evenisse comperimus Romæ. Quippe nota res est, cùm apud Gabios quidam infimæ sortis & obscuris natalibus adolescens, vesanus & furiosus (cujus pravi mores & vita facinorosa fuerat) in parentem gravibus jurgiis convitiatus foret; post jurgia immodica, cum furiis agitatus, advocato dæmone, cui se devoverat homo ille improbus & impurus, furore cæcus & amens discessisset, & Romam petere cœpisset, eo consilio, ut aliquod dirum facinus in*

Spectra cur aliquibus potiùs appareant, quàm aliis.

Dæmon apparet inveni in patrem impii.

 patrem

Digitized by Google

patrem moliretur; dum iter faceret, dæmonem facie hominis truculentâ, sordidâ barbâ & capillo, vesteq; obsoletâ & squalidâ obviam habuisse. Quo cùm simul pergerent, illum interrogasse juvenem (quem animo anxio & sollicito videbat) quid tam tristis incederet: atque ille, cùm quid sibi jurgii cum patre fuisset, quodque aliquid scelesti facinoris patrare cuperet, respondisset; dæmonem illum se quoque simili casu percitum fuisse dicere: proinde pergerent, & suas injurias ultum irent. Cùmq; nocte appetente ad urbem applicuissent, in proximo hospitio divertisse, atq; in cubiculum, quod à caupone utriq; exhibitum fuit, haud multò post cubitum ivisse. Cùmque unà cubarent, pestem illam immanem, cùm illum somno oppressum videret, infestis manibus jugulum hominis apprehendisse, ut elisis faucibus necaret: quem jam oppressisset, ut expergefactus ille, Dei opem & auxilium advocasset: Quo audito, furiam illam teterrimam stridore & tumultu maximo, tantoque impetu cubiculum, unde evasit, dicitur collisisse, ut tigna & tectum everterit, tegulasq; penitus perfregerit. Ita Alexander.

Spectra quibus temporibus appareant.

VII. Ad tempora quod attinet, possunt quidem Spectra quovis apparere tempore, & sæpe interdiu conspicienda se præbent; noctem tamen potissimùm deligunt, ut perpetua docuit huc usq; experientia. Faciunt hoc mali spiritus, quia cùm malè agant, lucem oderunt. Boni verò id faciunt, quoniam noctu solos, & aliis negotiis expeditos deprehendunt, quos subsidii recipiendi aut dandi causâ conveniunt. Exempla innumera in præcedentibus attulimus.

CAPUT XXXIV.

De Notis ad discernenda Spectra diabolica ab humanis.

Notæ ad discernenda spectra diabolica ab humanis.

SUprà cap. 27. aliquot adsignavimus signa, ex quibus constare queat, an Spectra, quæ videntur, aut audiuntur, diabolica sint, an humana. Eadem nunc enucleatiùs explicabimus, aliaque nonnulla addemus. Capite sequenti signa dabimus, humana Spectra inter se discernendi, & an bonæ aut malæ sint animæ, cognoscendi.

§. I. An ex forma, in qua apparent, Spectra discerni possint diabolica ab humanis.

FOrma in qua apparent Spectra, est, ut suprà vidimus cap. 32. §. 5. vel hominum, vel brutorum, vel monstrorũ. Ajo nunc, harum formarũ quasdam esse omnibus Spectris communes, ac proinde ex iis diabolica ab humanis discerni non posse, nisi aliud accedat signum: alias convenire probabiliter diabolicis, alias probabiliter humanis.

Humana forma est omnibus

I. Itaque *Humana forma est omnibus Spectris communis.* Patet ex innumeris exemplis suprà allatis. Et ratio est, quia quàm facilè Angeli boni possunt sibi & animabus bonis aptare corpora humana, tàm facilè Angeli mali possunt

Digitized by Google

possunt eadem sibi & animabus malis accommodare. Itaq; sub humana forma apparuerunt plerię; dæmones familiares; & dæmones metallici; & Hudekin Hildesheimensis;& qui sub specie genitoris accessit Wilhelmum Pictavorum Comitem;& qui sub specie mariti miserabilis S. Melaniam;& qui sub specie Monachi S. Dominicum;& qui sub specie mulieris *S.* Justinam; & qui sub specie nunc Æthiopis, nunc Eremitæ S. Vincentium;&qui sub specie Medici S. Benedictum;& qui sub specie nigelli pueri S. Claram;& qui sub specie nunc Jovis, nunc Mercurii, nunc Veneris, nunc Minervæ, nunc hominis D. Martinum. Leguntur hæc in vitis dictorum Sanctorum. Judæis, teste *Sigeberto Anno Christi 438*. apparuit in forma Moysis,& se ducem iis in promissionis terram futurum pollicitus, induxit persuasos ad mare transfretandum, plurimosq; illorum undis involuit. *Jacobus Mayerus lib. 5. Annal. Flandriæ Anno 1153.* narrat, diabolum in Furnensi agro, pago Eggafridi inferioris Germaniæ, Gerardum Ducem Betaniæ se mentitum esse,& diu multumq; variis præstigiis illusisse hominibus; donec tandem à Diacono quodã Rodolpho adjuratus, quod erat, immundum se Spiritum esse confessus est.

Spectris communis. Dæmon sub forma humana apparet variis figuris.

Nec humanam tantùm formam, sed Angelicam quoq;, imò & ipsius Christi etiam, non semel induit dæmon. Sub Angeli specie se exhibuit S. Elphego Episcopo Cantuariensi,& B. Oswaldo Episcopo Wigorniensi, ut in eorum vitis legitur apud Surium tom. 2.& 5. Sub Christi Domini specie apparuit S. Martino morti proximo, ut cõstat ex ejus vita;& Sedũdello, ut refertur in Vita Friardi reclusi apud *Gregor. Turonens.* lib. de vita Patrum cap. 10.& Valenti Eremitæ, ut scribit *Palladius* in Histor. SS. Patrum sect. 28. aliisq; de quibus infrà suis locis. Ex *humana itaq; forma sola, nisi aliquid accedat, ut paulo post dicetur, diabolica Spectra ab humanis discerni nec certo, nec probabiliter possunt.*

Dæmon sub specie Angeli, & Christi apparet.

II. *Forma brutorum ac monstrorum est probabiliter propria solis dæmonibus, illosq; à spectris humanis discernit.* Ratio est, quia dæmones apparentes solùm terrere,& molestias inferre volunt;& DEUS vult plerumque, ut cognoscantur ab hominibus,& fugiantur ob deformitatem; meritò ergo sub talibus formis apparent. Animæ verò hominum, tam purgandæ, quàm damnatæ, apparent, ut cognoscantur quales sint; ergo sub illa forma apparent, sub qua cognosci possint. Exempla Spectrorum sub variis belluarum ac monstrorum formis apparentium retulimus suprà cap. 28. §. 1.

Forma brutorum ac monstrorum est propria spectrorum diabolicorum.

III. *Humana forma perfecta, quæ nihil peregrinum, nihil ab humana alienũ habet, est probabiliter solis humanis spectris propria, illaq; à diabolicis discernit.* Nihil ab humana alienum habet, quę nec ulla sui parte, nec peregrino colore, nec figurâ, nec habitu, nec gestuũ aut morum levitate, nec mole, nec parvitate, ab humana degenerat. Ratio est, quia dęmon vix sub humana forma conspicitur, nisi etiam sui aliquod indicium quodam formæ defectu aut de-

Forma humana perfecta non convenit spectris diabolicis.

for-

formitate præbeat, ut ex innumeris exemplis patet. Addo quod refert *Alexander ab Alexandro lib.4. Genial. Dier cap.19.* his verbis. *Auctor est Thomas Monachus, homo minimè malus, cujus ego fidem authoritatemque pluribus in rebus expertus didici: qui seriò mihi retulit, quòd cùm in monasterio & sacris ædibus, quæ in Lucanis montibus sunt, cum pluribus jurgatus foret, & post immodica convitia & rixas, animo perturbato inde se proriperet; cùm per nemora iter solus intenderet, speciem hominis vultu tetro, nigrâ barbâ, promissis tunicis, vultu aspectuq; deformi, & sævo, obviam habuisse. Quem cùm compellaret, quid ipse solus per devia errabundus incederet, dixit; equum, quo vectabatur, amisisse, atque in proximos campos illum evasisse credere. Cùmque per sinus invios equum unà quæsitum pergerent; ad profluentem, in cujus alveo gurgites magni & formidabiles redundabant, devenisse. Et cùm monachus ut aquam trajiceret, calceos sibi eximere appararet; illum magnopere coëgisse, & tandem pervicisse, ut super scapulas suas ascenderet, potiùsq; à se, qui corpore major erat, vectaretur. Qui acquiescens, cùm super illius scapulas, ut succollaretur, monachus ascenderet, illeq; jam aquam ingredi appararet; dum vada exquirit; illius pedes non humana, sed tetra & deformi specie conspexit. Quo animadverso, horribili terrore percitus, Deum, ut sibi præstò esset, acclamavit. Mox dæmonem & diram illam speciem, divino audito verbo, stridore querulo, & vi maximâ, quanta dici potest, ita è conspectu abiisse dicit, ut imminentem quercum ingenti impetu colliserit, ac perfractis ramis funditus everterit.*

Ex dictis patet, duobus modis formam externam probabiliter prodere spectra diabolica: primò, si sub brutorū, aut monstrorum forma conspiciantur: secundò, si sub humana quidem, sed vitium aliquod habente, ut si caudam, pedes belluinos, asininas aures, cornua habeat; si capite, brachiis, vel aliâ notabili parte careat; si prodigiosæ magnitudinis, aut parvitatis sit; si peregrino prorsus & apud homines inusitato habitu sit; si motus corporis, gestus, incessus dissolutior. Sagæ apud *Remigium* lib. 1. Dæmonol cap. 7 fatentur, facies suorum Martinellorum (sic vocant diabolos sibi adsignatos) esse *subobscuras & atras; lumina penitus abdita, & instar flammæ micantia; oris rictus sparsos, profundos, ac perpetuò olidi sulphureiq; aliquid æstuantes; manus strigosas, & villis atq; hamis deformes; pedes corneos ac bifidos; staturam nunquam justam, sed aut brevitate, aut vastitate semper aliquâ insolentem &c.* Dixi brutorum formam probabiliter diabolicorum spectrorum esse: certò enim & infallibiliter non sunt: nam ut lib. 1. vidimus, sagæ non rarò sub brutorum formis comparuerunt.

§. II. An ex voce, & tumultu excitato, possint Spectra diabolica ab humanis discerni.

Vox spectrorum, quæ pro.

I. Vox articulata humanæ similis, clamor, risus, gemitus, aliiq; soni ab hominibus edi soliti, non rectè distinguunt Spectra diabolica ab humanis. Ratio est,

est, quia dæmones, & animæ defunctorum apparentes, hujusmodi sonis utuntur, ut patet ex relatis exemplis. *Nec etiam vox obscura, aut exilis sive debilis, rectè id præstat.* Est quidem vox dæmonicorum Spectrorum sæpe obscura, & tenuis; sed nec semper, nec solùm.

pria sit dæmonis.

II. *Voces quæ non nisi bruta animantia, atq; horrenda monstra referunt; item, soni qui cum ingenti tumultu fiunt; sunt probabiliter Spectrorum diabolicorum.* Priores quidem, quia ut formæ brutorum & monstrorum probabiliter dæmones produnt, ita & voces eorundem. Posteriores verò, quia solùm ad terrorem incutiendum tendunt; quod dæmones præcipuè procurare nituntur, ut diximus §. præcedenti: quamvis enim damnatæ quoq; animæ terrere cupiant; quia tamen divinę providentiæ ratio postulat, ut potiùs se prodant, quàm noceant; ideo potiùs humanos sonos excitant. Hinc viri sancti præsentiam dæmonum deprehenderunt ex vocibus bestiarum, ut sæpe in præcedentibus diximus. Simili ratione se prodidit diabolicum spectrum Corinthi in quadam domo, quam Dacius Mediolanensis Episcopus inhabitabat, teste *D. Gregorio* lib. 3. Dialogor. cap. 4. his verbis. *Tempore igitur Justiniani, cùm Dacius urbis Mediolanensis Episcopus, causâ fidei exactus, Constantinopolim pergeret, Corinthum devenit. Qui cùm largam domum ad hospitandum quæreret, quæ comitatum ejus totum ferre posset; & vix inveniret; aspexit eminùs domum congruentis magnitudinis, eamq; sibi præparari ad hospitandum jussit. Cùmq; ejusdem loci incolæ dicerent, in ea tunc manere non posse, quia multis jam annis eam diabolus inhabitaret; vir venerabilis Dacius respondit, dicens: Imo ideo hospitari in eadem domo debemus, si hanc malignus spiritus invasit, & ab ea hominum habitationem repulit. In ea igitur sibi parari jussit, securusq; illam, antiqui hostis certamina toleraturus, intravit. Itaq; intempestæ noctis silentio, cùm Vir DEI quiesceret, antiquus hostis, immensis vocibus, magnisq; clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus asinorum, sibilos serpentum, porcorum grunnitus, stridores soricum. Tunc repentè Dacius, tot vocibus excitatus, surrexit, vehementer iratus; & contra antiquum hostem magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Bene tibi contigit, miser! Tu ille es, qui dixisti; ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo. Ecce per superbiam tuam porcis & soricibus similis factus es; & qui imitari Deum indignè voluisti, ecce, ut dignus es, bestias imitaris. Ad quam ejus vocem dæmon erubuit, & fidelium habitaculum domus facta est, abscessitq; mendax & infidelis spiritus.* Hæc D. Gregorius, & ex ipso *Baronius* tom. 7. anno 540.

III. *Suspiria, gemitus, fletus, vox tristis & lacrymabilis, &c. probabile indicium sunt Spectrorum humanorum.* Quamvis enim hæc possint etiam dæmones habere auctores, humanis tamen, maximè bonis, magis conveniunt, utpote miserias suas hominibus exprimere cupientibus; quod dæmones non intendunt.

§. III. An Sermo Spectrorum distinguat Spiritus diabolicos ab humanis.

Sermo Spectrorum quomodo distinguat diabolica ab humanis.

I. *Sermo apertè malus, cujusmodi sunt blasphemia, diræ, imprecationes, convitia, contumeliæ, detractiones, mendacia, turpiloquia, & si qui sunt alii, non distinguunt diabolica spectra ab omnibus humanis. Eadem est ratio de sermone à bono dehortatorio, aut ad malum hortatorio.* Ratio est, quia non tantùm dæmones, sed etiam animæ damnatæ, uti solent hujusmodi sermonibus, cùm sint pariter mali, ac in DEUM & homines irâ & odio commoti. Experientiâ quotidianâ constat, dæmones in energumenis evomere plaustra blasphemiarum, convitiorum, detractionum, mendaciorum, &c. Quidam à Theodoro Archimandrita ejiciendus ex puella, quam viginti octo annis miserè vexaverat, ipsum vocat meretricis filium, ut in vita Theodori testatur *Georgius Presbyter* apud Surium tom. 2. Alius meretricem vocat S. Euphrasiam, cùm sibi vim à Virgine afferri sentiret, ut *Surius* tom. 2. in ejus vita scribit. Alius, quem S. Malconius Episcopus ejecit, in convitia effundebatur, ut scribit *Sigebertus* Monachus in ejus Vita. Ab alio audit S. Bernardus devorator porcellorum, & brassicarum, ut in ejus *vita lib. 2. cap. 4.* habetur. Ab alio S. Benedictus vocatur Maledictus, teste *D. Gregorio*. Unus S. Melaniæ suadet, ut relictâ fide orthodoxâ, amplectatur sectam Nestorii: alius S. Claræ, ut de studio orationis remittat: alius S. Vincentio, ut relictâ severiori vitæ disciplinâ, genio in florida ætate indulgeat: alius Sedundello, ut relictâ eremo operam det miraculis patrandis. Habentur hæc in dictorum Sanctorum Vitis. Omitto innumera alia exempla.

Dæmones obsidentes convitia jaciunt in alios.

Dæmones a bono dehortantur.

II. *Sermones ad bonum hortatorii non distinguunt humana Spectra à diabolicis.* Ratio est, quia etiam dæmones ad bonum aliquando hortantur; non quòd bene nobis velint, sed ut sub specie boni illaqueent. Exempla retuli in præcedentibus, lib. 1. cap. 37. §. 1. & §. 3. Joanni Gorlino Eremitæ montis Serrati, de quo in præcedentibus, suasit dæmon, sub alterius Eremitæ specie apparens, ut filiam comitis à dæmone liberatam apud se retineret per aliquod tempus, & fortiter contra carnis tentationes pugnaret; sed lapsus secutus prodidit quo animo id suaserit. Alius Justinæ suasit virginitatē, sed ita, ut propositâ difficultate ac periculo averteret ipsam à proposito, ut scribit in ejus vita *Metaphrastes*. Alius sub forma puellæ in eremo errantis commendavit S. Victorino, eremum tunc incolenti, hospitalitatem, & ut se reciperet per noctem, rogavit; sed casus similiter aperuit diaboli fraudem. Omitto alia.

Dæmones ad bonum hortantur.

III. Ser-

Digitized by Google

III. *Sermones apertè mali, ad malum hortatorii, à bono dehortatorii, distinguunt spectra diabolica ab humanis bonis, nimirum ab animabus purgandis.* Ratio est, quia tales animæ malum facere nec possunt, nec volunt.

IV. *Occultorum revelatio plerumq; diabolica spectra ab humanis distinguit.* Ratio est, quia dæmones, ut diximus lib. 1. c. 5. multa occulta cognoscunt naturali scientiâ, quæ animæ defunctorum non possunt scire, nisi DEO revelante; cùm igitur non constet, an DEUS hîc & nunc aliqua revelaverit dictis animabus, constet autem diabolum ea scire ex se posse; sequitur quod diximus. Itaque dæmones fuêre Spectra illa, quæ in Tracensi Provincia, apud radices montis Cuzenæ cladem Romanorum in Cœlisyria denuntiarunt, ut suprà diximus. Dæmonium item probabiliter illud, quod Curtio Ruffo prædixit, futurum ut Romam proficisceretur, ibidem honores gereret, in Africam cum summo imperio rediret. Omitto alia.

§. IV. An molestiæ ac damna, hominibus à Spectris illata, distinguant diabolica ab humanis.

I. *Molestia sine corporis læsione à spectris illata, non distinguunt diabolica ab humanis.* Nam tam dæmones, quàm animæ damnatorum, tales molestias inferre possunt, ac solent, ut probat Cleonicæ Byzantinæ Virginis spiritus Pausaniam insectans, & spiritus Agrippæ matris filium Neronem exagitans.

Molestiæ à spectris illatæ quomodo distinguant diabolica ab humanis.

II. *Nec gravia damna, imò nec mors ipsa hominibus illata, sufficienter distinguit diabolicos spiritus ab humanis.* Nam sæpe à Sanctis comparentibus fuêre viventes percussi, vulnerati, necati. De S. Petro refert *Beda* lib. 2. cap. 6. Historiæ Anglor. quòd Laurentium Cantuariensem Episcopum, fugam meditantem, nocte flagellis cæciderit. De D. Virgine MARIA scribit *Nicephorus* lib. 18. cap. 33. quòd impio cuidam hospiti dormienti adstiterit; & verbis increpitum, vimine ejus genua circumcinxerit, adeo ut vibicum signa remanerent. De Pappolo Episcopo Lingoniensi, qui gregis sui nullam curam habebat, ideoque à Tetrico ejus antecessore defuncto percussus fuit graviter, scribit *Gregorius Turonensis* lib. 5. Historiæ Francor. cap. 5. De Udone Magdeburgensi Episcopo, à Sanctis in templo S. Mauritii accusato, damnato, atque occiso, nota est omnibus Historia.

Sancti comparentes castigant homines.

III. *Damna tam gravia, ut humanorum Spectrorum vires superare putetur, rectè adscribuntur spectris diabolicis, aut certè Angelis bonis.* Ratio est, quia DEUS per causas secundas agit; præter autem diabolica spectra, & præter angelos bonos, aliæ causæ secundæ talium damnorum adsignari non possunt.

Hæc de signis seu notis, spectra diabolica ab humanis discernendi, dicta sufficiant; qui plura volet, legat *Petrum Thyraeum* lib. de Locis infestis à cap. 26. usque ad 37.

CAPUT XXXV.

De Notis ad discernenda Spectra humana inter se.

Notæ ad discernenda Spectra humana inter se.

SPectra humana aut sunt animæ damnatæ, aut purgandæ. Illa vocare placet mala, hæc bona Spectra humana. Hæc quomodo inter se discernantur, nunc inquirimus. Rem hanc fusè discutit *Thyraeus* lib. de Locis infestis, à cap. 38. usque ad 53. Nos breviter sequentia statuimus.

§. I. An ex formâ, quâ humana Spectra apparent, discerni possint bona à malis.

Forma spectrorum humanorum.

CApite præcedenti §. 1. diximus, humana Spectra vel solùm, vel plerumque sub humana forma apparere. Nunc statuimus

I. *Quantitas formæ humanæ non discernit Spectra humana bona à malis.* Nam utraque possunt ac solent apparere tam sub magna, quàm sub parva forma, prout nimirum, dum viverent, magnæ aut parvæ fuerunt staturæ: apparent enim ut cognoscantur à viventibus. Quæ nimis magnâ formâ apparent, diabolica Spectra esse diximus ibidem.

II. *Spectra humana, quæ apud nos nigro vultu apparent, sunt probabiliter mala; quæ albo, seu nativo, bona.* Patet ex eo, quòd sæpe damnati sub nigro, salvati sub albo aut nativo colore sunt visi. Confirmatur sequenti exemplo, quod ex Evirato in Prato Spirit. cap. 39. refert *Baronius* tom. 6. circa annum Domini 513. de Isidoro quodam. Erat hic Isidorus genere Meliticiensis, Monachus monasterii Philoxemes, in emporio Cypri Dada dicto: & cùm Severiani dogmatis aliquando fuisset assertor, uxori catholicæ, quæ clàm ipso communicaverat, sacram communionem per vim indignabundus, guttur ejusdem premens, extorsit, indigneque tractavit. Sed statim coruscationem hostiâ sacrâ diffundente, peccatum suum agnovit. Post biduum verò paratum sibi supplicium intellexit per spiritum hominis damnati talem, qualem ipse his verbis describit. *Post biduum aspicio virum, quasi Æthiopem, semicinctiis vestitum, dicentemq; mihi: Ego & tu simul in unum supplicium condemnati sumus. Et ego ad eum, Tu, inquam, quis es? Respondit: Ego sum, qui Conditorem Dominum omnium JESUM CHRISTUM, in maxilla percussi passionis tempore.*

III. *Tristis aut trux forma non discernit Spectra humana mala à bonis.* Nam & animæ purgandæ plerumque tristem, & animæ beatæ sæpe trucem, cùm apparent, formam assumunt, ut ex multis exemplis patet.

§. II. An

§. II. An ex voce, & sermone, humana Spectra mala à bonis possint discerni.

I. *Gemitus, suspiria, lacrymationes, quæ sine impatientiæ signo eduntur, denotant probabiliter spectra humana bona; quæ verò cum impatientia eduntur, mala.* Ratio est, quia mala impatientissimè & illubentissimè pœnas tolerant, bona verò patientissimè & libentissimè. Discriminis causa per se patet.

Voces Spectrorum humanorum.

II. *Sermo boni petitorius non est signum certum Spectri humani boni.* Ratio est, quia etiam dæmones aliquando bona petunt, & viventium orationes postulant. Petrus Marmorius apud *Bodinum* lib. 3. Dæmonom. cap. 6. narrat, in Gallia Consollenti ad Viennam fluvium accidisse Anno 1458. in ædibus cujusdam Caplandi, *diabolum, qui animam defunctæ se esse prædicabat, gemitibus, clamoribus, & querimoniis omnia complevisse, monentem habendas preces, peregrinationesque obeundas, & res veras plurimas revelantem: sed dicente ei quodam; si tibi vis haberi fidem, dic*, miserere mei Deus secundum &c. *respondisse, hoc à se fieri non posse. Tunc ludificantibus ipsum iis, qui adstabant, fremebundum aufugisse.* Idem accidisse Nicolaæ Alberiæ Veruinensi, narrat apud eundem Bodinum loco cit. D. Bartholomæus Faycu Consiliarius Parisiensis Curiæ; nempe *Satanam huic ad fossam patris oranti apparuisse, tanquam è sepulchro prodeuntem, qui missas plurimas celebrari, certasque peregrinationes suscipi jussit, nec propterea miseram exagitare destitit: & quamvis seipsum priùs avum illius esse respondisset, tandem Beelzebubum esse confessus est.*

III. *Nihilominùs si sermo boni petitorius talis est, ut ex modo & forma petendi judicetur fieri bono animo; est probabiliter boni Spectri humani indicium.* Ut si petatur aliquid boni, v. g. subsidium orationum, eleemosynarum &c. Dei aut Christi nomine, cum humilitate, non cum levitate, ironia &c. Tunc enim judicari potest omni peccato carere, ac proinde boni, non mali Spectri esse oratio.

§. III. An ex molestiis exhibitis, & officiis præstitis, distingui possint Spectra humana mala à bonis.

I. *Molestiæ excitantes ad peccatum, item conjunctæ cum levi & scurrili gesticulatione, item solùm vexandi causâ illatæ sunt à Spectris malis: quæ autem ad nullum peccatum excitant, nihil levitatis habent, ad propriam Spectrorum aut viventium utilitatem diriguntur, sunt à bonis.* Ratio per se patet. Ad propriam Spectrorum utilitatem dirigi censentur molestiæ illatæ, quando fiunt, ut cognoscatur conditio & miseria Spectrorum, & subsidiis viventium juventur.

Molestiæ Spectrorũ humanorum.

II. *Obsequia viventibus à Spectris præstita, si per se honesta sunt, si humilia, si constantia; probabiliter sunt à bonis.* Nam mala spectra, tametsi obsequia aliqua

Obsequia à Spectris humanis præstita.

Digitized by Google

ſpecie & vultu ſenili. S. Auguſtino Commentarios de Trinitate cogitanti apparuit Angelus pueri ſpecie, conantis caſſo labore totum Oceanum exiguo cochleari exhaurire, & in exiguam ſcrobem transfundere, ut ſcribit *Jacobus de Voragine ſerm. 3. de Trinit.* & alii multi. Hiſtoria pervetus certaminis D. Dorotheæ, apud *Surium tom. 1.* narrat, Angelum ſimilem puero quadrimo pulchellulo, & tenellulo, roſas ſuavè rubentes, & mala recentia, Theophilo, mediâ hyeme, cùm illis in locis omnia gelu vi frigoris conſtricta horrerent, attuliſſe, ut Theophilus (*per jocum tamen*) petierat, & animoſa Virgo promiſerat. Ruffinus & D. Bonaventura teſtantur, D. Gregorio Nazianzeno ſe videndam obtuliſſe Sapientiam cum Caſtitate: probabile autem eſt, fuiſſe Angelos fœmineo ſchemate indutos. In vita D. Gommari apud *Surium tom. 5.* legitur, Angelum à DEO miſſum, in columbæ ſpecie mirabili ſplendore rutilantis, ſupra tentorium ſe conſpiciendum præbuiſſe. Alias hiſtorias lege apud *Delrium loc. cit.*

Corpora à dæmonibus aſſumpta, an ſemper defectum aliquem habeant.

III. Vulgaris perſuaſio eſt, quando diabolus in humano corpore apparet, ſolere ſemper aliquid in iis eſſe, quo deprehendatur dæmonicum eſſe Spectrum. Quam perſuaſionem etiam Chinenſibus communem eſſe, narrat *P. Martinus Martinius in Hiſtoria ſua Sinenſi Dec. 1.* ubi aſſerit, ideo Chinenſium mulieres tanto ſtudio niti, ut quàm minimos nanciſcantur pedes, continuo & horrendo cruciatu illos conſtringendo, quoniam id pulchritudinis præcipuæ in fœminis apud illam gentem eſt indicium; idque ideo, quòd uxor neſcio cujus Imperatoris Chinenſis, quæ omnium totius regni ſpecioſiſſima uno ore deprædicabatur, tam exiguos habuerit pedes. Addunt autem Chinenſium Hiſtoricorum nonnulli, dæmonem fuiſſe uxorem illam fœmineâ ſpecie, ſed caprinis pedibus; quos ut tegeret, faſciis involvere, & ſtrictis calceis conſtringere ſolebat.

Hirci ſpecie ſæpe apparet dæmon.

Veriſimilis eſt hæc vulgi opinio. Puto tamen cum *Delrio lib. 2. Diſquiſit. Magic. q. 28. ſect. 3.* ſi majore poteſtate non impediantur dæmones, poſſe quâ velint apparere formâ, humanamque perfectam & omni ex parte pulcherrimam exhibere. Talem fortaſſis exhibuit B. Alberto Carmelitæ, à quo crucis ſigno objecto fuit fugatus, ut narratur à *Joanne Maria Compoſtellano.* Talem etiam fortaſſis Menippo Lycio ſe monſtravit, de quo cap. 28. Utplurimùm tamen videtur in eo præſtando impediri à DEO, ne deſit aliquid, quo detegatur fraus illius; & ne quam mortales ignorantiæ juſtam excuſationem prætexant, inquit Delrius. Qui etiam addit, Deum nondum permiſiſſe dæmonem comparere in forma columbæ, oviculæ, agni; fortè quòd Chriſtus ſit verus agnus DEI, quòd Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ apparere ſit ſolitus, quòd hæc animalia dolo careant, &c. Nec obſtant quæ de columbis Dodonæis referuntur; non enim veræ columbæ, ſed mulieres ita dictæ fuerunt ut alibi explicabimus. Frequentiùs apparet

paret in forma hirci seu capri, ut patet ex multis exemplis relatis lib. 1. cap. 23. Et valde solenne illi est, quando pactum expressum init cum aliquo, offerre se conspicuum formâ virili; post pactum, quando adorandus, formâ hirci, ut sibi accidisse fatetur Joannes Stapulensis apud *Delrium loc. cit.* & innuitur in confessione Edelini Doctoris Sorbonici, apud *Jaquerinum cap. 4.* & habetur in sententiæ Avenionensis Breviculo apud eundem *Delrium lib. 5.* Quando vult familiaritatis & fidei specimen præbere, sumit effigiem catti, vel canis. De cattis quotidiana sagarum confessio fidem facit, ait *Delrius lib. 2. q. 28. sect. 3.* De cane habemus exemplum in canibus Simonis Magi, & Cornelii Agrippæ, de quibus lib. 1. cap. 37. §. 4. Si quis aliquò devehendus, equum induit, ut contigit Hadingo apud *Olaum Magnum* lib. 3. Comiti Matisconensi apud *Petrum Cluniacensem lib. de Miracul.* Roman Ramirez apud *Delrium lib. 2. quæst. 24.* & apud *nos suprà lib. 1. cap. 32.* Si per locum angustum, vel rimam subiturus, vel custodibus illusurus; fit vespertilio, musculus, mustela, ut est apud *Cyrillum in Vita S. Danielis*, & *Apuleium in Milesia.* Si quos latere vult, ne loquentem se audiant; fit musca, & partes auribus vicinas occupans insusurrat quæ vult, ut scribit *Niderus lib ult. Formic.* Si in gregem, aut in homines sævire vult; induit lupum, ut habet *Remigius cap. 13.* S. Pachomio apparuit ut gallus gallinaceus magnus & ferociens, apud *Surium in Majo ex Metaphraste*: S. Romualdo ut corvus, aut vultur, apud *Damian. in ejus vita*: S. Hilarioni ut vulpecula, apud *D. Hieronym in Hilarione*: Dunstano ut canis, apud *Surium in ejus vita Mense Majo*: Leonardo Corbeiacensi ut serpens, apud *Marulum lib. 5.* D. Margaretæ, & Ferdinando Gunzalvo Castellæ Comiti, & ejus exercitui, ut draco, apud *Rodericum Sancium part. 3. Histor. Hispan. cap. 21.* Si ad malum specie boni velit inducere, apparet formâ Christi, ut D. Martino apud *Severum*; vel formâ DEI, ut Theodoræ viduæ; vel formâ Angeli, ut D. Julianæ apud *Marulum* loc. cit.

Formas varias induit diabolus.

In vita S. Roberti Abbatis legitur sequens exemplum. *Nocte quadam vir sanctus vidit malignum ad chori aditum consistere, & conari quidem sæpius ingredi, sed frustra tamen. Habebat formam rustici præcincti, nudis longisque tibiis, ferentis à tergo sportulam, & ad pectus lignum funibus innexum. Cœpit porrò producto collo circuire chorum, oculos in fratres attentè conjicere, si quid posset forsitan gratum sibi in aliquo cernere. At viro DEI instantiùs orante, & fratres à torpore excitante, improbus explorator diu frustra exspectans, cùm nil se proficere videret, indignabundus ad chorum fratrum Conversorum se contulit, illic quoque cunctos curiosè contemplans; si quos videret somnolentos, cachinnans sprevit; si noxiis cogitationibus occupatos, mirum in modum tripudians applausit. Tandem inter Novitios reperit juvenem quendam animo ad illicita evagantem, nec nisi solo corpore illic præsentem, imò etiam clandestinam fugam meditantem. Attam-*

Monachis insidiatur dæmon.

advertens igitur illum sua sortis esse, fuscinulâ apprehensum in fiscellam suam projecit, & celeriter inde se proripuit. Cernens id Vir Sanctus, multùm pro salute illius anxius & sollicitus, manè diligenter jussit illum inquiri. Sed ille ante auroram vagus & profugus excusso suavi jugo Christi, secutus erat inimicum. Adjunxit autem se hominibus sceleratis, deditusq; latrociniis, non diu pòst captus est, & capite plexus, miserrimè è vita excessit.

Abbatis specie diabolus apparet.

Simile huic est, quod *Petrus Cluniacensis Abbas* lib. 1. de Miracul. cap. 13. narrat, his verbis. *Cùm aliquando Frater quidam, Joannes nomine, natione Italico, regularis disciplinæ severitatem fastidiens, etiã fugere de monasterio cogitaret; ipse ei diabolus Abbatis specie assumptâ se obtulit. Nam duobus dæmonibus in specie monachorum se comitantibus, Fratri in quodam monasterii loco secreto soli residenti, multaq; secum volventi, opportunum fallendi tempus se invenisse credens, apparuit, eiq; assidens dixit: Ego, Frater, modò huc hospitandi causâ diverti; sed casu te conspiciens, agnovi multâ te sollicitudine laborare, multosque in corde tuo cogitationum æstus versare. Quorum causâ licèt, quibusdam referentibus, mihi ex parte nota sit; si tamen eam pleniùs indicaveris, potero forsitan utile tibi dare consilium. Unde quis sis, & quare mæstus sis, amico quærenti expone. Cùmque Frater ille ignoto, ut putabat, homini secreta cordis sui aperire formidaret, & se tantummodò natione Italicum esse respondisset; dæmon, qui monachus videbatur, adjunxit: Et ego ipsius regionis Abbas sum, & tibi benè in omnibus auxiliari possum. Novi enim, licèt tu reticeas, quod Abbas monasterii hujus, & cæteri malè te tractant, neque ut dignum esset, honorant, insuper multis sæpe injuriis vexant. Unde admoneo te, ut tibi consulas, & locum hunc omnibus perniciosum derelinquas, & mecum recedas: paratus enim sum te ab his malis eripere, & Abbatiam meam, quæ Crypta ferrata dicitur, perductum, omni te ibi honore sublimare. Ad hoc Frater respondit: Ego hinc exire nullo modo possum, quia & clausura monasterii prohibet, & Fratrum me multitudo circumdat. Tunc diabolus. Nec ego, inquit, quàm diu hìc fueris, te in aliquo juvare potero: sed fac qualibet arte, ut septa monasterii transgrediaris; quod postquam feceris, ego statim adero, teque ad locum meum, ut dixi, perducam. Sed misericors DEUS, qui non permittit nos tentari suprà quàm ferre possumus, non ultrà passus est hostem procedere; sed sicut scriptum est,* qui fecit illum, applicavit gladium ejus. *Quando namq; hoc agebatur, Fratrum conventus in refectorio, ex consuetudine, horâ cœnandi residebat: quâ expletâ, à Priore, secundùm morem, uno ictu scilla percussa est. Quo sono audito mox dæmon, qui Abbatem se fingebat, actus divinâ virtute, à Fratre, cui loquebatur, se abripuit, & præcipiti cursu, ac maximo impetu ad latrinas, quæ proximè erant, tendens, vidente Fratre iam dicto, in earum se inferiora demersit.*

S. Roberto Abbati, de quo paulò antè, apparuit dæmon in nuptiarum pompa calamistratus, procaci vultu, & actiosus: Maximo Rhegiensi, ut navis & nautæ recens appulsi: Evagrio, ut Clericus hæreticus: Macario, semel

Digitized by Google

semel ut messor, semel ut pharmacopola; Nathanaëli, semel ut agaso agens asinum, semel ut servus lorarius. Referunt hæc *Marulus cap.7.* & *Sabellicus lib.10 exempl.cap.3.* Apelli apparuit ut pulchra, compta, & illecebrosa mulier, ut supra etiam dixi ex *Sozomeno* lib.6.cap.28.

Sed quantumvis ille velit (inquit Delrius lib.2. Disquisit. Magic.q.28 sect. 3.) *pulcherrimam hominis similitudinem repræsentare, quæ DEI bonitas est, tam ùm solet assumere, quam & qualem DEUS permittit, teste D. Chrysost. hom.4 de Lazaro: & ideo vel ipso invito fieri videmus, ut qui non obesæ nimiùm mentis sunt, semper, si attendant, fucũ queant deprehendere. Aut enim se ostendunt dæmones humano corpore atro, illuvioso, squalido, fœtente, tetro, ac formidabili; saltem obscuro, nigro, fœdoq; vultu; naribus vel deformiter simis, vel immanè aquilis; oris rictu sparso, profundoq́; luminibus valde abditis, flammantibusq́; manibus pedibusq; obuncis ac vulturinis, strigosis brachiis cruribusq́; & admodum villosis, caprinis etiã, vel asininis tibiis; uno, vel utroq́; pede bisido corneoq́; interdum & solidungulo; interdũ mutilo pede altero, vel utroque; demum staturâ corporis nunquam justâ ac decorâ, sed cui semper adsit aliquid insolitæ notæ, & deformitatem pravitatemq́; dæmonis prodentis.* Probant id exempla passim allata à nobis, & à *Sebastiano Michaelis* Pneumalog.cap.4. *Thyræo* lib.1. Apparit.cap. 9. *Binsfeldio* de confess. malef. præl. 12. *Remigio* lib. 1. Dæmon. cap. 7. aliisq́; Moribundis etiam teterrimâ specie solet apparere, ut ex historiis variis constat.

Formam undequaque pulchram ut assumat dæmon, rarò permittitur.

Quando Spectra diabolica in assumpto corpore loquuntur, sermone utuntur utplurimùm illo, quo regionis illius incolæ, in qua apparent. Sed utuntur voce stridulâ, subsibilante, confusâ, obscurâ, debili, pusillâ, & quasi ex dolio, vel per testam rimosam. Docent hoc sagarum confessiones plurimæ apud *Remigium lib.1. Dæmonol.c.8.* Ratio est, quia instrumẽta in tali corpore nõ sunt satis apta. Crediderim etiam, aliquos diabolos scire meliùs attemperare corpora assumpta, & ad loquendum, aliasq; functiones obeũdas aptare. Crediderim præterea, animas purgandorum comparentes in aptatis sibi ab Angelo bono corporibus, aut nihil sæpe, aut valde parum loqui, quia non habent sufficientia instrumenta, aut minùs sciunt illis uti, quàm Angeli ac dæmones.

Vox & loquela dæmonum qualis sit.

§. VI. Cur corpora Spectrorum sint plerumque frigida.

Frigida esse tactu corpora à Spiritibus Angelicis, saltem malis, assumpta, aut humanis Spiritibus adaptata, patet ex iis quæ diximus lib.1.c.37. in fine, ex *Cardano lib.16. Variet. cap.93.* & hoc libro 2.cap. 3. ex *Alexandro ab Alexandro lib.2. Dierum Genial.cap. 9.* Refert *Cajetanus in 2.2.q.95. art.3.* dæmonem cuidã sagæ de hoc frigore & horrore corporis querenti respõdisse, se non posse meliùs facere. Causa hujus frigoris est, quia vel dæmon cadaveri-

Corpora spectrorum frigida cur sint.

IV. DEUS quemadmodum omnibus in rebus,ita & in his quoque apparitionibus, quas permittit,ac ſubinde præcipit, non niſi hominum bonum quærit. In purgandarum enim animarum apparitionibus præcipuè miſericordiæ & bonitatis ſuæ documenta, tum erga animas defunctorum quæ apparent,tum erga homines viventes quibus apparent:nam illæ fidelium operibus juvantur, hi ad peccata vitanda,ad pœnitentiæ opera ſubeunda incitantur. In damnatarum animarum apparitionibus ſimiliter miſericordię ſigna,erga viventes ſaltem,exhibet,dum meritas pro peccatis pœnas exhibendo, illos ad vitæ prætetitæ pœnitentiam excitat. In Dæmonum apparitionibus mali à malis abſterrentur, boni confirmantur in bonis.

Deus cur ſpectra apparere permittat.

V. Innumeras alias utilitates mortalibus afferunt apparitiones. Diſcunt enim,animas poſt mortem non interire,ſed aut meritas pro peccatis pœnas, aut debita pro bonis operibus præmia percipere. Diſcunt valorem orationum,reliquiarum,aliarumque rerum conſecratarum. Diſcunt quanto odio proſequatur DEUS innocentium cædem,pauperum oppresſionem, aliorumque ſimilium ſcelerum perpetrationem. Omitto alias utilitates.

Utilitates ex ſpectrorum apparitionibus.

VI. Ex his reddi poteſt cauſa, cur quibusdam hominum generibus frequentiores contingant apparitiones, quàm aliis. *Purgandæ* animæ apparent potiùs fidelibus,quàm infidelibus; & inter illos potiùs affinitate, vel conſanguinitate, aliove quopiam vinculo conjunctis,quàm extraneis: quoniam ab unis ſubſidium ſperant,non ab aliis. Damnatæ animæ iis apparent frequentiùs,qui pœnarum infernalium authores ipſis fuerunt. In dæmonum apparitionibus poteſt haberi ratio vel criminum, ob quæ mortales perſequuntur; vel perverſæ voluntatis,quâ nocere appetunt. Ratione prioris, majores moleſtias ab iis patiuntur, qui gravioribus peccatis ſunt impliciti; ratione poſterioris, qui integrioris ſunt vitæ. Hinc tot ab illis moleſtias ſuſtinuerunt celebres eremi incolę,Paulus, Hilarius,Antonius,aliique; item Sanctiſſimi Religioſorum ordinum Inſtitutores, cum innumeris utriusque ſexus Sanctis, uti ex multis exemplis in præcedentibus allatis patet. Quibus adde quod refert *Alexander ab Alexan. lib.4. Genial. Dierum* cap. 19. his verbis. *Sed præ omnibus quæ audiverim,aut viderim,res eſt admiratione digna,quam recenti memoriâ eveniſſe comperimus Romæ. Quippe nota res eſt, cùm apud Gabios quidam infimæ ſortis & obſcuris natalibus adoleſcens,veſanus & furioſus (cujus pravi mores & vita facinoroſa fuerat) in parentem gravibus jurgiis convitiatus foret; poſt jurgia immodica,cùm furiis agitatus, advocato dæmone, cui ſe devoverat homo ille improbus & impurus,furore cæcus & amens diſceſſiſſet,& Romam petere cœpiſſet, eo conſilio,ut aliquod dirum facinus in*

Spectra cur aliquibus potiùs appareant, quàm aliis.

Dæmon apparet inveni in patrem impii.

 patrem

Digitized by Google

patrem moliretur; dum iter faceret, dæmonem facie hominis truculentâ, sordidâ barbâ & capillo, vesteq; obsoletâ & squalidâ obviam habuisse. Quo cùm simul pergerent, illum interrogasse juvenem (quem animo anxio & sollicito videbat) quid tam tristis incederet: atque ille, cùm quid sibi jurgii cum patre fuisset, quodque aliquid scelesti facinoris patrare cuperet, respondisset; dæmonem illum se quoque simili casu percitum fuisse dicere: proinde pergerent, & suas injurias ulturi irent. Cùmq; nocte appetente ad urbem applicuissent, in proximo hospitio divertisse, atq; in cubiculum, quod à caupone utriq; exhibitum fuit, haud multò post cubitum ivisse. Cùmque unà cubarent, pestem illam immanem, cùm illum somno oppressum videret, infestis manibus jugulum hominis apprehendisse, ut elisis faucibus necaret: quem jam oppressisset, ni expergefactus ille, Dei opem & auxilium advocasset: Quo audito, furiam illam teterrimam stridore & tumultu maximo, tantoque impetu cubiculum, unde evasit, dicitur collisisse, ut tigna & tectum everterit, tegulasq; penitus perfregerit. Ita Alexander.

Spectra quibus temporibus appareant.

VII. Ad tempora quod attinet, possunt quidem Spectra quovis apparere tempore, & sæpe interdiu conspicienda se præbent; noctem tamen potissimùm deligunt, ut perpetua docuit huc usq; experientia. Faciunt hoc mali spiritus, quia cùm malè agant, lucem oderunt. Boni verò id faciunt, quoniam noctu solos, & aliis negotiis expeditos deprehendunt, quos subsidii recipiendi aut dandi causâ conveniunt. Exempla innumera in præcedentibus attulimus.

CAPUT XXXIV.

De Notis ad discernenda Spectra diabolica ab humanis.

Notæ ad discernenda spectra diabolica ab humanis.

SUprà cap. 27. aliquot adsignavimus signa, ex quibus constare queat, an Spectra, quæ videntur, aut audiuntur, diabolica sint, an humana. Eadem nunc enucleatiùs explicabimus, aliaque nonnulla addemus. Capite sequenti signa dabimus, humana Spectra inter se discernendi, & an bonæ aut malæ sint animæ, cognoscendi.

§. I. An ex forma, in qua apparent, Spectra discerni possint diabolica ab humanis.

FOrma in qua apparent Spectra, est, ut suprà vidimus cap. 32. §. 5. vel hominum, vel brutorum, vel monstrorũ. Ajo nunc, harum formarũ quasdam esse omnibus Spectris communes, ac proinde ex iis diabolica ab humanis discerni non posse, nisi aliud accedat signum: alias convenire probabiliter diabolicis, alias probabiliter humanis.

Humana forma est omnibus

I. Itaque *Humana forma est omnibus Spectris communis.* Patet ex innumeris exemplis suprà allatis. Et ratio est, quia quàm facilè Angeli boni possunt sibi & animabus bonis aptare corpora humana, tàm facilè Angeli mali possunt

Digitized by Google

possunt eadem sibi & animabus malis accommodare. Itaq; sub humana forma apparuerunt pleriq; dæmones familiares; & dæmones metallici; & Hudekin Hildesheimensis;& qui sub specie genitoris accessit Wilhelmum Pictavorum Comitem;& qui sub specie mariti miserabilis S. Melaniam;& qui sub specie Monachi S. Dominicum;& qui sub specie mulieris *S.* Justinam; & qui sub specie nunc Æthiopis, nunc Eremitæ S. Vincentium;& qui sub specie Medici S. Benedictum;& qui sub specie nigelli pueri S. Claram;& qui sub specie nunc Jovis, nunc Mercurii, nunc Veneris, nunc Minervæ, nunc hominis D. Martinum. Leguntur hæc in vitis dictorum Sanctorum. Judæis, teste *Sigeberto Anno Christi 438.* apparuit in forma Moysis,& se ducem iis in promissionis terram futurum pollicitus, induxit persuasos ad mare transfretandum, plurimosq; illorum undis involuit. *Jacobus Mayerus lib. 5. Annal. Flandriæ Anno 1153.* narrat, diabolum in Furnensi agro, pago Eggafridi inferioris Germaniæ, Gerardum Ducem Betaniæ se mentitum esse,& diu multumq; variis præstigiis illusisse hominibus; donec tandem à Diacono quodã Rodolpho adjuratus, quod erat, immundum se Spiritum esse confessus est.

spectris communis. Dæmon sub forma humana apparet variis figuris.

Nec humanam tantùm formam, sed Angelicam quoq;, imò & ipsius Christi etiam, non semel induit dæmon. Sub Angeli specie se exhibuit S. Elphego Episcopo Cantuariensi,& B. Oswaldo Episcopo Wigorniensi, ut in eorum vitis legitur apud Surium tom. 2. & 5. Sub Christi Domini specie apparuit S. Martino morti proximo, ut cõstat ex ejus vita;& Sedũdello, ut refertur in Vita Friardi reclusi apud *Gregor. Turonens.* lib. de vita Patrum cap. 10. & Valenti Eremitæ, ut scribit *Palladius* in Histor. SS. Patrum sect. 28. aliisq; de quibus infrà suis locis. Ex *humana itaq; forma sola, nisi aliquid accedat, ut paulo post dicetur, diabolica Spectra ab humanis discerni nec certò, nec probabiliter possunt.*

Dæmon sub specie Angeli, & Christi apparet.

II. *Forma brutorum ac monstrorum est probabiliter propria solis dæmonibus, illosq; à spectris humanis discernit.* Ratio est, quia dæmones apparentes solùm terrere,& molestias inferre volunt;& DEUS vult plerumque, ut cognoscantur ab hominibus,& fugiantur ob deformitatem; meritò ergo sub talibus formis apparent. Animæ verò hominum, tam purgandæ, quàm damnatæ, apparent, ut cognoscantur quales sint; ergo sub illa forma apparent, sub qua cognosci possint. Exempla Spectrorum sub variis belluarum ac monstrorum formis apparentium retulimus suprà cap. 28. §. 1.

Forma brutorum ac monstrorum est propria spectrorum diabolicorum.

III. *Humana forma perfecta, quæ nihil peregrinum, nihil ab humana alienũ habet, est probabiliter solis humanis spectris propria, illaq; à diabolicis discernit.* Nihil ab humana alienum habet, quę nec ulla sui parte, nec peregrino colore, nec figurâ, nec habitu, nec gestuũ aut morum levitate, nec mole, nec parvitate, ab humana degenerat. Ratio est, quia dęmon vix sub humana forma conspicitur, nisi etiam sui aliquod indicium quodam formæ defectu aut de-

Forma humana perfecta non convenit spectris diabolicis.

for-

Digitized by Google

formitate præbeat, ut ex innumeris exemplis patet. Addo quod refert *Alexander ab Alexandro lib.4.Genial. Dier cap.19.* his verbis. *Auctor est Thomas Monachus, homo minimè malus, cujus ego fidem authoritatemque pluribus in rebus expertus didici: qui seriò mihi retulit, quòd cùm in monasterio & sacris ædibus, quæ in Lucanis montibus sunt, cum pluribus jurgatus foret, & post immodica convitia & rixas, animo perturbato inde se proriperet; cùm per nemora iter solus intenderet, speciem hominis vultu tetro, nigrâ barbâ, promissis tunicis, vultu aspectuq; deformi, & sævo, obviam habuisse. Quem cùm compellaret, quid ipse solus per devia errabundus incederet, dixit; equum, quo vectabatur, amisisse, atque in proximos campos illum evasisse credere. Cùmque per sinus invios equum una quæsitum pergerent; ad profluentem, in cujus alveo gurgites magni & formidabiles redundabant, devenisse. Et cùm monachus ut aquam trajiceret, calceos sibi eximere appararet; illum magnopere coëgisse, & tandem pervicisse, ut super scapulas suas ascenderet, potiùsq; à se, qui corpore major erat, vectaretur. Qui acquiescens, cùm super illius scapulas, ut succollaretur, monachus ascenderet, illeq; jam aquam ingredi appararet; dum vada exquirit; illius pedes non humana, sed tetra & deformi specie conspexit. Quo animadverso, horribili terrore percitus, Deum, ut sibi præstò esset, acclamavit. Mox dæmonem & diram illam speciem, divino audito verbo, stridore querulo, & vi maximâ, quanta dici potest, ita è conspectu [illegible] se dedit, ut imminentem quercum ingenti impetu colliserit, ac perfractis ramis funditùs everterit.*

Ex dictis patet, duobus modis formam externam probabiliter prodere spectra diabolica: primò, si sub brutorũ, aut monstrorum forma conspiciantur: secundò, si sub humana quidem, sed vitium aliquod habente, ut si caudam, pedes belluinos, asininas aures, cornua habeat; si capite, brachiis, vel aliâ notabili parte careat; si prodigiosæ magnitudinis, aut parvitatis sit; si peregrino prorsus & apud homines inusitato habitu sit; si motus corporis, gestus, incessus dissolutior. Sagæ apud *Remigium* lib. 1. Dæmonol. cap. 7. fatentur, facies suorum Martinellorum (sic vocant diabolos sibi adsignatos) esse *subobscuras & atras; lumina penitus abdita, & instar flammæ micantia; oris rictus sparsos, profundos, ac perpetuò olidi sulphureiq; aliquid æstuantes; manus strigosas, & villis atq; hamis deformes; pedes corneos ac bifidos; staturam nunquam justam, sed aut brevitate, aut vastitate semper aliquâ insolentem &c.* Dixi brutorum formam probabiliter diabolicorum spectrorum esse: certò enim & infallibiliter non sunt: nam ut lib. 1. vidimus, sagæ non raro sub brutorum formis comparuerunt.

§. II. An ex voce, & tumultu excitato, possint Spectra diabolica ab humanis discerni.

Vox spectrorum, quæ pro.

I. *VOx articulata humanæ similis, clamor, risus, gemitus, aliiq; soni ab hominibus edi soliti, non rectè distinguunt Spectra diabolica ab humanis.* Ratio est,

est,quia dæmones, & animæ defunctorum apparentes , hujusmodi sonis utuntur,ut patet ex relatis exemplis. *Nec etiam vox obscura, aut exilis sive debilis,rectè id præstat.* Est quidem vox dæmonicorum Spectrorum sæpe obscura,& tenuis ; sed nec semper,nec solùm.

pria sit dæmonis.

II. *Voces quæ non nisi bruta animantia,atq; horrenda monstra referunt;item, soni qui cum ingenti tumultu fiunt ; sunt probabiliter Spectrorum diabolicorum.* Priores quidem,quia ut formæ brutorum & monstrorum probabiliter dæmones produnt,ita & voces eorundem. Posteriores verò,quia solùm ad terrorem incutiendum tendunt; quod dæmones præcipuè procurare nituntur,ut diximus §. præcedenti : quamvis enim damnatæ quoq; animæ terrere cupiant;quia tamen divinę providentiæ ratio postulat,ut potiùs se prodant,quàm noceant; ideo potiùs humanos sonos excitant. Hinc viri sancti præsentiam dæmonum deprehenderunt ex vocibus bestiarum , ut sæpe in præcedentibus diximus. Simili ratione se prodidit diabolicum spectrum Corinthi in quadam domo , quam Dacius Mediolanensis Episcopus inhabitabat,teste *D.Gregorio* lib.3.Dialogor.cap.4.his verbis. *Tempore igitur Justiniani,cùm Dacius urbis Mediolanensis Episcopus, causâ fidei exactus , Constantinopolim pergeret,Corinthum devenit. Qui cùm largam domum ad hospitandum quæreret,quæ comitatum ejus totum ferre posset;& vix inveniret;aspexit eminùs domum congruentis magnitudinis,eamq; sibi præparari ad hospitandum jussit. Cùmq; ejusdem loci incolæ dicerent , in ea tunc manere non posse , quia multis jam annis eam diabolus inhabitaret;vir venerabilis Dacius respondit, dicens: Imo ideo hospitari in eadem domo debemus,si hanc malignus spiritus invasit, & ab ea hominum habitationem repulit.In ea igitur sibi parari jussit,securusq; illam,antiqui hostis certamina toleraturus , intravit. Itaq; intempestæ noctis silentio, cùm Vir DEI quiesceret, antiquus hostis , immensis vocibus,magnisq; clamoribus cœpit imitari rugitus leonum,balatus pecorum, ruditus asinorum , sibilos serpentum , porcorum grunnitus,stridores soricum.Tunc repentè Dacius,tot vocibus excitatus, surrexit, vehementer iratus;& contra antiquum hostem magnis cœpit vocibus clamare , dicens: Bene tibi contigit,miser: Tu ille es,qui dixisti ; ponam sedem meam ad Aquilonem,& ero similis altissimo. Ecce per superbiam tuam porcis & soricibus similis factus es;& qui imitari Deum indignè voluisti,ecce,ut dignus es,bestias imitaris. Ad quam ejus vocem dæmon erubuit, & fidelium habitaculum domus facta est , abscessitq; mendax & infidelis spiritus.* Hæc D.Gregorius, & ex ipso *Baronius* tom. 7.anno 540.

III. *Suspiria, gemitus,fletus,vox tristis & lacrymabilis,&c.probabile indicium sunt spectrorum humanorum.* Quamvis enim hæc possint etiam dæmones habere auctores,humanis tamen,maximè bonis,magis conveniunt, utpote miserias suas hominibus exprimere cupientibus ; quod dæmones non intendunt.

Pp §. III. An

§. III. An Sermo Spectrorum distinguat Spiritus diabolicos ab humanis.

Sermo Spectrorum quomodo distinguat diabolica ab humanis.

I. *Sermo apertè malus, cujusmodi sunt blasphemia, diræ, imprecationes, convitia, contumeliæ, detractiones, mendacia, turpiloquia, & si qui sunt alii, non distinguunt diabolica spectra ab omnibus humanis. Eadem est ratio de sermone à bono dehortatorio, aut ad malum hortatorio.* Ratio est, quia non tantùm dæmones, sed etiam animæ damnatæ, uti solent hujusmodi sermonibus, cùm sint pariter mali, ac in DEUM & homines irâ & odio commoti. Experientiâ quotidianâ constat, dæmones in energumenis evomere plaustra blasphemiarum, convitiorum, detractionum, mendaciorum, &c. Quidam à Theodoro Archimandrita ejiciendus ex puella, quam viginti octo annis miserè vexaverat, ipsum vocat meretricis filium, ut in vita Theodori testatur *Georgius Presbyter* apud Surium tom. 2. Alius meretricem vocat S. Euphrasiam, cùm sibi vim à Virgine afferri sentiret, ut *Surius* tom. 2. in ejus vita scribit. Alius, quem S. Maltonius Episcopus ejecit, in convitia effundebatur, ut scribit *Sigebertus* Monachus in ejus Vita. Ab alio audit S. Bernardus devorator porcellorum, & brassicarum, ut in ejus *vita lib. 2. cap. 4.* habetur. Ab alio S. Benedictus vocatur Maledictus, teste *D. Gregorio*.

Dæmones obsidentes convitia jaciunt in alios.

Dæmones à bono dehortantur.

Unus S. Melaniæ suadet, ut relictâ fide orthodoxâ, amplectatur sectam Nestorii: alius S. Claræ, ut de studio orationis remittat: alius S. Vincentio, ut relictâ severiori vitæ disciplinâ, genio in florida ætate indulgeat: alius Sedundello, ut relictâ eremo operam det miraculis patrandis. Habentur hæc in dictorum Sanctorum Vitis. Omitto innumera alia exempla.

II. *Sermones ad bonum hortatorii non distinguunt humana Spectra à diabolicis.* Ratio est, quia etiam dæmones ad bonum aliquando hortantur; non quòd bene nobis velint, sed ut sub specie boni illaqueent. Exempla retuli in præcedentibus, lib. 1. cap. 37. §. 1. & §. 3. Joanni Gorlino Eremitæ montis Serrati, de quo in præcedentibus, suasit dæmon, sub alterius Eremitæ specie apparens, ut filiam comitis à dæmone liberatam apud se retineret per aliquod tempus, & fortiter contra carnis tentationes pugnaret; sed lapsus secutus prodidit quo animo id suaserit. Alius Justinæ suasit virginitatē, sed ita, ut propositâ difficultate ac periculo averteret ipsam à proposito, ut scribit in ejus vita *Metaphrastes*. Alius sub forma puellæ in eremo errantis commendavit S. Victorino, eremum tunc incolenti, hospitalitatem, & ut se reciperet per noctem, rogavit; sed casus similiter aperuit diaboli fraudem. Omitto alia.

Dæmones ad bonum hortantur.

III. Ser-

III. *Sermones apertè mali, ad malum hortatorii, à bono dehortatorii, distinguunt spectra diabolica ab humanis bonis, nimirum ab animabus purgandis.* Ratio est, quia tales animæ malum facere nec possunt, nec volunt.

IV. *Occultorum revelatio plerumq; diabolica spectra ab humanis distinguit.* Ratio est, quia dæmones, ut diximus lib. 1. c. 5. multa occulta cognoscunt naturali scientiâ, quæ animæ defunctorum non possunt scire, nisi DEO revelante; cùm igitur non constet, an DEUS hîc & nunc aliqua revelaverit dictis animabus, constet autem diabolum ea scire ex se posse; sequitur quod diximus. Itaque dæmones fuêre Spectra illa, quæ in Tracensi Provincia, apud radices montis Cuzenæ cladem Romanorum in Cælisyria denuntiarunt, ut suprà diximus. Dæmonium item probabiliter illud, quod Curtio Ruffo prædixit, futurum ut Romam proficisceretur, ibidem honores gereret, in Africam cum summo imperio rediret. Omitto alia.

§. IV. An molestiæ ac damna, hominibus à Spectris illata, distinguant diabolica ab humanis.

I. *Molestia sine corporis læsione à spectris illata, non distinguunt diabolica ab humanis.* Nam tam dæmones, quàm animæ damnatorum, tales molestias inferre possunt, ac solent, ut probat Cleonicæ Byzantinæ Virginis spiritus Pausaniam insectans, & spiritus Agrippæ matris filium Neronem exagitans.

Molestiæ à spectris illatæ quomodo distinguant diabolica ab humanis.

II. *Nec gravia damna, imò nec mors ipsa hominibus illata, sufficienter distinguit diabolicos spiritus ab humanis.* Nam sæpe à Sanctis comparentibus fuêre viventes percussi, vulnerati, necati. De S. Petro refert *Beda* lib. 2. cap. 6. Historiæ Anglor. quòd Laurentium Cantuariensem Episcopum, fugam meditantem, nocte flagellis cæciderit. De D. Virgine MARIA scribit *Nicephorus* lib. 18: cap. 35. quòd impio cuidam hospiti dormienti adstiterit; & verbis increpitum, vimine ejus genua circumcinxerit, adeo ut vibicum signa remanerent. De Pappolo Episcopo Lingoniensi, qui gregis sui nullam curam habebat, ideoque à Tetrico ejus antecessore defuncto percussus fuit graviter, scribit *Gregorius Turonensis* lib. 5. Historiæ Francor. cap. 5. De Udone Magdeburgensi Episcopo, à Sanctis in templo S. Mauritii accusato, damnato, atque occiso, nota est omnibus Historia.

Sancti cōparentes castigant homines.

III. *Damna tam gravia, ut humanorum Spectrorum vires superare putētur, rectè adscribuntur spectris diabolicis, aut certè Angelis bonis.* Ratio est, quia DEUS per causas secundas agit; præter autem diabolica spectra, & præter angelos bonos, aliæ causæ secundæ talium damnorum adsignari non possunt.

§. II. An ex voce, & sermone, humana Spectra mala à bonis possint discerni.

I. *Gemitus, suspiria, lacrymationes, quæ sine impatientiæ signo eduntur, denotant probabiliter spectra humana bona; quæ verò cum impatientia eduntur, mala.* Ratio est, quia mala impatientissimè & illubentissimè pœnas tolerant, bona verò patientissimè & libentissimè. Discriminis causa per se patet.

Voces Spectrorum humanorum.

II. *Sermo boni petitorius non est signum certum Spectri humani boni.* Ratio est, quia etiam dæmones aliquando bona petunt, & viventium orationes postulant. Petrus Marmorius apud *Bodinum* lib. 3. Dæmonom. cap. 6. narrat, in Gallia Consollenti ad Viennam fluvium accidisse Anno 1458. in ædibus cujusdam Caplandi, *diabolum, qui animam defuncti se esse prædicabat, gemitibus, clamoribus, & querimoniis omnia complevisse, monentem habendas preces, peregrinationesque obeundas, & res veras plurimas revelantem: sed dicente ei quodam; si tibi vis haberi fidem, dic,* misereri mei Deus secundum &c. *respondisse, hoc à se fieri non posse. Tunc ludificantibus ipsum iis, qui adstabant, fremebundum aufugisse.* Idem accidisse Nicolaæ Alberiæ Veruinensi, narrat apud eundem Bodinum loco cit. D. Bartholomæus Faycu Consiliarius Parisiensis Curiæ; nempe *Satanam huic ad fossam patris oranti apparuisse, tanquam è sepulchro prodeuntem, qui missas plurimas celebrari, certasque peregrinationes suscipi jussit, nec propterea miseram exagitare destitit: & quamvis seipsum priùs avum illius esse respondisset, tandem Beelzebubum esse confessus est.*

III. *Nihilominùs si sermo boni petitorius talis est, ut ex modo & forma petendi judicetur fieri bono animo; est probabiliter boni Spectri humani indicium.* Ut si petatur aliquid boni, v. g. subsidium orationum, eleemosynarum &c. Dei aut Christi nomine, cum humilitate, non cum levitate, ironia &c. Tunc enim judicari potest omni peccato carere, ac proinde boni, non mali Spectri esse oratio.

§. III. An ex molestiis exhibitis, & officiis præstitis, distingui possint Spectra humana mala à bonis.

I. *Molestiæ excitantes ad peccatum, item conjunctæ cum levi & scurrili gesticulatione, item solùm vexandi causâ illatæ sunt à Spectris malis: quæ autem ad nullum peccatum excitant, nihil levitatis habent, ad propriam Spectrorum aut viventium utilitatem diriguntur, sunt à bonis.* Ratio per se patet. Ad propriam Spectrorum utilitatem dirigi censentur molestiæ illatæ, quando fiunt, ut cognoscatur conditio & miseria Spectrorum, & subsidiis viventium juventur.

Molestiæ Spectrorū humanorum.

II. *Obsequia viventibus à Spectris præstita, si per se honesta sunt, si humilia, si constantia; probabiliter sunt a bonis.* Nam mala spectra, tametsi obsequia aliqua

Obsequia à Spectris humanis præstita.

Digitized by Google

aliqua per se honesta aliquando exerceant, humilia tamen horrent, propter superbiam; aut si & hæc suscipiant, constantia in iis non sunt. Exempla obsequiorum à bonis Spectris exhibitorum habes cap. 23. ex D. Gregorio, de Paschasio, & Presbytero Centumcellensi.

§. IV. An ex locis & temporibus, in quibus Spectra sentiuntur, discerni possint bona à malis.

Spectra in templis bona sunt.

I. *Spectra quæ in templis videntur, aut audiuntur, sunt probabiliter bona.* Nam Spectra ideo in templis se manifestant, ut juventur; quod bonorum est proprium, non malorum. Mala excludi è templis, probat exemplum Valentini, viri lubrici, & cunctis levitatibus occupati, ut *D. Gregorius* loquitur lib. 4. Dialog. cap. 53. cujus corpus cùm in Ecclesia B. Syri Martyris sepultum fuisset, mox inde extractum fuit. *Nocte enim media, post sepulturam, in eadem Ecclesia facta sunt voces, ac si violenter ex ea expelleretur. Ad quas cùm concurrerent custodes, duos teterrimos Spiritus viderunt, qui Valentinum ligatum pedibus foras traherent; qui manè facto sepulchrum aperientes, corpus non invenerunt.*

Spectra in locis ubi mortes hominum præcesserunt.

Mors felix quæ nam sit.

II. *Spectra quæ in locis, ubi mortes hominum præcesserunt, versantur, si infelicem mortem obierunt, sunt mala; si felicem, sunt probabiliter bona.* Mortem enim infelicem sequitur damnatio & malus status; felicem, probabiliter bonus status. Felicem porrò mortem non appellamus illam, quæ quietis & tranquillitatis est plena, quæ caret gravi doloris sensu, quæ adstantibus nullum incutit horrorem, ubi plures adsunt amici consolantes, ubi insignis pompa funebris &c. Sed quæ cum nulla peccati mortalis conscientia est conjuncta, & ubi nihil eorum, quæ Deus & Ecclesia postulat, prætermittitur. Hinc patet, quæ dicenda sit infelix.

III. *Spectra quæ etiam interdiu apparent, & sacris temporibus sentiuntur, sunt probabiliter bona.* Mala enim & lucem oderunt, & sacra omnia fugiunt.

CAPUT XXXVI.

De Spectrorum adjuratione, ad cognoscendam eorum conditionem.

Adjuratio Spectrorum.

NOtas dedimus ad cognoscendam Spectrorum conditionem: sed quia hæ sæpe desunt aut insufficientes sunt; videndum, an, & quomodo, adjuratione id assequi possimus.

Adjuratio porrò est, quando per Deum, aut Christum crucifixum, adjurantur & adiguntur Spectra, ut suam conditionem prodant, hoc est, qui qualesque sint Spiritus, edicant, quid velint, an & quibus mediis juvari queant.

Hujus

Digitized by Google

Hujus magnam esse vim ad Spectra, ut prædicta enuntient, adigenda, patet diuturnâ experiétiâ, & suadet ratio. Nam bona, ex reverẽtia erga Deum & Christum, & ut à fidelibus juventur, libenter conditionem suam, & causam præsentiæ manifestant; mala verò ex timore idem præstant.

Licitam esse adjurationem contra Spectra, dubium non est, si debito modo fiat: est enim actus religionis, & cedit in Dei honorem, Spectrorum aut viventium utilitatem. Confirmat perpetuus fidelium usus, à doctis ac piis approbatus.

Forma adjurationis est vel præceptoria, præcipiendo, veluti necessitatem imponendo, ut divini nominis reverentiâ id faciant, quod petitur: vel deprecatoria, precando & hortando tantùm, ut id faciant. Prior servari deberet erga inferiores, posterior erga superiores; at quia ignotus est status Spectrorum, quando adjuratio adhibetur; potest ac solet adhiberi plerumque præceptoria formula. Et hoc expedit, quia sæpe Spectra sunt dæmones, aut animæ damnatæ, quas non decet rogare ac precari.

Adjurationis Spectrorum forma.

Possunt quidem omnes adjurare Spectra, quia licet actus sit religionis, non est tamen actus Ordinis, & qui solis Deo consecratis personis conveniat: non tamen omnes cum fructu id faciunt, uti experientiâ constat. Quæ experientia etiam docet, utiliùs id facere personas Deo consecratas, vel vitę sanctimoniâ conspicuos. Prodest igitur, præmittere orationes, jejunia, aliaque pia exercitia. Possunt sacerdotes adhibere vestes sacras, aliasque ecclesiasticas ceremonias; sed necessarium non est: utile tamen est, quia hujusmodi ceremoniæ ab Ecclesia Catholica institutæ, & ritè usurpatæ, vim habent in spiritus, maximè malignos, ut patet multis exemplis, quæ afferemus, cùm de Energumenis agemus.

Adhiberi debet adjuratio iis locis, in quibus Spectra præsentiam suam manifestant; & iis temporibus, quando se produnt: est enim locutio præsentis ad præsentem.

PARS V.

DE MODIS SPECTRA PELLENDI.

Dari Spectra, eaq; homines ac loca infestare, probavimus; illorũ naturam, variasq; conditiones ac veluti proprietates explicavimus; superest, ut quibus illa modis à nobis & à locis infestis averruncãda sint, præscribamus. Ducẽ sequemur præcipuè Thyræum, *ac* Delrium, *qui hoc argu-*

Spectra pelli possunt.

argumentum cæteris fusiùs atque accuratiùs versant; ille in Libro de Locis infestis tota par. 3. à cap. 54. usq; ad finem; hic in lib. 6. Disquisit. Magic. à cap. 6. Suppono autem tanquam indubitatum, Spectra pelli posse, & infestationem illorum ab hominibus & locis averti, ut constat ex multis exemplis suprà relatis, nempe de domo Hesperii per Presbyterum purgata, de alia per Theodorum Sicaeorum Archimandritam, de thermis angularibus per Germanum Capuanum Episcopum, de castello Regis Persarum per Antistitem, de agro Bingensi per Clerum Moguntinum, de agro Wormatiensi per Monachum &c. Ordinem servabimus qui sequitur. At antequam veros & efficaces modos Spectra pellendi in medium afferamus, paucis indicandi sunt, atq; examinandi, falsi nonnulli, ab aliquibus subinde adhibiti, nec sine effectu. Sit itaq;

CAPUT XXXVII.

An convitiis & diris imprecationibus pellantur Spectra.

Spectra an pellantur convitiis &c.

HOc remedio usum fuisse Apollonium Tyanæum contra Lamiam quandam apparentem, narrat *Philostratus* lib. 2. Vitæ ipsius cap. 2. Nam cùm is cum Damide & sociis Caucasum montem conscenderet, *Lamia phantasma occurrit, modò in hanc, modò in aliam figuram se convertens, quandoque ab oculis repentè evanescens. Apollonius autem quidnam id esset agnoscens, gravibusque & contumeliosis verbis illud increpans; socios, ut idem facerent, hortabatur: id enim contra ejusmodi invasiones optimum esse medicamentum. Ejus dictis cùm socii paruissent, stridens phantasma celeriter, tanquam idolum, aufugit.* Hoc eodem quoque remedio fortassis utuntur Indi illi, quibus *Petrus Martyr* lib. 9. Decad. 5. de Rebus Oceanicis, ait noctu, & sæpissime in itineribus, præcipuèque viis publicis mortuos occurrere; contra quos si intrepidi stent, dissolvi phantasmata; si verò pertimescant, adeò ab iis invadi, ac perterreri, ut sæpius ea formidine debilitentur ac stupeant. Vel ipsi quoque Luthero placuit, congerenda esse acerrimorum convitiorum plaustra, quibus dæmonum tentationes dispelli censuit, teste *Delrio lib. 6. Disquis. Magic.* cap. 2. sect. 1. q. 1. Certè D. Antonius apud *D. Athanasium* in ejus vita, & primitivi Christiani apud *Prudentium* hoc remedio ad expellendos dæmones usi sunt: unde hic ita canit.

Intonat antistes Domini; fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solve latentes;
Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas.

In

In exorcismis etiam, quos Ecclesiæ Catholicæ ministri contra dæmones ex obsessis pellendos adhibent, multa miscentur convitia & imprecationes contra ipsos. Quæritur ergo, an Spectra, saltem diabolica, convitiis & imprecationibus pellantur.

Ajo I. Scurrilibus aut iracundis convitiis, & atrocibus maledictis eorum, qui levitate animi, aut passione ad id moventur, & non charitate, ac fidei zelo, neque ex officio id muneris suscipiunt; Spectra mala potiùs attrahi, quàm pelli, per se loquendo, quia peccatis hominum delectantur. Quòd si experientia docuit, dæmones aliquando ob similia convitia fugisse, id fecerunt ut hac ratione allicerent homines ad ejusmodi remedium adhibendum, confirmarentq; in ejus usu.

Ajo II. Iisdem convitiis ac maledictis pelli Spectra bona, id est, defunctorum Spiritus purgandos; non quòd vim habeant ea fugandi, sed quia ipsis displicet Dei offensa, nec sperant auxilium ab hominibus qui hoc remedio utuntur.

Ajo III. In legitimis & probis exorcismis, ab Ecclesia Catholica approbatis, & ab auctoritatem habentibus usurpatis, mala Spectra fugiunt ad convitia, bona non fugiunt. Constat experientiâ. Ratio est, quia mala Spectra ob superbiam non possunt illa tolerare; bona verò iis minimè afficiuntur, quia contra illa non jaciuntur. Exempla dabimus, cùm de energumenorum exorcismis agemus.

CAPUT XXXVIII.

An gladiis, lanceis, aliisque armis Spectra fugentur.

MUlti olim omni ævo, & nostro etiam, gladiis, lanceis, aliisque armorum generibus, contra Spectra pugnasse deprehenduntur. *Plutarch*[9] teste in Laconicis, *Lacon quidam nocte præteriens monumentum, cùm videret Spectrum, accurrit lanceâ trajecturus: Quò fugis, inquiens, anima bis moritura?* Æneæ apud *Virgilium* lib. 6. ad inferos descendenti, suadet Sibylla ferrum stringere adversus spiritus occursuros, dicens:

Spectra an gladiis fugentur.

> *Tuque invade viam, vaginâque eripe ferrum:*
> *Nunc animis opus est Ænea, nunc pectore firmo.*

Quem in locum scribens Hortensius, ait, *multos asserere dæmones ferri aciē reformidare, & reipsâ compertum esse, & se nosse quibus hoc ipsum nocturnis horis accidit, sed cum magnâ adversæ valetudinis conflictatione.* Ulyssem quoque cum stricto gladio sedentem, nec usquam prope ad sacrum cruorem Umbram accedere permittentem; cum Tiresiam audierit, scribit *Homerus* lib.

lib. 11. Odyssea. De hoc eodem remedio ita scribit *Psellus* lib. de Dæmonibus, in fine. *Dæmonicum corpus per totum se naturaliter sensuale, secundum partes singulas absq; medio videt, audit, tangit, patiturque tangendo, & divisum dolet sicut corpora solida: sed hoc interest, quod corpora quidem solida divisa cùm sunt, aut vix, aut nunquam restituuntur, corpus verò dæmonum ubi secatur, mox in se idem recreatur, atq; coalescit; Sicut aqua aërisque partes quando aliquid incidit solidum: sed & dicto velociùs dæmonicus Spiritus in se revertitur. Dolet tamen interea dum dividitur. Quamobrem aciem ferri metuit, idque animadvertentes qui fugare dæmones moliuntur, tela & enses in rectum ibi constituunt, quò nolunt dæmones adventare.* Hæc Psellus, & ex ipso *Rhodiginus* lib. 2. cap. 8. Psello in hoc consentiens; quàm rectè, mox videbimus. *Erastus* in vita Paracelsi narrat, solitum Paracelsum noctu consurgere, & machæram suam Helveticam utrâq; manu in hostem invisibilem huc illuc torquere. Suprà etiam ex Sozomeno lib. 8. Tripart. cap. 28. vidimus, Apellem anachoretam depulisse à se ferro candente dæmonem mulieris specie ad se accedentem. Alia recentia exempla mox dabimus. Quæritur, an Spectra gladiis & armis aliis abigantur.

Ajo, Spectra non posse lædi gladiis, & aliis armis, ideoque nec abigi. Itaq; si aliquando fugiunt armorum ictus, id faciunt, quia volunt, non quia coguntur facere. Probatur ratione, & experientiâ. Ratio est, quia Spectra quæ in assumptis corporibus apparent, aut dæmones sunt, aut spiritus hominum defunctorum: nec dæmones, nec spiritus humani, corporei sunt; nec corpora, in quibus apparent, habēt sibi naturaliter unita; Ergo &c. Dæmones non esse corporeos, probavimus lib. 1. De Spiritibus humanis probabimus, cùm de Mirabilibus Hominum agemus. Nec dæmones, nec humanos spiritus habere corpora, in quibus apparent, sibi naturaliter unita, probavimus hoc lib. cap. 29. Quæcunque ergo sint corpora, in quibus Spectra apparent, possunt quidem pungi, scindi, dividi, trajici, gladiis, glandibus plumbeis, sagittis &c. Spectra tamen nullatenus læduntur, nec ullum sentiunt dolorem, ac proinde si quandoq; fugiunt, id faciunt, non quia læduntur, aut lædi timent, sed quia volunt fugere.

Experientia elucet in exemplis relatis suprà cap. 4. de duobus nobilibus Hispanis ex Delrio; & cap. 5. de milite Uratislaviæ contra Spectrum Draconis formâ pugnante cum gladio; & cap. 9. de Monacho Adamo, contra Spectrum diabolicum in campis gladium frustra vibrante. His adde duo exempla ex Cæsario lib. 12. Exemplor. Prius est *cap. 15.* de milite mortuo, qui in Meneverit apparens vestitus pelliceo indumento, quo vivus solebat uti, non potuit gladio fugari: & cùm illo cæderetur, non potuit ullâ ratione vulnerari, talem ex se sonum emittens, ac si mollis lectus percuteretur: desiit tandem apparere aquâ adspersus, quæ clavo Dominico

Miles apparens, non potest fugari gladio.

Digitized by Google

minico fuerat superfusa. Verba Cæsarii sunt hæc. *In Trevirensi Episcopatu, in quo & superior visio facta est, alter quidam miles erat, Henricus nomine, cognomento Nodus. Nam & ipse malitiosus valde, rapinas, adulteria, incestus, perjuria, hisq; similia, virtutes judicans. Hic cùm mortuus fuisset in provincia Meneverit, in pellicio novo, quo uti solebat vivus, multis apparuit, domum filiæ maximè frequētans. Non crucis signo, non gladio poterat fugari. Gladio sæpe cædebatur, sed non poterat vulnerari; talem ex se sonum emittens, ac si mollis lectus percuteretur. Cujus amici cùm super hoc consulerent Dominum Episcopum Treverensem Johannem, dedit consilium, ut aquâ clavo Dominico superfusâ domus, & filia, nec non & ipse si adesset, aspergerentur. Quod cùm factum fuisset, de cætero non comparuit.*

Alterum exemplum narrat idem Cæsarius cap. 20. citati libri, his verbis. *Concubina cujusdam sacerdotis cùm esset moritura, sicut à quodam Religioso didici, cum multa instantia calceos sibi novos, & bene taccumatos* (fortassis accōmodatos) *fieri petivit, dicens: Sepelite me in eis; valde enim erunt mihi necessarii. Quod cùm factum fuisset, nocte sequenti, longè ante lucem, Lunâ splendente, miles quidam cum servo suo per viam equitans, fœmineos ejulatus audivit. Mirantibus illis quidnam hoc esset: ecce mulier rapidissimo cursu ad eos properans clamavit: Adjuvate me, adjuvate me. Mox miles de equo descendens, & gladio circulum sibi circumducens, fœminam bene notam intra illum recepit: solâ enim camisiâ, & calceis prædictis induta erat. Et ecce, ex remoto vox quasi venatoris terribiliter buccinantis, nec non & latratus canum venaticorum præcedentium audiuntur. Quibus auditis, illa dum nimis tremet, miles cognitis ab ea causis, equum servo committens, tricas capillorum ejus brachio suo sinistro circumligavit, dexterâ gladium tenens extentum. Approximante infernali illo venatore, ait mulier militi: Sine me currere; ecce appropinquat. Illo fortiùs illam retinente, misera diversis conatibus militem pulsans, tandem ruptis capillis effugit. Quam diabolus insecutus cepit, equo suo eam injiciens, ita ut caput cum brachiis penderet ex uno latere, & crura ex altero. Post paululùm, militi sic obvians, captam prædam deportavit. Qui manè ad villam rediens, quid viderit exposuit, capillos ostendit: & cùm minùs referenti crederent, aperto sepulchro fœminam capillos suos perdidisse repererunt. Hæc contigerunt in Episcopatu Moguntinensi.*

Concubina cujusdam Clerici apparet.

His, aliisq; contra Spectra digladiantibus, nihil profuit gladii vibratio; nec prodesse potuit: nam cùm corpora Spectrorum plerumq; aërea sint, similivè ex materia compacta; verissimum est quod Psellus dicit, ea secta mox coalescere in unum, uti aëris aut aquæ partes dissectæ iterum coalescūnt. Falsum tamen quod addit, dolere dæmones, dum dicta corpora dividuntur: falsum quod idem, & Hortensius asserit, metuere illos ferri aciem. Nec Laconis igitur lanceam timuit ac fugit Spectrum ex monumento prodiens; nec Ulyssis aut Æneæ arma Umbræ. Atque hoc eundem Æneam

Digitized by Google

aliquando docuit Sibylla; ut propterea priùs ironicè locuta credatur: sic enim ait apud *Virgilium* lib. 6. Æneidos:

Corripit hic subitâ trepidus formidine ferrum
Æneas, strictamque aciem venientibus offert.
Et ni docta comes, tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare cavâ sub imagine formæ;
Irruat, & frustra ferro diverberet Umbras.

Paracelsi factum putat Delrius vel ferocientis furoris fuisse, vel ex pacto convento, sic molestiarum inducias à dæmone paredrio impetrare volentis. Apelles fide & oratione munitus, diabolum repulit potiùs, quàm ferro; & hoc non naturali, sed DEI virtute singulari.

CAPUT XXXIX.

An accenso igne vel lumine, aut obseratis ostiis arceri possint Spectra.

Spectra an fugentur igne accenso.

Ajo I. Ignem, aut lumen non benedictum (de benedictis cereis postea dicam) non arcere Spectra. Quia illa naturaliter non torquent Spectra, nec aliud quid physicè in iis producunt, quo fugentur. Quòd verò virtute divinâ per ignem & lumen fugentur, nec constat ex Scriptura sacra, nec ex Sanctis Patribus, nec experientiâ. Ergo &c. Infernalis ignis torquet quidem dæmones & animas, at divinitùs elevatus. Noster ignis revocat fortassis Spectris malis in memoriam ignem infernalem; at non propterea eum, ut infernalem, exhorrescunt, & fugiunt. Si igitur quandoq; ad ignem aut lumen conspectum recedunt, id faciunt, non quia coguntur, sed quia volunt.

Spectra an fugentur ostiis obseratis.

Ajo II. Ostia obserata, ac bene munita, non arcent Spectra. Nam ostiis manentibus clausis possunt excitare tumultum, & eâ ratione adhuc infestare loca, & homines. Deinde aliquando dæmones & animæ nullo assumpto corpore præsentiam suam produnt: tunc autem, cùm spiritus sint, oppessulatis ostiis excludi non possunt. Præterea, si aërea habent corpora, possunt ea extra ostium deponere, & intra ostium alia sibi formare eâdem arte ac facilitate, quâ extra id fecerant, vel per se, vel per alios Spiritus adjutores. Demum, si solida & aliunde assumpta habent corpora, possunt cum iis extra ostium tumultus excitare; possunt deponere, & spiritu penetrare intus, ac molestias creare.

Spectrum Romanum

Quæ dixi, confirmat, quod sibi contigisse narrat *Alexander ab Alexand.* lib. 5. Genial. Dierum cap. 23. his verbis. *Nota & vulgata res est, ades quasdam Romæ, quas ego incolui, evidentissimè ostentis ita infames, ut nemo illas incolere ausus fuerit, quin assiduis Umbrarum illusionibus, & tetris imaginibus, noctibus*

Digitized by Google

bus ferè singulis inquietetur: in quibus præter nocturnos tumultus, quos medio ferè noctis silentio audiebamus, & horrendos fremitus cum ejulatu, stridulóque vocis sono, quibus lacrymari & tremere videbatur, speciem hominis squalidâ facie, vultu minaci, nigro corpore, & aspectu formidabili, nomen suum exprimentem, & opem implorantem, cernebamus. Sed ne quis hoc fabulosum aut commentitiū putet, auctor est Nicolaus Tuba, vir multæ & expertæ fidei, qui cùm rei explorandæ gratiâ cum nonnullis doctis juvenibus primâ facie ad nos advenisset, cupido incessit animo, hæc vera essent, intueri. Et nè quid inexpertum relinquerent, noctem pervigilem egère mecum, ut rem notam exploratamque haberent. Neque eos opinio fefellit: nam cùm accensis luminibus pervigiles starent, haud procul species hæc dirâ terribilique facie, & vultu tetro repræsentata est; quam ipsi tumultuari, & diris nos vocibus agitare videbant. Cùmque omnia clamore & tumultu streperent, post multa oculorum ludibria tantum formidinis pavorisque intulit, ut territi & trepidi vix mente incolumi satis constarent. Et cùm tota ædes gemitu funesto miscerentur, singulisque cubiculis pestis illa importuna obversaretur; dum propiùs accederemus, illam retrocedere, & querulâ voce lumen effugere cernebamus. Demum cùm multùm diuque tumultuata fuisset, haud multò post, ubi multùm noctis processit, visio omnis illa dilapsa est. Sed præ cæteris, quæ ibi expertus sum, non omittam miraculum ingens, quod mihi planè vigilanti majore aliquantò trepidatione haud multò pòst obvenit. Nam cùm tenebris obortis, cubiculi fores obserassem firmâ serâ, jaceremque in lectulo, nullâ adhuc quiete compositâ, lumine accenso; horribilem illam speciem foris jam tumultuari, & cubiculi fores manibus pulsare sentiebam. Nec multò pòst simulacrum illud, opertis adactisque foribus (vix credibile dictu) per commissuras & rimas in cubiculum se intromisit, quod sub lectulo meo jacens, cùm Marcus alumnus & cliens meus, utpote qui è conspectu cubabat, tetrâ & dirâ facie aspiceret; pavore subito consternatus, luctu & gemitu omnia opplebat, ipsamque intromissam non sine formidine clamabat. Idque cùm mihi, qui occlusum cubiculi ostium aspicerem, vix credibile videretur; interim dirum illud simulacrum, quod sub lecto jacebat meo, manum & brachium protendere, lumenque quod juxta aderat, extinguere vidimus. Quo extincto, libellos meos, & quidquid rerum erat, querulâ voce miscere, ac omnia evertere non destitit. Mox cùm ad tumultum excisi socii eò se contulissent, lumenque intromissuri obversarentur vestibulo; interim ipsum opertum cubiculi ostium manu aperire, & forâs effugere vidimus. Erat enim ipsius species, ut planè perspeximus, simulacro hominis nigerrimo non absimilis. Illud utique mirum fuerit, dignumque memoratu, figuram illam, dum nobiscum sic luctaretur, cùm fores cubiculi reserasset, ab his qui lumen intromisère, minimè conspectam: sed cùm primùm cubiculi fores exivit, elapsam ex oculis illicò discessisse, & in auras evanuisse. Hæc Alexander. Rectissimè ergò D. Antonius apud Athanasium, de dæmonibus loquens, ait: *Si fuissent hoc fragili corpore colligati; obserato introitu iisdem negaretur accessus. Cùm autem hoc im-*

pedimento sint liberi, & obstructa penetrent, atque in omni licenter volitent aëre; manifestum est, ob enervationem eorum permanere Ecclesiæ corpus illæsum.

At dicet aliquis, vocari dæmones ab Apostolo Ephes. 6. *tenebrarum rectores*, & à Davide Psal. 90. *timorem nocturnum, negotium perambulans in tenebris*. Solent item Spectra omnia noctu & in tenebris multò crebriùs ac libentiùs apparere, quàm interdiu, uti ex relatis suprà historiis plurimis constat. Ergo lucem oderunt, ac proinde luce conspectâ diffugiunt. Respondeo, vocari etiam dæmonem *sagittam volantem in die, incursum & dæmonium meridianum*. Frequenter item interdiu apparent Spectra. Nihil ergo probat argumentum.

CAPUT XL.

An odore, fumo, herbis, lapidibus, aliisque rebus sensibilibus Spectra pellantur.

Spectra an odore, fumo, aliisq; sensibilibq rebus fugentur.

An hisce, aliisque similibus rebus sensibilibus pellatur dæmon è corporibus energumenorum, aut arceatur, nè homines invadat; examinabimus infrà, cùm de Mirabilibus energumenorum. Nunc solùm inquirimus, an dictis rebus arceantur aut pellantur Spectra, maximè diabolica.

Affirmativæ sententiæ argumenta.

Pelli odore & fumo, pervulgata est quorundam opinio apud *Tostatum in 1. Reg. cap. 16. q. 43.* Primum argumentum sumitur à contrario. Nam dæmones alliciuntur quibusdam odoribus; ergo absurdi nihil est dicere, pelli eosdem quibusdam aliis. Antecedens asserunt antiquiores Theologi apud *Petavium lib. 3. de Angelis cap. 1.* qui passim dicunt, dæmones hostiarum nidore, pinguedine, ac fumo pasci, ac delectari. Ita expresè *S. Justinus Martyr* in Apolog. 1. *Athenagoras* in Legatione pro Christianis, *Clemens Alexandr.* lib. 7. Stromat. *Origines* lib. 3. contra Celsum., *Julius Firmicus* lib. de erroribus profanar. religion. & alii. Sed hi omnes Auctores attribuunt dæmonibus corpora; unde mirum non est quòd & sensus, & corporeas delectationes eisdem concedant. Horum errorem rejecimus lib. 1. Simulant dæmones se delectari nidore victimarum, aliisque odoribus ad se honorandum excitatis, ut homines in peccato idololatriæ, quo delectantur, detineant.

Secundum argumentum sumitur *ex libro Tobiæ*, in cujus c. 6. narratur, quòd cùm profectus esset Tobias cum Raphaële, qui Azariam se vocabat, & mansisset primâ mansione juxta Fluvium Tigris, *exivit ut lavaret pedes suos: & ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Quem expavescens Tobias, clamavit voce magnâ, dicens: Domine, invadit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te. Quod cùm fecisset; attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes ejus. Tunc dixit ei Angelus:*

Exen-

Digitized by Google

Exenera hunc piscem, & cor ejus, & fel, & jecur repone tibi; sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter &c. Tunc interrogavit Tobias Angelum, & dixit ei: obsecro te Azaria frater, ut dicas mihi, quod remediũ habebunt ista quæ de pisce servare jussisti? Et respondens Angelus dixit ei: Cordis particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos &c. Capite deinde septimo, cùm narrasset Scriptura, Tobiæ traditam fuisse in uxorem Saram Raguelis filiam, cujus septem viros dæmonium occiderat; subjungit cap. 8. *Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos. Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.*

Fumus piscis à Tobia adhibitus, an, & qua virtute fugaverit dæmonem.

Ex his constat, fumum prædictum habuisse virtutem expellendi dæmonem, eumq; verè expulisse, quoniam id expresse asserit Sacra Scriptura. Quamvis enim aliqui dicant, fumum illum nihil effecisse ad dæmonem expellendum, sed eum à solo Angelo fuisse expulsum, accedente efficaciâ orationis Tobiæ ac Saræ, fumum verò fuisse ab Angelo jussum adhiberi, vel nè deprehenderetur eum esse Angelum ex tanto miraculo, vel tanquã signum temporis quo illum expelleret, aut efficacitatis ac virtutis precum Tobiæ ac Saræ: revera tamen nihil horum congruè dici potest, alioquin Angelus non posset excusari à mendacio, dum dixit, *cor* & *fel*, & *jecur, esse necessaria ad medicamentum utiliter*: item: *fumum cordis extricare omne genus dæmoniorum*, id est, vim habere extricandi. Certè Græcus & Hebraicus textus clarè agnoscunt virtutem aliquam. Nam in Græco habetur: ἔλαβε τὴν τέφραν &c. *Accepit cinerem seu prunam thymiamatum, & imposuit cor piscis, & hepar, fumũq; fecit, & quando odoratus est dæmon odorem, fugit ad Ægypti suprema.* Hebraicè verò: *Percepit Asmodæus odorem, & fugit.* Virtutem ergo aliquam habuit prædictus fumus piscis ad dæmonem expellendum, sicut etiam fel ejusdem piscis habuit virtutem, ut visus restitueretur seniori Tobiæ: frustra enim adhibitus non fuit.

Atq; hanc sententiam, quòd virtutem seu efficientiam aliquam contra dæmonem habuit, defendunt *Gulielmus Parisiensis* lib. de Universo, *Dionysius Carthusianus* in cap. 8. Tobiæ, *Franciscus Vallesius* in Sacra Philosoph. c. 28. *Petrus Gregorius Tolosanus* Syntagmatis Juris lib. 34. cap. 22. *Bartholomæus Fayus* in Energumenico, *Franciscus Georgius* tom. 6. Problem. 19. *Hieronymus Mengus* in Flagello Dæmonum Documento 3. *Serarius* in cap. 8. Tobiæ, & alii Interpretes recentiores ibidem. *Delrius* lib. 2. Disquis. Magic. q. 30. sect. 13. & lib. 6. cap. 2. sect. 3. & alii omnes mox citandi.

Controversia tamen est, quam virtutem habuerit fumus ille, naturalemnè, an supernaturalem, an moralem.

Aliqui prædicto suffitui ex corde piscis exhalato (uti & multis aliis rebus, de quibus infrà cùm de Energumenis) tribuunt virtutem naturalem

ac

ac physicam ad dæmones expellendos, divinitùs inditam à DEO tanquam Auctore Naturæ. Ita *Petrus Gregorius, Franciscus Georgius*, & *Faius* locis antea citatis, & alii apud Delrium & Celadam locis etiam citatis. Rationem dant, quia sicut DEUS prævisis morbis, indidit rebus aliquibus virtutes medicas; ita prævisis diaboli infestationibus, indidit aliquibus etiam rebus virtutem expulsivam aut refrenativam ipsius. Addunt, congruum esse, ut superbissimi spiritus vilissimis rebus subderentur.

Alii tribuunt eidem suffitui virtutem supernaturalem divinitùs inditam à DEO tanquam Auctore supernaturali. Ita *Vallesius* loc. cit. *Leloyerus* lib. 8. de Spectris cap. 1. *Monra* de Incant. sect. 1. cap. 3. *Manden* in cap. 8. Tobiæ, & alii. Rationem adsignant, quia ex verbis Angeli constat, fumum prædictum habuisse vim expellendi dæmones, & tamen non habuit vim naturalem, ut ex præcedenti sententia constat; dicendum ergo est, habuisse supernaturalem.

Alii mediâ inter utramque prædictam sententiam incedunt viâ, ajuntque expulsum fuisse dæmonem per fumum illum, partim virtute naturali illius, partim virtute supernaturali, atque adeo virtute mixta ex naturali & supernaturali. Ita *Serarius* in cap. 8. Tobiæ q. 3. *Justinianus* in idem cap. &, teste Celadâ Comment. in dictum caput, *Eusebius Nierembergius* 1. par. Philosophiæ Curiosæ lib. 1. cap. 49. & *Joannes* Niderus in Malleo Malef. c. 12.

Alii denique nullam vim naturalem aut supernaturalem agnoscunt in hoc suffimento, sed meram efficaciam moralem, quâ Angelus ad ejusmodi suffimentum excitatum abegit dæmonem, & in desertum religavit. Ita *P. Didacus Celada* in cap. 6. Tobiæ §. 233. Asserto septimo. Rationem postea dabo.

Ego circa propositam initio capitis quæstionem, hæc respondeo (salvo meliori judicio) cum citato Celada.

Corporeæ res non pellunt dæmonem directè.

I. Nulla vis naturalis rerum corporearum potest directè agere in dæmonem, atque adeò nec odor, nec suffumigatio, nec herbæ, lapides, aliæve res sensibiles quæcunque possunt directè ac physicè illos abigere, sive à locis, sive ab hominibus. Ita *S. Thomas* in 4. dist. 7. art. ult. & in cap. 41. Job. Lect. 3. *Abulensis* in 1. Regum cap. 16. q. 46. *Martinus Delrio* lib. 2. Disquis. Magic. q. 30. sect. 3. & lib. 6. cap. 2. sect. 2. *Theophilus Raynaudus* in Theolog. Naturali dist. 2. art. 2. num. 53. *Thyraeus* lib de Locis infestis cap. 42. *Celada* in cap. 6. Tob. §. 233. *Serarius* in idem cap. 6. & apud ipsos *Eusebius Nieremberg.* 1. par. Philosoph. Curiosæ lib. 1. cap. 49. *Menochius, Tirinus, Gordonus, Justinianus, Manden*, & plerique in cap. 6. vel 8. Tobiæ, cum aliis multis. Ratio est, quia teste Job. cap. 41. v. 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei* (diabolo) *qui factus est, ut nullum timeret.* Impossibile ergo

est

est (ut benè infert Abulensis loc. cit. & cum ipso plerique alii) quòd minor potestas, qualis est omnium rerum corporearum, subjiciat sibi dæmonem, eumque cogat ut abeat, aut veniat, aut operetur. Adde quòd inter rem corpoream supposito diversam, grandis est improportio, nec apparet quonam modo corporeum agens possit directè & per se agere in rem omnino spiritualem, qualis est dæmon.

II. Certum est, res quasdam corporeas habere vim naturalem arcendi aut pellendi indirectè dæmones hominem infestantes. Explico, & probo sic. Dæmones sæpe pro diversa humanorum corporum temperie aut intemperie, diversâ ratione exagitant aliquos, aliter nimirum illos qui atrâ bile, aliter qui humore melancholico, aliter qui sanguine & spiritibus, aliisvè humoribus abundant. Cùm igitur certum sit, res quasdam corporeas valere ad humores temperandos & corporis passiones mitigandas; certum etiam erit, easdem res efficere, ut homines minùs subjecti sint dæmonis actioni ac vexationi; quod est, indirectè eum ab homine arcere, aut pellere. Ita docent *Guilielmus Parisiensis*, *Victoria*, *Carthusianus*, *Zacharias Vicecomes*, *Levinus*, *Vallesius*, *Codroncbus*, *Abulensis*, *Serarius*, *Delrius* lib. 2. Disquisit. Magic. q. 30. sect. 3. & lib. 6. cap. 2. sect. 2. q. 3. *Celada* in cap. 6. Tob. §. 233. Asserto 3. & alii plurimi apud hos duos ultimò citatos. Quibus autem rebus adscribatur ab Auctoribus variis prædicta virtus, dicemus infrà, cùm de Energumenis.

Corporeæ quædam res possunt indirectè pellere dæmonem.

III. Etiamsi demus res materiales posse agere vel directè, vel indirectè in spirituales supposito diversas, atque adeò in dæmones; tamen cor piscis, de quo in historia Tobiæ, in fumum resolutum, non potuit physicè, directè, vel indirectè præstare effectum illum, quem Angelus ipsi tribuit. Si enim Tobiæ interroganti respondet Angelus: *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.* At si naturalis est vis prædicti fumi ad pellendum dæmonem, tam diu solùm durat ejus effectus, quàm diu ipse durat; transacto verò fumo, quis vetat diabolo quin redeat? Aliam ergo vim prædicto fumo tribuit Angelus, quàm naturalem.

IV. Verosimilius mihi videtur, prædictum fumum nullam vim physicam etiam supernaturalem habuisse inditam ad præstandum effectum, quem Angelus promisit, sed solùm vim moralē, quatenus nimirum illo excitato Angelus dæmonē abegit. Ita *Celada* in cap. 6. Tobiæ §. 233. Asserto ult. Ratio primi est, quia si virtute physicâ fuisset abactus dæmon, potuisset transacto fumo redire; cessante enim causâ physicâ, cessare debet physicus effectus: atqui non potuit redire, ut ex Angeli verbis constat; ergo &c. Ratio secundi est, quia vim habuit abigendi dæmonem: sed non physicam naturalem nec physicam supernaturalem; ergo tantùm moralem, modo dicto.

Rr Quod

Digitized by Google

Quod ipsum videtur insinuare Sacra Scriptura: nam cap. 8. dicitur: *Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos. Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.* Non ergo fumus jecoris & cordis abegit physicè dæmonem; sed excitato fumo Angelus apprehendit dæmonem & abduxit, atque ligavit; quod est, fumum id præstitisse moraliter tanquam signum, ex institutione ejusdem Angeli positum.

Si quæras, an ergo idem fumus, nunc quoque, à quocunque excitatus, eundem præstiturus esset effectum, quem tunc præstitit; respondeo ego, negativè, sive tunc illum præstiterit physicè, sive moraliter; & sive naturaliter, sive supernaturaliter. Videor id colligere ex ipsa Scriptura: nam Angelus Tobiæ interroganti, respondet cap. 6. v. 8. *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat &c.* non dicit, *si super carbones ponat aliquis, quicunque sit*, sed *tu si ponas*. Ergo pro Tobia solùm id signum instituit.

CAPUT XLI.

De veris modis ac remediis pellendi Spectra diabolica.

Remedia pellendi Spectra diabolica.

REjectis falsis modis ad Spectra fuganda, assignandi sunt atque examinandi veri: ac primò quidem ii, quibus dæmones profligantur: deinde ii, quibus ablegantur & juvantur animæ purgandæ: tandem ii, quibus contra damnatas animas pugnatur. Hæc porrò remedia, alia nō sunt quàm divina, seu Ecclesiastica, à Christo vel Apostolis, eorumq; successoribus instituta, sapientioribus & Christianè sentientibus Medicis approbata, ut sunt *Joannes Fernelius* lib. 3. de Abdit. *Cornelius Gemma* in Cosmocrit. *Baptista Condronchus* lib. de morb. venefic. *Andreas Cæsalpinus* Disquisit. de natura dæmon. & cum illis Theologi doctissimi *Petrus Thyræus* lib. de Spectris à cap. 66. *Martinus Delrius* lib. 6. Disquisit. Magic. cap. 2. sect. 3. & alii. Ad hæc non rarò dæmon à DEO coactus mendaci ex ore veritatem promere, ablegavit homines, ut ex sequentibus nonnullis exemplis apparebit.

§. I. Primum Remedium, vera & viva fides.

Fide verâ ac vivâ pelluntur dæmones.

VEra & viva fides est, quæ charitate DEI & proximi vallatur, & quam bona comitantur opera, & mandatorum DEI observatio: fidem enim sine operibus mortuam esse, affirmat Scriptura & Patres. Hanc veluti scutum nobis præbet D. Paulus ad Ephes. cap. 6. contra diabolum. Hanc disci-

diſcipulis ſuis commendat D. Antonius, dicens: *Magna dilectiſſimi, adverſus dæmonem arma ſunt, vita ſincera, & intemerata in DEUM fides.* Dæmon ipſe reſpondit Mago Cypriano, poſtea ſancto, *ſe Chriſti fide munitis nocere non poſſe*, teſte Nazianzeno Orat. in Cyprian. Sed rem exemplis confirmamus.

Scribit *Joan. Niderus* in Formic. epitome cap 4. in perſona cujusdam ſagæ, in hunc modum: *cùm quidam maleficus me invocaret, ut quendam inimicum ſuum vitâ privarem, aut in corpore læderem graviter, fulminis ictu, aut alio modo; vocavi ego Magiſterulum, id eſt, Dæmonem: qui mihi reſpondit, quòd neutrum facere poſſet; Habet enim, inquit, fidem bonam, & diligenter ſe ſigno crucis munit. Idcirco non in corpore, ſed in undecima parte fructuum ſuorum in campo, ſi libet, ei nocere poſſum.*

Cornelius Kempenſis lib. 3. de Origine & ſitu Friſiæ cap. 31. ſcribit, circa tempora Lotharii Imperatoris *erant paſſim in Friſia multa larvarum infernalium Spectra; quæ in parvo quodam ſupereminentis collis ſupercilio ſubterraneum habebant ſpecum, absque humana ope artificio præſtigioſo exſtructum; in quo reſidebant, quas antiqui vocabant Albas Nymphas, ſive vulgari gentis ſermone* Witte Wiven. *Harum ſpeciem adumbratam, non veram fuiſſe conſtat. Quæ ſolebant nocturnos viatores, gregumque & armentorum intentos excubiis, & puerperas cum infantibus ſæpiſſime in abdita ſua, & ſubterranea antra clanculùm abducere: in quibus ſubinde ſubterranei murmuris ſonus, atque etiam vagitus infantium auditi ſunt, & præterea etiam ingens fletus & gemitus hominum, & quandoque Muſarum concentus & voces dubiâ aure colligebantur. Quâ de cauſa magna fiebat cuſtodia prægnantium mulierum, & parvulorum infantium, nè ab iſtis Nymphis infernalibus clàm abriperentur. Quæ omnes dæmonum illuſiones, poſt agnitum ſincerum DEI Evangelium (erant enim tum Friſii, Sabellii & Arii erroribus dementati) evanuerunt, & in nihilum redacta ſunt. Scripſit enim S. Odulphus contra ejusmodi illuſiones dæmonum chartam de S. Trinitate, quam per Eccleſias & Parochias Friſiæ ſacerdotibus miſit, ut in populo frequenter publicè legeretur.* Continebatur in charta Catholicæ fidei explicata profeſſio, ut patet in exemplari, quod prædictus Author ſubdit. Multa ſimilia in aliis etiam regionibus, præſertim in Sicilia, contigerunt, ubi poſt introductam fidem Chriſti evanuerunt dæmonum manifeſtæ graſſationes.

Crucis ſignum contra dæmonem.

§. II. Secundum Remedium, Oratio.

BOna eſt oratio, *cum jejunio, & eleemoſyna* (inquit Raphaël ad Tobiam) ut ad alia mala, ita ad Spectra quoque diabolica ab hominibus & locis infeſtis avertenda. Orationis efficaciã confirmant exempla aliquot in præcedentibus allata; nimirum illud de presbytero, cujus D. Auguſtinus meminit, qui oratione ac ſacrificio Miſſæ domum Heſperii purgavit: & alterum ſacerdo-

Oratio dæmones profligat.

Digitized by Google

num tyrannis, quam per sancti viri preces, cùm populus se jejuniis & vigiliis dedisset, mox depulere. Alia exempla passim in sequentibus occurrent; nam cum aliis remediis plerumque oratio est conjuncta. Omnium orationum efficacissima videtur esse Oratio Dominica, in qua petimus *liberari à malo,* utique etiam à diabolo, qui κατ' ἐξοχὴν ὁ πονηρὸς appellatur.

§. III. Tertium Remedium, Reliquiæ Sanctorum.

Usum reliquiarum Sanctorum Spectra diabolica depellere, docent Sancti Patres, antiqui & Sancti Christi cultores omnium nationum, experientia perpetua ad hæc usq; tempora continuata. *S. Hieronymus* lib. contra Vigilantium, Dæmonem alloquens, qui per os Vigilantii reliquias Sanctorum vilissimum pulverem appellaverat, ait: *Tu sæpe vilissimo hoc tortus es pulvere.* Sanctorum reliquias fugere dæmones, docet S. *Chrysostomus* Homil. 7. de Septem Machab. his verbis: *ut audaces latronum duces, sive impii Sepulchrorum effossores, si fortè, dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, in arma vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi prædarum, tamē agnitis Regis insignibus deterrentur, ut fugiant, nec cominùs accedere vel attingere audeant; ita profectò & dæmones, qui verè & latronum principes sunt, & magistri, ubi coronatorum Martyrum viderint corpora posita, longè illico à conspectu eorum pavidi fugiunt, & absiliunt.* Omitto alia testimonia, quæ fusè adducunt, qui Reliquiarum cultum contra Vigilantianos nostrorum temporum defendunt.

Reliquiæ Sanctorum pellunt Dæmones.

Exempla do. De Semicinctiis & Sudariis D. Pauli, adhuc viventis, scribit S. *Lucas* in Actibus Apost. cap. 19. in hunc modum: *Virtutesque non quaslibet faciebat DEUS per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, & semicinctia; & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Suprà cap. 28. §. 2. exemplum retulimus ex *Gregorio Turonensi* de diabolis ab urbe Trevirensi depulsis, ob reliquias Sanctorum in ea asservatas. Ibidem ex Theodoreto partem historiæ retulimus, ipsius Theodoreti verbis, quam nunc integram damus. *Execrandus* inquit, *Marcio multas spinas impietatis seminavit in regione urbis Cypri. Eas cùm conarer evellere radicitùs, noctu venit quidam dæmon exitialis, clamans, & linguâ utens Syriacâ. Cur, inquiens, tu bellum geris cum Marcione? Cur hanc pugnam adversus eum suscipis? Quanam is te unquam affecit molestiâ? Desine belligerare, desine à malevolentia; aut disces experientiâ, quantum bonum sit quies. Scias, quòd te jam pridem confodissem, nisi chorum Martyrum te custodientem vidissem, cum Jacobo. Hoc ego audivi, & dixi cuidam ex familiaribus, qui prope me dormiebat: Audis, inquam, quæ dicuntur? Ille verò: Omnia, inquit, audivi, & cùm vellem surgere, & respicere, & scire quis loqueretur; tuâ causâ quievi, quia te putarem quiescere. Ambo itaque surgentes, respeximus, neque ullum qui moveretur, vidimus; nec qui loqueretur,*

audivi-

audivimus. Illa verba alii quoque, qui nobiscum habitabant, audiverunt. Intellexi igitur, quòd Martyrum quidem chorum dicebat lecythum olei Martyrum; qui cùm à multis Martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat in meo lecto. Sub meo autem capite erat magni Jacobi vetus amictus; qui quovis claustro adamantino fuit mihi validior. Ita Theodoretus Histor. SS. Patrum cap. 21. & ex ipso Baronius tom. 5. circa Annum Domini 424. Exempla alia huc spectantia referam in libro de Mirabilibus Energumenorum.

Nostri temporis Sectarii, ut olim Vigilantiani, rident & execrantur reliquiarum Sanctorum usum; ajuntq; dæmones illas fugere, non quia fugere coguntur, sed quia volunt, homines illas venerantes detinere in superstitione. Sed qui micam solùm prudentiæ habent, utique vident, plùs credendum antiquis & sanctis fidelibus, quàm nuperis id inficiantibus. Plura dicam infrà.

§. IV. Quartum Remedium, Sanctæ Crucis signum.

Crucis signum fugat dæmones.

QUæ Sancti Patres, quęScriptores antiqui, quæ omnium sæculorum Historici de Sanctæ Crucis signaculo contra dæmonum Spectra, larvas, insidias, infestationes, tentationesque scripserunt, talia sunt, ut nec ipse Cacodæmon contradicere, aut secus interpretari audeat. Exempla victoriatum contra eadem dæmonum spectra & infestationes relatarum, eodem crucis signaculo frontibus impresso, & contra loca infesta formato, nec ipsi qui sacra omnia susq; deque vertunt, nostri temporis hæretici, negare audent. Audent tamen sinistrè, contra sanctorum Patrum sententiam, & contra fidelium omnium sensum, interpretari, & superstitiosum appellare, quod sacrosanctum antiquissimi Patres appellarunt. Legantur *D. Cyprianus* sermon. de Pass. Christi. *Origenes* lib. 3. in Job. *Lactantius* lib. 3. cap. 24. *D. Athanasius* in Vita S. Antonii, & de Incarnat. Verbi. *D. Gregorius Nazianzen.* Orat. 1. in Julianum, & ad Nemesium *D. Chrysostomus* Homil. 8. in Epist. ad Coloss. & Homil. 50. in Matth. *D. Cyrillus*, *D. Hieronym. D. August. Theodoretus*, *D. Gregorius*, & alii apud P. Jacobum Gretzerum in libris de S. Cruce. Ipse *Lavaterus* Calvinista, & omnium Ecclesiæ Catholicæ rituum hostis atque irrisor, lib. de Spectris par. 3. cap. 9. quærens, *Quo pacto fideles in veteri Ecclesia ad occursum Spectrorum se gesserint*, hæc scribit.

Usitatus mos fuit, ad occursum harum rerum se cruce munire. Idem hodie quoque multi solent facere. Tertullianus scribit in libro suo de Corona militis, veteres Christianos frontem suam sæpe signasse cruce. D. Hieronymus Demedriadem hortatur, ut crebro signaculo crucis frontem muniat, nè locum in ea exterminator Ægypti inveniat. Origenes quoque, Epiphanius, Chrysostomus, & Augustinus multa scribunt de virtute S. Crucis. D. Athanasius scribit in lib. de Humanitate verbi, ejusque corporali adventu, fol. 67. Olim, inquit, dæmonia inani specie ludibriique

rerum

rerum intricabant homines, in festis alibi fontibus, alibi fluviis, lapidibus, aut lignis, atque ita præstigiis fatuos in stuporem agebant: nunc verò cùm apparuerit Dei verbum, Spectra hujusmodi & ludibria imaginum cessarunt &c. Lactantius scribit Divin. Institut. lib. 4. cap. 26. & per integrum caput 27. hac de re, dicit, ad illos qui frontem cruce signant, diabolum non habere accessum, nec lædere eos posse. Addit, Christianos hac ceremonia antiquitùs in expellendis dæmonibus, & sanandis morbis usos esse. Hæc Lavaterus. Eandem virtutem etiam nunc hodie deprædicamus, & experimur, quotquot veræ Ecclesiæ Catholicæ membra nos fatemur; cur ergo impietatis & superstitionis accusamur? Addamus exempla.

Suprà cap. 12. retulimus ex *Glyca*, Antistitem quendam, è castello quodam, solo crucis signo dæmones expulisse. S. Margaretha cruce dæmonem in forma draconis sibi appropinquantem profligavit, teste *Metaphraste* in ejus vita. Julianus Apostata, dum se cruce signat, dæmones quos evocaverat, fugat, ut scribit *Nazianzenus* Orat. in eundem. Dæmones expulsi à S. Patapio apud *Metaphrasten* Mense Novemb. clamant: *Verè terribilis es, Nazarene, verè terribilis es, & ubique in omnes obtines imperium. Quo ergo proficiscar? Si in desertum, si in civitatem, si ubicunque duxerit aliquis; tu illic prævenis, solâ crucis figurâ, solo tuo nomine nos expellens.* S. Daniel Stylites, ad effugandos dæmones, *ubique crucem, ut arma inexpugnabilia inferebat,* ait Metaphrastes. Quid de crucis efficacia fassus fuerit diabolus cuidam sagæ, vidimus §. 1. ex Nidero. Epiphanius in Hæresi Ebionitat. quæ est trigesima, scribit conatus Magorum, ut fœminam quandam Christianam in amorem pellicerent, & tandem quo pacto per crucis signum, & Christi fidem superarit mulier; & claudit narrationem hoc epiphonemate: *quod non valuit incantantis vis, ubi erat nomen Christi, & signaculum crucis.*

Circa annum Christi 1591. Pontimussi *puer erat nobili magis pollens genere, quàm domo opulentâ. Compingitur in aulam parentum jussu, à Gymnasio abstractus: sed mobilitate ingenii, cùm recursaret desiderium vitæ prioris, statuit inter lixas calonesque versari potiùs in castris. Iter ingresso atra viri species occurrit in serica veste: qui interrogans causam tristitiæ, pollicetur remedium. Verùm ubi ego te adjuvero, ecquid erit præmii? At puer: ut totum, inquit, me excutias, nè teruncium quidem reperias. Subjicit alter: Da te mihi modò, nulla tibi cupiditas frustra erit. Existimavit puer, se in servitium expeti: postulat tempus deliberandi. Ille contrà onerare promissis ingentibus: ut vel puero tanta jam vaniloquentia mira esset. Suspectare cœpit, num in figura hominis lateret cacodæmon. Mox cùm tacitus totum ejus corpus emetitur oculis, sinistrũ pedem animadvertit cum bifida ungula ac deformi. Statim cohorruit, & (qui mos rectè institutis in metu repetino) JESU Mingeminans,* Crucis signo armat frontẽ: *eodemq; pũcto sæva species evanuit. Tertio post die ad suos revertenti, eadẽ imago se offert; & proditur pedis eâdem notâ. Quærenti utrum captum esset consilium, respondit puer, sibi domino opus non esse. Rogatus quò iret, urbem nominavit,*

minavit. Tum dæmon ante ejus pedes crumenam jacit sonantem, in qua triginta, quadragintavè Flandrici nummi (ex his reperti postea inaurati duodecim; recentes diceres & asperos, veluti ab adulterantibus monetam: nam æreos fuisse ignis ostendit) Tum pulverem in linteo perniciale tradit, cuicunque subitâ morte tollendo. Addit consilia ad turpes libidines; & admonita, ab piacularis usu aquæ, & ab adoratione consecratæ hostiæ (quam contemptim placentulam appellabat) abstinendi. Eam blasphemiam dum aversatur puer animo pio, simulq; veretur, ne obtorto collo strangule tur a monstro; Salutarem Crucem *imprimit pectori, statimq; magno impetu allidittur in terram; nec nisi post semihoram exsurgit. Mox matri redditus, scholaq;, & sacrâ confessiore expiatus, è laqueo venantium metuq; ereptum se esse divinâ ope gratulatur.* Ita Franciscus Bentius in Litteris Annuis Provinciæ Franciæ.

Alterum refert exemplum idem Bentius, ex Litteris Annuis Collegii nostri Mediolanensis ejusdem Anni 1591. quod tametsi longiusculum sit, ex parte tamen exscribendum censui. Sic ergo scribit. *Sacerdos quidam Aronæ agens pollicitus erat DEO, aditurum nostram Societatem, idq; uni è nostris aperuit. Indignè hoc tulit dæmon, seque ad solita arma convertit. Impuris cogitationibus hominem adgreditur, ita infestis, ut adimerent somnum. Surgit è lecto miles Christi, & lectitandis piorum historiis noctes ducit insomnes. Neque hoc tulit adversarius; suspensam lucernam ad parietem sic dejicit, ut effuso oleo totum volumen fœdè proluerer. Neque hoc satis: inter cœnandum invadit immundo afflatu. Hic à mensa statim in cubiculum, humiles ad Deum preces effundens humi proiectus, & pro cibo corpori flagra ingerens: Cùm sic quoque cæco igne carperetur, nudatis pedibus terram institit binas horas, vel ternas, dum importunus calor deferveſceret. Dein conjicit se in cubile fessus. Visus in eodem strato videre mulierem, & attingere ejus comam manuum extentu. Desilit repentè attonitus, & ad lectulum conversis luminibus nihil videt.* Alias artes, quibus tandem pius Sacerdos dæmonem vicit, taceo. Rediit tamen paulò pòst victus ad pugnam admirabili arte adversarius. *Egressus aliquando Sacerdos idem ex oppido levandi æstus causâ, juxta lacum inambulat, persolvens horarias preces Mariæ Virgini. Vix ducentos passus processerat, cùm assecutus est eum vir quidam, cum rutila barba & promissa, vesteque magni pretii. Insidebat equo pulcherrimo atri coloris, qualis nullus illis regionibus. Famuli erant à pedibus duo. Cùm accessisset propiùs, perhumaniter salutavit &c. Tum verò equitem inter & sacerdotem sermo institutus, hoc ordine. Prior eques, specie rimantis; quæ est animo tibi infixa cura? quæ sollicitudo mentem exedit? At ille dissimulans; mihi benè est, inquit; frustra tibi hujus rei quæstio fuit. Cui eques: Mi homo, mihi dare verba difficile est, cui datum olim à Deo, ut introspiciam, quid tacitis cogitationibus volutent homines agitentque. Cùm stetisset sacerdos admiratione defixus, & stupens loquentis habitum, corpusque totum lustraret luminibus; sumpto animo ait: Quod si tibi ea est virtus, effare, quæ me angit molestia? &c. Cui ille: Votum Societatis Jesuitarum: hic stimulus cor vellicat; hoc te quietum esse non sinit, sed*

tu alias

Digitized by Google

tu alias res agas necesse est: ad illam tibi aditus non patebit: me vide. Suspicatus alter, nè aliqua ratione mandisset à nostris: Non certum, inquit, *satis, votum illud fecerim, necnè: sed ut ita sit; si certum est Patribus me excludere, non abjiciam animum, nec me discruciabo: neque enim una est tantùm piè ac sanctè Deo inserviendi via. Rectè istud quidem, ait eques; mitte illam de pectore curam: est tibi ea indoles ingenii, is truncus corporis, & hac super ea voluntas, ut vel in ista, quâ nunc uteris, ratione vitæ, possis innocentiam tueri. Quòd si me audis, aliam terram vide, ubi Deo vivas, & tibi, Aronâ relictâ: jam me sequere; nec temerè erit consultum rationibus tuis; optimâ apud me eris conditione; non lecto inanibus promissis: huc respice. Hæc cùm diceret, crumenam prægrandem manu percutiebat crepantem argento.* Egit gratias sacerdos, negans ejus se liberalitate frui posse, aut velle &c. *Tum paulò fidentior: Tu verò,* inquit, *quò iter intendis? ubi habes? Pallantiæ respondit (nomen est oppidi ad lacum Verbanum) & qui ad nos appellit linter, meus, ad vicinalem usum paratus. Agebatur ab uno atque altero remige, utroque pullato. Aspicit sacerdos, & miratur non antea visum. Nunc,* ait eques, *si accipis conditionem, Pallantiæ mecum eris quamdiu voles: si stat, religiosam vitam complecti, ut in unam admittaris insignem & sanctitate præstantem, curabo. Laudo,* subjungit sacerdos, *humanitatem tuam, quâ sponte uteris in hominem ignotum: sed habeo causas remittendi. Hac sermonum vice cùm paulùm subsistere cogeretur sacerdos: Præi, Domine, inquit; paulò post sequar. Nec aliter fecit, ac dixit. Jum salutare crucis signum in fronte exprimens, atque in loco cordis, & pensilem corollam baccis insertam sacris, queis preces numerantur, manu prehendens, præcedentem sequitur. Desiêre ad* crucem *subitò apparere eques, famuli, cymba, remigesq;* Vides crucis salutiferæ signaculi efficaciam.

§. V. Quintum remedium, Aqua benedicta.

Aqua benedicta, tum ad alia mala, tum præcipuè ad diabolica Spectra averruncanda, à primis Ecclesiæ Catholicæ temporibus in usu fuit, & semper à Catholicis omnibus magno cum fructu retenta, & usurpata. *Joannes Diaconus* in vitaS. Gregorii meminit monasterii, per ejus aspersionem à dæmonibus liberati. *Palladius* in Lausia. cap. 19. testatur, cùm B. Macarius aquam benedixisset, & super caput mulieris, quæ magicis præstigiis in equam transformata putabatur, precatus fudisset; fecisse, ut, quod erat, omnibus videntibus fæmina videretur. Apud *Theodoretum* lib. 5. Histor. cap. 21. Marcellus Episcopus Jovis Apameni fanum cùm dirueret, atrum dæmonis Spectrum flammæ vim, nè materiam ligneam depasceretur, impedire cernens, aquam signaculo crucis munivit, hoc est, benedixit, & eâ jussit flammam aspergi. Contactum non ferens improbus ille, aufugit, & aquâ quasi oleo excitatus ignis momento temporis fanum consumpsit. De Beato Theodoro Archimandrita Sicæorum narravimus suprà ex *Georgio*

Aqua benedicta dæmones pellit.

Presbytero, cùm in cujusdam Tribuni domo homines & animalia omnia à dæmonibus vexarentur, adeò ut cùm domestici pranderent, aut cœnarent, lapides super mensas jacerentur, & mulierum telæ rumperentur, & tanta serpentium ac murium multitudo domum occupasset, ut præ formidine in eam ingredi nemo auderet; dictum Sanctum ingressum, totam noctem psallendo & Deum obsecrando traduxisse, *& aquâ, cui benedixerat, totam domum aspersisse, eamque à spiritibus immundis liberasse.* S. Huberti Episcopi Leodiensis habitaculum multiplices catervæ dæmonum invaserunt. Id animadvertens Vir Dei, puero dixit: *Vade; aqua, quæ sacerdotali consecratione, sale admixto, benedicta, & ad effugandam inimici nequitiam orationis virtute impragnata est; liquorque olei itidem, Apostolicâ auctoritate benedictus, huc deferatur: quorum aspergine, atque liturâ, mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantasmata, ut ampliùs sua non audeat inferre machinamenta.* Ita narrat Anonymus, D. Huberti discipulus, vel familiaris, ejus vitæ Scriptor. S. Laurentius Dunelmensis in Britannia, & S. Annon Archiepiscopus in Germania, & S. Maclovius in Galliis, apud *Surium* in vitis horum Sanctorum; & alii duo apud *Petrum Cluniacensem* lib. 1. cap 7. & 14. sæpe dæmones aquâ benedicta fugarunt. Similibus exemplis plenæ sunt Historiæ Indiæ Orientalis & Occidentalis. *Franciscus Lope Gomara* testatur, dæmonum ludibria & apparitiones apud Indos depelli potissimùm Venerabilis Sacramenti Eucharistiæ præsentiâ, Crucifixi imaginibus illatis, & *aqua benedictæ aspersione.* Innumera alia exempla omitto.

Si igitur nullo non tempore, nullo non loco, tam salutaris extitit aquæ benedictæ usus; si tanto in pretio ac veneratione ab antiquis, à recentibus Christianis fuit semper habita; quid causæ est, quòd nostrorum temporum nonnulli ejus usum tantopere aversantur?

§. VI. Sextum Remedium, Agnus Dei, aliæque res benedictæ.

Agnus Dei fugat Spectra.

Cereas illas formas orbiculares, aut ovales, ritu Catholico benedici solitas à summo Pontifice Christi Vicario, quas *Agnus Dei* vocamus, propter agni effigiem una in facie impressam, virtutem præsentissimam habere ad spectra diabolica avertenda, innumeræ testantur historiæ. Unam recitavi lib. 1. cap. 37. §. 1. de dæmone familiari Drepanitano. Unam adhuc aut alteram hîc subjicio.

In Trevirensi ditione hoc ipso tempore (inquit Delrius lib. 6. Disquisit. Magic. cap. 2. sect. 3.) *ut sunt plurimæ illic sagæ, quædam puerum octo circiter annos natum, suis præstigiis ac carminibus circumventum, in eas sedes solita erat abducere, ubi per licentiam noctis ac tenebrarum nefariis lusibus indulgerent. Hic suæ quoque partes puero dabantur, ut dum illa choreas consertis manibus*

Digitized by Google

bus inter se ducerent, is earum saltationem tympano prosequeretur. Nec modò ludorum erat chorique spectator, sed sæpe etiam præstigiarum, quibus illæ humanis corporibus vitisque nocent. Hunc Archiepiscopus deductum in aulam custodiri jussit, ut catechismo, cujus erat planè rudis, imbueretur. Cui cùm sacerdos noster effigiem cœlestis agni *de cervicibus suspendisset, noctu adfuit dæmon, graviterque puerum increpans, quòd tam facilè se decipi passus esset, jussit ceram illam, ni vapulare vellet, abjicere. Territus puer imperata fecit; continuòque dæmon, eo, quod metuebat, jam amoto, ad muros urbis eum abripit, nigroque impositum hirco, ad impurissimas sagarum regiones momento transfert. Qui cùm aliquamdiu inter veneficas latitasset, restituitur iterum in Palatium, fractâ implicitâque nodulis resticulâ, unde cera illa pendebat.* Fuit hic puer tandem à laqueis diaboli ereptus; sed postea relapsus, pœnas criminis dedit. Idem Delrius ibidem subjicit aliud exemplum de puero, eodem crimine constricto, cui noctu à dæmone *sacri agni cerea effigies* è collo abripiebatur.

Anno 1590. è Turonensi Collegio nostro perscriptum fuit, puellam recèns nuptui collocatam, post horarum trium irritam luctam cum horrendo Spectro, mox brevi gestatione *sacratæ agni imaginis* fuisse sanitati restitutam. Sub idem tempus Avenione mulier maligno vexata spiritu, *cui suaserat unus è nostris ut conveniret sacerdotem (dato interea parentibus* cœlesti agno, *quem ignara consuerunt in vestem) cùm consilium obliviscitur, aut differt, à quatuor quasi felibus per fenestram raptata est supra domesticum tectum. Mox audivit humanâ voce minantem, abjiceret quam in veste habebat. Intellexit illa quid esset, & agnovit suasores mali. Ergo magno animo negavit facturam, statimque conversa ad preces, relicta est (ut eam invenit maritus excitatus clamoribus) de tecto suspensa.*

Eodem anno Treviris *acceptam adolescens injuriam, cum insigni rerum jactura, à quibus minimè debebat, ferebat iniquiùs quàm Christianum deceret. Ita dolore atrox, & mœroris immodicus, cùm sub crepusculum solus obambulat, dæmonem haud occasionum ignarum, aut segnem, obvium habuit, effigie viri nobilis, atro colore. Exhorruit primùm: sed salus dicta timorem dempsit. Quærenti causam tristitiæ, respondet quod erat. Tum dæmon; præcisam omnem spem recipiendæ pecuniæ, per validiorum potentiam inversæ: proinde sequatur, compensaturum omnia levi negotio. Cui adolescens: A nôtis mihi & ab amicis imponitur, & habebo fidem ignoto, & quem nunc primùm aspexi? Bone DEUS! Hoc extremo dicto velut fulminatum monstrum hominis in auram cessit. Postridie eâdem horâ idē agitanti, offert se mulier amœno cultu: orat breve spatium secreti recessus. Abnegat juvenis: instantem repellit. Exinsuadet illa proferat è cubiculo gladium, & in adversum pariete impingat. Recusat principio: demum nescius quid ageret (aut cura abstulerat mentem) morem gerit. Inter feriendum parietem, Deus benè vertat! exclamat. Hoc quoq; secundum fulmen dæmonem abegit. Redit & tertiò (hærebat enim adhuc infixa animo solicitudo, & pellax non*

 deserebat)

deferebat) mulierem aſimulat pollentem ætate ac forma: in ſtuprum illicit laſcivâ voce geſtuq́; nec ſe continet intra verba; vim adfert renitenti. Vociferatur juvenis, opem implorans. Accurrentibus ſubitò domeſticis, improba facies evanuit: at ipſe confectus laſsitudine, linquente animo repertus. Rogatus timoris cauſam, & clamoris, nè hiſcere quidem: adeò jacebat rigentibus oculis exanimatus, per metum etiam voce amiſſâ. Igitur collocatur in lecto, ac refovetur, ſimulque revocatur animus aſperſu aquæ piacularis. Poſtridie rem omnem exponit, & noſtrorum ſuaſu ſacris myſteriis, conſecratâ cerâ, cæteriſque armis formidatis diabolo, inſtructus, ita perterrefecit adverſarium, ut apparere deſierit Ita Franciſcus Bentius ex Litteris Annuis Provinciæ Rhenanæ Anni 1550. Idem ex Litteris Colleg. Colonienſis & Trevirenſis Anni 1589. narrat de quadam muliere, quæ chirographo, quod proprio ſanguine conſcripſerat, ſe dæmoni devoverat, cùm reſipiſcenti illud dæmon ſæpius oſtentaret, freta *divini agni* præſidio, cujus imagine pectus munierat, cùm reddi chirographum ſibi juſſiſſet, tandem vidit illud in cinerem & favillam converſum ad pedes ſibi abjici.

§. VII. Septimum Remedium, Nominis JESU enunciatio; invocatio MARIÆ.

Nomen Jeſu prolatum fugat dæmones.

SAlutiferum nomen JESU piè prolatum quantam contra diabolicas larvas vim habeat, conſtat ex relatis aliquot hiſtoriis lib.1. cap.23. & hoc ipſo cap. §.4. Plura exempla qui volet, legat *Ananiam* lib.4. de natura dæmon. *Metaphraſten* in vita B. Auxentii, vitam S. Euphraſiæ Virginis Menſe Martio apud *Surium*, & plures aliorum vitas apud eundem, & *Gretzerum* lib.3. de Cruce cap.27.

Maria Virgo opem fert cuidam Religioſo.

De auxilio contra dæmones præſtito per DEI genitricem Mariam, innumera paſſim leguntur exempla. Celebre in tota Luſitania eſt quod ſequitur, & à *Ferdinando del Caſtillo* rerum Ordinis D. Dominici Hiſtoriographo narratur par. 1. lib. 2 cap. 71. Nobilis quidam, cui Ægydio nomen, Boncelæ municipio Conimbricenſi natus, vix dum adoleſcens, induſtriâ & favore tres Canonicatus & Prioratum unum adeptus, omni vitio diffluebat, non indoctus humaniorum litterarum, Philoſophiæ, & Medicinæ. Huic ultimæ, quam ſibi opportuniorem ad nequitiam rebatur, totum ſe dare, & Lutetiam ejus addiſcendæ causâ proficiſci cogitabat. Iter aggreſſo dæmon obviam factus ſe comitem jungit humanâ in ſpecie; & poſt varia interrogata, ut audivit profectionis conſilium: Quin tu, inquit, me potiùs audis? Scientiam indicabo, quæ & adeptu facilis, & uſu præcipua ad dignitates voluptateſque, ipſius etiam Medicinæ ſumma perfectio eſt: Necromantiam dico. Dixit, & ſuaſit. Abducit Ægydium, & adducit in vaſtum ſpecum prope Toletanam civitatem. Ibi occurrêre læti, & excepêre venientem

entem viri,dæmonesque humanâ effigie. Itur in specum : exigitur non secreti tantùm, sed & fidei sive homagii perpetui Sacramentum. Volens adigitur,& schedula, proprio consignata cruore , promissum confirmat. Septennio illic tetris artibus, & caliginosâ scientiâ imbuitur. Post Lutetiam profectus, miros brevi inter Hippocratis sectatores progressus fecit, & Doctoratus lauream adeptus. Gliscebant enormia magis magisque peccata : ruebat de scelere in scelus : ambiguum erat,famâ eruditionis, an nequitiæ infamiâ major. Sed DEUS (ô bonitatem!) quem lenitate nequierat,vi trahere statuit. Quodam igitur die , ecce tibi equitem hoplomachum,lanceam vibrantem,& intentantem misero, irato vultu, minaci voce clamantem : *Vitam hanc moresq́, desere,ad frugē revertere.* Subitus Ægydiū terror occupavit ; sed veloci motu, cum terrore , institutum pristinum displicere desiit, ad volutabrum luti reverso. Post triduum idem ille eques, jam terribilior,non solùm minatur,eadem verba repetens de mutando vitæ instituto,sed lanceam pectori infigit,& vulnus,etsi non grave, imponit. Fractus animo Ægydius : *Dedo*,inquit,*me ; faciam Domine quod jusseris.* Statuit seriò,se totum Deo dicare;& quò intus impelli se sentiebat , religiosæ alicujus institutæ familiæ se addicere. Hoc animo Lusitaniam repetens, dum per Pallentiam iter habet, ubi tum Monachi Dominicani monasterium moliebantur, subit cupido cernendi operis. Vidit viros sanctitate & eruditione claros,quosdam etiam viribus & ætate defectos, delicatè olim nutritos,calcem subigere,ligna dolare, lapides parare , & onera humeris portare,summâ lætitia & alacritate.Optat se illis jungere:petit instanter admitti : impetrat.Tirocinio defungitur , magnâ spe sanctitatis futuræ excitatâ. Post aliquot annos missus Santarenum in Lusitaniam, ibi crescebat oratione & victoriâ sui. Unus angebat scrupulus, quòd penes dæmonem hæreret schedula illa obscœna , & detestabilis. Igitur ardentiùs Reginæ cælorum se commendabat,mali hujus remedium aliquod postulans. Die igitur quadam,cùm in sacello templi prolixiùs oraret, apparuit illi dæmon formidabili aspectu, deteriore ululatu ; convicium facit , & præstitam fidem,acceptaque beneficia petulanter exprobrat. Tandem post multa minaciter & protervè objecta : *Faxo*,inquit,*hujus te monachismi , & violentiæ qua me tibi syngraphum hunc cogit restituere , nunquam satis pœniteat.* Simul abjicit eum ad pedes Ægydii,& videri desiit. Ægydius chartulam accipit, & lacerat minutim.Nec vanæ dæmonis minæ fuere. Admirandis illum modis plùs septennio postea vexavit. Inter alias vexationes,quas mitto, assumebat Monachi cujusdam,qui in eodem degebat monasterio,similitudinem,& nihil non,quod inter domesticos excogitari posset, molestiæ Ægydio inferebat.Patiebatur hîc;sed tandem dolens,malitiam illam serpere, & fratrem,ut putabat,illum sic semper offendere Deum,rem defert Priori,

Digitized by Google

& petit aliò mitti, causamque aperit. Accersito fratre, deprehensus calumniator, desiit victori negotium facessere. Vivus tandem clarus multis non virtutibus tantùm, raptibusque, sed & miraculis variis, Anno 1265. mundo denascitur, ut cœlo nasceretur, sepultus Santareni, ut Sanctus colitur. Aliud non minùs admirandum exemplum narrat *Tursellinus* in Historia Lauretana. Alia duo valde illustria refert *Cæsarius* Miraculor. lib. 6. cap. 26. & 27. de efficacia nominis MARIÆ invocati contra dæmonum præstigias.

ADMONITIO AD LECTOREM.

PLura alia remedia sunt ad dæmonum Spectra fuganda, ut Exorcismus, usus Sacramentorum Ecclesiæ Catholicæ, præsertim Confessionis & Eucharistiæ, recursus ad Sanctos viros, aliaq́; de quibus agetur alibi, cùm de Mirabilibus Energumenorum.

CAPUT XLII.

De modis avertendi à se, & à domibus, molestias Spectrorum humanorum bonorum.

Remedia pellendi spectra humana bona.

SPectra humana bona vocavimus in præcedentibus animas purgandas, visui, vel auditui hominum se objicientes. Horum molestias à se & ab ædibus infestis avertendi modus unicus est, satisfacere eorum petitioni, hoc est, juvare oratione, missæ Sacrificio, jejuniis, eleemosynis, peregrinationibus, aliisque corporis afflictationibus. Posse ac solere prædictas animas prædictis modis ac remediis juvari, constat ex multis historiis, partim in præcedentibus relatis, partim hoc ipso capite referendis; ac præterea ex multis Sanctorum sententiis, suasionibus, & adhortationibus. Audi quid S. Ephrem sentiat de auxilio mortuis impertiendo. Is cùm jam moriturus erat, & viventium pro se postularet suffragia; duplici perpulchrâ similitudine ostendit, defunctos viventium suffragiis juvari. *Videtis*, inquit, *exemplum ex particularibus DEI creaturis, veluti in fœtu vitis, uva acerba in agro, & vino, quod in doliis positum est. Quando igitur racemus in vite viget; tunc de situ suo movebitur quod est immobile in domo vinum. Cepa etiam, quæ posita est in agro, cùm tempore suo virescere inceperit; arida quæ in domo est, germinat. Si igitur rerum fœtus sic inter se consentiunt, quantò magis mortui in memoriis vivorum oblationum oblectantur?* Ita habetur in Testamento S. Ephrem apud Surium Tom. 1. Nunc quomodo operibus bonis paulò antè recensitis juventur, exemplis & sententiis venerandæ antiquitatis stabiliamus cum *Thyræo* lib. de Locis infestis à cap. 75. quæ si, qui secus sentiunt, veritatis discendæ

Animæ defunctorum juvantur suffragiis vivorum.

Digitized by Google

dæ ſtudio, non contradicendi animo legerint, næ cum rectè ſentientibus ſentient.

§. I. Oratione juvantur animæ piè defunctorum.

AC primò quidem *oratione juvari piè defunctorum animas*, quæ expiatione adhuc, antequam cœlo recipiantur, indigent, Catholicorum omnium, omni Sæculo, ſenſus fuit atque conſenſus: ſemper enim in Eccleſia pro defunctis oblatum fuit Miſſæ ſacrificium, ſemper in quotidianis oblationibus eorum facta eſt commemoratio, uti & in Horis Canonicis à perſonis Eccleſiaſticis, in privatis fidelium orationibus, in menſæ benedictionibus, & poſt menſam gratiarum actionibus, in tranſitu per cœmiteria; in aliis multis occaſionibus. Et apud omnes nationes, quotieſcunq; de defunctis ſermo incidit, divina ipſis conſolatio optatur: quod Germani noſtri his verbis, quæ cum lacte materno ſugunt, exprimunt: GOtt tröſte ihn / GOtt gebe ihm die ewige Ruhe.

Oratione juvantur animæ defunctorum.

S. Cyrillus Hieroſolym. Catecheſi 5. *Pro omnibus*, inquit, *oramus, qui inter nos vita functi ſunt.* Imperator Theodoſius Junior ad Reliquias S. Joannis Chryſoſtomi procubuit, & pro animabus parentum ſuorum Arcadii & Eudoxiæ, jam defunctorum, ſupplicavit, teſte *Theodoreto* lib. 8. Hiſtor. cap. 26. Conſtantinus Magnus voluit ſepeliri in celebri templo, ut multarum mortuus orationum fieret particeps, teſte *Euſebio* lib. 4. Vitæ ipſius. Joſaphat ut *Damaſcenus* habet in ejus vita, in hunc modum pro patre ſuo oravit: *Collocaeum in locum refrigerii, in loco quietis, & ne memineris iniquitatū ejus antiquarum.* De Macario ſic *Palladius* ſcribit: *Pro conſuetudine ſua, pro defunctis preces fundebat Macarius.* De Theodoro Sicæorum Archimandrita refert *Georgius Presbyter* in ejus vita, quòd *pro defuncta matris ſalute Deo ſupplicavit.*

S. Ephrem Syrus, ut vidimus ex ejus teſtamento, pro ſe mortuo expetiit fieri preces. Eduardus Rex Anglorum, teſte *Alredo* in ejus Vita, casdem ſibi mortuo cupivit impendi. S. Euſebia, ut *Metaphraſtes* in ejus Vita refert, has ſibi voluit præſtari à ſuæ profeſſionis Virginibus. Euphraſia uxor Antigoni, viri ditiſſimi Conſtantinopoli, tempore Theodoſii, & ſe, & maritum defunctum voluit eſſe commendatos precibus Euphraſiæ Junioris filiæ, ut habetur in ejus vita apud *Surium* to. 2. S. Kunegundis Imperatrix, Congregationi in Conſugia ſcripſit, ut animam mariti defuncti Henrici Imperatoris Deo commendarent, & orationis eleemoſynâ reficerent, ut apud eundem *Surium* in ejus vita habetur. *B. Paulinus Nolanus*, Epiſt. 5. ad Delphinum Epiſcopum, ejus orationibus animam fratris ſui commendat. Eandem commendat Epiſt. 6. ad Amandum, eidē Amando Epiſcopo. *S. Gregorius* lib. 4. Dialog. commendat animam fratris Laici Superiori Monaſterii ſui;

sui,ut suprà diximus. *Judas Machabaeus* curavit orari pro defunctis militibus,lib. 2.Machab.cap. 12 additq; Scriptura : *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare,ut à peccatis solvantur.*

His exemplis nos praeiverunt Sancti. Audiamus sententias. *S.Cyrillus* quid sentiat,jam vidimus. *Clemens* Apostolorum discipulus sic habet Epist 1. *Oportet diligenter orare pro mortuis.* S.Chrysostomus Homil. 21.in Acta Apost.*Si voluerimus mortuo benefacere,preces pro illo faciamus continuas*.Et Homil.41.in Epist. 1.ad Corinth.*Juvetur mortuus non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis.* Et infrà : *Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes.* S. Ambrosius lib. 2. Epist. 8. ad Faustinum de obitu sororis : *Non tam deplorandam,quàm prosequendam orationibus reor; nec maestificandam lacrymis, sed oblationibus animam ejus Domino commendandam.*

Addamus cum Thyraeo exempla nonnullorum,qui orationibus adjuti fuerunt. S. Germanus Capuae Episcopus oratione suâ liberavit animam Paschasii,teste *D Gregorio* lib. 4. dialogor. cap. 40. D.Martinus Vitalianam Virginem,teste *Gregorio Turonensi* lib. de Gloria Confess. cap. 15. B. Malachias sororem,teste *D.Bernardo* in ejus vita. D. Bernardus Monachum, teste *Wilhelmo Abbate* in vita ipsius. S.Elisabethae Regis Hungariae filiae, ut in ejus vita scribit Jacobus Montanus apud Surium to. 6.mater visa est obversari,lugubrique vultu & flexis poplitibus orare,sui quamprimum misereretur;ob vitam enim negligentiùs actam igne se poenas solvere ; moxque hoc viso expergefactae,ac post effusas ad DEUM preces,lacrymasque, denuò in soporem depressae,iterum apparere visam, ac immortales gratias agere pro matura liberatione. Virgo integerrima Tetta,Anglorum Regis soror,virgini sorori defunctae,& ob nonnullas peccatorum labeculas, poenas adhuc luenti,veniam oratione obtinuit. Argumento fuit ipsius tumuli terra,quae subsiderat,& rursum assurrexit, hiatumq; inanem replevit. Ita scribit *Rudolphus* Rabani discipulus lib.de S.Charitate.

§. II. Missae Sacrificio juvantur animae defunctorum.

Missae Sacrificio juvantur animae defunctorum.

Hic semper fuit sensus & consensus Ecclesiae Catholicae. In omnibus Missae Sacrificiis fit defunctorum commemoratio. Sunt Missae propriae pro defunctis,in primo,septimo, trigesimo , & anniversario die post obitum. *S. Augustinus* Serm.34.de verbis Apostoli docet. *universam Ecclesiam pro defunctis in Sacrificio Missae orare solere.* Extant D. Jacobi Apostoli,& Clementis aliorumq; Liturgiae. Extant Concilia Provinciarum omnium, quae Sacrificii pro defunctis meminerunt.

Consensum hunc confirmant exempla Majorum. *S.Ambrosius* pro anima fratris Satyri obtulit Sacrificium , ut ipsemet scribit in Oratione funebri,quam in obitu ejus habuit. Pro matre *B.Augustini* idem Sacrificium

fuisse

Digitized by Google

fuisse oblatum, testatur ipse lib. 9. Confess. *S. Bernardus* cùm Verduini in Gallia ageret, Sacrificium altaris obtulit pro Episcopo Ostiensi recens defuncto, ut patet ex lib. 4. cap 4. Vitæ ipsius. S. Gallus Abbas pro Columbano, cap. 21. ejus vitæ: pro Gallo Joannes Episcopus Constantiensis, cap. 29 ejusdem Galli vitæ: S. Severus, Ravennensis Episcopus, pro Geminiano Præsule, in vita ipsius apud *Surium* to. 1. Anselmus pro anima Osberti, in vita ipsius ab Edivero Anglo conscripta apud *Surium* to. 2. Hugo Episcopus Gratianopolitanus pro patre & matre, teste *Guigone* quinto Priore primæ Carthusiæ. S. Udalricus Episcopus Augustanus, cùm Adelbertum in prælio intellexisset occubuisse, primùm quidem corpus Augustam defert, & honestæ sepulturæ mandat: mox deindè Spiritum per *sacræ immolationis* hostiam DEO rogat esse commendatum, teste *Bernardo Agiensi* in ipsius vita. Episcopus Herbipolensis Embricus, quemadmodum in vita dilexit Babonem Bambergensem Episcopum, ita mortuum egregiis Christianæ pietatis officiis prosecutus est: humeros enim funeri subjecit; pro anima defuncti publicè Missæ Sacrificium obtulit; & cathedram conscendens, ad præsentes maximo numero auditores, egregiam habuit orationem funebrem. Ita habetur in vita Babonis apud *Surium* to. 4. Venerabilis *Beda* lib. 3. Histor. Anglic. de gestis Regis Oswaldi refert, Fratres Ecclesiæ Hagulstaldensis singulis annis, pridie quàm Rex Oswaldus fuit occisus, convenire solitos ad locũ, ubi crucem aliquando orationis gratiâ erexerat, ibique preces pro salute animæ ipsius, & *victimam sacræ oblationis* offerre. Cum exemplis consentit veteris Ecclesiæ doctrina. Uno aut altero testimonio contentus ero. S. Chrysostomus Homil. 69. ad Popul. *Non temerè*, inquit, *hæc ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio: Sciunt enim illis indè multum contingere lucri, multam utilitatem.* S. Augustin. Serm. 32. de verbis Apost. *Hoc*, inquit, *à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro iis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum Sacrificium suo loco commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.* Isidorus lib. 1. de Officiis cap. 18. *Nisi Catholica Ecclesia crederet, fidelibus defunctis dimitti peccata; non pro eorum Spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret.*

Exempla illorum, qui Missæ Sacrificio adjuti fuêre, sunt sequentia; ex multis pauca. In *Vita B. Anselmi* legitur, ipsum integro anno instituisse Sacrificiis quotidianis pro amico defuncto; qui tandẽ apparens, se Sancti precibus adjutum esse testatus est. *S. Gregorius*, ut supra vidimus ex lib. 4. Dialog. cap. 54. jussit triginta diebus continuis Sacrificiũ altaris offerri pro Justo Monacho; qui & ibi postea apparens cuidam dixit, illud sibi profuisse ad liberationem à pœnis. *S. Bernardus*, ut narrat in ejus vita Wilhelmus

Digitized by Google

Abbas lib. 1. cap. 10. pro quodam ex suis, quem cognoverat in alia vita expiari, Sacrificium altaris obtulit, & ut alii offerrent, præcepit; eundemque post aliquot dies à pœnis purgatoriis absolutum intellexit. *S. Malachias*, ut suprà recitavimus, cùm in somno percepisset, sororem suam defunctam per dies quadraginta nihil gustasse; intellexit cujus escæ inediâ laboraret; & diligenter discusso numero, cognovit illo quadraginta dierum spatio se pro sorore non obtulisse hostiam altaris incruentam. Repetit igitur Sacrificia, & soror liberatam se esse manifestat. Omitto exempla eorum, quibus profuit Missæ Sacrificium oblatum tanquam pro defunctis, cùm tamen defuncti non essent.

§. III. Eleemosynis juvantur animæ defunctorum.

Eleemosynis juvantur animæ defunctorum.

PRo hoc est *primò* sensus & consensus fidelium. Nam pleriq; potentiores, antequam moriantur, jubent pro se dari eleemosynas; & plerorumque amici sponte pro amicis defunctis eas largiũtur, ut quotidie fieri videmus.

Est *secundò* studium Majorum. *S. Hieronymus* ad Pamachium scribens, ait eum uxoris suæ *sanctam favillam, ossaq, veneranda, eleemosynarum balsamis rigasse*, quòd scriptum sciret: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.* Hugo Episc. Gratianop: ut scribit *Guigo* in ejus vita, diem obitus matris ac patris eleemosynis, quoad vixit, celebrem duxit. Conjux Ottonis II. Imperatoris Romæ agens, in Apostolorum templo mariti animam orationibus & eleemosynis quas faciebat, DEO cupiebat esse commendatam, ut habetur in *Vita S. Adalberti*, Martyris & Episcopi Pragensis, apud Surium to. 2. Henricus Imperator, cùm in vita molestior fuisset Herberto Archiepiscopo Coloniensi, ipsum defunctum voluit prosequi largis eleemosynis, aliisque Christianæ pietatis exercitiis, ut testatur *Rupertus Tuitiensis* in ejus vita apud Surium to. 4. Bambergensis populus pro præsule suo Babone defuncto orationes ad DEUM fudit, & in pauperes profudit insignes eleemosynas, ut in *Actis Babonis* apud Surium to. 4. legitur. In veteri testamento jubetur Tobias Junior à patre Tobia, *panem & vinum super sepulcrum justi constituere*, hoc est, refectionem pauperibus præbere.

Est *tertiò* Sanctorum Ecclesiæ Præsulum testimonium. *Clemens* Apostolorum discipulus Epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini: *Oportet*, inquit, *pro mortuis eleemosynas dare.* S. Chrysostomus Homil. 20. *Si voluerimus mortuo benefacere, eleemosynas demus.* Et Homil. 41. in Epist. 1. ad Corinth. *Juvetur mortuus, non lacrymis, sed precibus, & eleemosynis.* Et Homil. 3. in Epist. ad Philipp. *Pauperibus pro iis indeficientes eleemosynas demus.* Et Homil. 21. in Acta Apost. *Non frustra eleemosynæ fiunt pro defunctis.* B Ambrosius lib. 2. de Excessu fratris Satyri, hortatur parentes, ut portionem hæreditatis,

Digitized by Google

ditatis, quæ ad filios mortuos pertinebat, ſpiritibus ipſorum per eleemoſynas pauperum transmittant.

§. IV. Jejunio juvantur animæ defunctorum.

Jejunio juvantur animæ defunctorum.

CONfirmat hoc Angelus apud *Bedam*. lib. 5. Hiſtor. cap. 13. *Multos, inquiens, preces viventium, & eleemoſynæ, & jejunia, & maxima celebratio, ut ante diem judicii liberentur, juvant*. Theodorus Sicæorum Archimandrita, non contentus oratione, unius hebdomadis jejunium pro defuncta matre ſuſcepit, teſte *Georgio Presbytero* in ejus vita apud Surium to. 2. In vita S. Remigii Archiepiſc. Remenſ. ait Hincmarus, eum docuiſſe, defunctos ex purgatoriis pœnis liberari fidelium precibus, eleemoſynis, jejuniis, fletibus, & hoſtiæ ſalutaris oblationibus.

Idem confirmant exempla eorum, qui jejuniis vivorum à purgatoriis pœnis ſunt liberati. Petierat quadraginta dierum jejunium presbyter quidam Arnolphus à S. Remberto Bremenſi Archiepiſc. cui poſt mortem apparuerat, neceſſitates ſuas ei exponens: & abſoluto totidem dierum jejunio ſignificavit eidem S. Remberto, ſe omni pœnâ ſolutum eſſe. Ita *Surius* in vita S. Remberti to. 1. Sancta Lutgardis virgo ſuſceperat pro defuncto Simone, nobili quodam viro, jejunium, & intellexit eundem quieti Sanctorum donatum, & ab omni moleſtia purgatorii ignis liberatum. Ita *Thomas* Cantiprat. in ejus vita apud Surium to. 3. Sancta Lioba intellexit, profuiſſe jejunium triduanum cum precibus conjunctum, quod pro virgine quadam indixerat. Ita Rudolphus Rabani diſcipulus in Vita S. Liobæ.

Qua porrò ratione defunctos juvat jejunium, quia eſt corporis afflictatio, eâdem ratione juvat eosdem peregrinatio ad loca pia, genuflexio, humicubatio, cilicina veſtis, aliaq; pœnitentiæ opera. Cereorum accenſio juvat fortaſſis, quatenus eſt opus pium, in DEI aut Sanctorum honorem ſuſceptum. Alieni reſtitutio quomodo juvet, non video.

CAPUT XLIII.

De modis averruncandi à ſe, & à domibus infeſtis Spectra humana mala.

Remedia pellendi Spectra humana mala.

BReviſſimè me expediam *Dico ergo I.* Spectra, humana mala, hoc eſt, ſpiritus damnatorum hominum, non poſſe pelli illis remediis, quibus pelluntur Spectra humana bona, hoc eſt, ſpiritus hominum purgandorum. Ratio eſt, quia malis non proſunt, cùm ex inferno nulla ſit redemptio.

Dico II Eadem remedia, quibus diabolica pelluntur Spectra, pellunt etiam probabiliter Spectra humana mala, Ratio eſt, quia hæc & ſpiritus ſunt, & ſpiritus mali; ergo probabile eſt, iisdem hos rebus affligi atq; fugari, quibus illi.

Antequam claudam hunc de ſpectris librum, Noto I. nec ſepulturam defunctis non exhibitam in cauſa eſſe, ut animæ eorũ viventibus appareant; nec exhibitam efficere, ut, ſi antea apparebant, ac moleſtias afferebant, id facere deſinant. Ratio primi eſt, alioquin innumera forent Spectra in omni loco & tempore, cùm innumeri pœnè homines defuncti ſepulturâ careant. Miſera quoque plerorumque Sanctorum Martyrum foret conditio, cùm plurimorum corpora ſepulturæ honore fuerint privata. Ratio ſecundi eſt, quia non ob ſolam ſepulturam cõſequendam apparent, ſed ob alios fines, uti ex præcedentibus patet. Redierunt quidem aliquando defunctorum ſpiritus vel ſepulturæ, vel honeſtioris ſepulturæ nomine; ſed proborum & jam cum Chriſto regnantium, quorum corpora Deus voluit eo honore affici. Spectrum Athenienſe, & Spectrum Corinthiacum, quæ ſepulturam petiverunt, & poſt illam obtentam à moleſtiis inferendis ceſſarunt, fuerunt, ut probabilius eſt, dæmones, qui ob fines nobis occultos id fecerunt.

Noto II. Quando ignoratur conditio Spectrorum infeſtantium, diabolicanè ſint, an humana, bona, an mala; non ſtatim initio exorciſmos adhibendos, nec illa remedia, quæ contra diabolica ſtatuimus adbibenda; ſed inchoandum ab iis, quæ pro animabus purgatorii pœnas ſuſtinentibus adhiberi ſolent, eaque aliquamdiu continuanda; deinde, cùm de moleſtiis nihil remittitur, ad remedia malis Spectris pellendis apta progrediendum; tandem cùm nihil proficitur, exorciſmum adhibendum.

APPENDIX *Ad* LIBRUM SECUNDUM, DE MIRABILIBUS SPECTRORUM.

Multa licèt de Spectris & apparitionibus, nec minùs curioſa, quàm mira, hactenus in medium protulerimus; plurima tamen, ob materiæ vaſtitatem, dicenda ſuperſunt. Pauca ex omnibus Appendicis loco ſubjungemus, illa præſertim quæ vel hoc, vel præcedenti libro variis locis promiſimus, nec tamen dedimus, ne liber præſens in nimiam excreſceret molem.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT I.

De apparitionibus ex pacto in vita inito factis.

NOn infrequens olim fuit, ut amici non solùm vitæ probitate, sed etiam sanctitate conspicui paciscerentur inter se, ut qui prior moreretur, vivo superstiti appareret, eumq; de statu suo certiorem redderet. Referam priùs exempla: deinde quid de illis sentiendum, discutiam.

Apparitiones ex pacto factæ.

§. I. Exempla apparitionum ex pacto factarum.

CÆsar Baronius Annal. tomo 5. anno 412. de Michaële Mercato seniore testatur, ei cum Marsilio Ficino summam intercessisse amicitiam, studiorum consuetudine, & Platonicæ sectæ (Platonis enim uterq; sectator erat) vinculis arctiùs colligatam. Accidisse autem aliquando, *ut ex more quidnam post obitum superstit homini, ex ejusdem Platonis sententia, sed non sine tamen trepidatione, deducerent, quæ labantia, fidei Christianæ sacramentis suffulcienda essent. Eo enim argumento extat ejusdem Marsilii ad ipsum Michaëlem Mercatum erudita quædam epistola de animi & DEI immortalitate. Cùm verò inter disserendum eorum progressa longiùs fuisset disputatio, eam ad calcem perductam eo clauserunt corollario, ut junctâ simul dexterâ pacti fuerint, uter eorum ex hac vita prior decederet (si liceret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem. Quibus inter se conventis, ambo jurati invicem discessêre. Interlapso autem haud brevi temporu spatio, evenit ut cùm summo manè idem Michaël senior in philosophicis speculationibus vigilaret, ex inopinato strepitum velociter currentis equi, ejusdemq; ad ostium domus cursum sistentis audiret, vocemq; simul Marsilii clamantis: O Michaël! O Michaël! vera, vera sunt illa. Ad vocem amici Michaël admiratus, assurgens, fenestramq; aperiens, quem audierat, vidit post terga, ad cursum iterum acto equo candido candidatum. Prosecutus est eum voce, Marsiliū, Marsiliū invocans: prosecutus & oculis: sed ab eis evanuit. Sic ipse novi casus stupore affectus, quid de Marsilio esset, soliciti ùs perquirendū curavit (degebat ille Florentiæ, ubi diem clausit extremum) invenitq; eundem illâ ipsâ horâ defunctum, quâ eo modò auditus & visus est sibi.* Sic Baronius tomo & anno citato.

Narrat in Chronico PP. Dominicanorum *Frat. Antonius Senensis*, simile, imò majus quid apud Dominicanos Zameranos in Hispania accidisse olim Monacho cuidam suæ religionis. Is cum quodam Minorita Monacho prædictum pactum inierat. Moritur Minorita, & post dies aliquot apparet stipulatori mensas sternenti in triclinio, & ait, se expiatorium circumgestare ignem. Et ad cruciatus sui indicium, manum mensę ligneæ crassæ impressit, eamq; altè admodum combussit. Notam hanc audivit P. Delrius (ut ipsemet fatetur lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 26. sect. 7.) ab oculatis testi-

bus supereſſe, manûs videlicet menſæ inuſtæ, & ad perpetuam rei memoriam parvulo clathro ferreo obtectam.

Thomas Cantipratenſis lib. 2. Vitæ B. Lutgardis Virginis ſcribit, Joannem Lyranum magnæ ſanctitatis virum cum dicta virgine pactum iniviſſe, *ut qui prior è vita migraſſet, ſuperſtiti poſt obitum appareret. Itaq; Joannes hic, Romanam Curiam ob quadam negotia Religioſarum fœminarum, quas in Brabantia æmuli vexabant, adiens, Alpes cùm attigiſſet, vitâ functus eſt. Eodem autem temporis puncto apparuit viſibiliter Lutgardi, in monaſterii ambitu ſtanti. Illa vivere eum exiſtimans, manu innuit ut peteret locum, ubi ſolebant inter ſe ſorores conferre ſermones. At ille dixit. Ego è corpore diceſſi: ſed ut veritati, quæ ex pacto inter nos interceſſit, ſatisfacerem, tibi apparui. Tum illa humi proſtratá, ſciscitabatur ex eo, quid ſibi vellet triplex indumentum, quo mirificè erat ornatus. Reſpondit: Veſtimentum candidum virginitatem ſignificat, quam ab utero impollutam ſervavi. Rubicundum, labores & perpeſſiones, quæ mihi mortem attulerunt, quæque multo tempore pro juſtitiá & veritate ſuſtinui. Cœruleum idemq; extimum, vitæ ſpiritualis perfectionem. His abſolutis, ab oculis admirantis ablatus eſt. Illa autem & viſionem & obitum ejus ſororibus illius, & cæteris monialibus indicavit.*

Huc referri poteſt quod Dn. Martinus Duncanus, Decanus Hagenſis in Hollandia, vir doctrinâ & vitæ integritate commendatiſſimus, refert apud *Bredenbachium* lib. 7. collat. ſacrar. cap. 46. ſe nimirum *adhuc apud Harlemiam agente, ibidem contigiſſe circa annum Domini 1557. ut Anabaptiſta quidam nomine Adrianus matrem ſuam adhuc Catholicam conaretur in ſuam ſectam pellicere. Accidit autem, Anabaptiſtam illum in carceres conjici, ultimoque ſupplicio adjudicari. Ad quod cùm jam deducendus eſſet, acceſſit eum mater, rogans ut poſt obitum ſibi appareret, ſeque de ſtatu ſuo certiorem redderet. Quem ſi felicem cognoſceret, ſe in eandem doctrinam conceſſuram. Filius ſupplicio affectus, paulò pòſt matri apparuit in forma teterrimi nigerrimiq; canis, ajens ſe eſſe filium ſuum, ac perpetuò damnatum.*

Paulò antè citatus Thomas *Cantipratenſis* loc. cit. narrat ſequentem hiſtoriam. *Monialis quadam Benedictini Inſtituti, Jolendis nomine, in monaſterio quod Sambræ adiacet, degens, mundi illecebris dedita fuit: hortatu autem piæ fœminæ, ad Aquirianum monaſterium* (ubi B. Lutgardis habitabat) *convolavit. Erat genere nobilis, & delicatiſſimo corpore. Pro ea Lutgardis Dominum inſtantiſſimè oravit, ut & peccata ei remitteret, & gratiam devotionis infunderet. Non potuit Chriſtus negare deprecanti, quod petiit. Perducta eſt Jolendis illa ad ſancta converſationis Statum. Cùmq; illic annis plurimis Domino ſervìiſſet, ipſo revelante præſciv it obitum ſuum. Accedens itaque ad Lutgardem matrem in Chriſto, & dominam ſuam: Pro me, inquit, Dominum multâ inſtantiâ depreceris; jam enim adventat finis vitæ meæ. Reſpondit Lutgardis: Intrepida exſpecta Dominum; certa ſum enim, clementer eum acturum tecum, & à pœnis quas reformidas, brevi te extracturum. Tu verò poſt obitum revertaris ad me; ſed primùm dicito,* Benedicite; *deinde* orationem domi-

Digitized by Google

dominicam cum Angelica Salutatione *recites, ne, suo more diabolus aliquod figmentum adducat. Mortua est ergò, ut prædixerat, Jolendis cum ingenti spiritus fervore; & necdum triginta dies abierant, cùm illa oranti Lutgardi apparuit, & primò,* Benedicite, *deinde cætera dixit. Lutgardis ergò respondens,* Amen, *mox subjunxit: Quomodo habes? At illa: Dominus, ait, non est me abominatus propter enormitatem peccatorum meorum, sed tuâ causâ magnam mihi præstitit misericordiam. Quod ubi dixit, repentè abscessit. Lutgardis verò cum multis lacrymis divinam erga peccatores clementiam laudavit.*

§. II. An pactum prædictum sit licitum, & imitandum?

Joannes Friburgus in summa Confess. lib. 1. Tit. 11. q. 23. apud Delrium loco suprà citato, ait, pactum prædictum, quo duo invicem paciscuntur, ut, si permittatur, is qui prior morietur, vivo appareat; eumq; de suo statu faciat certiorem, secundùm se consideratum, non esse damnandum de peccato. At *Delrius* asserit, periculosum esse, & tales ut plurimùm se deludendos dæmoni exponere, & illi subjacere comminationi. *Qui amat periculũ, peribit in illo.* Et ob hanc rationem ait, prudenter *Cirvelum* lib. 3. de superstit. cap. 11. reprehendere illos qui ita paciscuntur. Addit, quando Deus redire permittit, qui id promiserunt, majoris boni causâ id permittere: pactionem ipsam vix fieri posse ut curiositatis peccato vacet: præstare, salutem suam semper cum pavore & spe operari.

Pactum de apparendo post mortẽ, an sit licitum.

Ego cum Delrio sentio pactum ejuscemodi esse per se illicitum, nisi singulari DEI instinctu, ob finem peculiarem, ad majorem DEI gloriam conducentem, contingat; quo Dei instinctu eximiæ sanctitatis homines adductos credibile est. Nihilominùs magna cum cautela etiam tunc procedendum est, ne Diaboli fraus se se immisceat; uti vidimus fecisse Sanctam Lutgardem, timentem *ne diabolus suo more aliquod figmentum adduceret.* Si hoc illa sancta tam illuminata metuebat; quanto magis nos debemus metuere? Curiositas sciendi non necessaria, non modò non utilis, sed valde noxia esse solet. *Melior est homo, ait* Ecclesiasticus cap. 19. vers. 21. *qui minuitur sapientiâ, & deficiens sensu in timore, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem altissimi.* Cùm Fr. Romanus, Theologus Dominicanus, & S. Thomæ Aquinatis in prælectionibus Theologicis successor, post mortem apparuisset D. Thomæ Neapoli commoranti, & ad unam aut alteram quæstionem à D. Thoma sibi propositam respondisset, cùm hic ulteriùs pergeret quærere, dicens: *Scis crebrò nos in disputationem illam adduxisse quæstionem, an permaneant in anima scientia in hac vitâ acquisita, quæso ut eam mihi expedias: Respondit Romanus: Ego DEUM intueor, noli hac de re ex me sciscitari. Et Thomas: Videsne, inquit, DEUM sine medio, aut aliquâ re interpositâ? Tùm ille: sicut audivimus, ait, sic vidimus in civitate Domini virtutum: moxque disparuit, & S. Thomam*

magnâ

magnâ reliquit consolatione perfusum. Ludovicus Granatensis Concione 1. de S. Dominico.

CAPUT II.

De Spectris cohortium, Acierum, castrorum, & quarumcunq; turmarum militarium.

§. I. Spectra turmarum militarium in præcedentibus relata.

Spectra turmarum militarium.

DE turmarum militarium apparitionibus seu spectris acturos nos promisimus lib. 1. cap. 12. Exempla tria dedimus hoc libro cap. 4. alterum ex *Cromero* de armatorum acie, ex apertis campis ad Polonorum stativa adequitantium, dum Naclum arcem Pomeranorum obsiderent. Alterum ex *Nidero* de clamoribus & congressionibus equestrium virorum, noctu circa metas regni Bohemiæ auditis. Tertium ex eodem *Nidero*, de nobilibus & armigeris Hierosolymam petentibus. Primi & secundi exempli Spectra fuerunt utique diabolica. De tertii exempli spectris res videri posset dubia. Probabilius tamen est, diabolica quoque fuisse. Indicium est donum cultelli, quo multis exitium, & ipsi quoque donatario, parabatur, inquit *Delrius* lib. 2. Disquis. Magic. q. 27. sect. 2.

Quartum exemplum dedimus cap. 10. ex *Trithemio*, de multitudine armatorum militum, equitum & peditum, non longè à Wormatia comparentium, & à Monacho Limburgensis Cœnobii adjuratorum, ut quinam essent, edicerent. Huic Monacho insultat *Leloyherus* lib. 4. cap. 6. quòd temerè animas defunctorum esse crediderit; ipseque putat, fuisse dæmones, eò quòd strepitum edidêre discedentes, & quòd flammis vestes & arma circumdata fuerint. Excusat *Delrius* loc. cit. quoniam & Spiritus mortuorum edere possunt ac solent strepitum; & historia non dicit, vestes & arma fuisse flammis circumdata, sed ea ipsa quæ aspicientibus vestes & arma videbantur, & equi, ipsis flammas combustrices fuisse. Esto tamen flammæ fuerint; ipsimet fassi fuerant se Spiritus esse, qui adhuc expiabantur.

Quintum exemplum dedimus eodem cap. 10. ex *Damascio*, de Spiritibus noctu ante conspectum Romæ pugnantibus. Sextum habes cap. 12. ex *Michaële ab Isselt* de Spectris noctu in campis prope Kerope castrum Moschoviticum discurrentibus. Hoc fatetur Auctor ipse fuisse diabolicum.

§. II. Alia Spectra turmarum militarium.

Spectra alia turmarum militarium.

IN Vita S. Norberti cap. 26. narratur, dæmones armatorum militum specie Religiosis Fratribus absente dicto Sancto comparuisse, & contra illos per summam delusionem pugnasse. *Sed recedente Pastore* (inquit Historia) *rabido*

rabido ore lupus ovibus molitur insidias. Priùs tamen terrorem incutiebat: quia quibusdam, velut essent inexpiabilis odii inimici, quos in seculo reliquerant, armatâ manu quasi ad perimendum, etiam in luce diei, cum suis satellitibus se præsentabat. Illi verò territi, venientibus in specie armati exercitûs, & pompa armorum, & fremitus equorum, quibuscunq; poterant modis se opponebant; ita ut cùm fugerent, velociter raptis fustibus & saxis, obvolutis etiam brachiis quibusdam tegumentis, & tunicâ, resistere festinarent. Et adeo pugnabatur, ut planè crederent jacula mitti & mittere, feriri & ferire, vulnerari & vulnerare, interfici & interficere. Ad quos cùm multi Fratres alii concurrerent, arguentes eos cur sic insanirent: An non adspicitis, ajunt, quòd ab inimicis nostris opprimimur, & jam in frusta ferè concisi, summo cum dedecore morimur? Tunc Fratres scientes eos infestatione dæmonum illudi, aquam benedictam spargunt, signum crucis edunt; & recedente malignorum spirituum turbâ, illi, quasi hostibus devictis, & in fugam versis, concito cursu insequebantur, altis vocibus inclamantes: Eja, eja revertimini, & resistite fortiter; alioquin turpissimâ morte moriemini, si deinceps ad nos redire, minasq; & mortem intentare ausi fueritis. At postquam in se reversi, quidam ex ipsis delusos se esse cognoscunt, fortiter in arrepto proposito persistunt, sicq; fortiter vicerunt: quidam verò ignominiam eam ferre non valentes, & de perseverantiâ desperantes, aculeo caudæ dæmonis percussi, recesserunt. Simile quid legitur in Vita S. Guthlaci Anachoretæ apud *Surium* in Aprili.

Joannes Cæsarius lib. 12. cap. 16. scribit, sequenti nocte, quando exercitus Ducis Brabantiæ à Leodiensibus occisus est, servum quendam Comitis Lossensis prope Montenacke, locum occisionis, circa noctis initium, vidisse maximum torneamentum dæmoniorum; idque ideo, ut putat, quia magnam ibi acceperant prædam. Sequenti verò cap. 17. scribit, sacerdotem quendam Hispanum prope ejusdem comitis castrum, dum in crepusculo noctis de villa in villam transiret, vidisse hastiludium maximum mortuorum, validè clamantium, *Domine Waltere de Milene, Domine VValtere de Milene*; qui Walterus, famosus militiâ, nuper erat defunctus. Hancque visionem ait sæpius eâ nocte & evanuisse, & iterum apparuisse. *Intelligens Sacerdos* (pergit Cæsarius) *illos esse qui militum nundinas execrabiles repræsentabant, subsistens circulum circa se fecit. Cùmq; visio cessaret, & ipse procederet; iterum illos videns fecit ut priùs; sicq; usq; ad lucem laborans.*

Huc refert Delrius spectra illa de quibus *Antonius* Histor. par. 3. quam avorum memoriâ solebant vocare *Familiam Hellequini*: cujusmodi cuncta illusiones dæmonum esse jam pridem docuit *Guilhelmus Parisien.* par. ult. de Univer. cap. 24. Hellequini familiæ meminit etiam *Thomas Cantiprat.* lib. 2. de Apibus cap. 49. par. 4. & fortassis eò referendum, atque sic emendandum esse suspiçatur citatus Delrius id quod *Petrus Blesensis* de Curiali-

bus seu aulicis serâ nocte sæpe vagantibus narrat Epistola 14. & *milites Herkelinos vel Herleurinos* appellat.

Eodem refert idem pugnas illas Regum Septentrionalium,& victorias partas,contra magorum Dæmonumq;cuneos,de quibus *Olaus Magnus* lib. 3.cap.12.sic scribit.*Cùm varia portenta,innumeraq; præstigia pœnè per totum Orbem olim fuisse transacta testetur antiquitas,lemures videlicet,& fannos, Satyres, larvas,aquilos,striges,lamias, manes,panumq; catervas, quibus homines aut falso applausu turpiter illudebantur, aut indicibili errore & laniatu ad extrema fata crudeliter rapiebantur;non putavi silendum fore, quibus ingeniis & armis hujusmodi spectris apud Aquilonares occurrebatur. Traditur enim, nobiles Gothorum athletas cum monstris, & innsitata feritatis belluis,vel ob imbecilliorum hominum liberationem,vel experiendæ virtutis gratiâ,sæpe solos pugnavisse: cavebantq;,ne comitatiores belluā aliquam aggrederentur, quàm fortium virorum permitteret consuetudo. Regnerus Sueticus pugil & Rex, adversus obscœnissimas nocturnorum portentorum catervas, à Thorilda noverca muliere crudelissima immissas, noctem dimicando permensus,luce redditâ varias larvarum formulas, & insitata specierum figmenta passim arvis incidisse cognoscit, inter quas & ipsius Thorildæ crebris obfusa vulneribus effigies visebatur. Quo facto & athleticam sibi claritatem accivit,& paternum regnum ab inimicis eripuit. Præterea Broderus quidam,& Buchi, cum Rege Gormone novum audaciæ genus complexi,hæreditarium Gothicæ fortitudinis spiritum scrutandæ rerum naturæ vestigiis excoluturi, iter omni refertum periculo,ac pœnè mortalibus invium aggrediebantur. Ambitorem namq; terrarum oceanum navigantes,Solem postponentes,ac sidera,sub chao pervagantes, ac demū ultra terram Biarmiæ in loca lucis expertia,jugibusq; tenebris obnoxia pervenientes,cum incredibili monstrorum grege pugnam conseruerunt. Siquidem incursantes se lamias adactis undiq; spiculis incessabant, arcuumq; & fundarum tormentis agmen obtrivêre monstrosum,prout* Saxo *Danorum Historicus, antiquitatum diligentissimus indagator lib.8,de Rege Gormone præfatur*; ubi hanc seu historiam seu fabulam fusiùs narratam invenies.

Hæc de turmarum militarium spectris sufficiant. Tales turmas seu exercitus possent Magi multos exhibere, si ex pacto quod cum dæmone aliquo superiore habent,dæmones huic subditos evocarent, & militum formas induere præciperent.Et certè credibile est id non semel factum ab impiis quibusdam belliducibus,præsertim patrum nostrorum memoriâ,cùm tota Germania bellis ardebat, & omnium ferè nationum milite referta erat.*Delrius* loc.cit.ait,nusquam legi DEUM permisisse,ut talis militia ultra incussionem inanis terriculamenti procederet: Nam si lædere,occidere, munitiones capere,vel hostium invadere castra sinerentur; nulla illis humana potestas valeret resistere, ut benè ex *Guilhelmo Parisiensi* part.ult.de Univers.cap.24.notat citatus Delrius.

CAPUT

CAPUT III.

De variis spectris fœmineis, quas Sybillas seu Nymphas albas, Dominas nocturnas, &c: appellant.

INnumera hujusmodi spectrorum genera & nomina extant, tum apud antiquos, tum apud recentiores. Nonnullorum exempla proferam.

§. I. De nocturnis seu bonis Dominabus, ut vocant.

Dominæ nocturnæ seu bonæ. Nymphæ albæ.

DElrius lib. 2. Disquis. Magic. q. 27. sect. 2. num. 14. ait, esse quoddam spectrorum seu dæmonum genus, quod in nemoribus & aliis amœnis locis se se ostentat instar puellarum aut matronarum, in veste candidâ. *Interdum etiam in stabulis cum luminaribus cereis, ex quibus etiam distillata gutta postmodum in equorum jubis, quas sedulò pexuerunt, & nexuerunt, solent ab hominibus inveniri.* Et tales ait esse illas, quas vocant *Sybillas* seu *Nymphas albas, Dominas nocturnas, Dominas bonas,* & earum *Reginam Habundiam,* quarum adventu multum prosperitatis, & rerum omnium copiam putant superstitiosæ anus domibus contingere, quas frequentârint; & ideo domi suæ illis epulas instruunt, escariis lancibus & vasis vinariis omnibus apertis ac discoopertis; ne quid illis ad sumendum moræ obiiciatur. Hæc omnia Delrius; addens, ea planè idololatrica esse, docuisse *Guilhelmum Parisiensem* part. ult. de Univers. cap. 24. & *Nicolaum Cusanum* lib. 2. Excitationum.

Spectrum Russianum.

Ad hoc spectrorum genus reducit Delrius spectrum illud Russianum, quod in Russia Orientali sub meridiem messis tempore solitum erat obambulare rura habitu viduæ lugentis, operariisq; , nisi protinus viso illo in terram proni venerarentur, brachia cruraq; frangebat, ut scribit *Petrus Gregor.* lib. 12. Reipubl. cap. 20. Sed hoc spectrum cùm minimè beneficum, sed noxium maximè ac crudele fuerit, inter *bonas Dominas* nequaquam numerari debet.

Dominæ bonæ visæ in Scotia.

Rectè tamen ad hoc spectrorum genus revocat idem Delrius tres illas, quæ visæ Machabæo & Banckoni venantibus regnum illis pronuntiârunt. Historiam refert *Hector Boethius* lib. 12. Histor. Scotor. his verbis. *Accidit autem haud ita multò post res nova atq; admiranda, quæ statum regni perturbavit. Nam Maccabao Banquhoniq; Forres (ubi tum Rex* Scotorum Duncanus *agebat) proficiscentibus, ac in itinere lusus gratiâ per campos sylvasque errantibus, medio repentè campo tres apparuêre muliebri specie, insolitâ vestitûs facie, ad ipsos accedentes: Quas cùm appropinquantes diligentiùs intuerentur, admirarenturque; Salve, inquit prima, Maccabae Thane Glammis. Altera verò, Salve inquit, Caldariæ Thane. At tertia; Salve inquit, Maccabae olim Scotorum Rex future. Tum Banquho. Et vos, inquit, quæcunque estis, mihi parum propitiæ videmini, quæ huic præter optimos magistratus etiam regnum defertis, nec mihi quidquam. Ad ea quæ prima fuerat: Imò, inquit, longè*

tibi majora quam huic nunciamus: hic enim regnabit quidem, infausto tamen exitu, nec ullum ex posteritate suâ inter reges jure numerandum relicturus. Tu contrà, non regnabis quidem, Verùm ex te nascentur longâ temporum serie rerum Scoticarum potituri. His dictis extemplò se ex illorum conspectu abripiunt. Vana ea Maccabaeo Banquoniq; visa &c : Verùm ex eventu postea Parcas aut Nymphas aliquas fatidicas diabolico astu praeditas (seu ipsos potiùs diabolos) *fuisse, interpretatum est vulgò, cùm vera ea quae dixerant evenisse cernerent.* Potuêre hoc prævidere dæmones, quoniam ipsimet postea Maccabæum, spe regni adipiscendi incensum instigaturi erant in regis Duncani necem; uti fecerunt.

Bonarum Dominarum mentio fit in Vita S. Germani Episcopi Antisiodorensis apud *D. Anton.* par. 2. Histor. tit. 11. §. 5. & apud *Surium* to. 6. & apud nos suprà lib. 1 cap. 25.

§. II. De fatalibus Sororibus & Nymphis, & de Virginibus sylvestribus.

Fatales sorores.

OLaus Magnus lib. 3. cap. 10. scribit, fuisse apud Aquilonares nonnulla templa Dianæ & Cereri consecrata, ædesque *fatalium Sororum* (quas Parcas antiquitas appellavit) absque humana ope præstigioso quodam artificio extructas: easque antiquos, super futuris liberorum eventibus Parcarum oracula consulturos, nuncupatis solenniter votis præcabundos accedere fuisse solitos. In his ædibus, *introspecto sacello quandoq; ternas, quandoque plures sedes totidem Nymphis occupari cognovêre: quarum alia liberalem pueris formam, uberemque humani favoris copiam erogabant; alia verò liberalitatis, aut aliarū virtutum excellentiam condonabant; demum alia protervioris ingenii reliquarum donis afficere cupientes futuris puerorum moribus parsimonia, aut aliud crimen affinxerunt. Nec solùm pueris, verùm etiam aetate provectis, & quandoq; Regibus hujusmodi praestigiosarum artium commentis ludificatum fuisse comperitur. Hotherus siquidem Rex Suetiae & Daciae, inter venandum errore nebulae à retiariis longiùs avulsus, in quoddam sylvestrium Virginum conclave incidit: à quibus proprio nomine salutatus, quaenam essent perquirit. Illae, suis ductibus, auspiciisq; maximè bellorum fortunam gubernari testantur. Saepe enim se nemini conspicuas praeliis interesse, clandestinisq; subsidiis optatos amicis praebere successus; quippe conciliare prospera, adversa infligere posse pro libito memorabant: hortatae eum, ne Balderum arcano Superum semine procreatum, armis lacesseret. Quo accepto Hotherus labentis hospitii tegmine defectus, sub dio se relictum, totiusq; expertem umbraculi mediis repentè campis expositum conspicatur. Praecipuè tamen puellarum praepetem fugam, lociq; versilem situm, ac fallacem aedis imaginem mirabatur. Ignorabat enim quae circa se gesta fuerant: ludibrium tantùm inaneq; praestigiosarum artium extitisse commentum. Deinde aliquot evolutis annis idem Hothe-*

Virgines Sylvestres.

Hotherus accerrimis contritus bellis, extrema locorum devia pervagatus, insuetumq; mortalibus nemus emensus, ignotis fortè Virginibus habitatum reperit specum. Easdem esse constabat, quæ eum insecabili veste quondam donaverant. A quibus cur eò locorum venerit interrogatus, infaustos belli declarat eventus. Itaq; fide earum damnatâ, gestarum infeliciter rerum fortunam, tristesq; casus deflere cœpit, secus sibi cessisse questus, quàm ab ipsis promissum accepit. At Nympha eum, quanquam rarò victor extiterit, æquam tamen hostibus cladem ingessisse dicebant; nec minoris stragis auctorem fuisse, quàm complicem: cæterùm affuturam victoriam, si edulium augendis inimici viribus excogitatum præripere potuisset; quo eveniret, ut omnia votis suis prospiceret successura. Sicq; dimissus vires reparat, militiamq; conscribit in hostem. Cujus castra dum pervigil observat, vidit excessisse tres Nymphas arcana dapis gerulas. Quas cursim insequens (nam earum fugam rosida prodidêre vestigia) tandem tecta, quibus assueverant, subit, citharaq; (cujus peritissimus erat) dulcissimo ministerio accurati nitoris cingulum, potentemq; victoriæ zonam ab eis obtinuit: atq; itinere quo venerat repetito, hostem obvium illicò lethifero vulnere fudit, ut postridie Proserpina, quæ sibi per quietem adstare aspecta est, transmitteretur. Hactenus Olaus Magnus.

§. III. De albis Nymphis, Elvarum choreis, aliisq; nocturnis saltibus.

SUprà cap.41.hujus libri §.1. retulimus ex *Cornelio Kempensi*, tempore Lotharii Imperatoris fuisse passim in Frisia multa larvarum infernalium spectra; quæ in parvo quodam colle subterraneum specum inhabitabant, & Albæ Nymphæ appellabantur. Lege locum citatum.

Nymphæ albæ.

De Elvarum chorea apud Aquilonares populos olim videri nocturnis temporibus solita, locuti sumus hoc eodem libro cap.9.

Elvarum chorea.

Aliam variorum nocturnorum spectrorum choream describit *Saxo Grammaticus* lib.2 Histor. Danicæ non procul à principio, his versibus ab Hadingi filia prolatis.

Monstra quidem video celerem captantia saltum,
Corpora nocturnis præcipitare locis.
Bella gerit dæmon, & iniqua dedita rixa
Militat in mediis turba nefanda viis.
Effigie spectanda truci portenta feruntur,
Hecq; hominum nulli rura patere sinunt.
Agmina præcipiti per inane ruentia cursu,
Hac nos progressum sistere sede jubent.
Flectere lora jubent, sacrisq; absistere campis,
Arvaq; nos prohibent ulteriora sequi.

Trux Lemurum *chorus advehitur, pracepsq, per auras*
Cursitat, & vastos edit ad astra sonos.
Accedunt Fauni Satyris, Panumque *caterva*
Manibus *admixta militat ore fero.*
Silvanis *coëunt* Aquili, Larvæque *nocentes*
Cum Lamiis *callem participare student.*
Saltu librantur Furiæ, *glomerantur eisdem*
Larvæ *quas simis* Fantua *juncta premit.*
Calcandus pediti trames terrore redundat
Tutius excelsi terga premantur equi.

De choreis & sonitu vario spectrorum exempla dedimus variis locis hujus & præcedentis libri, ex *Plinio, Solino, Pomponio Mela*, & aliis, qui similia spectra seu dæmones vocant Ægypanes. Meminit eorundem *Trithemius* lib. octo Quæstionum ad Maximilianum Cæsarem quæst. 6. dum describit quintum dæmonum genus, ut vidimus lib. 1. cap. 12.

§. IV. De monte Veneris, & specu Nursino, Sybillaque ibi inclusa.

Veneris mons.

EX relatis hactenus ludibriis natæ fuisse videntur fabulæ de monte Veneris, & specu Nursino, de quibus *Æneas Silvius*, seu Pius II. Pontifex in libro Epistolarum Epist. 46. his verbis scribit ad Georgium Jurisconsultũ fratrem suum. *Venit ad me hac horâ lator præsentium, ex me quæsitum, an Veneris montem apud Italiam scirem: nam ibi magicas artes tradi dicebat, cujus avidus esset herus suus, qui Saxo est summus Astronomus. Dixi me scire portum Veneris qui est prope Lunam inter Ligustrios montes &c: Inter conferendum autem venit in mentem, lacum esse in Umbria, quæ provincia Ducatus dicitur, non longè ab urbe Nursia, ubi præruptus mons ingentem speluncam facit, per quam aqua fluunt. Illic memini audisse me striges esse, & dæmones, ac nocturnas umbras; ubi qui audaces sunt, spiritus vident, alloquunturq, & artes ediscunt magicas. Hæc non vidi, nec vidisse curavi: nam quod peccato discitur, melius est ignorasse.*

Nursinus specus.

De Sibylla in specu Nursino habitante mira, & sine dubio fabulosa scribit apud Delrium *Crespetus* lib. de odio Satanæ dis. 6. ex actis judiciariis. Ait enim, quendam Dominicum Mirabellum nomine, natione Arpinatẽ cum noverca sua Margaretha Garnier, & aliis complicibus, Mantæ in Francia captos, & Luteciam deductos, unà cum libris magicis, quos deferebant Sybillis Magiæ præsidibus consecrandos. Dominicum hunc in judicio confessum, quẽdam ejus socium nomine Scotum famosum Necromanticũ, qui diu in Francia vixerat, & coram variis Principibus artis suæ mira experimenta patrârat, & ex iis non paucos discipulos habuerat, accessisse Sibyllam illam nobilem quam in specu Nursino Itali ferunt habitare: & retu-

& retulisse eam esse staturæ exiguæ, in sella humi sedere, capillitio soluto, & in terram dependente. Ab eadem se accepisse librum consecratum, & digito adhęrenti annulo dæmonem inclusum: cujus libri & dæmonis operâ posset transferri ad quemcunque vellet locum, dummodò ventus ei ad eum locum profecturo adversus non flaret. Dixit præterea custodes à summo Pontifice locatos, qui summâ curâ specum custodiant, ne quis eò possit se conferre, audire, & consulere Sibyllam: nec ullos ad eam pervenire posse exceptis Magiæ Mystis, qui se nôrint invisibiles præstare: & quando quis cum ea loquitur, sive sit magus, sive non, per omnia circumquaque vicina loca horrendas tempestates & fulgura excitari. Addit Crespetus, has Sibyllas libenter custodire greges ovium, & inter armenta versari: ideo pastores citiùs ad earum cognitionem venire quàm alios. Delrius autem ait, non hanc esse causam, sed quia Opiliones & armentarii solent simpliciores & hebetiores esse, & otio abundare, ideoq; dæmonum istorum insidiis magis expositos.

Similis alterius Sibyllæ mentionem facit *Antonius de la Sale* in Ancona, teste Delrio lib. 2. Disq. Magic. q. 27. sect. 2.

CAPUT IV.

De Lamiis, Strigibus, Empusis, Hecate, aliisque famosis nonnullis Veneficis & Magis.

VAriè loquuntur de his Auctores; ideo nonnulla referre, & quid ego sentiam, proferre lubet.

§. I. De Lamiis.

Lamia.

LAmiarum meminit etiam Scriptura sacra, *Jeremias Threnor.* cap. 4. vers. 3. *Sed & Lamia nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.* De his Delrius olim Lovanii habuit orationem quodlibeticam, quam in epitomē contractam inseruit deinde Commentario in Senecæ Medeam, ad versum 732. his verbis: *Lamia, ut rectè Strabo, & Lucilius apud Lactantium, inania sūt terricul amenta: idq; vel inde potest colligi, quòd certi nihil de illis traditur. Quidam dæmones quosdam, vel spectra tantùm esse censent, quæ Empusa dicuntur. Ita Philostratus in Vita Apollonii Tyanai, Saxo Grammaticus in Historia Danica, & Olaus in Descriptione Septentrionalium Regionum; quarum ferma penitus fabulosa, ab Aristophane, Plutarcho, & Eustathio est petenda. Alii Lamiam fuisse mulierem Ponticam, quæ gravidarum fœminarum alvos cadebat, & extractos inde pueros devorabat, ita Aristoteles in Ethicis Nicomach. Clemens Alexandrinus in Protreptico, Horatius Epistolà ad Pisonem. Diodorus autem, Phavorinus, & Suidas in Asia apud Automolas montem esse, in quo habitârit Lamia regina, eximiæ pulchritudinis mulier à Jove adamata; quæ cùm filium amisisset, & orbitatem non ferret, præ zelotypia omnes ex matrum gremio rapi pueros, & occidi jussit: ingurgitare*

Digitized by Google

gitare se etiam vino solitam, & domi manere, nec negotia regni curare, ideo creditam domi cæcam esse: tandem ob morum feritatem in feram commutatam. Eadem fere prodidit Græcus Scriptor Antonius Liberalis in Metamorph. Sed Dion in Libyca historia, feras esse hoc nomine scribit umbilico tenus fœmineâ formâ præstantissimâ, reliquum corporis squammis confertis & impenetrabilibus contegi, & imum in serpentem horribilem desinere, cujus extremum sit caput: brachia squammis similibus vestita, manus aquilino more uncungues esse: h.u abscondere; & sororiantibus mammis homines sibilo quodam sono (hæc illarum vox) alicere; tum propè accedentes unguibus arripere, & serpente circumvolutos necare, & cadaveribus vesci. Glossa interlinearis & Lyranus monstra volunt esse fœminea formâ, sed equinis pedibus. Lamiæ quoque sacri vates Isaias & Jeremias meminerunt; hic etiam mammam nudasse testatur. Sed adumbratè loquuntur, & hujusmodi monstra nominant, non quòd ulla unquam fuerint, sed cum vulgo loquentes hisce confictis nominibus vel ipsos dæmones monstrosorum criminum suggestores, vel eorundem patratores impios homines significabant, ut ex sanctis Basilio, Athanasio, Theodoreto, Ambrosio, & Gregorio docet Leo Castrus ad Esaiæ c. 34. Sanè D. Hieronymus eo loci satis apertè significat, Lamias, Pilosos, & Onocentauros Poëtarum figmenta, & Gentilium esse deliria. Vide de Lamiis Adag. Lamiæ turres, Brassicanum in Politiani Lamiam, & Chartarium lib. de Deorum imaginibus.

Hæc Delrius, copiosè & doctè. Ex quibus patet, quàm incerta sint, quæ de Lamiis dicuntur apud varios Auctores. Ego crediderim, Lamiam fuisse insignem quandam veneficam, ac maleficam fœminam, qualem ex Diodoro, Phavorino, & Suida descripsit Delrius, & ejus nomen deinde translatum ad omnes veneficas, maximè quæ puerorum sanguini & vitæ insidiantur, tum præcipuè ad spectra diabolica sub ejusmodi veneficarum formâ apparentia. Hoc ultimum videtur innuere *D. Hieronymus* ad Paul. de obitu Blesillæ, cùm dicit, sæpe bimulos ac trimulos ad ubera materna lactantes, à dæmonio corripi.

De Lamia quæ occurrit Apollonio Tyanæo Caucasum montem conscendenti, scripsimus suprà hoc lib. cap. 37. De alia Lamia, quæ dæmonis incubi officium præstitit, & Menippum delusit, invenies historiam miram cap. 28. §. 3.

§. II. De Strigibus.

Striges.

VUlgò Striges & Lamiæ pro iisdem accipiuntur, & sagas significant. Causam, quod ad Lamias spectat, jam vidimus, nunc de Strigibus.

Strix, ut omnes conveniunt, propriè est avis funesta, & plerumque cum bubone conjungitur. Maro: *Ne me terrete timentem obscœna volucres &c: mœstique cor bubonis, & ranca strigis.* Papinius lib. 3. Thebaid. *Monstra volant,*

volant, dira strident in nube volucres, nocturnaq́, gemunt striges, & feralia bubo, damna canens. De bubone, quæ & qualis sit avis, omnes conveniunt; de Strige non item, ut fatetur *Edoardus VVottonus* de Different. animal. lib. 7. c. 152. post *Plinium* lib. 11. cap. 39. *Ovidius* lib. 6. Fastor. sic illam describit.

Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinis,
Canicies pennis, unguibus hamus inest.
Nocte volant, puerosq́, petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis:
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis Strigibus nomen; sed nominis hujus
Causa, quòd horrendâ stridere nocte solent.

Alii Strigem confundunt cum Caprimulgo, quem in Physica curiosa lib. 9. cap. 25. diximus esse avem nocturnam, magnitudine paulò majorem Merulâ, minorem Cuculo: caput habere vertice longo & compresso; oculos grandes; rostrum vix passerino majus, modicè aduncum: intrare caprarum stabula noctu, & illarum ubera exsugere, ob idque vocari caprimulgos. Alii venenata sua ubera infantibus præbere existimant Striges aves, atq; ita perimere specie pietatis. Unde *Serenus.*

Præterea si fortè premit Strix atra puellos,
Virosa immulgens exsertis ubera labris.

Quod Plinius fabulosum asserit. Credunt nonnulli, in has aves se vertere quodam unguine sagas. Ex hac opinione, & quia sagæ infantulis exitiũ moliuntur, sive exsugendo illorum sanguinem, ut vulgus credit, sive venenatum quid illorum labellis ingerendo, natum est ut Striges appellentur.

Ex dictis utroq; paragrapho patet, falli illos, qui Lamias cum Strigibus confundunt, si utræq; in proprio significato sumantur. Si autem ad Sagas transferatur significatum, nihil absurdi asserunt.

§. III. De Empusis, & Hecate.

Empusa. Empusam è Spectrorum genere fuisse apud veteres, dubium nullum est: quod aut quale Spectrum, incertum. *Scholiastes Apollonii* in lib. 3. confundit cum Hecate, quando speciem mutabat; *Scholiastes* verò *Aristophanis* cum dæmonio meridiano (de quo capite sequenti) Empusam exponens δαιμόνιον μεσημβρινόν. *Delrius* lib. 2. Disquis. Magic. q. 27. sect. 2. putat, Empusam nocturnum fuisse spectrum: sed cùm noctu apparebat, Hecatem vocatum; cum meridie, dæmonium meridianum.

Hecate. Hecate, ut notissimum est in scholis, triviorum & quadriviorum erat præses; triplici facie, dextrâ equi, sinistrâ canis, mediâ fœminæ. Hanc censebant spectrorum immittere terriculamenta. Eâdem adventante solum

tremebat,& thædarum fulgor cernebatur, & canibus multis cincta advectabat,quorum terribiles ululatus & latratus audiebantur. Mutabat se in omnes formas,fiebat enim planta,bos,vipera,lapis,musca,fœmina , ut ait Epicharmus apud Delrium;imò & mula , & ingens bellua , ut scribit Aristophanes apud eundem. Alii unicum crus æneum,alii asininum , vel crus vel membrum ei tribuunt. Hinc vocata ὀνόχωλις,& ὀνοκένταυρος.

Diabolicum ergo spectrum fuit Empusa , cujuscunq; demum formæ schemate apparuerit. Philósophus ille , qui Menippo detexit bellam illam sponsam,cui consueverat (ut retulimus suprà cap.28. §.3.) esse dæmonem succubum,ait illam fuisse ex Empusis,quas Lamias & Mormolycias pleriq; putant.Lege ibidem dicta.

§. IV. De famosis nonnullis Veneficis.

Veneficæ famosæ.

OLaus Magnus lib. 3. Histor,variis capitibus ostendit,quantopere olim Aquilonares viri & fœminæ in veneficiis,incantationibus,universaq; arte magica excelluerint. Mulierum aliquot exempla hoc §. virorum sequenti proponam.

Hagberta (ait Olaus lib. 3,cap.15.) *Vagnosti gigantis filia insolito suæ granditatis aspectu nunc contractioris,nunc exilis,nunc defluentis substantia, modo corrugatâ,modò explicatæ corporis situm arbitrariâ mutatione transformare solebat : atq, nunc proceritate cœlis invecta,nunc in hominem angustioris habitus composita, cœlum deponere,terram suspendere,fontes durare,montes diluere,naves sublimare , deos infimare, sidera extinguere,tartarum illuminare posse credebatur.* Facta sunt hæc vel per ludibrium oculorum , vel dæmone varia corporis phantastici schemata ipsi circumfundente,variaq; ex aëre corpora formante.

HadingeRege cœnante (pergit Olaus) *alia ejusdem artis* magicæ *fœmina cicutarum gerulo,propter foculum humo caput extulisse conspecta,porrectoq, sinu percontari visa, qua mundi parte tam recentia gramina brumali tempore fuissent exorta.Cujus cognoscendi cupidum Regem,proprio obvolutum amiculo, refuga secum sub terras adduxit;ostensisq, infernalium regionum monstris, tandem mundo restituit.* Abduxerit in specum subterraneum , ubi dæmones variorum monstrorum specie Regis curiosi oculis objecti.

Craca Norvegiana mulier (pergit idem) *futuri filii sui Rolleri fortuna consultura , pulmentum paratæus tabificum humorem trium colubrorum supernè tenui reste dependsorum instillabat.Sed Ericus Craca privignus dapem filio Rollero paratam ad se transtulit;faustâq, dape refectus,internâ ipsius operâ ad summum humana sapientia pondus evasit.Quippe epuli vigor suprà quàm credi poterat, omniũ illi scientiarũ copiam ingeneravit,ita etiam,ut ferinarum,pecudaliumq, vocum interpretationem calleret.Neq, enim solùm humanarum rerum peritissimus erat ,verùm etiam sensuales brutorum sonos ad certarum affectionum intelligentiam (Plinio*

nio

nio in simili casu lib. 26 cap. 4. de Democrito testante) referebat, Praeterea tam comis atq; ornati eloquii erat, ut quidquid disserere cuperet, continuo proverbiorum lepôre poliret. An, quâ ratione, & quâ tenus possit dæmon artes ac scientias docere hominem, diximus lib. 1. cap. 32.

Guthurna (adhuc pergit Olaus eodem capite) *Jarmerici Regis propugnatores subitò oculis captos, in se ipsos arma convertere procuravit.* Utiq; ope dæmonis, posito à maga signo ex pacto.

Idem Olaus citato capiti tertio apponit iconismum, in quo mulier venefica ollam effundit, & veneficus equinum caput conto exceptum, ac elevatum, dentium rictibus denudatum sustétat castris hostilibus oppositum. Mulieris imago cum effusa olla significat (ut ipsemet explicat) ollam omnium maleficarum commune esse instrumentum, quo succos, herbas, vermes, & exta decòquant, atq; eâ veneficâ dape ignavos ad vota alliciant, & instar bullientis ollæ navium, vel equitum, aut cursorum excitent celeritatem. Equino verò capite perticâ elevato, & militaribus castris opposito formidinem hosti incutiebant: quibus si carmina addebant, videbatur integra acies instructa, hostes celerrimè demolitura.

Qualem potestatem maleficæ ac malefici habeant in radiis Lunæ obtenebrandis, tempestatibus excitandis, arboribus ac plantis perdendis, armentis & jumentis occidendis, constat ex dictis lib. 1. cap. 34. & testatur tritum *Virgilii* carmen:

> *Hanc ego de cælo vidi deducere Lunam,*
> *Atq; satas aliò vidi traducere messes.*

§. V. De famosis nonnullis Maleficis.

Malefici famosi.

EXempla famosorum Magorum seu Maleficorum dedimus lib. 1 cap. 16. Pauca alia de Aquilonaribus ex Olao Magno hîc addemus; quorum quędam in citato libro 1. etiam tetigimus.

Olaus igitur *Magnus* lib. 3. cap. 16. loquens de Magis & Maleficis Finnorum, ait Finlandiam ac Lapponiam ita fuisse doctam maleficiis olim in paganismo, ac si Zoroastrem Persam in ea damnata disciplina præceptorem habuissent. *Solebant aliquando Finni* (verba sunt Olai) *inter cæteros gentilitatis errores negotiatoribus in eorum littoribus contrariâ ventorum tempestate impeditis, ventum venalem exhibere, mercedeq; oblatâ tres nodos magicos, non cassioticos loro constrictos, eisdem reddere, eo servato moderamine, ut ubi primum dissolverint, ventos haberent placidos; ubi alterum, vehementiores; at ubi tertium laxaverint, ita sævas tempestates se passuros, ut nec oculo extra proram in evitandis scopulis, nec pede in navi ad vela deprimenda, aut in puppi pro clavo dirigendo, integris viribus potirentur. Hicque infeliciùs rem experti sunt, qui vim ejuscemodi nodis per contemptū inesse negárunt.* Hâc rem de ventis venditis ut reddat credibilem Olaus, addit, Herodotū lib. 7. testari de præfectis Xer-

xis, quòd ii triduanâ tēpestate quadringentas naves amiserint, donec quarto die Magi incisiones faciendo, & veneficiis incantando ventum, Theti & Nereidibus sacrificando, tempestatem compescuerunt, ut ipsi interpretabantur.

Idem Olaus eodem libro 3. c. 17. ait, inter Bothnicos homines Septentrionis passim repertos maleficos ac magos, *tanquam in proprio loco*, qui per summam ludificandorum oculorum peritiam suos alienosq; vultus variis rerū imaginibus adumbrare calluerint, fallacibusq; formis veros obscurare conspectus. Addit, tantam vim carminibus eorum affuisse, ut rem remotissimè positam, & quantalibet nodorum consertione perplexam, conspicuam & præsentissimam effecerint. Quod quā ratione obtinuerint, docet sequētibus verbis. *Scire cupiētes statum amicorum aut inimicorū, longinquo terrarum spatio quingentorum aut mille milliarium inde distantium, Lapponem seu Finnonē huius rei peritum dato munere, linea scilicet vestiu, aut arcûs, rogāt experientiam fieri, ubinam fuerint, & quid agant amici, vel inimici. Quocirca conclave ingreditur, uno comite, uxoreq; contentus, ranam aneam aut serpentem malleo super incudem præscriptis ictibus concutit, carminumq; murmure hinc inde revolvit, continuòq; cadens in exstasin rapitur, jacetq; brevi spatio velut mortuus. Interea diligentißimè à prædicto comite, ne quodvis vivens, culex, aut musca, vel aliud animal eū contingat, custoditur. Carminum namq; potentiâ Spiritus ejus malo dæmone ductore à longinquis signa (annulum, vel cultellū) in testimoniū, expedita legationis seu commissionis reportat: illicoq; resurgens, eadem signa cum cæteris circumstantiis conductori suo declarat.* Hanc eandem historiā attuli suprà lib. 1. c. 35. sed aliis verbis ex Delrio tunc transcriptis, qui allegat caput 18. libri 3. Suspicor Delrium eadem verba exscripsisse ex alio, qui historiam quam Olaus cap. 17. verbis paulò antè allatis scribit, suis propriis verbis conscripserat, & caput 18. loco capitis 17. citaverat.

Eodem capite 17. docet Olaus, qua ratione morbos & mortem intulerint dicti Bothnici homines. *Nec minoris efficacia*, inquit, *perhibentur in hominibus diversâ ægritudine prosternēdis. Faciunt namq; de plūbo jacula magica brevia ad modum digiti: ea mittunt per quavis dissita loca in eos, de quibus vindicta expetunt. Hi oborto Carcinomate à crure, vel brachio, intra triduum vehementiâ doloris exanimantur.*

Extant etiam (prosequitur Olaus eodem cap. 17.) *præstigia seu maleficia Helsingorum; quorum princeps Vitolfus quos voluit, ita videndi officio spoliavit, ut propinquas ædes nec prospectu capere, nec certis possent vestigiis indagare; adeo luminum usum nubilo quodam errore obtundere callebat. Præterea Visinus eximiæ opinionis gladiator omnem telorum aciem ad hebetudinis habitum solo conspectu redigere solebat. Gladio tamen Suetici gigātis Starchatari interemptus est. Tenuißimâ nām pelle (quod unicum contra hebetandi vim remedium perhibetur) gladium suū*

sem-

semper servavit obtectum. Verùm projectilia saxa nullâ arte vel carmine, ne fortiter emissi noceant, hebetari.

Idem *Olaus* libro eodem 3. cap. 18. de magis marinis loquens, ait, coli solitum inter alia Aquilonis numina magum quendam Hollerum nomine; qui singulari superstitione divinitatis opinionē & cultum sibi in gente curiosa vindicaverat; adeoq; armorum & præstigiorum usu clarus evaserat, ut ad traijcienda maria osse, quod diris carminibus obsignavisset, navigii loco fuerit usus; nec segniùs eo, quàm celerrimo velorum ac ventorum usu præjecta aquarum obstacula superaverit. Hic tamen tandem, ut divinitas ostenderetur mortalis, ab æmulis suis truculentissimâ morte fuit interemptus.

Præterea Oddo Danicus pirata maximus, referente eodem Olao, tantum magicæ doctus extitit, ut absque carina altum pererrans, hostilia sæpe navigia concitatis carmine procellis everterit. Hic idem in hebetando carminibus ferro mirâ arte excelluit: & tandem peritiore hoste circumventus, gurgite fuit submersus, qui marinos vortices præstigiosis carminibus olim calcare consueverat.

§. VI. Adhuc de famosis Maleficis alia.

Malefici alii famosi.

Othimus major atque senior inter magos (inquit Olaus libro 3. cap. 19.) *Hadingum quendam Daniæ Regem magicis præstigiis turpiter illusum, atque longiùs à suis familiaribus avulsum, cum equo per vasta maris spatia ad propria reduxit.*

Haquinus Norvegiæ Princeps contra Danos pugnaturus, coorti imbris maleficio ita hostium vertices inusitatis grandinis ictibus converberavit, ut eorum oculi veluti graviorem ab elementis pugnam, quàm ab hoste sentirent.

Præterea Biarmenses polo Arctico viciniores, in Septentrione contra potentissimum Regem Regnerum pugnaturi, carminibus aggressi cœlum, solicitas nubes ad summam usq; nimborum violentiam impulerunt.

Capite 20. de mago quodam ligato in specu à suo præceptore, hæc refert sæpe laudatus Olaus citato lib. 5. *Apud Ostrogothos lacus est maximus recentium aquarum. Vetter dictus, amœnam, sed oblongam insulam in umbilico suo habens, duas tenentem Ecclesias parochiales: sub quarum altera specus cavernoso longoque introitu, & exitu immensa profunditatis reperitur. Quam specum non nisi vanæ ostentationis & curiositatis homines laternis accensis, filisque glomeratis reprehendi regressus, provisi descendunt, eâ potissimum causâ, ut quendam Magum Gilebertum nomine, arte magicâ (unde calamitas ejus orta est) à vetustissimo tempore per proprium præceptorem Catillum, cui insultare præsumpserat, superatum atque ligatum; eo scilicet modo, ut exiguo fuste certis chara-*

Digitized by Google

literibus Gothicis seu Ruthenicis sculpto, atque à præceptore projecto, & manibus apprehenso, ipse Gilbertus immobilis maneret, & obstrictus, nec dentibus ad solvendum adhibitis (quasi tenaciori bitumine adstrictis) nec pedibus doloso præceptoris consilio admotis, dissolvi possit. Cujus spectaculi causâ visendi, etsi plures temerarii spiritus inspectores vehementi admiratione accurrere soleant, tamen non propiùs, ob fœtorem cavernæ, & noxios vapores, aggredi præsumunt, ne spiritu obstructo, clausoq́; stomacho suffocentur. Arcentur etiam appositis aggeribus & repagulis incolarum, ne proprii periculi contemptores velut insanientes, nunquam egressuri ingrediantur. Præterea lege gravissimâ tanquam de his qui sibi mortem consciverunt, provisum est, ne hæc pericula agnoscentes, alios inexpertos ad hujusmodi spectaculum perscrutandum alliciant, aut allectos inducant, cùm multis exemplis notissimum sit, in eo antro ad mortem usq́; plurimos fuisse periclitatos.

Huic narrationi, quæ fabulosa prorsus videtur esse, ut fidem adstruat Olaus, exemplum aliud adducit ex *Strabone* lib. 13. describente simile quoddam antrum. Aliqua etiam nos dedimus libro superiore in Appendice, ubi descripsimus antrum Trophonium, & alia similia.

Agendum restabat de Laribus, Manibus, Penatibus, Lemuribus, Geniis, Larvis, aliisq; similibus spectris, quorum frequens apud antiquos Scriptores mentio est: item de dæmonio meridiano, cujus meminit Propheta David Psalmo 90. sed ne in immensum excrescat hic liber, abstineo, & ad alia pergo.

Monitio ad Lectorem.

Ad Spectra non immeritò revocantur auctores nocturnorum tumultuum, qui hominum mortes portendere creduntur, & variis subinde schematibus transformati apparent. At quoniam paucis, quæ de illis dicenda, aut exagitanda occurrunt, expediri nequeunt; consultiùs judicavi, ad illum reservare locum, in quo de Mirabilibus Portentorum agemus. Ad Hominum ergo Mirabilia transeo.

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

De

MIRABILIBUS HOMINUM.

PROOEMIUM.

Homo, animantium omnium nobilissimum, Angelorum consors, perfectissimum Deitatis exemplar, tantas in se uno claudit dotes ac prærogativas, ut meritò Favorinus præter eum nihil in terris magnum agnoverit; meritò Ægyptiorum Sapientes titulo Dei mortalis insignierint; Mercurius Trismegistus animal divinitatis plenum, Deorum nuncium, dominũ rerum inferiorum, amicum familiaremq; superiorum appellârit; Synesius horizontem corporeorum & incorporeorum; Zoroaster Naturæ decus, Plato admirabilium admirabile, Aristoteles animal rationẽ & consilio plenum, Plinius Mundi epitomen, Theologi nostri rectorẽ Universi, rerum omnium finem, omnem deniq; creaturam, ut qui existat cum elementis, vivat cum plantis, sentiat cum bestiis, intelligat cum Angelis, vocârint. Hujus Mirabilia si sermone complecti velim, næ tempus, & charta, & ingenium deficiet. Seu enim corpus inspicias, seu animam; seu externos consideres sensus, seu internos, ingenium, memoriã, industriam, scientias, artes, virtutes, vitia, aliavè quæcunque; omnia admirabilia sunt, scribentiq; ac commentandi materiam suggerunt inexhaustam. Ergo ex innumeris pauca seligam.

Hominis excellentia.

PARS I.

DE HOMINIBUS DUBIIS.

De hominum Mirabilibus acturi, initium sumimus ab illis seu hominibus, seu bestiis, vel si mavis, monstris, de quibus an hominibus accensendi sint, necnè, dubitatur apud doctos. Ex horum numero

Homines dubii.

numero sunt Centauri, Hippocentauri, Onocentauri, Fauni, Satyri, Tritones, Nereides seu Nymphæ, Sirenes, aliaq; similia monstra; de quibus in sequentibus.

CAPUT I.

De Centauris, Hippocentauris, & Onocentauris an sint fuerintvè aliquando.

Centauri quid sint.

CEntaurorum nomine intelligimus hîc monstra illa, quæ externâ corporis specie hominem & equum, aut hominem & asinum referunt, & passim à pictoribus, Poëtis, variisque scriptoribus eâ formâ pinguntur ac describuntur. Quæ quidem si semihominis & semiequi speciem referunt, Hippocentauri appellantur; si verò semihominis & semiasini figuram exhibent, dicuntur Onocentauri. De his quærimus, an sint, aut aliquando fuerint. An verò sint fuerintvè veri homines, infrà discutiemus.

§. I. Esse aut fuisse Hippocentauros, & Onocentauros, alii negant, alii dubitant.

Hippocentauros dari aliqui negant, alii dubitant.

PRædicta duplicis naturæ monstra esse, aut unquam fuisse in rerum natura, negant multi. Poëta inprimis Philosophicus *Lucretius lib. 4.* canit in hunc modum.

> *Nam certè ex vivo Centauri non fit imago,*
> *Nulla fuit quoniam talis natura animat.*

Idem repetit lib. 5. his versibus:

> *Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo*
> *Esse queat duplici naturâ, & corpore bino*
> *Ex alienigenis membris compacta potestas.*

Cùmque hanc sententiam argumentis nonnullis confirmasset, ita concludit:

> *Ne fortè ex homine, & veterino semine equorum*
> *Confieri credas Centauros posse, nec esse.*

Idem sentit *Tullius* lib. 1. Tusculan. Quæst. his verbis. *Is planè perspiciet, inter Hippocentaurum, qui nunquam fuerit, & regem Agamemnonem nihil interesse.* Et lib. 2. de Nat. Deor. *Etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate exolevisse: quis enim Hippocentaurum fuisse, aut Chimæram putat?* Idem sentire videtur *Solinus* cap. 13. dum ait: *Ac nè in montes notos eamus, Pindum & Othryn agitent, qui Lapitharum originem prosequuntur; Ossam, quos Centaurorum fabulis immorari juvat.*

Poëtis & Historicis accedunt Philosophi, Medici, ac Jurisconsulti. *Seneca* lib. 8. Epist. 59. sic pronuntiat. *Et hac quæ sunt, rerum natura complectitur; quæ animo succurrunt, tanquam Centauri, Gigantes, & quidquid falsâ cogitatione*

Digitized by Google

tione formatum habere aliquam imaginem cœpit, quamvis non habeat substantiam. Platonicus Philosophus *Maximus Tyrius* serm. 34. ait. *Hæc sunt Centaurorum fictiones; hoc Gorgones, Geryones, Cecropes sibi volunt.* In eadem sententia est *Artemidorus* lib. de Somniorum interpret. cap. 49. *Aristoteles* quoque, cæterique Philosophi Græci, Arabes, & Latini passim, cùm fictarum & impossibilium rerum exempla proponunt, chimæras, hircocervos, hippocentauros nominant. Medicorum princeps *Galenus* lib. 3. de usu part. inter ἀδύνατα, seu illa quæ esse non possunt, ponit, ex hominibus & equis Magnesiis Hippocentauros nasci; quod volunt contrariæ sententiæ Auctores nonnulli. *Justinianus* Imperator de inutilib. stipulat. §. 5. ait: *At si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit, veluti Stichum, qui mortuus sit, quem vivere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit; inutilis erit stipulatio.* Idem docent *Celsus, Accursius,* & alii I. C. L. Si ita stipulatus 97. D. de verborum obligat.

Nec desunt Sancti Patres. *S. August.* lib. 18. de Civit. cap. 13. *Fabulæ fictæ sunt*, inquit, *de Triptolemo &c. de Minotauro &c. de Centauris, quòd equorum hominumque fuerit natura conjuncta.*

Dubitare videtur S. *Hieronymus* in Vita S. Pauli primi Eremitæ cap. 6. ubi tametsi dicat, Sancto Antonio ad Paulum properanti apparuisse Hippocentaurum, non audet tamen definire, num Dæmon fuerit, an monstrum. Verba Hieronymi sunt: *Illicò erumpente luce, venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire velle, quò nesciebat. Et jam media dies, coquente desuper sole, fervebat; nec tamen à cœpto itinere abducebatur dicens: Credo in DEUM meum, quòd servum suum, quem mihi promisit, ostendet. Nec plura his, conspicit hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum Hippocentauro vocabulum indidit. Quo viso, salutaris impressione signi armat frontem. Et, Heus tu, inquit, quânam in parte hic servus DEI habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potiùs verba quàm proloquens, inter horrentia ora setis blandum quæsivit eloquium, & dexteræ manus protensione cupitum indicat iter: & sic patentes campos volucri transmittens fugâ, ex oculis mirantis evanuit. Verùm hæc utrùm diabolus ad terrendum eum simulaverit; an, ut solet, eremus monstrorum ferax animalium, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus.* Hæc Hieronymus: cujus proinde, ut bene notat *Baronius* An. Christi 343, frustra exigitur fides, qui de his dubitans, quidnam fuerit, num spectrum, an monstrum, liberasse voluit fidem suam.

Dubitat & Chrysantes apud *Xenophontem* lib. 4. de Cyri pædogog. ubi ait: *Quòd sit ut maxime ex omnibus animalibus adamem Hippocentauros, si fuerunt; qui tum hominis uterentur ante rem consultandi prudentiâ, & manuum artificio; tum haberent equi & velocitatem, & vires.* Dubitat similiter, aut saltem judicium suspendit *Ælianus* lib. 17. cap. 9. Histor. animal. dum ait: *Onocentaurum*

Digitized by Google

quisquis vidit, non incredibile ducet, quod famâ pervagatum est, Centauros fuisse; neq; fictores atque pictores in eorum descriptione mendaces fuisse; sed eos quoque à tempore productos, & gemina diversa natura corpora in unum coaluisse, non negabit. Verùm sive revera fuerint, sive omni cerâ flexibilior & ad fingendum habilior fama illos finxerit, (tanquam dimidiato hominis, & altero equi corporibus permixtis, & unâ conciliatis animâ) prætereo. Alios Auctores, qui vel negant omnino similia monstra, vel de iis dubitant, invenies apud *Lælium Bisciolam* lib. 12. Horar. subcisiv. cap. 4.

Centaurorum origo quænam sit, ex aliquorum sententia.

Nunquam ergo & nullibi fuerunt, ex prædictorum plerorumq; Auctorum sententia, Centauri bimembres, sed pura puta est Poëtarum fictio, aut vana simplicis popelli persuasio. Unde verò nata fuerit hæc fictio, aut vana persuasio, non una est omnium sententia. Pleriq; dicunt, Centauros fuisse populos Thessaliæ, secus Pelion montem habitantes, ex Ixione & Nube genitos; unde & Nubigenæ dicti sunt. Hos putat *Diodorus Sicul.* lib. 5. cap. 2. Hippocentauros appellatos, quòd primi equum ascendere, id est, equitare sint ausi, ut propterea hominis & equi natura in unum coagmentata corpus videretur. Alii scripserunt, Centauros dictos ἀπὸ τῦ κεντεῖν τὺς ταυρὺς, à stimulandis tauris, quòd equis insidentes pupugerint ac stimulaverint tauros, ut *Servius* in lib. 3. Georgic. Virg. narrat; vel quòd ex equis in tauros jaculantes, eos compulerint, ut *Palæphatus*, & ex eo *Boccatius* lib. 9. Genealog. Deor. existimat. Ajunt enim, cùm quidam Rex Thessaliæ satellites suos misisset ad revocandos boves œstro percitos, & illi pedibus eos non possent assequi; ascendisse equos, & stimulis compulisse domum: qui cùm à vicinis populis spectarentur in equis, sive cùm boves ante se agitarent, sive cùm ipsorum equi in flumine Peneo biberent inclinatis capitibus in aquam, habitos ab iis partim pro hominibus, partim pro equis, hoc est, pro animalibus, seu monstris infernè ex equo, supernè ex homine conflatis, indeque dictos Hippocentauros. Simile quiddam commemorat de Indis Quitensibus *Petrus Leo* par. 1. Histor. Peru. cap. 39. apud *Lælium Bisciolam* loco suprà citato, eos scilicet mirari solitos, cùm Hispanos equis vectos intuerentur, existimantes unum atque idem corpus equos hominesque esse.

§. II. Credibile est, fuisse olim, & etiamnum esse Centauros, Hippocentauros, & Onocentauros.

Hippocentauros dari, probabilius est.

Fuisse nihilominùs olim, ac fortassis etiam nunc esse ejusmodi biformia animalia, ex parte hominis, ex parte autem equi aut asini figuram referentia (sive ratione prædita, sive expertia rationis; quod infrà examinabimus) ideoque meritò Centauros, Hippocentauros, & Onocentauros

tauros

turos nuncupata; longè probabilius judico, ductus auctoritate, exemplis, & ratione. Audi testem oculatum *Plinium*, qui lib. 7. Natur. Histor. cap. 3. *Claudius*, inquit, *Cæsar scribit, Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interiisse: & nos principatu ejus allatum illi ex Ægypto in melle vidimus.* Audi *Phlegontem Trallianum*, Hadriani Cæsaris libertum, qui in lib. de Mirabilibus & Longævis hæc scribit. *Arabia urbs est Sauna. In ea inventus est Hippocentaurus in monte admodum excelso, qui lethali abundat veneno; Cui veneno idem est cum urbe nomen, estque omnium pestiferorum acutissimum atque efficacissimum. Hippocentaurum Rex cùm cepisset, vivum cum donis ad Cæsarem aliis in Ægyptum misit. Vescebatur carnibus. Sed aëris mutati impatiens, mortuus est. Eum conditum Præfectus Ægypti Romam misit, primùmque in Palatio est monstratus. Facies quàm humana fuit ei truculentior; manus, & earum digiti, pilis intecti; latera item ventri & prioribus pedibus contigua; ungula equina solida; juba subfulva, quanquam condimenta, eam ferè cutis in morem nigram fecissent. Magnitudo non quanta pingitur; non tamen exigua. Feruntur in nominata urbe etiam alii esse. Sed eum, qui Romam missus est, si quis discredit, videre potest: repositus est enim in finibus Imperatoris, conditus, ut dixi.* Hactenus ille.

Onocentaura describitur.

De Onocentaura Pythagoram narrasse sequentem historiam, testatur Crates ex Mysio Pergamo, apud *Ælianum* lib. 17. cap. 9. Histor. Var. his verbis. *De Onocentaura quidem mihi nunc est animus explicare, quæ auditione & famâ accepi. Eam ipsam scilicet homini ore similem esse, & pilis prolixis faciem ejus ambiri: simul & collum, & pectus humanam speciem, similitudinemque gerere. Mammas quoque turgidas in pectore; humeros, brachia, cubitos, manusque humanam figuram habere; dorsum, latera, ventrem, posteriores pedes, asino persimiles esse; & quemadmodum asinum, sic cinereo colore esse; imum ventrem ad latera leviter exalbescere. Duplicem usum ei manus præstare. Nam celeritate ubi sit opus, ea præcurrunt ante posteriores pedes; ex quo fit, ut cæterorum quadrupedum cursu non superetur: ac rursus ubi habet necesse, vel cibum capere, vel quidquam tollere, ponere, apprehendere, aut constringere; qui antea pedes essent, manus efficiuntur: tumque non graditur, sed in sessione quiescit. Animal est gravi animi acerbitate. Nam si capiatur, non ferens servitutem, libertatis desiderio ab omni cibo abhorret, & fame sibi mortem consciscit. Hæc de Onocentaura Pythagoram narrare, testatur Crates ex Mysio Pergamo.* Hæc Ælianus: ex quibus, & ex aliis suprà relatis apparet, eum potiùs in affirmantem, quàm in negantem sententiam inclinare.

Hippocentaurum D. Antonio visum, suprà ex *D. Hieronymo* vidimus; de quo tametsi Hieronymus dubitet, diabolusnè, an monstrum fuerit, nihil tamen prohibet dicere, monstrum revera fuisse tale, quale ibi describitur. Imò Sacra ipsa Scriptura *Isaia* cap. 34. v. 14. describens vastationem Idumeæ, mentionem facit Onocentaurorum, dicens: *Et occurrent dæmonia Onocentauris, & pilosus* (id est, Satyrus, ut infrà dicemus) *clamabit*

Digitized by Google

alter ad alterum. Supponit ergo Scriptura, Onocentauros esse in rerum natura, sicuti supponit esse onocrotalos, ericios, ibides, corvos, dracones, aliaque similia animalia ac monstra, de quibus eodem capite fit mentio.

Hippocentauros dari quinam asserant.

Hanc sententiam affirmantem, Centauros, Hippocentauros, Onocentaurosque esse possibiles, & aliquando etiam extitisse, amplectuntur, præter citatos Auctores, innumeri alii. Nam *Plutarchus* in Convivio Sapient. allatum ait à pastore infantem domum Pindari ex equa ortum, cujus caput, collum, manus, hominis essent, cætera essent equi. Quod prodigium Diocles judicavit symbolum seditionum, Thales verò Milesius habuit pro naturali animante, ideoque Pindaro dedit consilium, nè haberet equisones; aut si habere vellet, uxores ipsis daret; judicans monstrum ex congressu equisonum cum equa ortum. *Empedocles* quoque, cujus sæpe decreta Lucretius amplectitur, sensit in rerum natura fuisse Centauros, sive esse potuisse; monstra enim, in ipsa saltem prima rerum molitione & compositione, quæ partim ex hominis, partim ex bovis, ut & reliquorum animantium membris conficerentur, concessit, ut ad Aristotelis lib. 2. Physic. tex. 82. observarunt Græci Interpretes, & hos imitati Latini. In eadem sententia sunt, præter plerosque Poëtas Veteres & Recentiores, *Lalius Bisciola* lib. 12. Horar. Subcisiv. *Aldrovandus* in Historia Monstrorum cap. 1. de Homine, *Delrius* Comment. in Herculem Oeteum, *Joannes Eusebius Nierembergius* lib. 5. Histor. Naturæ cap. 8. *Laurentius Forerus* Disputat. de Animal. num. 15. & 16. *Georgius Stengelius* lib. de Monstris cap. 2. §. 17. *Heribertus Rosvveydus* in Notis ad vitam S. Pauli primi Eremitæ à S. Hieronymo descriptam, *Pareus* lib. de Monstris, *Georgius Schenckius* libro item de Monstris, *Laurentius Bayerlinck* in Theatro Vitæ Human. V. Monstrum; *Lycosthenes* lib. de Prodigiis, ubi etiam asserit, in regionibus quondam magni Tamberlani repertos esse Centauros talis formæ, ut superior pars humanam, inferior equinam referret figuram. Idem alii plures Scriptores sentiunt, cum *Torreblanca* lib. 2. cap. 32. & *Majolo* in Diebus Canicul. Colloq. 2.

Monstra varia biformia.

Accedit ratio, quòd passim quovis ferè loco ac tempore conspecta fuerint monstra è diversis animalium formis configurata. Nam *Aristoteles* lib. 2. de Histor. animal. cap. 1. narrat ex Ctesia, mantichoram habere diversarum ferarum membra. *Plinius* lib. 7. Histor. Natur. cap. 3. ait, Crathim pastorem capellam sæpe inientem ex ea filium sustulisse facie similem homini, cruribus capræ. Idem affirmat, in Indorum montibus, id est, in regione Caratulorum videri animal perniciosissimum quadrupes, rectè currens humanâ effigie. *Olaus Magnus* lib. 21. Histor. Septentr. in Proœmio, & cap. 1. tanquam rem certissimam refert monstra reperiri piscium for-

Digitized by Google

Digitized by Google

Iconismus I. Ponatur è regione pag. 357.



Digitized by Google

um formâ humanâ, quæ si capta non statim reddantur libertati, procellas moveant; & ululatus lamentaque exaudiri similium bestiarum, quæ in certum periculum piscatores & nautas adducant. *Sabellico* teste lib. 7. Ennead. 9. natus est Martini IV. Pontificatu, ex illustri fœmina, puer villosus, & in speciem ursi unguiculis armatus. Apud Subalpinos in Quiero, decem à Taurino milliaribus posito oppidulo, Anno Domini 1578. die 17. Januarii, ad octavam horam vespertinam, teste *Pareo* lib. 24. de Monstris, fœtum peperit mulier, cornua quinque sibi adversa, & arietinis similia capite gerentem. *Lycosthenes* de prodigiis refert, monstrum Romæ in Tyberi inventum circa Annum 1495. corpore humano, squamoso, capite asinino, pedum altero aquilinos, altero bovinos ungues exprimente. Innumera alia similia tum hoc libro, tum libro sequenti de Mirabilibus Monstrorum referemus.

Si ergo tam variarum formarum monstra passim extiterunt, quid incredibilitatis habet Centaurorum quoque, Hippocentaurorum, & Onocentaurorum in rerum natura existentia? An verò ejusmodi monstra, uti & multa alia, de quibus sequentibus capitibus, homines fuerint nec nè, decidemus infrà suo loco.

Auctores plerique contrariæ sententiæ tantùm negant Centauros ex duabus naturis compositos, humana scilicet & equina, seu humana & asinina: quales & nos negamus, cùm duæ tales naturæ, atque adeò duæ formæ substantiales illas constituentes, incompatibiles sint in eodem subjecto, ut Philosophi unanimi consensu docent: requirerent enim diversas & valde incompatibiles inter se dispositiones, unaque alteram in operando impediret. Hippocentauri figuram exhibet Iconismi I. Figura I.

Vide Iconismi I. Fig. I.

Hippocentaurorum vera origo.

Hippocentaurorum porrò originem *Pindarus* Oda Pyth. 2. hanc statuit, quòd Centaurus quidam nomine, in Thessalia circa montem Pelium, primus cum equabus, quas ipse Magnesias vocat, sub dicto monte se commiscuerit, indeque sobolem utrique parenti similem fuisse editam, matri infernè, patri supernè, ideoque Hippocentaurum vocatam, nempe ex equa & Centauro natam. Hanc sententiam putat verissimam *Delrius* in Hercule Oeteo, indeque stabilitur, quòd sæpe alibi similis nefanda virorum cum bestiis commixtio similia monstra pepererit. Utrum verò ex simili commixtione veri homines nasci possint, & an tales Centauri, Hippocentauri, & Onocentauri, quos variis locis ac temporibus extitisse vidimus, homines fuerint, examinabimus infrà.

CAPUT II.

De Satyris, & Faunis, an unquam fuerint

Satyri an dentur.

SAtyrorum frequentissima est apud innumeros penè Scriptores antiquos memoria. *Sunt & Satyri* (inquit Plinius lib. 7. cap. 2.) *Subsolanis Indorum montibus (Cardatulorum dicitur regio) pernicissimum animal, tum quadrupedes, tum rectè currentes, humanâ effigie; propter velocitatem, nisi senes, aut agri, non capiuntur.* De Satyro quodam prope Apolloniam capto scribit *Plutarchus* in vita Syllæ, dicens: *Sylla per Thessaliam & Macedoniam ad mare descendens, mille ac ducentis navibus à Dyrrhachio Brundusium trajicere parabat. Proxima est Apollonia, quam penes est Nymphaeum sacer locus è virenti colle & pratis, ignis fontes effundens per sparsos rivulos defluentes. Hoc in loco memoriæ proditum est, somno pressum Satyrum fuisse captum, qualem poëtæ ac pictores effingunt. Is perductus est ad Syllam, complures per interpretes quisnam esset interrogatus, nihil quod posset intelligi, vix vociferatus est. At vocem asperam, equi præsertim hinnitu, & hirci balatu permistam edens, cùm Syllam obstupefecisset, datu comitibus dimissus est.* Paulò antè citatus *Plinius* lib. 6. cap. 30. cùm Æthiopiæ tractum descripsisset, ait in fine: *Quidam & in eo tractu modicos colles amœnâ opacitate vestitos Ægipanum Satyrorumque produnt.* Idem meminit Satyrorum lib. 8. cap. 54. mitissimam iis naturam esse asserens. *Diodorus Siculus* lib. 1. Bibliot. de Osiride loquens, ait: *Cùm esset in Æthiopia, ferunt oblatos ei Satyros, comas umbilico tenus habentes.* Ælianus lib. 16. ait: *Ad India montes Coruda locus est opacissimus, ubi bestiæ Satyrorum, toto corpore hirsutæ equi caudam habent, & à summis montium saxa devolvunt venatoribus.*

Satyrum videt D. Antonius.

Majus omni exceptione est testimonium, quod de Satyris reddit *D. Hieronymus* in Vita S. Pauli primi Eremitæ cap. 7. nam cùm præcedenti cap. 6. narrasset, Hippocentaurum à D. Antonio visum, ut capite superiori vidimus, subjungit de eodem D. Antonio: *stupens itaque Antonius, & de eo quod viderat, secum volvens, ulteriùs progreditur. Nec mora: inter saxosam convallem haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus asperatâ, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractusque & hoc Antonius spectaculo, scutum fidei, & loricam spei bonus prœliator arripuit. Nihilominùs memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum, quasi pacis obsides offerebat. Quo cognito gradum pressit Antonius, & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos Satyrosque, & Incubos vocans, colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur ut pro nobis communem DEUM deprecteris, quem pro salute Mundi venisse cognovimus, & in universam terram exiit sonus*

sonus ejus. Talia eo loquente, longævus viator ubertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat. Gaudebat quippe de Christi gloria, & de interitu Satanæ: simulque admirans quod ejus posset intelligere sermonem, & baculo humum percutiens, ajebat: Væ tibi, Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris: Væ tibi, civitas meretrix, in quam totius Orbis dæmonia confluxére. Quid nunc dictura es? Bestiæ Christum loquuntur, tu pro Deo portenta veneraris. Necdum verba compleverat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. His subjungit S. Hieronymus: *Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moveat, sub rege Constantio, universo Mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum præbuit: & postea cadaver exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infusum Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum est.* Hæc Hieronymus.

Satyri variis in locis visi.

Pausanias in Atticis, sive lib. 1. de Satyris sic scribit: *De Satyris autem, quinam sint, ut aliquid certiùs quàm ab aliis traditum sit, cognoscerem, singula ex multis sum percunctatus. Narravit autem mihi Euphemus Car, se cùm in Italiam navigaret, ventorum impetu in Oceani extremas oras delatum. Ibi desertas esse Insulas multas, quas agrestes homines incolunt. Et ad alias quidem noluisse nautas appellere, cùm & antè appulissent, & à quibus incolis tenerentur, non ignorarent. Tunc verò tempestate appulsos. Insulas appellari Satyridas, incolas rufos esse, & caudas haud multò equinis minores infra clunes habere. Eos ubi primùm hospites senserunt propè adesse, ad navim concursu facto, nullâ emissâ voce, in mulieres, quæ in navi erant, manus injecisse. Nautas verò pavefactos, barbaram fœminam exposuisse: in eam Satyros irruentes non eam tantùm &c. petulantissimè appetivisse.* Hæc Pausanias; quæ tamen fabulæ, quàm historiæ, similiora mihi videntur. *Solinus* in Polyhist. cap. 40. in fine, numerat Satyros inter Simias, de quibus ibi agit. *Sunt*, inquit, *& quas vocant Satyros, facie admodum gratâ, gesticulatis motibus inquieta.* Sed errat, meo judicio, Solinus, cùm longè aliam, quàm simiarum formam Satyris attribuant Auctores hactenus relati. Magis ad Satyros accedunt monstra illa, de quibus *Nierembergius* lib. 5. Histor. Natur. cap. 9. ex Alberto Magno refert his verbis: *Albertus Magnus in Silvis Saxoniæ versus Daciam duo scribit paulò ante illa tempora capta fuisse monstra pilosa, humanam habentia formam. Fœmina morsibus canum, telisque venatorum interiit. Mas advixit cicuratus, didicitque erectus incedere, &, quamvis impeditè, loqui, & exili capreoli instar voce, sed sine vestigio firmo mentis.* Addit Nierembergius, hæc fortasse monstra ex Satyrorum familia fuisse, eò quòd salacissima, ut tota Satyrorum turba, fuerint; & ipsum Albertū scribere, superstes illud monstrum fœminas oppidò appetivisse, ut publicè obvias quascunq; opprimere tentaverit.

Ex allatis hactenus testimoniis constat, haud fabulosa esse quæ de Satyris referunt veterum historiæ. Eosdem agnovisse videtur *Isaias* Propheta. Nam

Digitized by Google

Nam cap. 13. v. 20. de Babylonis exterminio loquens, ait: *Non habitabitur usque in finem, & non fundabitur usque ad generationem & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi; sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & Sirenes in delubris voluptatis.* Idem Propheta cap. 34. describens desolationem Idumeæ, prædicensque eam futuram habitationem bestiarum, ponit inter alias bestias pilosos, ut vidimus capite præcedenti, dicens: *Et occurrent dæmonia Onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum &c.* Quærunt interpretes, qui sint pilosi, de quibus his locis Propheta. Quidam interpretantur hircos, alii dæmones specie hircorum, aliorumvè animalium hirsutorum ac pilosorum apparentes, quasi Dii nemorum essent. Sed nec dæmones intellexit Propheta, nec hircos. Non dæmones, quia cùm dixisset habitaturas ibi bestias, singulatim illas enumerans ponit inter alias pilosos: feræ ergo sunt pilosi, non dæmones. Nec hircos intellexit, quia de feris non communibus, sed valde monstrosis & extraordinariis loquitur, unde & pastores excludit ex illo loco. Et quoniam ait Propheta, pilosos ibi saltaturos, & ad se invicem clamaturos, Satyri autem petulci sunt, & saltationibus delectantur, ut apud Poëtas & Historicos notissimum est; ideò verosimilius mihi videtur cum Nierembergio, & aliis, pilosorum saltantium atque clamantium nomine intelligi à Propheta Satyros.

Pilosi apud Isaiam Prophetam qui nam sint.

Qui plura volet de Satyris, legat *Lilium Gregorium Gyraldum* Historiæ Deorum Syntagm. 15. *Martinum Delrium* par. 3. Comment. in Senecæ Oedipum, & lib. 2. Disquisit. Magic. q. 27. sect. 2. *Natalem Comitem* lib. 5. Mytholog. cap. 8. *Laurentium Bayerlinck* in Theatro vitæ Hum. Verb. Satyri. *Lelium Bisciolam* lib. 12. Horar. Subcis. cap. 4. *Henricum Salmuth* in tit. 48. par. 1. Pancirolli Rerum Memorab. *Laurentium Fore*rum Disput. de Animal. Num. 17. *Joannem Eusebium Nierembergium* lib. 5. Histor. Natur. cap. 9. & 10. *Ulyssem Aldrovandum* in Historia Monstror. c. 1. *Torreblancam* lib. 2. Disquis. Magic. cap. 33. & alios multos. Sed sciat, miram esse in plerisque verborum ac numerorum corruptionem, dum, ut fit, unus alterum describens non solùm suos facit aliorum errores, sed veteribus addit novos. Ego nihil hoc capite attuli, quod non apud Auctorem quem cito, legi.

Faunos aliqui confundunt cum Satyris, alii distinguunt. Horum iterum alii monstrosos illos statuunt, alii minimè. vide *Gyraldum* loc. cit. Satyrorum nonnullorum schemata, prout apud Aldrovandum extant, exhibet præcedentis Iconismi I. Fig. II. & III.

Vide Iconismi I. Fig. II. & III.

CA-

CAPUT III.

De Tritonibus, an fuerint aliquando, aut etiamnum ſint.

OCeanus non minùs quàm Terra eſt monſtrorum ferax, ut libro ſequenti videbimus. Nunc ſolùm de illis agimus, quæ hominem externâ ſpecie referunt, & de quibus dubium eſſe poteſt, an hominibus acceſendi ſint, an feris. Incipimus à Tritonibus, quos ajunt, à ſuperiori parte ad umbilicum usque hominem, ab umbilico ad caudam, referre piſcem, ideoque homines marinos aliqui appellant.

Vide Iconiſmi II. Fig. I.

Tritones an ſint.

Hujusmodi ergo homines piſci-formes (ſeu Tritones nominare placeat, ſeu homines marinos, ſeu alio quopiam apto nomine) diverſis locis ac temporibus fuiſſe viſos, varii referunt Scriptores. Nam *Plinio* teſte lib. 9. Hiſt. Natur. cap. 5. *Tiberio Principi nuntiavit. Olyſipponenſium legatio ob id miſſa, viſum auditumq; in quodam ſpecu conchâ canentem Tritonem, quâ noſcitur, formâ.* Idem eodem cap. ait: *Auctores habeo in equeſtri ordine ſplendentes, viſum ab his in Gaditano Oceano marinum hominem, toto corpore abſolutâ ſimilitudine: aſcendere eum navigia nocturnis temporibus; ſtatimq; degravari, quas inſederit, partes; & ſi diutiùs maneat, etiam mergi.* Quorum Tritonum meminit *Pauſanias* in Bœoticis, ſive lib. 9. videntur eſſe diverſæ formæ ab illa, quæ communiter illis attribuitur: ſic enim habet. *Eſt in Liberi patris ade dignum, quod ſpectetur, ſimulacrum ex Pario marmore Calamidis opus. Admirationem intuentibus majorem Triton affert, de quo dignitatis eſt quidam plenior ſermo. Tanagraorum primarias matronas, arcanis Liberi patris initiatas, ad mare, quo expiationis causâ lavarent, deſcendiſſe; in eas natantes Tritonem impetum feciſſe; implorantibus Numinis opem, Bachum præſto fuiſſe, & ab eo pugnâ Tritonem ſuperatum. Alter verò eſt ſermo, non ille quidem ſuperiori par dignitate, ſed à fide hominum minùs abhorrens: Quacunque ad mare agerentur pecora, ex inſidiis Tritonem adoriri & rapere, invadere etiam leviora navigia ſolitum; Tandem Tanagræi vini craterem exponunt: Ad eum cùm accurriſſet Triton odore allectus, potum, & ſomno correptum, de littoris tumulo præcipitem collapſum; mox à Tanagræo homine bipenni caput ei à cervice abſciſſum; eò factum ut & nunc ſine capite cernatur. Qui verò tunc eum temulentum vidêre, à Bacho occiſum crediderunt. Vidi ego & alium Tritonem inter Romanorum ſpectacula cætera, ſed hoc, qui apud Tanagræos eſt, magnitudine certè inferiorem. Hanc præ ſe ferunt Tritones figuram. Capitis coma perſimilis eſt paluſtri apio, tum colore, tum quòd capillum omnino nullum ab aliis poſſis diſcernere: reliquum corpus ſquamâ inhorreſcit minutâ, ſed eâdem prope, quâ lima eſt, duritiâ: branchias infra aures habent, nares hominis, rictum oris latiorem, & pantheræ dentes: oculi glauci mihi viſi ſunt: manum digiti, ungues, quali ſunt formâ ſuperiores*

Tritonum exempla antiqua.

Tritonum forma quænam ſit.

conchyliorum testa: pinnulæ sub ventre & pectore pro pedibus, uti delphinis. Hæc ex antiquis. Recentiora sunt quæ sequuntur.

Tritonum exempla nova.

Alexander ab Alexandro lib. 3. Genial. Dier. cap. 8. ait, Draconettum Bonifacium Neapolitanum, patriciæ gentis & inclitæ familiæ virum, & multarum rerum cognitione clarum, in conventu maximo, præsente atque audiente se, *referre solitavisse, se dum in Hispania militaret, marinum hominem vultu & corpore prorsus humano absolutissimâ similitudine pube tenus, posttremis verò in piscem desinentibus vidisse, in melle ex ultima Mauritania & Oceani finibus ad regulos, sub quibus stipendia faciebat, & honestum ordinem duxerat, pro monstro allatum. Fuisse autem facie hominis vetusti, capillo & barbâ hispido atque hirto, colore cæruleo, staturâ procerâ, & majore humanâ: alis quoque tenui cartilagine, quibus marinos fluctus secabat, & membranâ passim interlucente munitum. Et hanc rem non sibi tantùm, sed plerumque summa nobilitatis viris, notam & conspicuam fuisse.* Addit deinde aliam relationem dicens: *Sed super omnia in nostro ævo haud absimile factum accepimus in Epiro, profectò exemplum inter pauca memorabile, quod nonnulli prodendum posteris putarunt, & actis quoque publicis testatum est, ad fontem jugis aquæ, ad quem mulieres ex oppidulo aquatum ventitabant, Tritonem seu marinum hominem è spelunca, quam fortè ibi nactus fuerat, observare solitum, si quando solam ad aquas accedentem, aut per littus obambulantem mulierem videret, ipsum ex undis & spelunca leni gressu, tacitique vestigiis desilire, & à tergo accedere, ac vi compressam mulierem ex insidiis adoriri, & ad mare concubitus causâ arripere, arreptamque sub undis deferre consuevisse. Quod cùm apud loci incolas percrebuisset, diligentiùs marinum monstrum observasse; & cùm diutulè laqueos illi intendissent, haud multò pòst dolo captum, & laqueis vinctum cepisse; cùmque cibo abstineret, extra aquas vivere diutiùs nequisse, squaloreque tandem ac tædio ad extremam tabem venisse. Tenet fama, venereos eos, & flagrantissimè mulierum amasios esse; propterea oppidi incolas edicto inhibuisse, ne qua deinceps ad fontem mulier, nisi viris comitata, accederet. Hac nos, & hujusmodi, ab his qui diversa maria penetrarant, & eadem monstra placidis aquis colludentia vidissent; & in occursum nautis, exertis capitibus ab undis, occurrisse, & voces audisse referebant, plerumque accepimus.* Hactenus Alexander ab Alexandro vir probatæ fidei.

Monstra marina hominiformia.

Tritones igitur in rerum natura extitisse, & subinde visos, probant allata exempla, & confirmant alia multa, quæ de aliis marinis monstris humanam figuram ex parte referentibus narrant ex variis scriptoribus *Gesnerus* lib. 4. de Aquatilibus, *Majolus* in Diebus Canicul. Colloq. 9. *Torreblanca* lib. 2. Disquisit. Magic. cap. 34. *Nierembergius* lib. 5. Histor. Natur. cap. 14. *Aldrovandus*, & alii. Nam *Ramusius* to. 1. Navigat. in ratiocinatione de Hannonis Carthaginensis navigatione in fine refert, in littore Æthiopico ultra Bonæ Spei promontorium fuisse repertum piscis

Iconismus II. Ponatur è regione pag. 363.



piſcis cadaver homini perſimile, homine tamen longè magis procerum, cui cutis erat ſquamis contecta, capilli duriſſimi. *Olaus magnus* lib. 21. cap. 1. tradit, in Norwegiæ oceano marina quædam monſtra eſſe, quibus ſit humana facies, ſimul cum Monachorum cuculli quadam ſimilitudine. De hoc ita ſcribit *Rondeletius* apud Geſnerum loc. cit. *Inter marina monſtra eſt & illud, quod noſtrâ ætate in Nortvvegia captum eſt mari procelloſo. Id quotquot viderunt, ſtatim monachi nomen impoſuerunt. Humanâ facie eſſe videbatur, ſed ruſticâ & agreſti; capite raſo & levi; humeros contegebat veluti Monachorum noſtrorum cucullus. Pinnas duas longas pro brachiis habebat. Pars infima in caudam latam deſinebat, media multò erat latior; ſagi militaris figurâ. Hanc effigiem mihi dono dedit Illuſtriſſima Margareta Navarræ Regina &c. Ea à viro nobili effigiem hanc acceperat, qui ſimilem ad Carolum V. Imperatorem in Hiſpania tum agentem deferebat. Illa Regina affirmavit, ſe monſtrum hoc in Nortvvegia captum vidiſſe, poſt graviſſimas tempeſtates undiq; & fluctibus in littus ejectum, locumque deſignabat* Die Zundt, *juxta oppidum* Den Elepoch. *Ejuſdem monſtri picturam mihi oſtendit Gilbertus Medicus, ex eadem Nortvvegia Romam ad ſe miſſam; quæ pictura nonnihil à mea differebat. Quare, ut dicam quod ſentio, quædam præter rei veritatem à pictoribus addita fuiſſe puto, ut res mirabilior haberetur. Crediderim igitur, monſtrum hoc humanam formam eo modo referre, quo pars capitis ranarum, quia poſt caput partes erant utrimque latæ, hominum omoplatis reſpondentes, muſculiſque movebantur, qui cucullı Monachorum figuram repræſentant; qualis in nobis ſpectatur ſecundus muſculus omoplatas movens, ſcilicet eas partim ad ſeſe attrahens, partim attollens, cuculli Monachorum formam aptiſſimè referens. Adhæc non ſquamis, ſed cute durâ & rugosâ veluti cortice contectum putarim, quemadmodum de leone marino dicemus.* Hæc Rondeletius. Plura de eodem ex Bellonio vide apud Geſnerum loco citato; ubi & multa alia marinorum hominum exempla reperies.

Piſcis Monachi formâ

Vide Iconiſmi II. Fig. II.

Petrus Gillius lib. de Animantibus, & ex ipſo *Petrus Hiſpalenſis* par. 1. cap. 22. referunt, ad Renatum Regem allatum fuiſſe marinum hominem. *Ludovicus Vives* lib. 2. de ver. fid. Chriſt. narrat, ætate ſuâ apud Batavos marinum hominem viſum à plurimis, & ſupra duos annos ibi detentum; mutum fuiſſe, & cùm jam incepiſſet fari, peſte tactum fuiſſe in mare remiſſum gaudentem. Idem narrat *Ludovicus Guicciardinus*, in Deſcript. Belgii. Eugenio IV. Pontifice (inquit *Majolus* loc. cit.) apud urbem Sibinicum in Illyrico captus memoratur marinus homo, qui ad mare puerum trahebat. Is ab accurrentibus, qui rem inſpexerant, lapidibus fuſtibusq; vulneratus, in ſolum retractus eſt. Ejus effigies penè humana, niſi quòd cutis anguillæ ſimilis erat, & in capite duo parva habebat cornua: manus quoque duorum tantùm digitorum formam exprimebant; pedes autem in duas veluti caudas deſinebant, à quibus ad brachia alæ ut in veſpertilione extenuabantur.

Homines marini.

 Memo-

Digitized by Google

Memoriæ quoque traditum est in Volumine Rerum Romanarum, teste *Majolo*, *Nierembergio*, & aliis, in Ægypto Menâ Præfecto deambulante unà cum populo prope Nilum, in loco qui dicitur Delta, Sole orto, animalia humanæ formæ persimilia apparuisse in fluminis medio; virum scilicet & fœminam; & virum quidem fuisse pectore ingenti, vultu terribilem, comâ rufâ, usque ad lumbos denudatum: mulieri verò fuisse mammillas, cum fœmineo prorsus vultu, ac cæsarie prolixâ. Visa feruntur usque ad horam nonam ab omni populo; deque ea re scripsisse ad Mauritium Imperatorem Menam. *Majolus* testatur, Theophanem Isaurum Abbatem id scriptum reliquisse in Chronologia, interprete Anastasio Bibliothecario Romano Anno Dom. 592. Eodem *Majolo* teste, uti & *Rondeletio*, & *Bellonio* apud *Aldrovandum* & *Gesnerum*, in Balthico mari Anno Domini 1531. captus est vir marinus, & dono datus Sigismundo Regi, qui Episcopum insulis ornatum corporis habitu quodammodo exprimebat: *Damianus Goës* in Olyssipponis enarratione refert ex Ferdinando Alvaro, domus Indicæ scriba, non procul à Lunæ promontorio visum adolescentem marinum in littus prodeuntem, piscatorumque pisces furantem, & crudos edentem. Et quoniam res tanta in Hispania illustris erat, habebaturque copia illo mari Sirenum ac Tritonum; adhibita est fides: nam comperiuntur in antiquis Lusitaniæ regni archivis de ea re monumenta, cùm ea monstra ad se pertinere tum Rex, tum Magnus Magister S. Jacobi contenderent. Transactione autem lis illa dirempta est, decretumque non Magistro Ordinis, sed Regibus deberi vectigal Sirenum, aliarumque belluarum marinarum, quæ in littoribus Magistri caperentur. *Scaliger* Exercitat. 226. in Cardan. Num. 12. refert, cùm Hieronymus Dominius è Norico nobilissimus ac fortissimus Vir, in naves impositam manum militum, jussu patris, duceret suppetias Rhodiensibus Equitibus à Turca obsessis, per anchoræ funem subeuntem vidisse hominem marinum; idq; Maximiliano Cæsari narrasse dictum Dominium, Scaligero audiente.

Piscis Episcopi formâ. Vide Iconismi II. Fig. III.

Marina monstra hominiformia.

Anno 1523. tertio die Novembris, *Gesnero* & *Nierembergio* testibus loc. cit. repertum est Romæ in ripa majore marinum monstrum hominiforme usque ad umbilicum, deinde piscis bifidâ caudâ, in semilunæ speciem recurvâ. Addit *Nierembergius*, è Norvegia in Germaniâ recenter advectos duos pisces homini-formes, marem & fœminam. *Petrus Gillius* narrat, cùm Venetiis esset, quosdam Dalmatas, spectatâ fide viros, sibi testatos esse, se ad oppidum Dalmatiæ, Spalatum nuncupatum, vidisse hominem marinũ, qui se spectantibus summum terrorem injecisset, cùm se in terram incitavisset, ut mulierem, quę circum littus fortè tum versabatur, corriperet: verùm ubi eam fugere perspexisset, statim ad mare regressum imam maris sedem petivisse. Idem *Gillius* ait, magnâ fide homines, qui ad Mare rubrum

per

per multum temporis versati fuerant, sanctissimâ asseveratione sibi affirmasse, illic marinos homines sæpe capi solere, quorum durissimis pellibus calceamenta tam robusta conficiantur, ut ad quindecim annos durent. Alium marinum hominem in India apparuisse, narrat *Petrus Martyr*, qui inter alias hanc narrat historiam. *Ataiam esse Chiribichensibus vicinam regionẽ, salinis nobilem, diximus aliquando. Ejus littora percurrebant Hispani. Qui oculos in mare habebant protentos, cæteris aut ludentibus, aut aliàs otiosis, supernè rem ignotam vidêre natantem. Intuitu fixo quid esset pensitando, caput humanum crinitum, ac densa barbâ fultum, ac lacertatum, se vidisse professi sunt. Dum sic taciti prospectant, securè monstrum navis aspectui intentum vagabatur. Dum verò clamore ingenti socios alios excitant, eo audito monstrum exterretur, submergitque se, latentemque priùs sub aquis corporis inferiorem partem ostendit; quæ in piscem cum cauda desinere inspecta est; cujus concussu & agitatione locus iste maris, antea tranquillus, undosus & fluctuosus reddebatur. Tritones esse arbitramur, quos fabulosa vetustas Neptuni tubicines appellat.* Hæc Petrus Martyr. Prodit quoque *Franciscus Hernandus* apud *Nierembergium* lib. XI. Histor. Natur. cap. 1. Tritones in Occidentali Indiarum Oceano repertos. Omitto alia, quæ habet citato loco Nierembergius.

Hæc de Tritonibus, hominibusque marinis. Nonnullorum effigies ut apud Aldrovandum extant, exhibet præcedens Iconismus II; cujus Figura IV. Satyrum marinum refert.

Vide Iconismi II. Fig. IV.

CAPUT IV.

De Nereidibus seu Nymphis, & Sirenibus, an unquam extiterint.

NOn virili tantùm, sed muliebri quoque formâ conspecta fuisse marina monstra, Nereidas seu Nymphas, ac Sirenes vocata, tam veterum, quàm recentiorum docent historiæ.

Nereides seu Nymphæ an dentur.

§. I. De Nereidibus.

PLinius lib 9. Natur. Histor. cap. 5. cùm docuisset, Tiberio Principi nuntiasse Olyssipponensium legatos, visum auditumque in quodam specu conchâ canentem Tritonem, quâ noscitur formâ, ut vidimus cap. superiori; addit: *Et Nereidum falsa non est* (forma,) *squamis modò hispido corpore, etiam quà humanam effigiem habent. Namque hæc in eodem spectata littore est; cujus morientis etiam gannitum tristem accolæ audivêre longè. Et Divo Augusto legatus Galliæ, complures in littore apparere exanimes Nereidas scripsit.*

Nereidum varia exempla.

Et paulò post: *Nereidas verò multas Turanius prodidit.* Hæc Plinius. *Massarius* quoque Venetus in Comment. ad lib. 9. Plinii scribit, visas Nereidas à navigantibus. Et *Ælianus* lib. 16. cap. 18. ait, circa Taprobanem reperiri cete muliebri facie, quibus pro crinibus spinæ dependeant.

Alexander ab Alexandro lib. 3. Genial. Dier. cap. 8. post historiam de Tritone narratam capite superiori, addit has alias de Nereidibus. *Sed ne quis*, inquit, *hoc vanum aut commentitium fortasse putet, Theodorus Gaza, vir Græcâ facundiâ clarus, & philosophiæ præceptis imbutus egregiè, apud Jovianum Pontanum, ad quem frequens ventitabat, compluresque nostrates, scitè admodum & luculenter ratiocinabatur, se dum in Peloponneso ageret; & fœdâ maris tempestate obortâ, durissimo tempore anni, nonnulla piscium monstra procellâ ad littus illisisse, inter cætera vidisse Nereidem in littore, fluctibus expositam, viventem jam & spirantem, vultu haud absimili humano, facie quoque decorâ, neq; invenustâ specie, corpore squamis hirto, ad pubem usque, nisi quòd cætera in locustæ caudam desinebant. Ad quam propè visendam cùm frequens concursus fieret, ipseq; & nonnulli è propinquis oppidis vicini affinesq; eò se contulissent, illam frequenti turbâ circumdatam, mœstam, & animo consternatam, ut ex vultu conjectari erat, in littore jacentem, crebroq; suspirio fatigatam conspexisse. Mox cùm à tam frequenti corona inspiceretur, seq; in sicco destitutam videret, præ dolore gemitus spirantes & lacrymas uberes dedisse. Cujus misericordiâ motus ipse, ut erat mitis placidusq;, cùm turbam decedere de via jussisset, ipsam interim branchiis & caudâ, quo maximè modo poterat, humi reptantem, paulatim ad aquas pervenisse. Cùmq; se præcipitem magno nixu in mare dedisset; ingenti impetu fluctus secare cœpisse, momentoq; temporis elapsam ex oculis, nusquam apparuisse. Georgius quoq; Trapezuntius, vir multi nominis, & magnæ eruditionis, apertâ professione referebat amicis, se, cùm haud procul à littore in fonte quodam spatiaretur, puellam conspexisse eleganti formâ undis extantem pube tenus, & quasi lasciviret, subinde emergentem submergentemq; se, quoad se conspectam intelligens, haud ampliùs apparuit.* Hæc citatus Auctor.

Nereidum alia exempla.

Majolus in Dieb. Canicul. Colloq. 9. & *Ludovicus Guicciardinus* in Descriptione Belgii, ex *Jacobo Noiero* narrant, uti & *Jonstonus* in Thaumatologia Class. 10. cap. 5. art. 9. Anno Christi 1403. captam in Hollandiæ lacu marinam mulierem fuisse, eò è mari rejectam, & in Harlemum urbem delatam; cùm nuda esset, passam se vestibus indui; panis, lactis, & cæterorum usum admisisse; didicisse quoque fila è colo ducere, & obsequi rebus multis muliebri more; simul & Christo crucifixo genua flexisse venerabūdam, docilem ad omnia, quæ mandaret patrona; nunquam tamen locutam fuisse, sed semper mutam mansisse, ac multos annos ibi vixisse. *Gesnerus* lib. 4. de Aquatil. ait, Anno 1548. à Philippo Archiduce Austriæ marinam mulierem mortuam spectaculi causâ Genuam adductam esse, unà cū duobus

Saty-

Satyris vivis. *Scaliger* Exercit. 226. in Cardanum Num. 12. vidisse se ait Parmæ in officina cujusdam aurificis Nereidem unam, magnitudine infantis bimuli. Recentissima est historia, quam de simili marina muliere narrat Capitaneus Joannes Schmidt in navigatione Anni 1614, quam ipse cum Nova Anglia oculatus testis descripsit apud *Stengelium* lib. de Monstris cap. 2. §. 8. ex *Joanne Ludovico Gottfrid* in Hist. Antipod. par. 1. p. 193, his verbis. *Non possum hoc loco silentio præterire admirabilem DEI creaturam, quam Anno 1610. ipse his ce meis oculis vidi. Accidit ut aliquando, aurorâ primulùm pungente, in littore non procul à portu S. Joannis me consistente, summâ celeritate adnataret monstrum marinum. Eximia illi erat forma: Oculi, nares, aures, genæ, os, collum, frons & totus vultus virginem venustissimam præ se ferebant: Capilli cyaneo colore per humeros defluxêre. Hoc monstrum, cùm vix longioris hastæ spatio à me famuloque meo abesset, ita me perterruit, ut referre pedem cogeret. Sed & ipsum aspectu nostro perterritum aquas subivit. Paulò tamen pòst denuo emersit ibi, ubi ego appuli. Rursus igitur datum est mihi illud intueri, quanquam distantiâ longiore. Videbatur igitur à capite usque ad umbilicum vel esse homo, vel hominis imago; ea autem, quæ ab umbilico deorsum erant, piscem repræsentabant. Hoc ipsum etiam prodigium inde ad illam navem se transtulit, in qua alter meus servus Guilielmus Hacobrigde, nunc Orientalis India Capitaneus, erat. Postquam ad navim accessit, omni vi conatum est in illam conscendere. Quâ audaciâ omnes, qui navem custodiebant, in formidinem sunt dati. Quare sudibus contiuò illud percutientes, in mare repulerunt. Tanta autem erat pertinacia, ut repulsum ad alias duas naves nando properaret, atque inibi etiam territos vectores in fugam conjiceret. Hujus rei se, & quàm plurimos alios oculatos testes profitetur navigationis illius Capitaneus.* Hæc ille.

§. II. De Sirenibus.

Sirenes aliqui confundunt cum Nereidibus, seu fœminis marinis: putant enim esse monstra marina, supernè mulieris, infernè piscis speciem referentia. Unde *Ovidius* lib. 3. de Arte *Sirenes quid sint.*

> *Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canorâ*
> *Quaslibet admissas detinuêre rates.*

Ejusdem sententiæ sunt *Forerus*, *Stengelius*, & alii recentiores. *Theopompus* tamen, *Isacius*, & *Isidorus* apud *Laurentium Bayerlinck*, & apud *Nierembergium* lib. 5. Histor. Natur. cap. 13. sentiunt, Sirenes inferiori parte aves esse, superiori tamen humanâ præditas formâ. Addit Nierembergius, conspirare in hoc Græcos Grammaticos. *Albrius* quoque, & *Boccatius* apud eundé Nierembergium tribuunt illis umbilico tenus corpus virgineum, deinceps gallinaceos pedes. Sed & Sirenũ cum Musis certamen, cujus in Bœoticis seu lib. 9. *Pausanias* meminit, aliquid volucre in illis agnoscit, quoniã evulsis ipsarũ pennis Musę cõtexuêre sibi inde serta. Eadẽ est *Suidæ* sentẽtia. Mythologi pleriq; dicũt, Sirenas esse quasdã fœmineâ facie prędita avi-culas,

culas, quæ in mari prætereuntium aures cantilenis ſuis demulceant,& in mortis diſcrimen adducant. Fabulæ cauſa eſt quam pauló antè tetigi. Ipſe etiam *Ovidius* lib. 5. Metamor. alites agnoſcit Sirenes Proſerpinam quærentes.

Ipſa denique Scriptura Sacra videtur agnoſcere Sirenes ex avium, non piſcium eſſe genere: Nam *Iſaias* cap. 13. in fine, deducit illas in locum deſertæ Babyloniæ unà cum aliis beſtiis & volucribus. Sic enim ait: *Sed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & Sirenes in delubris voluptatis.* Chaldæus pro Sirenibus habet Dracones; D. Hieronymus dæmones, aut monſtra, aut dracones magnos criſtatos & volantes; Scholiaſtes Græcus volatilia, quæ noctu emittunt querulam vocem, ac propemodum ululant. Latinus tamen interpres vertere maluit *Sirenes*, intelligens monſtrum aliquod volucre atque alatum, mulieris ac avis formam referens.

§. III. Duplicis generis Sirenes ſunt, natatiles, & volatiles.

Sirenes aliæ natatiles, aliæ volatiles.

Ex his deducit *Nierembergius* & *Aldrovandus*, pictorum peccatum eſſe, aquatili geſtu ac habitu Sirenas depingere. Ego autem exiſtimo,& natatiles & volatiles eſſe Sirenas, quoniam, ut vidimus, & marina ſunt monſtra quæ mulierum ac piſcium, & volatilia quæ mulierum ac avium referunt figuras. De natatilibus ſive marinis lego apud *Geſnerum* lib. 4. de Aquatilibus, eas ſæpe videri in mari Germanico ad oram Germaniæ, facie virgineâ, inferiore corpore piſcis, magnitudine ovis, & vocari apud illos populos Meermädt/vel Seemädt; quod virginem marinam ſignificat. De iisdem luculentiſſimum exemplum habet *P. Athanaſius Kircherus* lib. 3. Artis Magnet. part. 6. cap. 2. §. 6. ſecundæ & auctæ editionis Romanæ, ubi hæc ſcribit.

Sirenum aquatilium exemplum.

Capitur certis anni temporibus in Mari Orientali Indiæ ad Inſulas Viſayas, quas Inſulas Pictorum vocant, ſub Hiſpanorum dominio. piſcis quidam ἀνθρωπόμορφος, id eſt, humanâ prorſus figurâ, quem ideò Peche muger *vocant, ab indigenis* Duyon. *Caput habet rotundum, nullâ colli intercapedine trunco compactum: extrema aurium fibræ, quæ & auriculæ nominantur, ex cartilaginea carne eleganter veſtitæ; quarum inferior pars ampliſſimis formata anfractibus, veram hominis refert aurem: oculos ſuis ornatos palpebris, ſituq; & colore non piſcis, ſed hominis judicares: naſus nonnihil aberrat; nam malam inter utramque non uſquequaque eminet, ſed levi tramite bipartitur; ſub eo verò labra, magnitudine ſpecieque noſtris ſimillima: dentium non quales inſunt piſcium generi ſerratilium, ſed planorum & candidiſſimorum continua ſeries: pectus albâ cute contectum, hinc atque hinc paulò latius quàm pro corpore, in mammas extuberans, neque tas ut fœminis pendulas, ſed quales virginibus*

quales virginibus globosas, plenas lactis candidissimi: brachia non longa, sed lata, ad natandum apta, nullis tamen ipsa cubitus, ulnis, manibus, articulisve distincta: in administris sobolis propagandæ membris in utroq; sexu nulla ab humanis distinctio: posthac in piscem cauda desinit. Hæc ita se habere, confirmavit etiam Romæ eidem P. Athanasio Kirchero oretenus P. Didacus Bobadilla, qui ex Insulis Philippinis, ubi dictæ belluæ capiuntur, Procurator advenerat.

CAPUT V.

An ex permistione seminis humani cum ferino possit nasci homo; & an Hippocentauri, Satyri, aliaq; monstra anthropomorpha, sint revera homines.

MUlta supersunt monstra, quæ humanam & belluinam simul formam referunt (ut ex hoc & sequenti libro constabit) de quibus quæri potest, num revera homines sint, an verò belluæ, an animalia ex humana belluinaque natura mixta. Ideò quod de enumeratis hactenus statuemus, de illis etiam intelligendum erit. Sed antequam definiamus quidquam, discutiendum priùs est, num ex permistione seminis humani cum ferino nasci possit verus homo. Et quoniam dupliciter fieri potest hęc permistio; primò si homo masculus commisceatur belluæ fœminæ; secundò, si brutum masculum mulieri; ideò duplex institui potest quæstio.

§. I. Utrum ex permistione viri cum bestia, nasci possit fœtus humanus.

Homo ex permistione viri cum bestia an possit nasci.

FIeri id posse, videtur docere experientia. Nam ut vidimus cap. 1. Pindari & aliorum opinio est, Hippocentauros fuisse natos ex Centauris congredientibus cum equabus Magnesiis; infans hippanthropus à pastore oblatus Pindaro, erat ortus ex equa, utiq; ab agasone aliquo imprægnata, teste Plutarcho: Crathis pastor ex capella sustulit filiam homini & caprę similē, teste Plinio. Plutarchus quoque apud *Nierembergium* lib. 5. Histor. Natur. cap. 6. prodidit, asinam peperisse filiam humanâ effigie formosissimam, Onoscelin dictam. Item ab equa partu editam filiam Hipponam nomine. Famâ quoque audivit dictus Nierembergius, apud Belgas virum pium è vacca genitum *Ælianus* lib. 6 Histor. Animal. cap. 41. scribit, *hircum ob rivalitatem in urbe Sybari adolescentem pastorem occidisse, quòd capram adamaret, & ei coiret: nam ex ea natus est Sylvanus infans humanâ facie, sed caprina habens crura.* Hæc pro affirmante sententia.

Contrarium sentit *Galenus* lib. de Usu part. 3. ubi in Pindarum invehitur, qui ex hominibus & Magnesiis equabus Hippocentauros fuisse natos dixerat, cùm impossibile judicet ex homine pręgnantem reddi equā. In eadem sententia est *Henricus Salmuth.* J. C. in Comment. ad titul. 48.

Pancirolli part. 1. Memorabilium , & *Conimbricenses* Commentar. in lib. 2. Physic. Aristotelis cap. 9. q. 5. art. 3. eò quòd effectus sequatur deteriorem partem, ac proinde ex semine humano, & belluino (quod utiq; imperfectius est quàm humanum) non possit nasci nisi fœtus belluinus.

Nierembergius loc. cit. & ex ipso *Aldrovandus* in Historia Monstror. dicunt, si efficacia seminis utriusque parentis necessaria est ad fœtum , non posse humanum fœtum præterquam à fœminea vulva prodire, ac proinde ex commistione viri cum bestia non posse nasci ex matre bellua hominem: at si masculini seminis solùm vis fœtum fabricat , & fœmina tantùm officina est, in qua formatur; fortasse juxta Physicos possibile esse , post nefandum coitum viri cum bellua foveri humanum fœtum in belluino utero, præjacto humano semine. Decere tamen Theologos , asserere , id nunquam contigisse. *Quare* (concludit Nierembergius) *si qui veri partus bestiarum fuerunt, unde fœtus homini-formes prodiêre , inanes potiùs mente fuerunt, & semper cum pignore aliquo irrationalis naturæ.* Ego quid sentiam , post sequentem paragraphum aperiam.

§. II. An ex permistione masculi belluini cum muliere, nasci possit fœtus humanus.

Homo ex permistione bruti cum muliere an possit nasci.

Fieri & hoc posse , docere videntur non pauca exempla. Nam *Saxo Grammaticus* lib. 10. Histor. Danicæ, itemque *Joannes Magnus* Episcopus Upsaliensis, & ejus successor *Olaus Magnus* in Histor. Septentr. scribunt Reges Danorum habere progenitorem Ursum , quem ajunt rapuisse virginem pulcherrimam, eamque ex fera peperisse filium elegantem forma , ac strenuũ robore , vocatum à patre Ursum : hunc genuisse Trugillum Sprageles, eximium ducem : hunc deinde Ulfonem celeberrimum istius generis historiis : Ulfonem autem Suenum , qui Daniæ Rex fuit. Saxonis verba , quia longiuscula , non placet hîc adscribere. *Joannes Barrius* testatur apud *Nierembergium* loc. cit. cap. 7. constanti traditione in regno Pegu asseri, eam nationem ducere originem à cane , qui rem habuerit cum puella naufraga. In Hispania quoque fama est , eodem *Nierembergio* teste in Gallæcia familiam , quam dicunt Marinorum , è Tritone concumbente cum adolescentula originem duxisse. *Antonius Turrecremata* apud eundem scribit, nostris penè temporibus è simio quodam fœminam, deportatam ad quandam insulam, ex iis quas vocant Lacertarum , sustulisse quosdam liberos. Hæc pro sententia affirmante.

Nierembergius loco citato ait, non liberaliter ista credi oportere. Nec tamen putat esse ultra naturæ vires, si muliebre semen efficax sit. Conimbricenses idem dicerent hîc, quod in præcedenti quæstione , fieri nimirum non posse, ut ex commistione belluæ masculæ cum muliere nascatur

verus

verus homo,cùm effectus ſequatur debilioris cauſæ, nimirum ſeminis ferini, naturam.*Cardanus* lib. 14.de Variet.Rer.cap.77.in fine, dubitat an hoc fieri poſſit,*nimis diſſentientibus inter ſe genitalibus,tum formâ totius,& pariendi tempore.*

§. III. Noſtra ſententia exponitur.

EGo hæc ſtatuo. *Primò.* Si utriusque parentis ſemen neceſſarium eſt ad fabricandum fœtum; probabilius mihi videtur, nunquam ex permiſtione hominis cum beſtia naſci poſſe naturaliter verum hominem.Et ſi ita neceſſarium eſt utriusque parentis ſemen,ut uterque debeat eſſe ejusdem ſpeciei infimæ;res clara eſt. Si verò non requiritur, ut uterq; ſit ejusdem ſpeciei;adhuc probabilius eſt quod dixi: quia ferinum ſemen humano permiſtum,ſive in ferino utero id contingat,ſive in humano, non eſt aptum ut concurrat ad efformandum corpus ita organizatũ, ut ex natura ſua requirat infuſionem animæ rationalis,cùm humanum corpus ſit longè perfectius quàm ut à ferino ſemine, etiam tanquam à cauſâ partiali tantùm concurrente,efformetur. Quare vel fabula eſt,quod Saxo Grammaticus de Daniæ regum origine ex urſo narrat; vel urſus ille fuit homo urſi pelle tectus;aut fortaſſis diabolus incubus, & puer deinde natus fuit ſuppoſititius. Nobiscum ſentit *Torreblanca* lib. 2.Disquiſit.Magicar.cap. 31.in fine,ubi citat etiam Manilium.

Secundo. Etiamſi non requiratur utriusq; parentis ſemen ad fœtum efformandum,ſed ſufficiat ſolum virile; adhuc probabilius mihi videtur, non poſſe ex permiſtione hominis cum beſtia naſci verum hominem. Et quidem quod id fieri nequeat,quando fit permiſtio bruti maſculi cum muliere,clarum eſt,quia tunc deficit omnis cauſa efformativa & organizativa humani corporis,quæ eſt ſemen humanũ virile ex ſuppoſitione. Quòd etiã nõ poſſit fieri,quãdo fit permiſtio viri cũ beſtia,videtur inde probari,quòd ſemen virile non habeat in omni loco vim efformativam & organizativã humani corporis,ſed tunc tantùm,quando debitè conſervatur ejus virtus; quod non videtur fieri poſſe in utero belluino, cùm hic potiùs retũdat ac deſtruat ejus vim quàm conſervet & excitet,donec fœtus ſit formatus, & ſufficienter organizatus.

Tertiò. Si verum eſt quod de Hippocentaurorum ac Onocentaurorum origine dicitur,eos nimirum ex permiſtione hominũ cum equis aut aſinis fuiſſe ortos; conſtat ex dictis,non fuiſſe veros homines. Fuerunt itaque monſtra, externâ quidem ſpecie hominem & equum aut aſinum referentia,at ſecundùm naturam vel fuerunt meri equi aut aſini, vel habuerunt naturam ab homine & equo diſtinctam,ſicut mulus ex equa & aſino,equore & aſina,lyciſcus ex lupo & cane, vulpicanis ex vulpe & cane progeniti, habent

Hippocentauri non ſunt homines.

habent differentem ab illis naturam. Nec refert, quòd præcipua pars corporis talium monstrorum fuerit humana, ut propterea homines potius quàm bestiæ dici debeant: nam homo non à figura tantùm, sed à ratione præcipuè est homo; quam tamen Hippocentauri minimè habuerunt, utpote rationali animo, ut probavimus, carentes.

Satyri non sunt homines.

Quartò. Neq; Satyri videntur fuisse aut esse veri homines, sed monstra ex genere brutorum. Ratio est, quia verus homo non nisi ex utroque parente homine, aut saltem non nisi ex patre homine, originem ducere potest: cùm igitur de Satyris id non constet, patet Assertio. Nec refert quòd Satyrus, de quo S. Hieronymus, ut cap. 2. vidimus, fuerit locutus, precatusque pro se ac sociis suis DEUM rogari: Nam vel diabolus fuit sub Satyri schemate apparens, ut S. Antonio illuderet; vel si fuit bestia vera (certè S. Antonius vocat eum bestiam, ut constat ex citato capite) miraculosè ac DEI voluntate fuit locutus, non secus ac asina Baalami loquebatur, *Numer. cap. 22.* ut *Baronius* quoque censet To. 3. Annal. in Anno Christi 343. Hoc eò probabilius est, quòd nihil tale in aliis Satyris, de quibus suprà, fuerit deprehensum.

Tritones ac Sirenes non sunt homines.

Colapiscis, & Colanus.

Ad Tritones ac Sirenes quod attinet, inclinant aliqui, ut credant fuisse homines marinos veros, qui longâ assuetudine ita naturam assuefecerint, ut sine respiratione in aquis degerent. Nam & Volaterranus (inquiunt) de quodam homine scribit, qui tempore Gregorii IX. Sum. Pont. in Apulia paulatim adeo marinis fluctibus ac belluis assuevit, ut in piscem mutatus videretur, ac propterea qui antea Nicolaus dicebatur, postea *Colapiscis* (*Cola* est Calabris ac Siculis Nicolaus) fuerit nominatus. In Sicilia quoq; Colanus quidam fuit, teste *Alexand. ab Alex.* lib. 11. cap. 21. tantâ natandi & sub aquis vivendi cupiditate & assuetudine, ut ad quingenta stadia natando perseveraret, anxieq; viveret extra fluctus: qui tandem sub Rege Alfonso, proposito natantibus prҽmio, in mare prosiliens ulteriùs non emersit, incognito casu extinctus. Accedit (ajunt) quòd Triton apud Batavos fari inceperit, & Siren apud eosdem formare crucem, venerari Christi imaginem, & multa muliebria munia obire. Ajo nihilominùs

Quintò. Probabilius videri, nec Tritones, nec Sirenes, fuisse veros homines. Ratio est, quia similia multa monstra, cap. 3. & 4. relata, nihil in actionibus suis humanæ ratiocinationis ostenderunt, quod sciatur. Nam fari possunt & psittaci, aliæq; aves; crucem formare, aliaq; similia, possunt ac solent simiæ. Adde quòd DEI Conditoris providentiæ, & Redemptoris bonitati consentaneum non sit, homines ab Adamo per seminalem propagationem descendentes (alios enim homines sana Catholicorum doctrina non agnoscit) marinis fluctibus perpetuò addicere, & ab hominum aliorum consortio penitus avellere. Tantum de dubiis hominibus, nunc de monstrosis.

ADDITIO

ADDITIO.

Quæstionem hactenus agitatam discutit etiam Cl. Deusingius *in Fœtus Mussipont. Secundinis Sect. 4. ubi idem quod nos sentit, negando videlicet posse ex permistione seu masculi humani cum fœmina belluina, seu bellnini masculi cum humana fœmina, verum hominem generari. Causam addit, quòd neq; à Satana, neque ab ullis causis naturalibus, suppeditari queat anima rationalis; nec verisimile haberi queat, velle DEUM Opt. Max. unicum spirituum Patrem ac Conditorem, ad horrendos ejusmodi ac nefarios Hominum cum Brutis congressus subministrare animam rationalem, ac tali corpori infundere. Putat itaq;, Satyros, ac similia animalia, ex talibus congreßibus nata, non homines fuisse, aut esse, sed solùm humani animalis imitamenta.*

Sed quid dicemus ad exemplum quod ex Fortunio Liceto *lib. 2. de Monstris cap. 68. refert Tulpius apud citatum Deusingium his verbis?* In hoc ipso Belgio fuit nefarius quidam, qui vaccæ se commiscuit. Pòst visa bos prægnans, & post aliquot menses edere masculum fœtum, nō vitulum, sed puerum. Adfuêre non unus, deq; matris vaccæ cadentem utero adspexerunt; levatumque de terra nutrici mulieri tradiderunt. Adolevit puer, baptizatus, & institutus Christianæ vitæ præceptis, pietati se addixit, & pro patre seriò pœnitentiæ vacat operibus: homo quidem perfectus, sed qui sentiat in animo propensiones vaccinas pascendi prata, & herbas ruminandi. *Persto in sententia, & sentio cum Deusingio & hoc fuisse animal belluinum, belluina animâ præditum, at externâ figurâ, ac conformatione membrorum hominis imaginem referens. De pietate ac Religione ipsius idem sentiendum quod de Satyris, Nereidibusq; suprà relatis, & quod de loquela psittacorum, ac religione elephantum, de quibus infrà suis locis.*

Sed num fabulosa sunt quæ de ortu Regum Daniæ ex urso retulimus §. 2. *ex Saxone Grammatico, & utroq; Olao? item quæ ibidem de origine populorum Regni Pegu, familia Masinorum, & aliis? Item quæ de Attila Hunnorum Regis ortu ex muliere à cane constuprata referuntur? Fabulosa censet* Fortun. Licetus *lib. 1. de ortu animæ hum. cap. 18. Fabulosa & ego censeo.* Deusingius *tamen loco cit. ait, non videri alienum à ratione, ex congressu animalis humanam speciem æmulantis, & ex commistione hominis cum bruto nati, cum homine vero, progigni hominem verum,* DEO Opt. Max. rationalem animam, juxta legem quam sibi in ordine Naturæ condendo posuit ipse, creante, ac infundente. Ut adeo hac ratione queat admitti, quod Saxo Grammaticus, & Joannes atq; Olaus Magnus narrant *de ortu Regum Daniæ ex urso. Sed hoc aliorum judicio relinquit.*

PARS II.
DE VARIIS HOMINUM FORMIS.

Homines variarum formarum.

DE variis hominum formis, à capite, ore, auribus, naso, oculis, pedibus, caudis, staturâ desumptis, tam multa ac mira scripsit Plinius, Solinus, aliiq; veteres, ut nisi nova hujus generis monstra in novo Orbe, nostris & Patrum nostrorum memoriâ detecta, fidem nonnullis conciliaret, omnia pro mendaciis ut olim à multis, ita nunc quoque à nobis meritò haberi possent. Ex innumeris pauca colligam, ex dictis Auctoribus, ex variis Itinerariis, Navigationibus, & Historiis desumpta. Nonnulla quoque collegit P. Joannes Eusebius Nierembergius lib. 5. Histor. Natur. cap. 1. & seqq. è Manuscriptis oculatorum ac fide dignorum testium, cujusmodi sunt, præter alios manuscriptos Codices, Volumina Doctoris Francisci Hernandi, in Regia Bibliotheca S. Laurentii in Escuriali conservata; qui Hernandus jussu Philippi II. Hispaniarum Regis Novum peragravit Orbem, ut ejus exploraret conditionem. In multis tamen, fateor, judicium suspendo, ut subinde indicabo. Incipio à Cynocephalis.

CAPUT VI.
De hominibus Cynocephalis seu Canicipitibus.

Cynocephalorum hominum exempla.

HOmines Cynocephalos, seu canina habentes capita, non uno loco reperiri, tam multi & graves Auctores, Veteres æquè ac Recentiores, asserunt, ut nefas videatur rem in dubium vocare, saltem si rei substantiam spectes, & à fabulosis circumstantiis, quibus illam nonnulli convestiunt, separes. *Photius* in Bibliotheca ex *Ctesia Gnidio*, de rebus ac montibus Indicis loquente, hæc refert: *Degere iisdem hisce in montibus homines memorat canino capite, qui ferarum pellibus vestiantur. Sermone hos nullo uti, canum tantùm more latratum edere, atque ita mutuò sese intelligere. Dentes illis esse quàm canibus majores, & caninos similiter ungues, sed longiores, ac rotundiores. Montes incolere ad Indum fluvium usque, & colore esse nigro, insignesq; justitiæ cultores, cæterorum Indorum more, inter quos versentur. Intelligere quoque quæ ab Indis dicantur, licèt ipsi loqui minimè possint; ut propterea latratu, manibus, atq; digitis*

digitis signa dent, quemadmodum ferè surdi ac muti solent. Vocari hos ab Indis Calystrios; quod Græci dicerent κυνοκέφαλους, *id est Canicipites. Carnibus eosdem vesci crudis, totiusq; gentis capita numerari ad centum & viginti millia.* Hæc eadem ex Ctesia refert *Plinius* lib. 7. cap. 2. & *Ælianus* lib. 4. Histor. Animal. cap. 46. cujus verba infra referam. Et licèt *Philostratus* in vita Apollonii censeat hæc esse fabulosa, confirmantur tamen à *Marco Polo*, lib. 3. cap. 18. qui Indias perlustravit, scripsitque, in Insula Angaman non solùm capite canino, verùm etiam oculis dentibusque caninis, & anthropophagos esse. Quod & de Tartaris quibusdam asseritur à *Joanne Plancarpio* Minorita, apud *Vincentium Belnacensem* lib. 31. Speculi Histor. cap. 11. Qui Joannes cùm ab Innocentio Papa circa Annum Christi 1245. cum quibusdam aliis fuisset missus ad Tartaros, & per annum ac menses aliquot apud illos mansisset; omnia quæ apud illos erant, summâ diligentiâ scrutatus fuit, & quæ vel oculis propriis vidit, vel à Christianis fide dignis, qui inter illos captivi erant, audivit, in libellum historialem conjecit. In illo ergo libello hæc narrat Plancarpius apud Vincentium loco citato. *Cùm autem per deserta redirent, in quandam terram venerunt; in qua, sicut nobis apud Imperatoris curiam per Clericos Ruthenos, & alios qui diu fuerant inter illos, firmiter asserendo referebatur, monstra quædam imaginem fœmineam habentia repererunt. Quas cùm per multos interpretes interrogassent, ubi viri terræ illius essent; responderunt, quòd in illa terra quæcunque fœminæ nascebantur, haberent formam humanam, masculi verò speciem caninam. Dùmq; moram in terra illa protraherent, canes in alia fluvii parte convenerunt. Et cùm esset hyems asperrima, omnes se in aquam projecerunt. Post hæc in continenti sponte in pulverem volvebantur, sicq; pulvis admixtus aquæ super eos congelabatur. Et ut ita pluries fecerunt, glacie super eos depressatâ, cum impetu magno contra Tartaros ad pugnam convenerunt. At verò cùm illi sagittas super eos jactabant, ac si super lapides jactassent, retrò sagittæ redibant. Alia quoque arma eorum in nullo eos lædere poterant. Ipsi verò canes insultum in Tartaros facientes, morsibus vulneraverunt multos, & occiderunt, sicq; illos de finibus suis ejecerunt. Unde adhuc inter illos est proverbium de hoc facto, quod dicunt ad invicem ridendo: Pater meus, vel frater meus à canibus fuit occisus.* Hæc Plancarpius; quæ etiam ex parte tradit *Antonin.* tit. 19. cap. 8. §. 18. Sed redeo ad Veteres.

Cynocephalorum hominum alia exempla.

Solinus in Polyhist. cap. 43. agens de populis Æthiopiæ, numerat inter illos etiam Cynamolgos, quos ait habere *caninos rictus, & prominula ora.* Et cap. 65. ait: *Megasthenes per diversos Indiæ montes esse scribit nationes capitibus equinis, armatas unguibus, amictas vestitu tergorum, ad sermonem humanum nullâ voce, sed latratibus tantùm sonantes, asperis rictibus.* Idem asserit *Plinius* lib. 6. cap. 30. quorum etiam meminit idem lib. 8. cap. 29. Et *Strabo* lib. 16. *Supra hoc*, inquit, *quasi ad Meridiem sunt Cynamolgi, qui ab indigenis Agrii*

Cynamolgi.

appel-

Digitized by Google

appellantur, comati, & barbari. Hi canes maximos alunt, quibus Indicos boves venantur è vicina regione venientes, sive à feris pulsos, sive pascuorum inopiâ. His accedit *Aul.Gellius* Noct.Attic.lib. 9.cap. 4. id asserens ab antiquis Scriptoribus fuisse annotatum. *S.Augustinus* etiam lib.16.de Civit.Dei cap.8.mentionem facit Cynocephalorum; ut & *Isidorus* lib.11.Etymol.cap.3.Tandem *Ælianus* lib.10 de Animal.cap.25. Cynoprosoporum hominum, qui caninam faciem habent, mentionem facit his verbis: *Ultra Oasin Ægypti, solitudo maxima ad septem dierum iter extenditur. Eam excipit regio, quam Cynoprosopi homines incolunt, in via Æthiopiam versus. Vivunt illi caprearum & bubalidum venatu. Aspectus eis niger; caput & dentes canis. Quod animal cùm referunt, non absurda eorum hoc in loco existimanda est mentio. Nam & sermonis usu carent, & acuto quodam stridore sonant. Barbam infra supraq; os gerunt, draconum quadam similitudine. Manus eorum validis & acutissimis unguibus armantur. Corpus omne hirsutũ est; hoc etiam instar canum. Sunt autem pernicissimi, & aquas regionis nôrunt, atq; eam ob causam difficiles captu.* Idem præterea *Ælianus* lib.4. cap 46. suprà citato hæc refert de Cynocephalis Indiæ populis: *In eodem Indiæ tractu, ubi Canthari jam dicti, Cynocephali etiam reperiuntur, quibus à facie & corporis specie nomen inditum: nam caput caninum, cætera ferè humana habent, & vestiti pellibus ferarum ingrediuntur. Justi sunt, hominum nemini molesti, aut injurii. Non sermone, sed ululatu sonant. Indorum tamen linguam intelligunt. Venatione animalium ferorum vivunt; quæ, ut sunt celerrimi, facilè consecuti interimunt, & frustatim divisa ad Solem assant. Capras etiam & oves alunt, ut ex lacte potu fruantur. Horum inter animantes rationis expertes non temerè mentionem feci: articulato enim discretoq; & humano sermone non utuntur.* Hæc Auctores hactenus citati.

Cynoprosopi.

Homines igitur Cynocephalos, aut Cynoprosopos olim fuisse, cùm tot ac tam graves Auctores affirment, verisimilius mihi videtur minimè fabulosum esse, si, ut initio hujus capitis dixi, substantiam rei attendas. Ejusdem etiam sententiæ est *Majolus* in Dieb.Canicul.Colloq.2. *Torreblanca* lib.2. Disquisit.Magic.cap.33. *Stengelius* lib.de Monstris cap.5.§.5. *Nierembergius* lib.5. Histor.Natur.cap.15. tametsi hic pleraq; quæ de Cynocephalis referuntur ab Auctoribus, censeat esse vana, illisq; occasionem dedisse astutissimos quosdam simios alicubi repertos, qui humanam penè mentem simulent; addit tamen fuisse & homines nonnullos imitantes caninos rictus, atq; hos monstrosos homines Ctesiam & Plancarpium miris vanitatum appendicibus commendasse. An verò etiamnum hodie integræ nationes, aut gentes Cynocephalorum aut Cynoprosoporum reperiantur, mihi non constat.

Cynocephali & Cynoprosopi olim fuerunt.

Apud nos in Europa subinde, sed rarò, & raris locis, ut & alii varii monstrosi homines, reperiuntur, ut in sequenti Libro dicemus.

CAPUT VII.

De Nanis, & Pygmæis.

STaturâ monſtroſorum hominum duo ſunt genera, Nanorum ac Pygmæorum unum, Gigantum alterum; quorum primi ab ordinaria menſura brevitate deficiunt, alteri longitudine eandem excedunt. De utrisque agendum, ac primò de primis. Horum iterum duplex eſt genus: alii enim in omnibus penè Mundi regionibus, ſed rari reperiuntur, unde & Principum virorum delectationis, & ſpectatorum admirationis materiam præbent; alii veró integras alicubi Provincias implere, & gentes ſeu nationes pumilorum conſtituere creduntur; rectè, an ſecus, paulò pôſt videbimus. Priores vocabimus Nanos, poſteriores Pygmæos; quamvis alioquin utrique utrovis nomine promiſcuè appellentur.

Nani ac Pygmæi.

§. I. De Nanis ſeu pumilis per varias regiones ſparſis.

NAnorum ſeu Pygmæorum per varias regiones ſparſorum non una ubique eſt ſtatura; ſunt enim mediocres, ſunt minores, ſunt minimi.

Nani ſeu pumili variis in locis reperiuntur.

Eodem tempore, inquit Nicephorus lib. 12. cap. 37. *etiam duo hominum corpora viſa ſunt; alterum quidem in Syria, ſupra humanam naturam magnitudine excedens; alterum verò in Ægypto, infra incredibilem ſtaturæ brevitatem conſiſtens. Syrus in longitudinem cubitorum quinque & unius palmæ excreverat, &c. Ægyptius autem tam brevis fuit, ut perdici perſimilis eſſet. Neque ingratum ſpectaculum erat, ſi* quis *cum illo in globo hominum converſaretur, & ad contentionem excitans colluderet. Porrò quod mirabile dictu eſt, prudentia ei inerat, qualis homini formoſo competit; quippe cui corporis exilitas eadem re nihil ademiſſet. Vox à Muſis non abhorrebat. Sermo mentis generoſitatem ſpectandam exhibebat. Uterque eodem illo tempore vigens, non ſtatim vitam finiit: maximus enim viginti quinque explevit annos, minimus autem non multùm ab eis abſuit.* Lugduni duos cubitalis menſuræ vidit *Joannes Caſſinon.* lib. de Gigantib. p. 76. quorum alter barbam habens promiſſam, eleganti ſat erat formâ. *Jonſtonus* in ſua Thaumatol. Claſſ. 10. cap. 4. art. 2. ait, contubernales ſuos vidiſſe Falcoburgi (qui pagus eſt uno à Leyda, ſeu Lugduno Batavorum, lapide diſtans) fœminam ulnæ magnitudine.

In nuptiis Ducis Bavariæ Nanus erat, qui integrè armatus cum brevi haſta, gladio accinctus, in artocreas occultatus, ut non conſpiceretur, & in menſam appoſitus, fracto artocreate erumpens, & ſtricto gladio gladiatorum in morem ſaliens, omnibus riſum & admirationem incuſſit, inquit Plater. lib. 3. Obſerv. Dresdæ in arce Electoris Saxoniæ oſtendi ſceleton Pygmæi, altitudine infra cubitum,

 oſſium

Digitized by Google

ossium soliditate, & omnium proportione tantâ, ut embryonis ossa suspicari quis possit, testatur *Bartholin.* de Pygmæis cap. 6. In Marchia, & Lusatia, integrum sceleton cum cranio, duos pedes, & tres digitos longum, inventum scribit *Leonardus Turnheuserus* apud Jonstonum loc. cit.

Joannes Eusebius Nierembergius lib. 5 Histor. Natur. cap. 16. de quodam Nano in Hispania viso hæc scribit. *Annectam hic quod Hispania vidit annis prœteritis, ad aliquam hujus gentis pusillæ fidem. Homuncionem parvulum, optimè constitutum membris, qui natus cum dentibus, nunquam ullum amisit: prodiit quoque è vulva materna cum pilis & pube. Septennis jam barbatus erat; decennis omne robur suum habuit, & genuit filium.* Idem eodem libro cap. 18. *Vidi ego*, inquit, *& universa aula Philippica* (Hispaniarum Regis Philippi IV.) *homuncionem ejusdem staturæ cujus Pygmæi esse feruntur, in nulla re præter exiguitatem monstrosum, aut deformem: Bonami dicebatur. Ejusdem penè pusillitatis vidi alium, aptissimæ tamen & absolutæ compositionis virum, jam quadragenarium, elegantis comæ & barbæ.*

Nanorum seu pumiliorum alia Exempla.

De Solimanno Turcarum Imperatore narrat *Surius* Comment. Rerum in Orbe gestar. Anno 1541. cùm Pestum in Hungaria occupasset, maximis usum itineribus in Pannoniam pervenisse, adductosq; ad se Christianos captivos circiter octingentos omnes, paucis demptis, crudeliter trucidari jussisse, interque illos staturæ proceræ militem Noricum occidendum tradidisse cuidã pumilioni suo, qui vix militis illius genua capite suo attingebat. *Cardanus* lib. 11. de Subtil. circa finem asserit, se vivente circumferri solitum in Italia virum perfectã ætate, cubiti longitudine, in psittaci cavea. *Albertus Magnus* lib. 7. de Animal. tract. 1. cap. 6. à se spectatam scribit puellam novem annorum, quæ magnitudine unius anni videretur. Marcus Antonius ad pompæ ornatum Sisyphum pumilionem, intra bipedalem staturam, ingenio vivacem fertur habuisse. Augustus autem adolescentulum honestè natum bipedali minorem, Lucium nomine, scribitur spectaculis exhibuisse.

Cæsaris Augusti tempore, teste *Plinio* lib. 7. Natur. Histor. cap. 6. *minimus homo duos pedes & palmum, Canopas nomine, in deliciis Juliæ neptis ejus fuit: & mulier Andromeda liberta Juliæ Augustæ. Manium Maximum, & M. Tullium Equites Romanos, binûm cubitorum fuisse auctor est M. Varro: & ipsi vidimus in loculis asservatos.* Ita Plinius. *Ulysses Aldrovandus* in Monstrorum Histor. testatur se vidisse Bononiæ Nanum Ducis Caroli de Crequy Franciæ Marischalli: & duos huic non absimilis staturæ simillimos, elegantiq; membrorũ constitutione formatos, domi aluisse Equitem Ferdinandũ Cospium. Sed frustra adaggero plura exempla, cùm passim, in Principũ præsertim ac Cæsarum aulis, hujusmodi pumili visantur; & ego ipse non paucos in Sicilia, Italia, & Germania spectavi.

§. II. Pygmæ-

§. II. Pygmæorum integras alicubi nationes esse, probabilius videtur.

Vix in ulla humanorum monstrorum narratione Scriptores antiqui ac novi variant magis, quàm in Pygmæorum. Referam quotquot inspicere licuit, ut quid statuendum, prudens Lector ipse dispiciat. Incipio ab iis, qui pro affirmante stant sententia; quorum multos esse fatetur D. August. lib. 18. cap. 8. de Civit. Dei.

Pygmæorum integras nationes fuisse, probabile est.

Aristoteles lib. 8. de Histor. Animal. cap. 12. cùm dixisset, grues *ex Scythicis campis ad paludes Ægypto superiores, unde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur*; addit: *Non enim id fabula est, sed certè genus tum hominum, tum etiam equorum pusillum (ut dicitur) est, deguntque in cavernis; unde nomen Troglodytæ à subeundis cavernis accepêre.* Hæc Aristoteles.

Photius in Bibliotheca ex *Ctesia* Gnidio lib. Indicorum hæc scribit. *Narrat præterea ista, in media India homines reperiri nigros, qui Pygmæi appellantur: Eâdem hos, quâ Indi reliqui, linguâ uti; sed valde esse parvos, ut maximi duorum cubitorum, & plerique unius duntaxat cubiti cum dimidio altitudinem non excedant: Comam alere longissimam, ad ipsa usque genua demissam, atque etiam infra, cum barba longiore quàm apud ullos hominum: Quæ quidem ubi illis promissior esse cœperit, nullâ deinceps veste uti, sed capillos multò infra genua à tergo demissos, barbamque præter pectus ad pedes usque defluentem, per totum corpus in orbem constipare & cingere, atque ita pilos ipsis suos vestimenti loco esse, &c. Pygmæos hosce simis esse naribus, & deformes. Ipsorum item oves agnorum nostrorum instar esse; boves & asinos arietum ferè magnitudine; equos item mulosque & cætera jumenta omnia nihilo esse nostris arietibus majora: Tria horum Pygmæorum millia Indorum regem in suo comitatu habere, quòd sagittarii sint peritissimi: Summos esse justitiæ cultores, iisdemque quibus Indi reliqui, legibus parere: Venari quoque lepores vulpesque non canibus, sed corvis, miluis, cornicibus, aquilis adhibitis.* His similia habet idem Photius ex Nonnosi Historia Legationum ad Æthiopas, & Homeritas, atque Saracenos susceptarum jussu Justiniani Imperatoris: sic enim scribit. *Naviganti à Pharsa Nonnoso, & ad extremam usque Insularum delato, tale quid occurrit, vel ipso auditu admirandum. Incidit enim in quosdam formâ quidem & figurâ humanâ, sed brevissimos, & cutem nigros, totumque pilosos corpus. Sequebantur viros æquales fœminæ, & pueri adhuc breviores. Nudi omnes agunt, pelle tantùm brevi adultiores verenda tecti, viri pariter ac fœminæ: agreste nihil, neque efferum quid præ se ferentes. Quin & vox illis humana, sed omnibus, etiam accolis, prorsus ignota lingua, multòq; ampliùs Nonnosi sociis. Vivunt marinis ostreis, & piscibus è mari ad Insulam projectis. Audaces minimè sunt, ut nostris conspectis hominibus, quemadmodum nos visâ ingenti ferâ, metu perculsi fuerint.*

Pygmæorum exempla ex antiquis.

Digitized by Google

Plinius variis locis Pygmæorum facit mentionem. Libro 4. Natur. Histor. cap. 11. agens de Thracia, numerat inter alia ejus oppida Geraniam, *ubi* inquit, *Pygmæorum gens fuisse proditur, quos Catizos Barbari vocant, creduntque à gruibus fugatos.* Et lib. 5. cap. 29. loquens de Caria, ejusque oppidis variis, ait: *Quidam ibi Pygmæos habitasse tradunt.* Et lib. 6. cap. 19. agens de Indiæ gentibus, ait: *Indus statim à Prasiorum gente, quorum in montanis Pygmæi traduntur.* Et cap. 30. ait: *Quidam & Pygmæorum gentem crediderunt ante paludes, ex quibus Nilus oriretur.* Et lib. 7. cap. 2. de Asiæ populis ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa Gangis fontem habitantes, ait: *Supra hos extrema in parte montium Spithamæi Pygmæi narrantur, ternas spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes, salubri cælo, semperq; vernante montibus ab Aquilone oppositis: quos à gruibus infestari Homerus quoq; prodidit. Fama est insidentes arietum caprarumq; dorsis, armatos sagittis veris tempore universo agmine, ad mare descendere, & ova pullosq; earum alitum consumere; ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti. Casas eorum luto pennisq;, & ovorum putaminibus construi. Aristoteles in cavernis vivere Pygmæos tradit. Cætera de his, ut reliqui.* Hactenus Plinius.

Pomponius Mela lib. 3. de Situ Orbis, agens de Sinu Arabico, & Arabiæ urbibus, ait: *Fuére interius Pygmæi, minutum genus, & quod pro satis frugibus contra grues dimicando defecit.*

Philostratus lib. 3. Vitæ Apollonii, cùm multa quæ de India recensentur, inter fabulas censeat, Pygmæos excipit, aitque Pygmæos sub terra degentes, supra Gangem posita loca incolere, & vivere, non vanum esse. *Solinus* in Polyhist. cap. 15. mentionem facit Geraniæ urbis Thraciæ, quam inquit, *Cattuzam vocant Barbari, unde à gruibus Pygmæos ferunt pulsos.* Quod desumptum est ex Plinio loco suprà citato. Idem *Solinus* cap. 65. loquens de India, ait: *Montana Pygmæi tenent.* Quod & ipsum è Plinio lib. 6. cap. 19. desumptum videtur. *A. Gellius* lib. 9. cap. 4. Noctium Atticar. cùm ex antiquissimis Auctoribus Græcis, quos ibi recenset, multa admiranda de hominum variis formis retulisset, addit, *Pygmæos quoque haud longè ab iis (qui extrema Indiæ possident) nasci, quorum qui longissimi sunt, non longiores esse quàm pedes duos, & quadrantem.*

Ælianus lib. 15. de Animalib. cap. 29. *Pygmæorum*, ait, *gentis proprium & peculiare regnum esse audio: & cùm masculum genus regium aliquando defecisset, mulierem, Geranam nomine, ipsis imperitasse, &c.*

Pygmæorum exempla ex recentioribus.

Hactenus ex Antiquis. Venio nunc ad Recentiores. *Paulus Jovius* in Moschovia, cujus Historiam ex relatione Legati Moschovitici Demetrii ad Pontificem scripsit, hæc habet: *Ultra Lapones in regione inter Corum & Aquilonem perpetuâ oppressâ caligine, Pygmæos reperiri, aliqui eximiæ fidei testes retulerunt; qui postquam ad summum adoleverint, nostratis pueri denum annorum mensuram*

Digitized by Google

suram vix excedant: meticulosum genus hominum, & garritu sermonem exprimens, adeò ut tam simiæ propinqui, quàm staturâ ac sensibus ab justa proceritatis homine remoti videantur.

Olaus Magnus lib. 2. cap. 11. agens de incolis Grunlandiæ (quos in titulo capitis præcedenti Pygmæos vocaverat) ait: *Vix crederem frequenti hominum relationi de miris hujus terræ Grunlandiæ, mihi etiam per graves viros factæ, quòd contra multitudinem gruum incolis hujus telluris sit belligerandum, nisi Plinius lib. 7. cap 2. de Scythicis gentibus loquens, scriptis, & rationibus similia allegaret.*

Qui orbem navigationibus & peregrinationibus suis peragrârunt, nostro & præterito sæculo, variis in locis Pygmæorum gentem repererunt. Nam *Antonius Pigafetta* apud Majolum Colloq. 2. reperit eos inter Moluchas in Insula Aruchetto, testaturque reperiri etiam inter easdem Moluchas in Insula Caphi. Ibidem eos statuit *Argensola* apud Nierembergium lib. 5. Histor Natur. cap. 16. *Odericus* lib. 1. de Rebus Indicis, ait, ibi Pygmæos trium palmorum à se deprehensos, qui ætatis anno quinto jam gignerent. Idem refert, in eadem India Orientali, non procul à Quinzai, esse trium palmorum Pygmæos juxta Chilense. *Petrus Simon*, teste Nierembergio jam citato, inventos scribit Pygmæos ultra Andes à Joanne Alvarez Maldonato, cùm novas Indiæ terras exploraret. *Gemma Frisius* apud eundem Nieremb. narrat, cymbam Pygmæorum visam in Septentrione, vi cujusdam tempestatis appulsam ad regnum Norwegiæ.

Relatis hactenus Auctoribus accedunt *Majolus* Colloq. 2. Dier. Canicul. *Nierembergius* lib. 5. Histor. Natur. cap. 16. & 18. *Stengelius* lib. de Monstris cap. 4. §. 7. *Mendoza* in Viridario lib. 4. Problem. 12. *Joannes Camers* Comment. in Solin. *Bartholinus* Opusc. de Pygmæis, aliique multi recentiores, quos omitto.

§. III. Respondetur argumentis eorum, qui vel negant unquam fuisse Pygmæorum nationes; vel asserunt eos non esse homines.

Pygmæorum gentes fuisse, defenditur.

Et olim, & nostris etiam temporibus, non defuerunt, qui negarent, aut unquam ac ullibi fuisse Pygmæorum gentes ac nationes; vel certè non intra hominum, sed simiarum censum illos referrent; fabulosumq; crederent quidquid fama vulgi, auctoritas Scriptorum, autopsia multorum de iis sparsit. Hanc sinistrâ opinionē ut refutaret Aristoteles, seriò & datâ operâ asseruit loco suprà notato, fabulosum non esse, quod de iis diceretur. Quod testimoniū abundè satis est ad fidem aliquā hujus rei comparandam, cùm tantus interpres Naturæ, tanti ingenii & industriæ Vir, tam accuratus mirabiliū Mundi scrutator, tam seriò ac notanter asserat, οὐ γάρ ἐστι τοῦτο μῦθος, *neq, enim hæc res fabula est* Hanc Aristotelis testificationem, quò minùs Pygmæos commentitios esse putarent, venerati sunt pleriq; citatorū Auctorū, cum

 S. Augusti-

S. Augustino lib. 16. de Civit. Dei cap. 8. ubi de diversis hominum monstris, integras nationes ac gentes constituentibus, ac nominatim de Pygmæis agit; hæc in fine capitis addit: *Non itaque nobis videri absurdum debet, ut quemadmodum in singulis quibusque gentibus quædam monstra sunt hominum, ita in universo genere humano quædam monstra sint gentium.*

Fidem tamen Aristoteli, ac tot aliis Scriptoribus derogat *Strabo* lib. 2. Geograph. pauló post initium, ubi ait: *Eximiè verò Deimacho & Megasthenis fides abroganda est. Hi sunt qui homines in aure cubantes, & oris & naris expertes, scriptis commendant; simul & monoculos, & tibiis proceros, & digitis retrò inversis. Innovârunt etiam Pygmæorum adversus grues decantata pridem ab Homero prælia; trium etiam palmorum homines ajunt.* Et lib. 17. post medium, ubi dixisset, in Æthiopia & Ægypto pecora & alia animalia esse parva, ob ingentem calorem, ac aëris intemperiem; addit: *Et fortasse ad horum parvitatem Pygmæi conficti sunt: nam nemo fide dignus id ex visu narrat.* Sed hæc ipsa ratio, ut bene advertit Nierembergius, probabiles facit Pygmæos. Nam si illarum regionum ingens æstus sic minuit & contraxit animalia, cur non & homines? Præterquam quód non una tantúm in sede eos Auctores locent, sed in diversis, ut vidimus § præcedenti. Nam Ctesias ponit illos in India, cum Philostrato; Nonnosus in Æthiopia; Plinius in Thracia, in Caria, in India; Mela in interiore Arabia; Solinus in Thracia, & India; alii alibi.

Nec dicat quis, hanc ipsam locorum diversitatem arguere vanitatem historiæ; alioquin & Gigantes negandi forent, qui etiam in diversis regionibus extiterunt, ut postea videbimus. Dicat fortasse alius, multa apertè fabulosa videri in Pygmæorum historia, maximè apud Ctesiam, uti ex dictis patet. Fateor & mihi aliqua fabulosa videri; at non propterea deroganda omnis fides est tot Auctoribus; cùm sæpe & passim contingat veras historias fuco fabularum infici, ut patet ex jam dicta de Gigantibus relatione.

Dicat iterum quispiam, nunc totum exploratum esse Orbem terrarum, & nullibi Pygmæorum gentem repertam. Respondeo, Auctores veteres non dicere, Pygmæorum gentem existere, sed extitisse; Recentiores verò asserunt, se illos vidisse, aut á fide dignis intellexisse etiamnum existere: quid ergo dubitamus?

Aldrovandus negat Pygmæos auctoritate Strabonis. At quo jure unus Strabo anteponatur Aristoteli, & tot aliis Auctoribus, non video. *Albertus Magnus* concedit Pygmæos, sed ait esse simias homini-formes, non veros homines. *Cardanus* lib. 8. Variet. Rerum cap. 40. multis rationibus probare nititur, Pygmæos nō esse veros homines; at omnia sunt infirmissima atque invalida, ut consideranti patebit. *Niphus* negat esse homines ideo, quia non habent perfectum usum rationis, nec verecundiā, nec honestatē, nec justitiā Reipublicæ exercent; & quia carent religione: At his prorsus cō-

traria

traria asserunt citati à nobis Auctores. Cl. Deusingius negat ullibi unquam fuisse aut esse nationes Pygmæorum, in Secund. Fœtus Mussipont. Sect. 4. idque præcipuè propter discrepantiam Auctorum qui illos admittunt.

§. IV. Scriptura sacra videtur Pygmæos agnoscere pro hominibus.

Ex dictis hactenus constat, quid de Pygmæis sentiendum: fuerunt enim olim non uno in loco, & etiamnum sunt alicubi, & veri sunt homines, non minùs quàm Nani, quorum multi non sunt Pygmæis majores. Nec videtur abnuere Scriptura sacra. Nam Propheta *Ezechiel* in descriptione Tyri urbis ait cap. 27. v. 11. *Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu: sed & Pygmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleverunt pulchritudinem tuam.* Quem locum varii variè interpretantur. Eorum nonnulli qui Pygmæos admittunt, & pro veris hominibus agnoscunt, ajunt, non ad tutelam urbis fuisse positos in turribus, sed ad irrisionem hostium, quemadmodum Jebusæi claudos & cæcos posuerunt in arce Hierosolymitana. Sed si hoc, quomodo ipsi pulchritudinem urbis compleverunt? Alii per Pygmæos, (quod idem valet ac cubitales) non pusillos homunciones, sed immanes viros, qui cubitis, non pedibus mensurarentur, intelligunt. Sed frigida est hæc interpretatio: non solùm gigantum, sed vulgarium etiam hominum, imò & Nanorum, ac Pygmæorum statura cubitis exprimi solet. Deinde quàm coactum, si non inconveniens, hominem cubitalem significare hominem gigantem, qui cubitis mensurari soleat? Æquè inconcinnum videtur, dicere, Ezechielem per Pygmæos intelligere pugiles, sic dictos ἀπὸ τῆς πυγμῆς, à lucta & certamine. Alii ordinarios ac justæ staturæ humanæ milites intelligunt, sed Pygmæos à Propheta dictos volunt, quód præ turrium altitudine à terra spectati apparuerint non majores quàm Pygmæi; hoc est, cubitales. Sed quid hoc ad complementum pulchritudinis? Loquitur Propheta de urbis munitione, ob tutelam variorum militum, quos inter enumerat etiam Pygmæos. Alii ad peregrinas confugiunt interpretationes: nam Chaldæus vertit *Cappadoces*, Septuaginta *Custodes*, Symmachus *Medos*, Theodotion Hebrææ vocis tenax *Gammadim*. At vulgata nostra editio (quam retinere ac defendere par est) cum Aquila, Vatablo, Pagnino, Lyra, & aliis, retinet vocem *Pygmæorum*.

Pygmæos agnoscit Sacra Scriptura.

Ajo itaque, Prophetam Ezechielem nomine Pygmæorum intelligere veros Pygmæos, hoc est, homines pusillos, ex India fortassis, aliavè ex Provincia à Tyriis vocatos, collocatosque in turribus ad tutelam ac pulchritudinem: ad tutelam quidem, quia erant eximii sagittarii, ut ex Ctesia Gni-

ſia Gnidio retulimus ſupra §. 1. unde pharetras ſuas ſuſpendiſſe in muris per gyrum dicuntur à Propheta. ad pulchritudinem verò, quia ad urbis majeſtatem ac ſplendorem maximè facit præſidiariorum è variis nationibus electorum numerus. Hæc interpretatio plana eſt, profanæque eruditioni conſentanea; quam & *Nierembergius* amplectitur lib. 5. Hiſtor. Natur. cap. 18.

CAPUT VIII.

De Gigantibus, aliisq; extraordinaria ſtatura hominibus.

VT Pygmæorum, ita & Gigantum duo ſunt genera: alii enim ſunt certis in locis frequentes, & populos integros conſtituunt; alii in variis locis rari ſunt, & monſtris penè, ob corporis molem ac proceritatem, accenſentur. De utriſque, ſed promiſcuè, varia afferam exempla.

§. I. Gigantes olim fuiſſe, conſtat ex Sacra Scriptura.

Gigantes olim fuiſſe, conſtat ex Sacra Scriptura.

AC primò quidem Gigantum mentionem facit Scriptura Sacra pluribus locis, eosque tum ante, tum poſt diluvium extitiſſe affirmat. Ante diluvium meminit illorum Hiſtoricus ſacer *Moyſes Geneſ.* cap. 6. v. 4. *Gigantes autem, ſuper terram in diebus illis, &c. Iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.* Quem locum licèt aliqui de hominibus inſigni robore, morumque feritate ac fœditate præditis accipiant, verumtamen intelligitur de propriè dictis Gigantibus, hoc eſt, de hominibus mole corporis, & proceritate ſaturæ conſpicuis. Poſt diluvium primus Gigas, de quo mentio in ſacris Litteris, videtur eſſe Nembrod, de quo *Geneſ. cap. 10. v. 8 & 9. Porrò Chus genuit Nemrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram Domino. Ob hoc exivit proverbium: Quaſi Nemrod robuſtus venator coram Domino.* Verba illa, *Ipſe cœpit eſſe potens*, Septuaginta interpretes vertunt, *Ipſe erat gigas*; mole ſcilicet corporis, robore, & crudelitate. *Numer. cap. 13. v. 34.* exploratores reverſi à Terra ſancta, miſſi è ſolitudine à Moyſe, ita loquuntur de habitatoribus illius: *Populus quem aſpeximus, procera ſtaturæ eſt: ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de gente giganteo; quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* In Hebraico pro *monſtra*, eſt *Nephilim*, id eſt, gigantes. Deuteron. c. 2. v. 10. loquens Moyſes de Moabitis, ait: *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, & validus, & tam excelſus, ut de Enacim ſtirpe quaſi gigantes, crederentur, & eſſent ſimiles filiorum Enacim.* Et infrà eodem cap. v. 20. & 21, loquens de terra Ammonitarum, ait: *Terra gigan-*

gigantum reputata est, & in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus à facie eorum. Eodem libro *Deuteron.* cap. 3. v. 11. scribitur sic de gigante Og rege in Basan: *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manus.* Et paulò pòst v. 13. *Cunctaque Basan vocatur terra gigantum.* In libro *Josue* cap. 14 dicitur; quòd Hebron civitas, quæ antea vocabatur Cariath Arbe, fuerit habitata ab Enacim, & quòd Adam maximus inter Enacim ibi situs fuerit. Apud *Amos* Prophetam cap. 2. v. 9. dicit DEUS: *Ego autem exterminavi Amorrhæum à facie eorum; cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus, & fortis ipse quasi quercus.*

Goliath Gethæus Palæstinus, ut habetur *lib.1. Reg.* cap. 17. v. 4. & 5. *erat altitudinis sex cubitorum & palmi, & cassis ærea super caput ejus, & lorica squamatâ induebatur: porrò pondus loricæ ejus quinque millia siclorum æris erat, &c. hastile autem hastæ ejus erat quasi liciatorium texentium; ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri.* Cùm David contra Philistæos pugnaret, ac in prælio deficeret; *Jesbibenob, cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, & accinctus erat ense novo, nisus est percutere David, &c.* ut habetur *lib. 2. Reg. cap. 21. v 16.* Ibidem habetur, alio in prælio Sobochaum de Husahi percussisse Saph de stirpe Arapha de genere gigantum. Omitto multa alia loca, in quibus Gigantum fit mentio, & ad Scriptores profanos transeo.

§. II. Gigantum exempla ac testimonia ex Scriptoribus antiquis.

Gigantum exempla & testimonia ex Scriptoribus antiquis.

NUllas hîc attexam fabulas ex Poëtis desumptas, de Atlante, vertice cœlum sustinente, de Antei tibia cubitorum sexaginta, de Bryareo centimano, de Polyphemo maria pedibus transmeante, de Orione sex & quadraginta cubitos exæquante, aliisque similibus; sed Scriptorum tantùm approbatorum testimonia afferam. Itaque *Pomponio Melâ* lib. 3. de Situ Orbis cap. de India, teste, sunt aliqui apud Indos *ita proceri & corpore ingentes, ut elephantis etiam & ibi maximis, sicut nos equis, facilè atque habiliter utantur.* Explicatiùs *Solinus* in Polyhist. c. 5. loquens de corporum quorundam proceritate, *Licèt,* inquit, *plerique definiant, nullum posse excedere longitudinem pedum septem, quòd intra mensuram istam Hercules fuerit; deprehensum tamen est Romanis temporibus sub Divo Augusto, Pusionem & Secundillam denos pedes & ampliùs habuisse proceritatis, quorum reliquiæ adhuc in Conditorio Salustianorum videntur. Postmodum Divo Claudio Principe, Gabbaram nomine ex Arabia advectum, novem pedum, & totidem unciarum, &c. Priscorum autem molem testantur etiam Orestis suprema, cujus ossa Olympiade quinquagesimâ & octavâ*

Tegea inventa, à Spartanis oraculo monitis, didicimus implesse longitudinem cubitorum septem. Scripta quoq; ex antiquitate memorias accersunt in fidem veri, quibus receptum est, quòd bello Cretico, cùm elata flumina impetu plùs quàm vi amnicà invecta terras rupissent, post discessum fluminum inter plura humi dissidsa humanum corpus repertum cubitum trium & triginta; cujus spectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipsum impendiò admodũ captos, miraculo, quod auditu refutaverant, oculis potitos. Non omiserim, Salamina Euthymenis filium crevisse in triennio tria cubita in sublimitate. Plura similia habet idem Solinus sequentibus capitibus.

Plinius lib. 7. cap. 16. *In Creta*, inquit, *terræ motu rupto monte, inventum est* corpus stans XLVI. cubitorum; *quod alii Orionis, alii Oti fuisse arbitrantur. Orestis corpus oraculi jussu refossum, VII. cubitorum fuisse monumentis creditur, &c. Procerissimum hominem ætas nostra Divo Claudio Principe, Gabbaram nomine ex Arabia advectũ, IX. pedum & totidem unciarum vidit. Fuere sub D. Augusto semipede addito, quorum corpora, ejus miraculi gratiâ, in conditorio Sallustianorũ asservabantur hortorum; Pusioni & Secundillæ erant nomina.* Malè igitur hunc locum ad Pygmæos applicat *Stengelius* lib. de Monstris cap. 4. §. 4. Idem *Plinius* lib. eodem 7. cap. 2. ait, loquens de India: *Multos ibi quina cubita constat longitudine excedere.* Et circa finem capitis: *Item Æthiopas*, inquit, *octona cubita longitudine excedere.*

Quæ diximus ex profanis & Ethnicis Scriptoribus, confirmat *D. Augustinus* lib. 11. de Civit. Dei cap. 9. dicens: *Sed de corporum magnitudine plerũque incredulos mutata per vetustatem sive per vim fluminũ, variosq; casus, sepulchra convincunt, ubi apparuerunt, vel unde ciderunt incredibilis magnitudinis ossa mortuorum. Vidi ipse non solus, sed aliquot mecum, in Uticensi littore molarem hominis dentem tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim cõcideretur, centum nobis videretur facere potuisse. Sed illum gigantis alicujus fuisse crediderim. Nam præter quòd erant omnium multò majora, quàm nostra nunc corpora, gigantes longè cæteris anteibant.* Hæc D. Augustinus. Ad quem locum *Ludovicus Vives. Festo D. Christophori*, inquit, *cùm salutatum ivissemus illum ad maximum urbis nostræ templum, ostensus est nobis dens molaris pugno major, quem dicebant esse illius. Aderat mecum Hieronymus Burgarius, &c.* Idem D. Augustinus libro eodem, cap. 23. ait: *Nonne ante paucos annos cùm Romana urbis, quod à Gothis factum est, appropinquaret excidium, Romæ fuit fœmina cum suo patre, & sua matre, quæ corpore quodammodo giganteo longè cæteris præemineret? Ad quam visendam mirabilis fiebat usq; quaq; concursus.*

Plutarchus in Sertorio, Gabinum Historicum secutus, tradit Antæi sepulchro in Nauritania, à Sertorio ex industria diruto, cadaver in eo septuaginta cubitorũ magnitudinis repertum fuisse. *Philostratus* in Heroicis, Hylli Herculis filii cadaver novem jugerum proceritatis in Phrygia jacere; & Orestis corpus in Nemea, septem; & Ajacis undecim cubitorum inventũ, refert.

refert. Adhæc in Assyriorum agro Orontis fluvii præruptam ripam Ariadnis viri Æthiopis, sive Indi (ut quidam dixerunt) cadaver triginta cubitorum magnitudine in lucem edidisse: & in spelunca Segei montis deprehensum gigantis cadaver duorum & viginti cubitorum. In Coo quoque insula è terræ gremio erutam fuisse arcam, & in ea duodecim cubitorum gigantem inventum. In Lemno etiam gigantis cadaver, cum calvaria plùs quàm duarum amphorarum Cretensium capace, à Menecrate Stiriensi repertum. Et denique Protesilaum viginti annos natum, decem fuisse cubitorum proceritatis, idem *Philostratus* in eisdem Heroicis commemorat.

§. III. De Gigantibus Siculis.

Gigantes Siculi.

SIciliam insulam olim à Gigantibus habitatam fuisse, & Scriptorum auctoritas, & incolarum firmissima traditio, & pervetusta ejus rei monumenta, luculentissimam faciunt fidem. Exempla multa in medium profert *Thomas Fazellus*, diligens Rerum Sicularum Scriptor, qui ea partim à majoribus accepit, partim suis ipse oculis lustravit. Multa quoque & ego audivi, vidiq;, novendecim annorum spatio, quo Insulam incolui, & variis occasionibus perlustravi penè universam. Pauca ex multis referam, quæ dictus Auctor Decade 1. lib. 1. cap. 4. colligit.

Eryx mons est Siciliæ notissimus, oppidum habens in suprema planitie antiquissimum, & satis amplum, ad cujus radices Occidentem versus Drepanum est situm, unde & Mons Drepani (Monte di Trapani dicunt Siculi) hodie vulgò nominatur. Ad hujus montis radices alteras orientem versus cùm rustici quidam Anno Christi 1342. pastorali casæ fundandæ altiùs foderent, in antrum immensum inciderunt, in eoq; virũ portentosæ magnitudinis sedentem deprehenderunt. Novitate ergo consternati, oppidum montis vertici impositum petunt, & quid monstri viderint, oppidanis referunt. Erycini armati antrum petunt; facibus accensis, armisq; protensis ingrediuntur; monstro propinquiores facti, hominem non vivũ, sed cadaver humanum staturæ proceræ in sede positum, sinistrâ manu baculo mali nautici instar innixũ, nullaq; ex parte corrosum, deprehendunt. Tactus scipionis cortex confestim in cinerem solvitur; quo clava plumbea è terra ad manũ sedentis porrecta celabatur. Tactũ & cadaver æquè statim corruit, & in pulverẽ vertitur, tribus solùm dẽtibus molaribus admirandæ magnitudinis, & anteriori cranii parte aliquot modiorum Siciliensium capace, incorruptis ac firmissimis relictis. Erycini in rei fidem ac memoriam dentes filo ferreo ad Crucifixi pedes, qui in medio templi Annuntiatæ ejusdẽ oppidi pendebat, suspenderunt. Specus etiamnum à gigante nomẽ habet. Dentes ad Fazelli usque tempora in eo templo suspensi visebantur,

Digitized by Google

ac tandem à civibus Franciſcano cuidam Concionatori ad Romanum Pontificem deferendi fuêre dati.

Mazarenum (Mazarino vulgò) in Sicilia mediterraneum ac recens eſt oppidum. In hujus agro, cui Gibilo eſt nomen, paſſus fermè mille ad meridiem, Joannes à brachiis fortibus (Branciforte dicunt Siculi) oppidi Comes, cùm Anno 1516. ad vineæ, quam ibi plantaverat, tutelam fabricari juſſiſſet domum, fundamentisque cœmentarii foſſam pararent, in cadaver hominis ſtaturæ cubitorum circiter viginti, ligonibus impingunt. Famâ ad oppidum delatâ, accurrit Joannes cum uxore Æmilia, & oppidanis ferè univerſis; inveniunt cadaver ingens, caputq; inſtar dolii: ſed dum rudiùs attrectant, illicò in pulverem abit, molaribus duntaxat integris repertis, quorum quilibet unciarum quinq; pondus æquabat.

Mellillis inter Leontinum & Syracuſas oppidulum in Hyblæis montibus mari prominet: à quo non multò infra ad montium radices frequentia ſunt gigantum ſepulchra, & ſæpe molares ingentes, & ingentia oſſa effodiuntur. Dentium plures habuit ipſemet Fazellus, unciarum circiter quatuor ponderis. Hyccara, nunc *Carini,* Sicanorum pervetuſtum eſt oppidum, in amœniſſimo campo ſitum, cui, ſi Panormitanum excipias, totâ Siciliâ amœniorem non vidi. In ejus agro mons eſt occidentem verſus, & ad radices montis antrum ferè immenſum, à Piraino nomen adeptum; in quo plura reperiuntur gigantum monumenta, oſſaque ac dentes miræ quantitatis. Ex his os humeri latiſſimum ac penè monſtroſum habuit apud ſe Fazellus.

In agro Panormitano fons eſt inſignis, & copioſiſſimus, maris dulcis ob id cognomēto inſignitus. Supra eū, in ipſa montis rupe, ſpecus eſt longitudinis cubitorum plùs minùs ſexaginta, latitudinis viginti: in quo Paulus Leontinus nitrum confecturus, dum terram pecuinam in nitrariis decoquendam effodit, Anno 1547. in cadaver hominis cubitorum ferè decem & octo, membris omnibus incompactum diſſolutumque, incidit. Accurrunt Panormitani agminatim, rei novitate exciti. At dum imprudentiùs attrectatur, omnia in pulverem, exceptâ mandibulâ, abeunt. Deferunt mandibulam Capitaneo Urbis Simeoni Valguarneræ, quæ & ipſa, dum dentes excutere nituntur, in cinerem reſolvitur, molaribus ſolùm integris remanentibus. Singuli unciarum propè quatuor pondus confecerant, noſtris ſimiles, ſubalbi, & carie prorſus carentes. Similia cadavera reperta fuêre Syracuſis, Calatraſi, Petraliæ, aliisque Siciliæ locis, ut fusè proſequitur Fazellus loc. cit.

§. IV. Adhuc alia exempla antiqua Gigantum.

Gigantum exempla alia antiqua.

PHlegon. Trall. in libro de Mirabil. & Longæv. ait, in Dalmatia, in ſpelunca, quæ Dianæ dicebatur, viſa multa corpora, quorum coſtæ XVI. ulnas

exce-

excedebant. *Idem* scribit, cùm Carthaginenses fossam agerent circa Provinciam suam, incidisse in duo ossea cadavera, condita arcis; quorum alterius compages longa fuerit XXIV. cubitos, alterius XXIII. *Idem*, in Bosphoro Cimmerio subitâ terræ concussione colliculum quendam dissiluisse, ejectaque ingentia fuisse ossa, ita ut compage eorum in morem humani corporis compositâ, longa ea fuerit XXIV. cubitos.

Apollonius Grammaticus narrat, Neronis ætate terræ motu multas ac celebres Asiæ, Siciliæq; urbes corruisse, & ingentia fuisse reperta cadavera, horumq; uni dentem exemptum, & Romam ad Tiberium missum, qui pedis mensuram non attigerit modò, sed etiam superârit. Tiberium ergo insignem Geometram, nomine Pulcrum, jussisse faciem fingere proportione denti respondentem; idque factum.

Hector Boëthius in Scotiæ descript. recitat, in templo Petræ, regionis Moraviæ, quæ Scotiæ pars est, servari adhuc ossa Litit Ihon, id est, parvi Joannis, atque inter cætera coxendicis os, non brevius humano crure, & crassitudinis suræ, in quod totum brachium inseri queat; conjecturamque esse, hominem illum quatuordecim pedum altitudinis fuisse. *Sigebertus* scribit, Anno 1171. ossa cujusdam gigantis in Anglia alluvione detecta fuisse, cujus longitudo fuerit pedum quinquaginta. *Saxo Grammaticus* lib. 7. narrat, in regno Hellingorum versus Septentrionem fuisse gigantem Hartbenum nomine, novem cubitos longum, habuisseque duodecim athletas contubernales, quorum proceritatis insignis dimidio videbatur inferior. *Avent.* l. 4. Annal. Bojor. narrat Carolum Magnum Imp. habuisse gigantem Ænotherum nomine in exercitu suo, ortum ex Durgia pago Sueviæ, qui Venetos Avaresque hostes in modum fœni demetebat, & in morem avicularum hastâ velut cuspide fixos humeris suspendebat.

Henrico III. imperante, Anno Christi 1028. corpus giganteæ molis incorruptum in sepulchro Romæ inventum est; quod erectum, urbis mœnia (quæ altissima sunt) superavit, *Crantzio* teste in Metrop. l. 4. c. 15. & aliis, cum *Abulensi* q. 12 in cap. 1. Genes. In ejus pectore erat vulnus quatuor pedum & dimidii; ad caput verò lucerna ardens; epitaphiumque præterea ejusmodi adscriptum.

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hic.

Sub Carolo VII. Gallorum rege, in montana Narbonensis Galliæ parte, juxta Valentiam urbem, Rhodanus sepulchrum detexit, in quo inventa sunt hominis ossa, cujus dimensio triginta pedes implevit. Ita testatur *Fulgosius* lib. 1. cap. 6. qui & sepulchrum, & ossium partem vidit. *Cardanus* lib. 8. de Rerum Variet. cap. 43. ait, tam ingentia hominum ossa inventa

 fuisse

fuisse in Mexici ab Hispanis expugnati sepulchris, ut partiũ ad totum habitâ ratione, viginti palmos excederent magnitudine. In Peruana regione, *Joanne Metello* teste, gigantum ossa reperta sunt, quorum dentes trium digitorum crassitudinem, latitudinem verò quatuor habebant.

§. V. Recentia Gigantum exempla.

Gigantum recentia exempla.

NOn desunt nostrâ & Patrum nostrorum ætate recentia gigantum exempla, nec paucorum, nec paucis in locis existentium. *Antonius* enim *Pigafetta* apud *Majolum* Colloq 2. & *Jonstonum* in Thaumatol. Classe 10. c. 4. art. 1. testatur, visum à se gigantem apud Canibales, qui supra nostrates homines à cingulo emineret. Idem scribit ad fretum Magellanicum se vidisse giganteos populos, quorum cervix ad brachii dimidium longitudine protendebatur. Patagones in America duodecim spithamarum esse, notissimum est, ait *Jonstonus* loc. cit. *Melchior Nugnez* in Litteris Indicis scribit, in regia urbe Pequin Chinensis regni portarum custodes esse giganteæ staturę quindecim pedum. *Argensola* apud Nierembergium l. 5. Hist. Natur. c. 1. testatur, Petrum Sarmiẽtum, cùm Magellanicos sinus exploraret, occurrisse gigantibus, cepisse unum, fugasse cæteros. Est etiam *Petrus Simon* auctor, in Expeditione, quam Joannes Alvarez Maldonatus ab Cuzeo instituit, ut novas exploraret terras, invẽtos gigantes quinq; ulnarum, penè canino vultu, rostro & dentibus acuminatis ac productis; occisum unum utroq; sexu monstrosum, tectum fulvo, raro, nec prolixo pilo. Idem scribit, cùm villa quædam Patrum è Societate nostra ædificaretur, quatuor à Mexico leucis; in cœmentis reperta ossa gigantum, & dentem molarem humanæ manui contractæ, seu pugno æqualem.

Surius narrat in Comment. rerum Anni 1511. cùm Maximilianus Cæsar comitia indixisset ad Augustam Vindelicorum, oblatum illi fuisse virum prodigiosæ vastitatis & crassitudinis, *Fazellus* Decade 1. lib. 3. cap. 1. testatur, paulò ante suam ætatem Catanæ vixisse Galeatium seu Galeotum Bardasinum, tantæ corporis magnitudinis, ut communem hominum staturā verticesque humeris superaret. *Bertius* in descript. Zelandiæ apud Jonstonum loc. cit. refert ex Annalibus Zelandicis, à Guilielmo Bono Hollandiæ Comite ad nuptiarum solemnia Caroli Pulchri Franciæ Regis adductam fuisse inusitatam corporis mole fœminam, natione Zelandam, præ qua proceri etiam viri pusiones videbantur.

Anno Christi 1549. referente *Lycosthene*, natus est puer in agro Tigurino ex parentibus Joanne & Barbara mediocris staturæ, cujus præproperum incrementum fuit omnibus admirationi; nam cùm sextum ætatis annum absolvisset, proceritatem adolescentis quindecim annorum ęquabat, crassitie verò & corpulentiâ superabat; voce insuper erat magnâ, & puber-

tate

tate hiſpida,nec creſcere deſiit.Annos quinque natus ingentia onera bajulabat,& aratrum inſtar hominis adulti moderabatur.Hunc omnes Tigurini noverunt,& Geſnerus ſe quinquennem vidiſſe teſtatur. Non diſſimilis partus prodiit anno 1631. in agro Neapolitano,ex parentibus olitoribus mediocris ſimiliter ſtaturæ. Puer erat,qui ſpatio ſeſquianni altitudinem octo palmorum cum proportionata corpulentia ſuperabat ; cui proinde duarum nutricum alimentum in infantia non ſufficiebat.

§. VI. Quæ ſit cauſa cur Gigantes naſcantur.

Receptiſſimum apud omnes Scriptores,tam Veteres,quàm Recẽtiores eſt,conſentiente etiam *D.Auguſt.* l.15.de Civit. c. 9. citante *Virgilium* lib. 12 Æneid.homines olim (uti & omnia reliqua animalia, & quæcũque animata) longè majoris fuiſſe ſtaturæ, quàm nunc ſint ; ac paulatim ſeneſcente Mundo, alimentisque ſuum vigorem perdentibus, defeciſſe, indiesq; magis deficere. Quæ etiam eſt ſententia Urielis Angeli apud *Esdram* lib.4. cap.5.(qui tamen liber non eſt Canonicus) ubi ait v. 52. & ſeqq. *Interroga eam,quæ parit,& dicet tibi Dices enim ei : Quare quos peperiſti,nunc non ſunt ſimiles his, qui ante te,ſed minores ſtaturâ ? Et dicet tibi & ipſa : Alii ſunt qui in juventute virtutis nati ſunt,& alii qui ſub tempore ſenectutis deficiente matrice ſunt nati.Conſidera ergo & tu,quoniam minori ſtaturâ eſtis præ his, qui ante vos;& qui poſt vos,minori quàm vos,quaſi jam ſeneſcentes creaturæ, & fortitudinem juventutis prætereuntes.* Ex quo ſequitur, omnes homines antiquitùs, non ſolùm ante,ſed etiam multis ſæculis poſt diluvium, ſi cum noſtratibus compararentur,giganteæ fuiſſe ſtaturæ. Et hæc ſine dubio eſt cauſa, cur ubique terrarum,ut vidimus,tàm frequentia reperta fuerint tam immanis molis cadavera.

Gigantes cur naſcantur.

Cur verò tam enormis inter dicta cadavera ſit differentia, quoad vaſtitatẽ,exiſtimo hanc eſſe cauſam,quòd ſicuti nũc inter homines ordinariæ ſtaturæ reperiũtur nõ rarò aliqui extraordinariæ ac penè giganteæ molis ; ita tunc quoque, quando omnibus communis erat proceritas corporũ, reperti fuerint variis in locis nonnulli,qui alios mole ac vaſtitate corporis longè excederent,ac illorum reſpectu Gigantes æſtimarentur. Et horũ cadavera puto eſſe illa,quæ enormem illum cubitorum numerum, in ſuperioribus nonnullis exemplis relatum,exæquare dicuntur. Fuerunt igitur non ſolùm Gigantes olim,ſed Gigantum quoq; Gigantes. Idem in hodiernum diem ſine dubio adhuc contingit inter illos populos, quorum giganteam eſſe ſtaturam retulimus ex Recentioribus Hiſtoricis.

Gigantum gigantes olim erant.

Ad cauſam ſeu originem Gigantum quod attinet,fabulatur *Rabbi Salomon*,illos ex genere duorum Angelorum, qui è cœlo deciderant, nempe Aza & Azael, eſſe genitos, ideoq́ue vocari Hebraicè *Nephilim*, hoc eſt, caden-

cadentes. Sed hoc delirium eſt. Poëtarum quoque turba varias attexit fabulas,quas omitto. *Franciſcus Valeſius* cap. 8 Philoſoph. Sacræ,aliique multi, putant Gigantes ante diluvium natos fuiſſe ex dæmonibus incubis, & fœminis ſuccubis. Sed non eſt quòd ad tam peregrinam confugiamus originem, cùm eàdem de causâ tunc naſci potuerint, quâ poſtea omnibus ſæculis ad noſtra usque tempora variis in locis generantur,utique naturaliter,& ſine dæmonum concurſu,tam à parentibus gigantibus, quàm non gigantibus.

Puto itaque,Gigantes tunc naſci, aut certè extraordinariæ molis homines,quando ſemen utriusque parentis eſt copioſum,craſſum, calidiſſimum,ſpiritibus affluens, & ſeri expers. Tale autem ut ſit, non eſt impoſſibile, nec adeò difficile. Si enim dæmon (ut Valeſius ſuam opinionem explicat) poteſt immittere in uterum mulieris,*non qualecunque,neque quantulumcunque ſemen,ſed plurimum,craßiſſimum,calidiſſimum,ſpiritibus affluens, ſeri expers,deligendo homines calidos,robuſtos,& abundantes multo ſemine, quibus & ſuccumbat,& incumbat,atque utrisque, & viris inquam & fœminis, voluptatem ſolito majorem afferendo*,ut tanto abundantius ſemen emittant; cur non poterit ſimile ſemen ab utroque parente naturaliter, & ſine dæmonis aut ſuccubi aut incubi interventu decidi,ſi uterque robuſtus ſit, & ſemine abundet,& voluptate ardeat? Adde quod,ut lib. 1. cap. 22. probavimus, multò veriſimilius ſit,nunquam ex dæmone incubo, ac multò minùs ex ſuccubo,veros homines fuiſſe natos, tametſi naſci poſſe non ſit improbabile. Atque hoc quod dixi,longè probabilius eſt,quàm quod alii cenſent,qui Gigantum cauſas in aſtrorum influxum, & certum ſiderum ac cœli poſitum referunt. Nobiſcum ſentiunt *Conimbricenſes* Comment. in lib. 1. de Gener. tex. 17.

CAPUT IX.

De hominibus ſylveſtribus,ac piloſis.


OMni ævo,ac variis in locis, noſtrâque etiam & patrum noſtrorum ætate,homines fuiſſe ſylveſtres, piloſos,ferinis moribus, in quibus vix humanitatis ſcintilla reſidua erat ; oſtendunt varia Veterum ac Recentiorum Scriptorum teſtimonia,quotidianaque ferè experientia probat. Ex multis pauca referam.

§. I. Exempla antiqua Hominum Sylveſtrium.

Sylveſtriū hominum

P*Omponius Mela* igitur lib. 3. cap. 43. de Sinu Perſico agens de Carmaniæ populis,ait: *Carmani navigantium dexterâ poſiti ſunt , ſine veſte ac fruge, ſine*

Digitized by Google



Digitized by Google

fine pecore ac sedibus; piscium cute se velant, carne vescuntur, prater capita toto corpore hirsuti. Solinus in Polyhist. cap. 43. de Arthabathitis Æthiopiæ populis loquens, ait: *Arthabathitæ proni, atque quadrupedes, nec secus ac feræ sine sedibus ovagantur, confines Mauritaniæ: certo tempore locustas sylvestres legunt, duratasque salsugine in præsidium vitæ solas habent. Sed ex illis quadragesimum avi annum nullus supergreditur.* Idem capite sequenti 45. de Libyæ populis inter Atlantem montem & Canopicum ostium habitantibus hæc habet: *Ex his Atlantes ab humano ritu prorsus exulant. Nulli proprium vocabulum, nulli speciale nomen. Diris Solis ortus excipiunt, diris occasus prosequuntur; ustique torrentis plagæ sidere oderunt DEUM lucis.* His similia scribit *Plinius* lib. 6. Natur. Histor. cap. 30. & lib. 5. cap. 8. & *Herodotus* lib. 4. Idem *Solinus* proximè citato capite ait: *Himantopodes flexis nisibus crurum repunt potiùs, quàm incedunt, & pergendi usum lapsu magis destinant, quàm gressu.* Sunt Himantopodes idem quod Loripedes, sic dicti ἀπὸ ἱμάντος, καὶ ποδὸς, id est, à loro, & pede, quòd quasi loro eorum sint pedes impliciti, & recurvi, inquit *Joannes Camers* in illum locum. Unde *Plinius* lib. 5. cap. 8. *Himantopodes*, inquit, *Loripedes quidam, quibus serpendo ingredi natura est.* Et *Mela* in fine sui Operis: *Ab eo tractu, quem feræ infestant, proximi sunt Himantopodes inflexi lentis cruribus, quos serpere magis quàm ingredi referunt.* Effigiem talis hominis exhibet præsens Figura. Sylvestres homines collocat etiam *Solinus* cap. 65. in India: Nam *sunt qui sylvestres*, inquit, *hirti corpore, caninis dentibus, stridore terrifico.* Quod & *Plinius* facit lib. 7. cap. 2. ac post ipsum *A. Gellius* lib. 9. Noct. Attic. cap. 4. Esau etiam, ut habetur *Genes.* cap. 27. erat homo pilosus.

exempla antiqua.

Vide Iconismi III. Fig. I.

Legati illi, qui à Summo Pontifice in Tartariam fuerunt missi, ut suprà cap. 6. §. 1. diximus, scribunt in Libro de Rebus Tartaricis cap. 6. in Tartaria quandam gentem sylvestrem esse, habitareque deserta; rrationales videri, quod ad rem propositam nihil respondeant, in cruribus carere flexu poplitis, & cùm ceciderint, solos surgere non posse. Quin hujusmodi sylvestres, toto corpore hirtos ali in regia magni Cham intra hortos, testatur *Odoricus* posterior ante finem apud Majolum Colloq. 2. Omitto alia exempla antiqua, & ad recentia venio.

§. II. Exempla recentia Hominum Sylvestrium.

Scriptoribus & exemplis hactenus de Sylvestribus hominibus relatis, si quis fortasse dubitat, fidem facient sequentia recentissima exempla, quorum similia adhuc quotidie occurrunt.

Sylvestriū hominum exempla recentia.

Jacobus Bontius, Civitatis Bataviæ Novæ in Java Medici Batavi, lib. 5. Histor. Natur. & Medicæ cap. 32. de Hominibus Sylvestribus in Java à se visis hanc narrat historiam. *Vidi ego aliquot utriusque sexus erectè incedentes, inprimis eam (cujus effigiem hic exhibeo) Satyram fœmellam, tantà se verecundiâ ab*

Vide Iconismi III. Fig. II.

ab ignotis sibi hominibus occulentem, tùm quoq; faciem manibus (liceat ita dicere) tegentem, ubertimq; lacrymantem, gemitus cientem, & cæteros humanos actus exprimentem, ut nihil ei humani deesse diceres præter loquelam. Loqui verò eos eaiq; posse, Javani ajunt, sed non velle, ne ad labores cogerentur: ridiculè meHercules. Nomen ei indunt Ourang Outang, *quod Hominem sylvæ significat; eosq; nasci affirmant è libidine mulierum Indarum, quæ se simiis & cercopithecis detestanda libidine miscent.* Hæc ille.

In Insula Buthuan degere homines pilosos, feros & anthropophagos, scribit *Anton. Pigafetta.* De Scythiæ populis per Ducem Moscoviæ subjugatis, versus Arcticum polum inter Septentrionem & Orientem, *Matthias à Michou* Medicinæ Doctor, & Canonicus Cracoviens. lib. 2. de Sarmatia Europæa cap. 5. hæc scribit. *In his regionibus non arant, non seminant, panes non habent, nec pecunias; feris sylvarum, quæ apud eos abundant, vescuntur, & non nisi aquam bibunt: morantur in densis sylvis, in tuguriis ex virgultis factis. Et quia sylvæ illas terras contexerunt, homines sylvestres & ferinos effecerunt. Sunt velut bestiæ ratione non utentes; vestimenta de lana non habent; pellibus teguntur rudè & grossè, consuentes varias pelles insimul, ex lupo, cervo, urso, sabellis, & sciuris, & cæteris, prout sors obtulerit.* Hæc Matthias.

De habitatoribus regni Ferlech, qui montana occupant, scribit *M. Paulus Venetus* lib. 3. c. 14. quòd *nullam habent legem, sed bestialiter viventes, quidquid illis manè primò occurrit, adorant; comeduntq; carnes omnium animalium, mundorum & immundorum, atq; carnes humanas.* In Historia Novi Orbis cap. 110. quod est de Gentibus variis, locisq; innumeris, ab Alonso Nigro repertis, narratur de quibusdam gentibus, quæ *videbantur magnam rusticitatem, imò ferocitatem quandam præ se ferre; quamobrem credidimus sylvestres esse: corpora tamen habent habilissima, symmetricaq;, colore ad nigredinem inclinato, in universum macilenta.* Sylvestrem quoque gentem, & ferarum more viventem, nudamque incedentem, invenit *Vesputius* in navigationibus suis. Sed & *Petrus Martyr* scribit, in Guaccaiarima Hispaniolæ Provincia, sylvestres homines antra sylvasq; habitare, absq; ullo hominũ aliorum commercio, nudos, & sine loquela: captos nunquam cicures fieri, sine ulla lege vivere, solâq; de facie homines rationales videri.

Sylvestres ac pilosi homines in Europa visi.

Nostris etiam in regionibus subinde sylvestres, vel certè pilosi comparuêre homines. *Aldrovandus* in Histor. Monstror. refert, Bononiæ suâ ætate visam puellam octo annorum, pilosam, filiam cujusdam sylvestris hominis annorum quadraginta, orti in Insulis Canariis, qui non solùm dictam filiam genuerit, sed aliam natu majorem, annorum tunc duodecim, & filium annorum viginti. Horum icones hæ sunt. *Erat facies puellæ* (subjungit Aldrovandus) *unà cum fronte, pilosa, præter nares, & labia circa os: pili frontis longiores, & hispidiores erant comparatione ad illos, qui genas tegebant, cùm hi tactu*

Vide Iconismi III. Fig. III. & IV.

Digitized by Google

Iconismus: IV. Ponatur è regione pag. 395.



Digitized by Google

tactu essent molliores: reliqua pars corporis, & potissimum dorsi, hispida erat, & flavis scatens pilis ad lumborum usq; principium: gula, pectus, manus, & brachia pilis erant nudata: cateræ corporis partes aspera, & cutem avium nondum plumescentium æmulabantur. Neq; quis hoc necessarium sibi persuadere debet, ut totū corpus generis sylvestrium hominum pilis scatere debeat; siquidem teste Eusebio Jesuita (is est P. Joannes Eusebius Nierembergius) *visi sunt sylvestres homines, tam in Orientali, quàm in Occidētali Plaga, sive in regione America, egredientes ex materna alvo candidi, nitidi, & laves, veluti nostrates infantes. Sin tractu temporis postea pili in aliqua corporis parte valde excrescant, non tamen dicendum est, totos hirsutos esse debere.* Alias historias multas villosorum hominum apud Europæos repertorum dabimus libro sequenti de Monstris.

& Iconismi IV. Fig. I. & II.

Inter sylvestres homines numerat *Aldrovandus* loc. cit. etiam Cinnamios populos; quos ait ornatu prolixæ barbæ, & pilorū totius corporis esse admirandos, & à finitimis Barbaris homines sylvestres vocari. Nutriunt hi ad vitæ tutelam numerosum canum gregem, quoniam ab æstivo ad hyemale solstitium innumeri boves Indici eorum patriam assiduè ingrediuntur; qua de causa, an ut alias feras vitent, an impulsu hominum acti, an pabuli inopiâ, incertum. Itaq; hi populi, diffidentes suis viribus ad bobus resistendum, canum multitudinem alunt, quibus boves permultos venando capiunt, ac vel recentes edunt, vel salè conditos ad futurum esum recondunt. Alia etiam omnis generis animalia prædictis canibus venantur. Icones Cinnamiæ gentis, tam maris, quàm fœminæ, exhibemus ex supradicto Auctore.

Vide Iconismi IV. Fig. III. & IV.

Sylvestribus ac pilosis hominibus accenset Aldrovandus Cynocephalos, ac Satyros; & alii etiam Tritones, Nereides, & Sirenes. Sed Cynocephalis exceptis, reliqui homines non sunt, ut suprà definivimus cap. 5. §. 3. Sylvestres autem homines hactenus recensitos, esse veros homines, rationis participes, dubium nullum est, quoniam paulatim mansuescunt, & humanitatem induunt, fidem rectam suscipiunt, legibus se subjiciunt, & in optimam gentē evadunt, ut multorum annorum experientia hoc & præterito sæculo docuit multis in locis, præsertim in Americæ regionibus. Bontius tamē insinuat, fœmellam illam, de qua loquitur, non fuisse mulierē, sed Satyram. Pilosorum exempla alia invenies libro sequenti quinto cap. 15.

CAPUT X.

De Androgynis seu Hermaphroditis.

Androgyni seu Hermaphroditi.

ANdrogynos, quasi dicas, Mari-fœminas, vocamus illos homines, qui utrumq; sexum participant, sic dictos ab ἀνὴρ, quod virum, & γυνὴ, quod mulierem significat. Eosdem & Hermaphroditos appellant, à Mercurio,

quem Græci ἑρμῆν, & à Venere, quam iidem ἀφροδίτην vocant, quoniam Venerem à Mercurio compressam autumant talem prolem genuisse, quæ sexum utrumq; participârit.

Androgynorum seu Hermaphroditorum varia exempla.

Fuisse olim, & etiamnum reperiri passim hujus generis homines, ex variis constat historiis. *Aristoteles* lib. 4 de Generat. animal. cap. 4. ait: *Nonnulla etiam duplici genitali, altero maris, altero fœmina nascuntur.* Consentit *Plinius* lib. 7. cap. 2. dicens: *Supra Nasamonas, confinesq; illis Machlyas* (nomina sunt populorum Africæ) *Androgynos esse utriusque natura, inter se vicibus coëuntes, Calliphanes tradit. Aristoteles adjicit, dextram mammam iis virilem, lævam muliebrem esse.* Idem libro eodem cap. 3. *Gignuntur & utriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigiis habitos, nunc verò in deliciis.* Frequentes Hermaphroditos inter nonnullos Barbaros reperiri, testatur *Nierembergius* lib. 8. Histor. Natur. cap. 6. additque, in Virginia Americæ Provincia plures esse, ipsis etiam Indis exosos; & Indos ipsorum operâ uti jumentorum loco, quòd robusti sint ad onera portanda: deportare autem annonam Regum, cùm proficiscuntur ad bellum; defunctos gestare, contagioso morbo affectos ad loca destinata deferre, & medicari. Gigas quoque ille Cynoprosopus à Maldonato inventus in Expeditione sua, & occisus, de quo suprà cap. 8. §. 5. erat hermaphroditus.

Androgyni olim necabantur tanquam mōstra portentosa.

Julius Obsequens scribit, M. Messalâ, & C. Livio Consulibus, Androgynum duodecim ferè annos natum, jussu Aruspicum, fuisse necatum. Item L. Metello, & Q. Maximo Consulibus, Androgynum Lunæ natum, & mandato Aruspicum in mare delatum. Item in agro Romano Androgynum octo annos natum fuisse inventum, & ad mare delatum, L. Cecilio, & L. Aurelio Coss. *Licosthenes* in Prodigiis refert, Anno ante partum Virginis 132. in agro Ferentino Androgynum natum, in flumen fuisse dejectum. Et rursus Anno ante eundem partum 114. Androgynum Saturniæ annorum decem inventum, & alium Urbini Anno 93. & utrumque fuisse in mare demersum. Demergebantur igitur ab antiquis, quia prodigiorum loco habebantur. Multa alia Androgynorum exempla recitat Licosthenes; cujus tamen sæpe fides dubia solet esse. Alia exempla lege apud *Aldrovandum* in Histor. Monstror. pag. 16. 17. & 18. item pag. 515. & 516. editionis Bononiens. ex *Haly Rodoham* in Comment. ad Art. Medic. Galeni, ex *Columbo* lib. 15. Anatom. ex *Hieronymo Montuo* lib. 1. Theor. c. 6. & aliis. Horum ultimus ait, se novisse Hermaphroditum, qui viro nuptus fœmineæ credebatur naturæ, filiosque ac filias peperit, & nihilominùs ancillas comprimebat, & ex iis generabat. *Columbus* verò lib. 13. Anatom. fatetur, fecisse se anatomiam cujusdam Hermaphroditi, diligenterque investigasse vasa seminaria, ut disceret num & qualis inter illa consensus foret, deprehendisseq;

vasa

vasa præparantia à vasis aliarum fœminarum præparantibus minimè discrepare. Agnoscit quoque Hermaphroditos *D.August.* lib. 16. de Civit. cap. 8.

Quatuor porrò differentias inter Hermaphroditos Auctores constituunt. Alios enim vocant Hermaphroditos mares, qui sexum virilem perfectiùs ac validiùs participant, quàm muliebrem, quoad genitalia: alios Hermaphroditos fœminas, in quibus è contrario fœmineus sexus elucet perfectiùs, quàm masculinus: alios Hermaphroditos perfectos quidem, qui nimirum expressam utriusque sexus imaginem in genitalibus referunt, sed tamen ad generationem, & seminis profusionem inefficacem: alios denique Hermaphroditos perfectissimos, in quibus non solùm utriusq; sexus signa perfectè apparent, sed etiam omnes conditiones ad perfectam generationem necessarias habent. Qui hæc clariùs explicata volet, legat *Aldrovandum* in Histor. Monstror. pag. 41. Bononiens. edit. ubi inveniet signa, ex quibus dignoscitur, quinam in Androgynis sexus prævaleat, & quandonam utriusque æqualis sit virtus ac potentia.

Hermaphroditorum quatuor sunt differentiæ.

Quæri solet, num Androgynis liceat matrimonium contrahere, præsertim inter se. Et ratio dubitandi est, quia uterque posset subire vices viri ac fœminæ, & uterq; generare ac parere, præsertim si uterq; sexus in utroque prævaleat; quod non videtur concedendum. Respondetur communiter, concedendum quidem illis esse matrimonium, ob carnis imbecillitatem; non tamen licere utrique utroque sexu uti, sed illo tantùm, qui magis prævalet. Quòd si uterque æquè prævaleat sexus, & uterq; Hermaphroditorum æquè in utrûque incalescat; ajunt, cogendos esse ad sexum eligendum, quo uti velint, & factâ electione adigendos ab Episcopo jurejurando, ita usuros se matrimonio, sicut promissum fuit. Ita docet *Baldus*, & alii in L. Quæritur, D. de statu homin. cum Casistis ac Summistis communiter. Et etiamsi successu temporis mutatio fiat, & qui masculinum sexum elegerat, fœminescat (ut ita dicam) & qui fœmininum, masculescat; standum tamen est promissis, & persistendum in sexu electo, etiam sub pœna capitali, teste *Dareo* apud *Aldrovandum* loc. cit. pag. 43.

Androgynis an liceat matrimonium contrahere.

Quæri præterea solet, quænam sit Androgynorum causa. Nonnulli Astrologi causam in influxum siderum referunt, ajuntque tunc præcipuè Androgynos formari in materno utero, quando conceptus tempore Synodus Veneris ac Mercurii in signis bicorporeis (cujusmodi sunt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Pisces) celebratur. Sed hæ nugæ sunt, & Astrologastrorum somnia. *Suessanus* apud *Aldrovandum* in Histor. Monstr. pag 518. Bonon. Edit. ait, post mensium fluxum à primo congressus die ad quintum, masculos procreari; ad octavum, fœmellas; ad duodecimum Hermaphroditos. Sed huic sententiæ nec ratio, nec experientia suffragatur,

Androgyni cur nascantur, quænam sit causa.

quandoquidem maſculus vel fœmella, nullo dierum intervallo obſervato, ex ſemine maris vel fœminæ prædominante generatur. Adde quòd, ſi poſt duodecimum diem fluxionis menſium producerentur Hermaphroditi, magnus eorum ubique reperiretur numerus. Ipſe igitur *Aldrovandus* cum *Boſcio* in Concordia Philoſophorum & Medicorum, & communiori ſententia, cauſam attribuit æquali ſeminis parentis utriusque vigori. Nam hujusmodi fœtus à materiæ ſeminalis ubertate provenire ſolent. Effusâ enim æquali portione materiæ ſeminalis ab utroque genitore, facultas formatrix, quæ ſimile aliquid ſibi fingere conatur, æqualibus viribus in utramque materiam incumbit; ac proinde mirum non eſt, ſi in uno eodémque fœtu poſtea uterque ſexus reluceat. *Majolus* Colloq. 3. ex *Alberto Magno* lib. 18. de Animal. tract. 2. cap. 3. hanc adſignat cauſam. *Nam ut utriusq; ſexus fiant, ea ratio eſt,* inquit, *quòd humor, unde corpora gignuntur, ab omnibus genitorum* ſeu parentum *partibus fluit, & æquiſsima ſingulorum membrorum portio inſtillatur; ita fit, ut omnia membra, præter genitalia, à maris ac fœminæ ſeminibus ritè ſemper componantur; at de ipſis genitalibus, cùm diverſa utriusq; forma ſit, utriusq; ſemina invicem pugnare neceſſe eſt in efformando hujusmodi genitali. Si igitur utriusq; genitalis materia ſuperflua ſit, tùm maris, tùm fœminæ; neceſſarium illud ſequitur, ut utriusq; forma retineatur, & ideo erit hermaphroditus: at cùm alterius genitale ſemen ab altero abſumitur, ejus forma redditur, quod alterum efficaciâ ſuperavit. Ii igitur populi, qui omnes hermaphroditici ſunt, magnum in modum genitale ſemen, tam mares, quàm fœminæ, emittunt, quod invicem nequeat abſumi.* Prior & communis ſententiæ ratio ſine dubio eſt præferenda.

CAPUT XI.

De Hominibus variarum formarum.

PRæter homines hactenus enarratos, alii ſunt multarum aliarum formarum, apud antiquos & recentes Scriptores. Præcipuorum mentionem faciemus hoc capite.

§. I. De Hominibus Caudatis.

Homines caudati.

NOn deſunt nationes integræ talium hominum, nec rarò inter homines ordinariæ formæ reperiuntur nonnulli, qui vel Naturæ vitio, vel punitione divinâ, caudis ſunt deformati. *Plinius* lib. 7. cap. 2. circa finem ait, *alicubi caudâ villosâ homines naſci pernicitatis eximiæ.* Ad Inſulas Satyridas, in Oceani extremis oris ſitas, vi tempeſtatis appulſos fuiſſe nautas, narrat *Pauſanias* in Atticis, ſive lib. 1 additque, *incolas rufos eſſe, & caudas haud multò equinis minores infra clunes habere.* De regno Lambri Inſulæ Javæ minoris

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

minoris *M. Paulus Venetus* lib. 3. cap. 28. loquens, ait: *Inveniuntur etiam quidam in hoc regno, qui caudas habent, ut canes, longitudinis unius palmi; & hi in civitatibus non habitant, sed in montibus.* Hæc faciunt, ut credibile videatur, quod narrat *Petrus Martyr*, ita scribens: *Est alia regio, dicta Inzignanin. Ad hanc autem incolæ referunt ex majorum relatu, quondam pelago advectas gentes caudatas ad spithamæ longitudinem, & lacerti proceritatem, caudâ non mobili ut in quadrupedibus, sed solidâ in turbinem, ut in piscibus & crocodilis videmus, & in osseam duritiem protentâ. Unde quando sedere cupiebant, sedilibus perforatis utebantur; & illis deficientibus, effossâ tellure ad spithamalem & paulò ampliùs scrobem, caudâ immissa opus erat quiescere.* Anno 1597. Coloniæ natus est pusio, teste *Aldrovando* pag. 592. ex *Schenckio*, qui præter multas partes monstrosas, in parte posteriori supra podicem caudam suillam gestabat.

Sed hæc naturæ sunt opera; quod sequitur, DEI vindictâ contigit. Scribit *Joannes Major* lib. 2. de Gestis Scotorum cap. 9 *Ad Rochestriam transiens Augustinus* Monachus, *in Angliam à S. Gregorio Magno missus, verbum DEI evangelizare cœpit: sed contra virum DEI piscium caudas vulgus irrisoriè projecit: quare Numen supplex Augustinus implorat, quatenus illius loci parvuli caudati, in peccati pœnam nascantur, & quatenus moniti addiscant non temnere Divos. Et propterea, ut Annales Anglorum recitant, parvuli caudati nascebantur.* Cessavit tamen jam pœna illa. In Hispania quoque aliam hujusmodi gentem fuisse, testatur *Nierembergius* lib 1. de Miraculis Europæ cap. ult.

§. II. De Hominibus longas aures habentibus.

Homines longas aures habentes. Vide Iconismi V. Fig. I.

DE Hominibus enormiter auritis mira produntur; quæ quò minùs fabulosa penitus videantur, facit Scriptorum auctoritas. *Plinius* lib. 4. Natur. Histor. cap. 13. meminit Fanesiorum Scythiæ populorum, *in quibus nuda alioquin corpora prægrandes ipsorum aures tota contegant.* Idem lib. 7. cap. 2. cùm dixisset de Indiæ quibusdam populis, aliquos nasci villosâ caudâ ut jam vidimus; addit, *alios auribus totos contegi.* His similia habet *Mela* lib. 3. cap. de Hispaniâ & Septentrionis Insulis, in quibus ait esse *Satmalos, quibus magnæ aures, & ad ambiendum corpus omne patulæ, nudis alioquin pro veste sint; præterquàm quòd fabulis traditur, Auctores etiam quos sequi non pigeat, invenio.* Similia Megasthenem scripsisse refert *Strabo*, quem tamen ipse ridet. Consentit tamen *Solinus* cap. 30. in fine dicens: *Esse Insulas, & Phanesiorum gentem, quorum aures adeò in effusam magnitudinem dilatentur, ut reliqua viscerum illis contegant, nec amiculum aliud sit, quàm ut membra membranis aurium vestiant.* Nec desunt recentia exempla. *Maximilianus Transylvanus* in Epist. de Moluccis ait: *Hinc ad insulam Gilonam ventum est, ubi homines conspexêre auriculis longis, atque adeò pendulis, ut humeros attingerent. Quæ cùm*

admodum

admodum admirarentur nostri, intelligunt ab indigenis, haud longè distare aliam insulam, ubi homines essent non solùm pendulis, sed adeò latis amplisq; auriculis, ut cùm ex usu esset, alterâ earum universum caput contegerent. Accedit *Antonius Pigafetta*, qui apud Ramusium tom. 1. asserit, in quibusdam Insulis non admodum remotis ab Insulis latronũ, adeò longas hominibus auriculas esse, ut brachia tegant. Idem *Pigafetta* asserit, inter Moluccas Insulam quandam adnumerari, cui nomen Aruchetto (cujus suprà etiam mentionem fecimus c.7.§.2.) in eaq; viros ac mulieres esse cubitales, sed adeò expansis auriculis, ut in altera extẽsi jaceãt, alterâ tegãtur. *Antonius Daza*, & *Petrus Simon*, apud *Nierembergium* lib.8. Hist. Natur. c. 1. auctores sunt, homines inveniri Tutanuchas dictos, quibus adeò prolixæ aures sint, ut usq; ad terrã dependeant, & sex homines sub una condi possint. Hos reperiri versus Californiam. Ejusdem rei fidem faciunt Hollandorum & Anglorum navigationes. Hæc Auctores hactenus relati. Ego ut non nego, homines reperiri, quibus solitò majores sint aures, ita ut credam tantæ esse magnitudinis, quantæ dictum, adduci vix possum. Puto itaque pleraque esse hyperbolicè dicta.

§. III. De Hominibus astomis, brachystomis, elinguibus, &c.

Homines astomi, brachystomi, elingues.

HOmo Astomus (ἄστομος græcè) est qui caret ore: Brachystomus (βραχύστομος græcè) qui parvo est ore: Elinguis, qui aut linguâ caret, aut ejus usu est privatus. De singulis varia extant testimonia & exempla *Mela* lib. 3. cap. de Æthiopia, ait: *Sunt autem trans ea, quæ modo deserta diximus, multi populi, & quibus pro eloquio nutus est; alii sine sono linguæ; alii sine linguis; alii labris etiam cohærentibus, nisi quod sub naribus etiam fistula est, per quam bibere avent: sed cùm incessit libido vescendi, grana singula frugum passim nascentium absorbere dicuntur.* Similia habet *Plinius* lib.6. cap. 30. initio, loquens de Æthiopiæ populis. *Ferunt certè*, inquit, *ab Orientis parte infima gentes esse sine naribus, æquali totius oris planitie; alias superiore labro orbas; alias sine linguis. Pars etiam ore concreto, & naribus carens, uno tantùm foramine spirat, potumque calamis avenæ trahit, & grana ejusdem avenæ sponte provenientis, ad vescendum. Quibusdam pro sermone nutus motusq; membrorum est.* Idem lib. 7. cap. 4. *Ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis, Astomorum gentem sine ore, corpore toto hirtam, vestiri frondium lanugine, halitu tantùm viventem, & odore, quem naribus trahunt. Nullum illis cibum, nullumq; potum; tantùm radicum florumque varios odores, & sylvestrium malorum, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus: graviore paulò odore haud difficulter exanimari.* Eadem habet *Solinus* cap 43. in descriptione Æthiopiæ.

Vide Iconismi V. Fig. II & III.

Nierembergius lib 8 Hist. Natur. c. 1. refert ex aliis, esse in Xamocohuyca gentes, *quæ membris purgationi excrementorum destinatis careant, ali propterea solùm odore fructuum, florum, herbarum, quas olfactui & naribus,*

non

non stomacho condiunt. Idem prodere ait *Gregorium Garziam* de quibusdam Peruensibus, eosque propterea semper secum deferre fructus & herbas odoriferas, eoque solùm commeatu uti.

Esse homines prorsus astomos, difficulter adducor ut credam; esse brachystomos, haud difficulter credo. Hos fortassis aliqui viderunt, & propter os exiguum astomos crediderunt. Elingues etiam, hoc est, omni linguâ carentes, difficulter admitto; usu linguæ carentes, & tamen nutibus inter se agentes, non negaverim: nec enim impossibile est, imò nec difficile quidem, nutibus solis inter se agere homines, & animi conceptus manifestare. Excellunt in ea re Siculi, ut sæpe vidi. Et faciunt id passim ac dexterrimè muti. Scripsit ad me Romà præterito anno 1659. P. Athanasius Kircherus, fuisse se Florentiæ, & inter alia rarissima & curiosa à Serenissimo Hetruriæ Duce sibi ostensa, vidisse concertationem nutibus expressam inter mutum ac surdum, disceptantium, num præstaret esse mutum ac surdum simul, an solùm alterutrum. Verba Kircheri sunt: *Finita quasi a Musica, mi rappresentò un' altro spettacolo, non di minore maraviglia, che fosse stato il primo. Erano due di sua natura e mutoli, e sordi. Quasti commandati che traesti cambievolmente disputassero (Il Problema era, s' era meglio essere e sordo e muto, ò veramente sol' uno di questi due) Lo fecero con segni tanto espressivi, che mi fecero affatto stupire; essendo veramente cosa quasi prodigiosa, come possino tanto al vivo dare ad intendere co' gesti e cenni, quello ch' un' altro esprime colle parole.* Hoc est: *Finitâ hac Musicâ* (psittaci nimirum, & canis, cantantium ad sonum clavicymbali) *aliud spectaculum mihi exhibuit, priore non minùs mirabile. Erant duo à nativitate muti & surdi. Hi jussi, ut inter se concertarent (Problema erat, utrum præstaret esse surdum & mutum, an alterutrum tantùm) fecerunt id signis adeò significativis, ut magnum in stuporem me rapuerint: est enim omnino mirabile ac prodigio simile, posse adeò ad vivum exprimere gestibus ac nutibus, quod alii exprimunt verbis.* Alia exempla, quæ quotidie occurrunt, omitto.

Disputatio inter surdum & mutum.

§. IV. De Monoculis, Acephalis, aliisque diversis formis hominum.

PLinius lib. 7. Natur. Hist. cap. 2. de Monoculis ita scribit: *Sed & juxta eos, qui sunt ad Septentrionem versi, haud procul ab ipso Aquilonis exortu, specuq; ejus dicto, quem locum Gesclitron appellant, produntur Arimaspi, quos diximus, uno oculo in fronte media insignes.* Idem de Arimaspis asserit *A. Gellius* lib. 9. cap. 4. dicens: *Item esse homines sub eadem regione cœli, unum oculum habentes in frontis medio, qui appellantur Arimaspi; quâ facie fuisse κύκλωπας, Poëtæ ferunt.* Eadem habet *Solinus* cap. 25. *Arimaspi*, inquit, *circa Gesglitron positi unocula gens est.* Et cap. 45. de Æthiopiæ populis loquens, ait: *Occidentem versus Agriophagi tenent, qui solas Pantherarum & Leonum carnes edunt, rege præditi, cujus in fronte*

Homines Monoculi. Vide Iconismi V. Fig. IV.

Digitized by Google

stiis non dico similem, sed longè deteriorem: bestiæ enim etiam voracissimæ, ut famem sedent, aut voluptati indulgeant, ventrem implent; homines sæpe, ut laudem apud sui similes referant, nec alios post se relinquant. Est tamen sæpe voracitas non hominis, sed naturæ vitium. Utriusque generis exempla dabimus.

Athenæus lib. 10. cap. 1. scribit, Herodotum tubicinem Megarensem magnitudinis trium ulnarum cum dimidia fuisse, ac sex panis semodios edisse, carnium libras viginti, binos vini congios bibisse. *Idem* ibidem ait, Aglaim tubicinem comedisse carnis duodecim libras, quatuorque semodios panis, ac vini congium bibisse. Idem adhuc, mulierem Alexandriæ fuisse ait, quæ libras carnis duodecim ederet, panis quatuor chœnices, id est, totidem & ampliùs librarum, vini autem congium ebiberet. *Sabellicus* lib. 10. cap. 10. & lib. 6. Ennead. 7. ex *Capitolino* scribit, Maximinum Imperatorem, qui Alexandro Mammeæ filio successit, non magis corpulentum & validum, quàm edacem & potulentum fuisse, quippe qui quadraginta libras carnis uno die (alii scribunt sexaginta) esitabat, potabatque vini amphoram, adeò ubertim sudante corpore, ut calice sudor colligeretur, impleretque uno die tres sextarios. Amphora autem octo congios capit. *Flavius Vopiscus* ait, Aureliano Imperatori in deliciis fuisse Phagonem quendam, qui uno die ad mensam Imperatoris ederit aprum integrum, centum panes, vervecem, & porcellum; biberit autem infundibulo ori apposito plus orcâ. Orca erat vas vinarium amphorâ majus. *Plutarchus* in Convival. lib. 1. quæst. 6. scribit, pugilem Heraclidem fuisse prope infiniti cibi potusque capacem, nec ullum in potando parem ipsi repertum.

Athenæus loco suprà cit. de Milone Crotoniata scribit, carnium minas viginti deglutivisse, & panis totidem; vini veró choas persiccasse tres. Eundem in Olympicis quadrimum absumpsisse taurum, quem per stadium retento anhelitu portaverat suis humeris. *Sabellicus* lib. 7. Ennead. 7. de Firmo quodam, fuisse cibi appetentissimum, ut struthionem uno die comederit; biberit ex provocatione duas vini situlas; increpitumque à compotatore quòd fæcem non ebibisset, respondisse, terram non bibi. *Capitolino* teste Clodius Albinus Imperator tantùm pomorum hausit, quantum ratio humana non patitur. Nam & quingentas ficus passarias jejunus comedit, & centum persica campana, & melones Ostienses decem, & uvarum Lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & ostrea quadringenta. *Surius* in Comment. Anni 1511. scribit, virum illum prodigiosæ vastitatis & crassitiei, oblatum Augustæ in Comitiis Maximiliano Cæsari, de quo suprà c. 8. fuisse incredibilis ingluviei, adeó ut integrum vitulum crudum, vel ovem incoctam unà devoraret, & tamen necdum famem expletam.

Digitized by Google

tam diceret. *Ionstonus* in Thaumatol. Classe 10. cap. 2. art. 3. refert, Ugucrionem Fagiolanum jam senem, apud Canem Scaligerum Veronæ gloriatum in mensa, se juvenem quaternos capones altiles, & totidem perdices, item hœdi clunes assos, & vituli infarctum pectus, præter salsamenta, una in cœna esitasse.

Innumeris aliis exemplis omissis, unum aut alterum de recentioribus bibonibus atque edonibus, quæ nullo sæculo defuerunt, adnumero. Hoc ipso sæculo quo hæc scribo, magnus quidam in Europa Princeps potatorem habebat insignem in aula, qui, quoscunque ad potandum invitaret, vincebat. Sciens hoc alius Princeps, qui alterum vel officii, vel negotii causâ convenire volebat, elegit è tota amplissima ditione sua bibonem maximum ac potentissimum, quem secum duceret. Convivii tempore cùm poculis & cantharis certaretur, implet prior modium integrum vino, propinat hospiti, unico exhaurit haustu. Hic Hospes, velut contemnens tam modicum poculum; da moram, inquit, ut probem priùs, num unico etiam haustu, ut tu, evacuare queam; moxque impletum exhaurit: tùm, posse me video, inquit; imple ergo denuò, & vide sis; & cum dicto denuò exhausit, plausumque tulit.

Edonum ac Bibonum exempla recentia.

Alibi plebejus homo, & robustissimus bajulus, cùm cuppam ingentem atque amplissimam musto plenam ad torcular vindemiarum tempore offendisset, multis adstantibus petiit à patrefamilias, liceret sibi os immergere, ac quantum luberet, sorbere. Veniâ obtentâ tantum hausit unicâ continuatâ sorbitione, ut notabiliter in cuppa mustum defecisse appareret.

Alius artocrearum pistorem, dum calidas è furno extrahebat, accedens, quanto pretio soluto liceret sibi ad satietatem comedere, sciscitabatur: moxque solutâ quartâ scuti seu imperialis taleri parte, (quantum pistor petierat) ad unam omnes, quotquot è furno extrahebantur, absumpsit artocreas: quod timens pistor, cùm bibere eum inter vorandum jussisset; tùm bibam, ait, cùm alterum subsequentem furnum absumere occepero, nondum enim satur sum. Quo audito, restituit pistor pretium solutum, damno præterito futurum præcavens damnum. Piget plura, quæ occurrunt, addere.

Variæ porrò sunt causæ voracitatis ac bibacitatis immodicæ. Nam aliquando oritur ex intemperantia, aliquando ex morbo aliquo, quem caninam appetentiam appellant, aliquando ope diaboli, aliquando ex vermibus ventriculi. *Gemma Frisius* lib. 1. Cosmocrit. cap. 6. meminit cujusdam mulieris ætate suâ non adeò grandævæ, *quæ ne ad momentum quidem absque ingestione ciborum & potuum vivere potuit, quin illico et anxia supra modum exiliret, & tanquam injecto laqueo strangulanda quamprimùm videretur.* *Hoc illi*

Voracitatis ac bibacitatis immodicæ causæ.

vitium ferè à pueris cum ætate habuit incrementum. Creditum est multis aut anguem, aut simile quidpiam in corpore nasci. Tentatis variis, nihil omnes Medici profecére, sed una duntaxat ratio fuit referenda in hepatis molem, vel, ut verbo dicam (quod priùs naturâ fuit) monstrosam ἰδιοσυγκρασίαν. Nam auctâ pinguedine supra modum, & calore suffocato, apertus est venter, detractaq; adipis libræ propemodum viginti, inventum hepar integrius, turgidum sanguine spirituque, sed impensiùs rubens, ac mole ineffabili, ut solâ scilicet magnitudine membra spiritalia, & conterminas partes oppresserit. Hæc Gemma.

Theodoretus in Histor. sect. 13. narrat de quodam energumenô, qui tametsi uno die triginta gallinas degularet, appetitionem tamen non poterat satiare. Tanta tamen fames cum dæmone expulsa est à S. Macedonio aquâ benedictâ, adeò ut talis priùs helluo, postea parvâ gallinæ particulâ fuerit contentus. Alium fuisse refert *Palladius* in Vita Abbatis Macarii sect. 17. qui trium modiorum panes unâ vice devorare solebat, & eosdem mox eructans resolvebat in vaporem: & cùm panes deessent, sua ipse excrementa comedebat, & suum potabat lotium.

Quidam Religiosus vir, ut ab alio itidem Religioso ac fide dignissimo, qui illum familiariter noverat, audivi, nunquam domo efferebat pedem, quin panis frustum secum deferret. Corripiebatur enim quandoque tantâ ac tam intolerabili edendi aviditate, ut si quod comederet, non occurreret, humo allideretur, & ingenti dolore excruciaretur.

Voracitatis miræ exempla.

Quæ sequuntur, utique præstigiosa sunt. Refert ea *Nierembergius* lib. 3. Histor. Natur. cap. 9. *Incredibilia*, inquiens, *nuper vidimus in hac Aula Philippica* Madriti: *hominem qui omnia gustaret, omnia voraret, laneos adhuc pannos, & coria, & mures vivos. Imò semel visus est manducare vivum felem cum pelle & pilis: ipsumque ejulans & repugnans animal mordebat ipse. Crudele prorsus spectaculum. Nihilominùs ostendi, non novum hoc in Natura fuisse. Nam monstrum simile legi apud Realdum Columbum, qui in Anatome sua libro ult. sic ait. Quod majore admiratione me affecit, fuit inspectio Lazari, Vitri-voracis vulgò dicti, quem Patricii omnes Veneti, imò Veneti omnes, omnes Ferrarienses de facie noverant. Hic nullo prorsus gusto, dum viveret, præditus erat, nullam in edendo voluptatem, nihil injucundum persentiebat: insipida, amara, dulcia, pinguia, salsa, acria non distinguebat; vitrum, saxa, lapides, ligna, viva animalia, carbones, pisces è vivario extractos adhuc salientes vorabat. Vorabat lutum, lineos laneosque pannos, fœnum, stipulam, & ut brevi omnia complectar, quidquid homines, quidquid animantia vorant. Quidquid illi edendum, seu deglutiendum potiùs offerebatur, mercede propositâ, dictum ac factum, ingurgitabat. Testis est inter reliquos Martinus Aromatarius Patavii ad Angeli insigne; cui sacculum carbone refertum, & sacculum insuper devoravit. Quo viso persolvit quod pollicitus fuerat, comminatus ne ad pharmacopolium ampliùs accederet, veritus ne se cum taberna &*

vasis

vasis excitaret. Cùm igitur hoc Naturæ monstrum mihi dissecandum esset Patavii, cæpi hujusce rei diligenter, quoad ejus fieri potuit, causam venari; quam me tandem, DEO duce, ex particulari illius structura assecutum esse confido. Nam quarta nervorum conjugatio, quæ gustus gratiâ in aliis hominibus à Natura producta est, in hoc Lazaro Vitri-voracè neque ad palatum, neque ad linguam repebat, sed ad occipitium reflectebatur. Hæc Realdus.

Prioris voracitas erat utique, ut dixi, præstigiosa, quamvis Nierembergius aliter sentire videatur. Posterioris non tam voracitas erat, quàm gustus privatio: quæ tametsi rara sit, naturalem tamen causam habet. Solet hæc sensationis privatio in aliis etiam sensibus occurrere: nam & ego personam novi, quæ à nativitate ad finem vitæ usque omni odoratus sensatione fuit destituta.

Odoratu destituta persona.

CAPUT XIII.

Iterum de monstrosis Bibonibus, & Ebriosis; deq; remediis ebrietatis.

QUod *Seneca* olim prædixit, fore, ut aliquando honor ebrietati sit habendus, & plurimùm meri cepisse reputatum iri virtuti; id in sequentibus ad nostra usque tempora evenisse, haud dubia monstrant exempla. Optimus sanè non semel judicatus fuit, *non qui sermone philosophico uti novit, sed qui multos maximosque calices exsiccavit*, ait quodam loco *Galenus.* Et quoties potantibus apposita fuêre præmia? *Ælianus* lib. 2. Variar. Histor. *Athenæus* lib. 10. cap. 12. *Plutarchus* in Vita Alexandri Magni, cum aliis referunt, cùm Calanus Indus Philosophus se in pyram accensam conjecisset, ejus exequias celebrasse Alexandrum, & præter musicum certamen, & palæstram, meri quoq; certamen, ob Indos vini studiosos, instituisse, in eoque primum præmium fuisse talentum, alterum minas triginta, tertium verò decem. Ex iis qui vinum biberunt, triginta & quinque continuò ob ingens gelu obortum interierunt: at sex pauco intervallo interposito mortui sunt in tentoriis. Qui plurimùm bibendo vicit, Promachus Macedo, meri quatuor choas hausit, & propterea ab Alexandro talenti coronâ donatus est; sed triduo tantùm supervixit.

Bibonum insignium exempla.

Athenæus paulò antè citato lib. 10. cap. 11. refert, cùm Alexander Magnus aliquando poculum bicongium (viginti libras continebat) expetisset, bibensque Proteam Macedonem, & potationibus adsuetum provocasset; ille accepit; atque cùm regem pluribus verbis laudasset, ita bibit, ut ei ab omnibus applauderetur. Postea verò exiguo tempore interposito idem poculum expetivit Proteas, rursusque bibit regem provocans. Quod capiens Alexander, egregiè quidem bibit, non tamen potuit ferre, sed.

Digitized by Google

re, sed poculo ex manibus demisso in pulvinar decubuit. Idem Alexander cùm apud Medium Thessalum cœnaret, adessentque viginti in Symposio; omnes provocavit, ab omnibus pariter accipiens.

Bibonum recentia exempla.

Paucis ab hinc annis diem vixit ultimum Dux bello inclytus, rebusque præclarè pro Imperio Romano gestis maximè celebris. Hic in convivio quodam cùm à multis Belliducibus, aliisque primariis viris diu multùmque ad bibendum in sanitatem (more Germanorum nostrorum) diversorum Potentatum ac Principum fuisset provocatus, omnibusque ac singulis strenuè respondisset; jussit tandem tot Scyphos impleri, quot mensæ assidebant, omnesque simul toties propinavit singulis, atque exhausit, quoties antea singulos evacuârat. In Nuptiis cujusdam Nobilis, tempore Lipsii, quidam sex congios simul exhausit, teste *Jonstono* in Thaumatol. class. 10. cap. 2. art. 4.

Ebrietatem quæ impediant.

Ebrietatis exempla nulla affero, quia adeò frequentia sunt, ut admirationem ampliùs non mereantur. Ebrietati multa resistere experientia docuit. Brassicam imprimis crudam, illam præsertim quæ plus cæteris rubescit, id facere, *Levinus Lemn.* lib. 2. de Occult. cap. 11. testatur; calidam maceratam, capitique circumpositam, *Galenus* lib. 2. de Composit. Medicam. cap. 5. Causam si quæris, alii ex esu ejus crassos elevari vapores, qui vinosos spiritus incrassent, scribunt; Aristoteles verò ait, humores vinosos undique in alvum trahere, corpusque refrigerare. Eadem vis hederæ tribuitur à Weckero; apio, nucibus, lupinis, ab *Alexandro*; pulveri pumicis in aqua sumpti à *Fumanello*; croco à *Gratarolo* de Vini nat. cap. 5. caprino pulmoni ab *Africano*; lacti jejuno stomacho sumpto, ab *Amando* de Sancta Sophia lib. de veris secretis; pulti ex lacte & farina hordei cum aceto sumptæ; à *Platero* Prax. Medic. tom. 1. cap. 3. Idem *Platerus* pulverem quendam ebrietati resistentem ita describit. *Recipe seminum caulium drachmam unam, coriandri drachmas quinque, camphoræ grana decem. Fiat pulvis, cujus cochlear unum ex vino austero exbibeatur.* Abstemium reddere dicitur hirundinum stercus pulverizatum, & bibitum, si Plinio credimus.

CAPUT XIV.

De diuturna quorundam hominum à cibo & potu abstinentia; & num ea fuerit naturalis.

Mira & ferè incredibilia diuturnæ abstinentiæ à cibo & potu extant apud varios Auctores exempla: quorum quidem aliqua sine dubio miraculosè ac supernaturaliter, alia dæmonis ope contigerunt: an verò nonnulla etiam naturaliter contigerint, & vires Naturæ minimè excesserint, meritò dubitatur, ut postea videbimus. Posse enim dæmo-

dæmonem naturalibus ac sibi notis, nobis autem occultis mediis diuturnam procurare inediam, probavimus lib. 1 cap. 30. Posse quoque ac solere non rarò homines miraculosè ab omni cibo ac potu abstinere longo tempore, probat quadragesimale jejunium Christi, Moysis, Eliæ, aliorumque Sanctorum abstinentia longissima ab omni cibo, præterquam ab Eucharistico. Nos illa præcipuè proferemus hoc loco exempla diuturnæ inediæ ac imbibentiæ, quæ naturæ viribus contigisse videntur; eorumque causam indagabimus.

§. I. Exempla inediæ aut perpetuæ, aut diuturnæ.

Inediæ perpetuæ, aut diuturnæ exempla.

Fuisse olim ad extremos Indiæ fines ab Oriente, circa fontem Gangis, Astomorum gentem sine ore, halitu tantùm atque odore viventem, quem naribus trahebant, suprà cap. 11 §. 3. ex *Plinio*, & *Solino* retulimus. Similia etiam ex *Nierembergio* & *Gregorio Garzia* addidimus. Quæ si vera sunt, fatendum est, illos populos perpetuam ab omni cibo & potu inediam servasse. *Plutarchus* lib. 8. Quæst. Convival. q. 9. refert ex Aristotele, Timonis in Cilicia aviam, aut nutricē, delitescere solitam quovis anno per spatium bimestre, ac nullâ re aliâ quàm spiratione victitasse. *Olympiodorus* Platonicus, interpres Aristotelis, teste *Cœlio Rhodig.* lib. 24. c. 21. scripsit, Aristotelis, qui rem vidit, testimonio, fuisse hominem, qui quoad vixit, neque manducaverit unquam, neque dormiverit, tantùm in Sole manendo alimentum ac sustentationē ex aëre acceperit. Persimilia his scribit *Plato* in Phædone.

Inediæ diuturnæ exempla alia.

S. Augustinus Epist. 86. ad Casulanum affirmat, temporibus suis quendam vixisse quadraginta diebus sine cibo. De alio quoque asserit Petrarcha apud *Fulgosum* lib. 1. cap. 2. & H. Benedictus Medicus apud *Lilium Gyraldum* Dialogis, 17. in Thesauro Critico Gruteri fol. 2. idem fecisse Venetiis, & à multis rei experimentum fuisse factum. In Tullensi territorio, villâ Commerciaco, puella duodenis post sacram Communionem in Paschate à Sacerdote susceptam, primùm per decem menses pane, deinde omni cibo & potu per triennium abstinuit, & pòst ad communem hominum vitam rediit, teste *Sigeberto* Anno Christi 823. *Abbas Urspergensis* apud Gyraldum loco paulò pòst citando refert hanc historiam ad Annum Christi 1322. ut & *Fulgosius* lib. 1. cap. 6.

Albertus Magnus lib. 7. Animal. scriptum reliquit, fuisse fœminam Coloniæ in Germania sub Friderico II. Imperat. quæ sine cibo dies quandoq; viginti transmiserit, sæpe verò & triginta. Virum quoque melancholicum se vidisse testatur, qui sine cibo septem perseveraverit hebdomadas, alternis tantùm diebus aquam exsorbentem. *Cœlius Rhodiginus* lib. 13. cap. 24. testatur, visam in Hispania puellam, quæ comederet nihil, ac haustu tantùm aquæ vitam protraheret ad multos annos. Idem testatur, quendam bien-

Digitized by Google

quem Græci ἑρμῆν, & à Venere, quam iidem ἀφροδίτην vocant, quoniam Venerem à Mercurio compressam autumant talem prolem genuisse, quæ sexum utrumq; participârit.

Androgynorum seu Hermaphroditorum varia exempla.

Fuisse olim, & etiamnum reperiri passim hujus generis homines, ex variis constat historiis. *Aristoteles* lib. 4 de Generat. animal. cap. 4. ait: *Nonnulla etiam duplici genitali, altero maris, altero fœmina nascuntur.* Consentit *Plinius* lib. 7. cap. 2. dicens: *Supra Nasamonas, confinesq; illis Machlyas* (nomina sunt populorum Africæ) *Androgynos esse utriusque natura, inter se vicibus coëuntes, Calliphanes tradit. Aristoteles adjicit, dextram mammam iis virilem, lævam muliebrem esse.* Idem libro eodem cap. 3. *Gignuntur & utriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigiis habitos, nunc verò in deliciis.* Frequentes Hermaphroditos inter nonnullos Barbaros reperiri, testatur *Nierembergius* lib. 9. Histor. Natur. cap. 6. additque, in Virginia Americæ Provincia plures esse, ipsis etiam Indis exosos; & Indos ipsorum operâ uti jumentorum loco, quòd robusti sint ad onera portanda: deportare autem annonam Regum, cùm proficiscuntur ad bellum; defunctos gestare, contagioso morbo affectos ad loca destinata deferre, & medicari. Gigas quoque ille Cynoprosopus à Maldonato inventus in Expeditione sua, & occisus, de quo suprà cap. 8. §. 5. erat hermaphroditus.

Androgyni olim necabantur tanquam mõstra portentosa.

Julius Obsequens scribit, M. Messalâ, & C. Livio Consulibus, Androgynum duodecim ferè annos natum, jussu Aruspicum, fuisse necatum. Item L. Metello, & Q. Maximo Consulibus, Androgynum Lunæ natum, & mandato Aruspicum in mare delatum. Item in agro Romano Androgynum octo annos natum fuisse inventum, & ad mare delatum, L. Cecilio, & L. Aurelio Coss. *Licosthenes* in Prodigiis refert, Anno ante partum Virginis 132. in agro Ferentino Androgynum natum, in flumen fuisse dejectum. Et rursus Anno ante eundem partum 114. Androgynum Saturniæ annorum decem inventum, & alium Urbini Anno 93. & utrumque fuisse in mare demersum. Demergebantur igitur ab antiquis, quia prodigiorum loco habebantur. Multa alia Androgynorum exempla recitat Licosthenes; cujus tamen sæpe fides dubia solet esse. Alia exempla lege apud *Aldrovandum* in Histor. Monstror. pag. 16. 17. & 18. item pag. 515. & 516. editionis Bononiens. ex *Haly Rodoham* in Comment. ad Art. Medic. Galeni, ex *Columbo* lib. 15. Anatom. ex *Hieronymo Montuo* lib. 1. Theor. c. 6. & aliis. Horum ultimus ait, se novisse Hermaphroditum, qui viro nuptus fœmineæ credebatur naturæ, filiosque ac filias peperit, & nihilominùs ancillas comprimebat, & ex iis generabat. *Columbus* verò lib. 15. Anatom. fatetur, fecisse se anatomiam cujusdam Hermaphroditi, diligenterque investigasse vasa seminaria, ut disceret num & qualis inter illa consensus foret, deprehendisseq; vasa

vasa præparantia à vasis aliarum fœminarum præparantibus minimè discrepare. Agnoſcit quoque Hermaphroditos *D.August.* lib. 16. de Civit. cap. 8.

Hermaphroditorum quatuor sunt differentiæ.

Quatuor porrò differentias inter Hermaphroditos Auctores conſtituunt. Alios enim vocant Hermaphroditos mares, qui ſexum virilem perfectiùs ac validiùs participant, quàm muliebrem, quoad genitalia : alios Hermaphroditos fœminas, in quibus è contrario fœmineus ſexus elucet perfectiùs, quàm maſculinus : alios Hermaphroditos perfectos quidem, qui nimirum expreſſam utriusque ſexus imaginem in genitalibus referunt, ſed tamen ad generationem, & ſeminis profuſionem inefficacem : alios denique Hermaphroditos perfectiſſimos, in quibus non ſolùm utriusq; ſexus ſigna perfectè apparent, ſed etiam omnes conditiones ad perfectam generationem neceſſarias habent. Qui hæc clariùs explicata volet, legat *Aldrovandum* in Hiſtor. Monſtror. pag. 41. Bononienſ. edit. ubi inveniet ſigna, ex quibus dignoſcitur, quinam in Androgynis ſexus prævaleat, & quandonam utriusque æqualis ſit virtus ac potentia.

Androgynis an liceat matrimonium contrahere.

Quæri ſolet, num Androgynis liceat matrimonium contrahere, præſertim inter ſe. Et ratio dubitandi eſt, quia uterque poſſet ſubire vices viri ac fœminæ, & uterq; generare ac parere, præſertim ſi uterq; ſexus in utroque prævaleat ; quod non videtur concedendum. Reſpondetur communiter, concedendum quidem illis eſſe matrimonium, ob carnis imbecillitatem; non tamen licere utrique utroque ſexu uti, ſed illo tantùm, qui magis prævalet. Quòd ſi uterque æquè prævaleat ſexus, & uterq; Hermaphroditorum æquè in utrûque incaleſcat; ajunt, cogendos eſſe ad ſexum eligendum, quo uti velint, & factâ electione adigendos ab Epiſcopo jurejurando, ita uſuros ſe matrimonio, ſicut promiſſum fuit. Ita docet *Baldus*, & alii in L. Quæritur, D. de ſtatu homin. cum Caſiſtis ac Summiſtis communiter. Et etiamſi ſucceſſu temporis mutatio fiat, & qui maſculinum ſexum elegerat, fœmineſcat (ut ita dicam) & qui fœmininum, maſculeſcat ; ſtandum tamen eſt promiſſis, & perſiſtendum in ſexu electo, etiam ſub pœna capitali, teſte *Dareo* apud *Aldrovandum* loc. cit. pag. 43.

Androgyni cur naſcantur, quænam ſit cauſa.

Quæri præterea ſolet, quænam ſit Androgynorum cauſa. Nonnulli Aſtrologi cauſam in influxum ſiderum referunt, ajuntque tunc præcipuè Androgynos formari in materno utero, quando conceptus tempore Synodus Veneris ac Mercurii in ſignis bicorporeis (cujusmodi ſunt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Piſces) celebratur. Sed hæ nugæ ſunt, & Aſtrologaſtrorum ſomnia. *Sueſſanus* apud *Aldrovandum* in Hiſtor. Monſtr. pag. 518. Bonon. Edit. ait, poſt menſium fluxum à primo congreſſus die ad quintum, maſculos procreari; ad octavum, fœmellas ; ad duodecimum Hermaphroditos. Sed huic ſententiæ nec ratio, nec experientia ſuffragatur,

Ddd 3 quando-

Digitized by Google

quandoquidem masculus vel fœmella, nullo dierum intervallo observato, ex semine maris vel fœminæ prædominante generatur. Adde quòd, si post duodecimum diem fluxionis mensium producerentur Hermaphroditi, magnus eorum ubique reperiretur numerus. Ipse igitur *Aldrovandus* cum *Boscio* in Concordia Philosophorum & Medicorum, & communiori sententia, causam attribuit æquali seminis parentis utriusque vigori. Nam hujusmodi fœtus à materiæ seminalis ubertate provenire solent. Effusâ enim æquali portione materiæ seminalis ab utroque genitore, facultas formatrix, quæ simile aliquid sibi fingere conatur, æqualibus viribus in utramque materiam incumbit; ac proinde mirum non est, si in uno eodémque fœtu postea uterque sexus reluceat. *Majolus* Colloq. 3. ex *Alberto Magno* lib. 18. de Animal. tract. 2. cap. 3. hanc adsignat causam. *Nam ut utriusq; sexus fiant, ea ratio est,* inquit, *quod humor, unde corpora gignuntur, ab omnibus genitorum* seu parentum *partibus fluit, & æquissima singulorum membrorum portio instillatur; ita fit, ut omnia membra, præter genitalia, à maris ac fœminæ seminibus ritè semper componantur; at de ipsis genitalibus, cùm diversa utriusq; forma sit, utriusq; semina invicem pugnare necesse est in efformando hujusmodi genitali. Si igitur utriusq; genitalis materia superflua fit, tùm maris, tùm fœminæ; necessarium illud sequitur, ut utriusq; forma retineatur, & ideo erit hermaphroditus: at cùm alterius genitale semen ab altero absumitur, ejus forma redditur, quod alterum efficaciâ superavit. Ii igitur populi, qui omnes hermaphroditici sunt, magnum in modum genitale semen, tam mares, quàm fœminæ, emittunt, quod invicem nequeant absumi.* Prior & communis sententiæ ratio sine dubio est præferenda.

CAPUT XI.

De Hominibus variarum formarum.

PRæter homines hactenus enarratos, alii sunt multarum aliarum formarum, apud antiquos & recentes Scriptores. Præcipuorum mentionem faciemus hoc capite.

§. I. De Hominibus Caudatis.

Homines caudati.

NOn desunt nationes integræ talium hominum, nec rarò inter homines ordinariæ formæ reperiuntur nonnulli, qui vel Naturæ vitio, vel punitione divinâ, caudis sunt deformati. *Plinius* lib. 7. cap. 2. circa finem ait, *alicubi caudâ villosâ homines nasci pernicitatis eximiæ.* Ad Insulas Satyridas, in Oceani extremis oris sitas, vi tempestatis appulsos fuisse nautas, narrat *Pausanias* in Atticis, sive lib. 1 additque, *incolas rufos esse, & caudas haud multò equinis minores infra clunes habere.* De regno Lambri Insulæ Javæ

minoris

Iconismus V. Ponatur è regione pag. 399.



Digitized by Google

minoris *M. Paulus Venetus* lib. 3. cap. 28. loquens, ait: *Inveniuntur etiam quidam in hoc regno, qui caudas habent, ut canes, longitudinis unius palmi; & hi in civitatibus non habitant, sed in montibus.* Hæc faciunt, ut credibile videatur, quod narrat *Petrus Martyr*, *ita scribens: Est alia regio, dicta Inzignanin. Ad hanc autem incolæ referunt ex majorum relatu, quondam pelago advectas gentes caudatas ad spithamæ longitudinem, & lacerti proceritatem, caudâ non mobili ut in quadrupedibus, sed solidâ in turbinem, ut in piscibus & crocodilis videmus, & in osseam duritiem protentâ. Unde quando sedere cupiebant, sedilibus perforatis utebantur; & illis deficientibus, effossâ tellure ad spithamalem & paulò ampliùs scrobem, caudâ immissa opus erat quiescere.* Anno 1597. Coloniæ natus est pusio, teste *Aldrovando* pag. 592. ex *Schenckio*, qui præter multas partes monstrosas, in parte posteriori supra podicem caudam suillam gestabat.

Sed hæc naturæ sunt opera; quod sequitur, DEI vindictâ contigit. Scribit *Joannes Major* lib. 2. de Gestis Scotorum cap. 9 *Ad Rochestriam transiens Augustinus* Monachus, *in Angliam à S. Gregorio Magno missus, verbum DEI evangelizare cœpit: sed contra virum DEI piscium caudas vulgus irrisoriè projecit: quare Numen supplex Augustinus implorat, quatenus illius loci parvuli caudati, in peccati pœnam nascantur, & quatenus moniti addiscant non temnere Divos. Et propterea, ut Annales Anglorum recitant, parvuli caudati nascebantur.* Cessavit tamen jam pœna illa. In Hispania quoque aliam hujusmodi gentem fuisse, testatur *Nierembergius* lib. 1. de Miraculis Europæ cap. ult.

§. II. De Hominibus longas aures habentibus.

DE Hominibus enormiter auritis mira produntur; quæ quò minùs fabulosa penitus videantur, facit Scriptorum auctoritas. *Plinius* lib. 4. Natur. Histor. cap. 13. meminit Fanesiorum Scythiæ populorum, *in quibus nuda alioquin corpora prægrandes ipsorum aures tota contegant.* Idem lib. 7. cap. 2. cùm dixisset de Indiæ quibusdam populis, aliquos nasci villosâ caudâ ut jam vidimus; addit, *alios auribus totos contegi.* His similia habet *Mela* lib. 3. cap. de Hispania & Septentrionis Insulis, in quibus ait esse *Sarmalos, quibus magnæ aures, & ad ambiendum corpus omne patulæ, nudis alioquin pro veste sint; præterquàm quòd fabulis traditur, Auctores etiam quos sequi non pigeat, invenio.* Similia Megasthenem scripsisse refert *Strabo*, quem tamen ipse ridet. Consentit tamen *Solinus* cap. 30. in fine dicens: *Esse Insulas, & Phanesiorum gentem, quorum aures adeò in effusam magnitudinem dilatentur, ut reliqua viscerum illis contegant, nec amiculum aliud sit, quàm ut membra membranis aurium vestiant.* Nec desunt recentia exempla. *Maximilianus Transylvanus* in Epist. de Moluccis ait: *Hinc ad insulam Gilonam ventum est, ubi homines conspexere auriculis longis, atque adeò pendulis, ut humeros attingerent. Quæ cùm* admodum

Homines longas aures habentes. Vide Iconismi V. Fig. I.

Digitized by Google

admodum admirarentur nostri, intelligunt ab indigenis, haud longè distare aliam insulam, ubi homines essent non solùm pendulis, sed adeò latis amplisq; auriculis, ut cùm ex usu esset, alterâ earum universum caput contegerent. Accedit *Antonius Pigafetta*, qui apud Ramusium tom. 1. asserit, in quibusdam Insulis non admodum remotis ab Insulis latronũ, adeò longas hominibus auriculas esse, ut brachia tegant. Idem *Pigafetta* asserit, inter Moluccas Insulam quandam adnumerari, cui nomen Aruchetto (cujus suprà etiam mentionem fecimus c.7.§.2.) in eaq; viros ac mulieres esse cubitales, sed adeò expansis auriculis, ut in altera extẽsi jaceãt, alterâ tegãtur. *Antonius Daza*, & *Petrus Simon*, apud *Nierembergium* lib.8. Hist. Natur. c.1. auctores sunt, homines inveniri Tutanuchas dictos, quibus adeò prolixæ aures sint, ut usq; ad terrã dependeant, & sex homines sub una condi possint. Hos reperiri versus Californiam. Ejusdem rei fidem faciunt Hollandorum & Anglorum navigationes. Hæc Auctores hactenus relati. Ego ut non nego, homines reperiri, quibus solitò majores sint aures, ita ut credam tantæ esse magnitudinis, quantæ dictum, adduci vix possum. Puto itaque pleraque esse hyperbolicè dicta.

§. III. De Hominibus astomis, brachystomis, elinguibus, &c.

Homines astomi, brachystomi, elingues.

HOmo Astomus (ἄστομος græcè) est qui caret ore: Brachystomus (βραχύστομος græcè) qui parvo est ore: Elinguis, qui aut linguâ caret, aut ejus usu est privatus. De singulis varia extant testimonia & exempla *Mela* lib.3. cap. de Æthiopia, ait: *Sunt autem trans ea, quæ modo deserta diximus, multi populi, & quibus pro eloquio nutus est; alii sine sono linguæ; alii sine linguis; alii labris etiam cohærentibus, nisi quod sub naribus etiam fistula est, per quam bibere avent: sed cùm incessit libido vescendi, grana singula frugum passim nascentium absorbere dicuntur.* Similia habet *Plinius* lib.6. cap. 30. initio, loquens de Æthiopiæ populis. *Ferunt certè*, inquit, *ab Orientis parte infima gentes esse sine naribus, æquali totius oris planitie; alias superiore labro orbas; alias sine linguis. Pars etiam ore concreto, & naribus carens, uno tantùm foramine spirat, potumque calamis avenæ trahit, & grana ejusdem avenæ sponte provenientis, ad vescendum. Quibusdam pro sermone nutus motusq; membrorum est.* Idem lib. 7. cap.4. *Ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis, Astomorum gentem sine ore, corpore toto hirtam, vestiri frondium lanugine, halitu tantùm viventem, & odore, quem naribus trahunt. Nullum illis cibum, nullumq; potum; tantùm radicum florumque varios odores, & sylvestrium malorum, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus: graviore paulò odore haud difficulter exanimari.* Eadem habet *Solinus* cap 43. in descriptione Æthiopiæ.

Vide Iconismi V. Fig. II & III.

Nierembergius lib 8 Hist. Natur. c.1. refert ex aliis, esse in Xamocohuyca gentes, *quæ membris purgationi excrementorum destinatis careant, ali propterea solùm odore fructuum, florum, herbarum, quas olfactui & naribus,*

non

non stomacho condiunt. Idem prodere ait *Gregorium Garziam* de quibusdam Peruensibus, eosque propterea semper secum deferre fructus & herbas odoriferas, eoque solùm commeatu uti.

Esse homines prorsus astomos, difficulter adducor ut credam; esse brachystomos, haud difficulter credo. Hos fortassis aliqui viderunt, & propter os exiguum astomos crediderunt. Elingues etiam, hoc est, omni linguâ carentes, difficulter admitto; usu linguæ carentes, & tamen nutibus inter se agentes, non negaverim: nec enim impossibile est, imò nec difficile quidem, nutibus solis inter se agere homines, & animi conceptus manifestare. Excellunt in ea re Siculi, ut sæpe vidi. Et faciunt id passim ac dexterrimè muti. Scripsit ad me Româ præterito anno 1659. P. Athanasius Kircherus, fuisse se Florentiæ; & inter alia rarissima & curiosa à Serenissimo Hetruriæ Duce sibi ostensa, vidisse concertationem nutibus expressam inter mutum ac surdum, disceptantium, num præstaret esse mutum ac surdum simul, an solùm alterutrum. Verba Kircheri sunt: *Finita quasi a Musica, mi rappresentò un' altro spettacolo, non di minore maraviglia, che fosse stato il primo. Erano due di sua natura e mutoli, e sordi. Quesli comman. dati che traessi cambievolmente e disputassero (Il Problema era, s' era meglio essere e sordo e muto, ò veramente sol' uno di questi due) Lo fecero con segni tanto espressivi, che mi fecero affatto stupire; essendo veramente cosa quasi prodigiosa, come possino tanto al vivo dare ad intendere co' gesti e cenni, quello ch' un' altro esprime colle parole.* Hoc est: *Finitâ hac Musicâ* (psittaci nimirum, & canis, cantantium ad sonum clavicymbali) *aliud spectaculum mihi exhibuit, priore non minùs mirabile. Erant duo à nativitate muti & surdi. Hi jussi, ut inter se concertarent (Problema erat, utrum præstaret esse surdum & mutum, an alterutrum tantùm) fecerunt id signis adeò significativis, ut magnum in stuporem me rapuerint: est enim omnino mirabile ac prodigio simile, posse adeò ad vivum exprimere gestibus ac nutibus, quod alii exprimunt verbis.* Alia exempla, quæ quotidie occurrunt, omitto.

Disputatio inter surdum & mutum.

§. IV. De Monoculis, Acephalis, aliisque diversis formis hominum.

PLinius lib. 7. Natur. Hist. cap. 2. de Monoculis ita scribit: *Sed & juxta eos, qui sunt ad Septentrionem versi, haud procul ab ipso Aquilonis exortu, specuque ejus dicto, quem locum Gesclitron appellant, produntur Arimaspi, quos diximus, uno oculo in fronte media insignes.* Idem de Arimaspis asserit *A. Gellius* lib. 9. cap. 4. dicens: *Item esse homines sub eadem regione cœli, unum oculum habentes in frontis medio, qui appellantur Arimaspi; quâ facie fuisse κύκλωπας, Poëtæ ferunt.* Eadem habet *Solinus* cap. 25. *Arimaspi*, inquit, *circa Gesglitron positi unocula gens est.* Et cap. 43. de Æthiopiæ populis loquens, ait; *Occidentem versus Agriophagi tenent, qui solas Pantherarum & Leonum carnes edunt, rege præditi, cujus in fronte*

Homines Monoculi. Vide Iconismi V. Fig. IV.

 oculus

oculus unus est. Fulvio Torquato Consule dicitur è Mauritania Romam perductus homo monoculus, in Ægypti vastissimis eremis interceptus, qui per urbem circumducebatur spectandus miraculi gratiâ. Ita *Majolus* Colloq. 2. In Taprobana Insula, si *Lycosthenis* fides est adhibenda, habitant homines nonnulli unicum in fronte oculum habentes.

Homines acephali, oculos in pectore habentes. Vide Iconismi V. Fig. V.

Homines oculos in pectore habentes testatur se vidisse in Æthiopia S. *Augustinus Sermone 37.* ad Fratres in Eremo, dicens: *Ecce ego jam Episcopus Hipponensis eram, & cum quibusdam servis Christi ad Æthiopiam perrexi, ut eis sanctum Christi Evangelium prædicarem: & vidimus ibi multos homines ac mulieres capita non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore, cætera membra æqualia nobis habentes.* Et paulò pòst: *Vidimus & in inferioribus partibus Æthiopiæ homines unum oculum tantùm in fronte habentes.* Hæc ille. Quod de populis Æthiopiæ acephalis, & oculos in pectore habentibus scribit hîc Augustinus, longè antea scripserat de Blemmyis, ejusdem Æthiopiæ populis, *Plinius* lib. 5. Nat. Hist. cap. 5. ubi ait: *Blemmyis traduntur capita abesse, ore & oculis pectori affixis.* Consentit *Solinus* cap. 44. Polyhist. dicens: *Blemmyos, sed non eos qui vicina rubro Mari incolunt, credunt truncos nasci parte, qua caput est, os tamen & oculos habere in pectore.* Et *Mela* lib. 1. cap. de Cyrenaica in fine: *Blemmyis, ait, capita absunt, vultus in pectore est.*

Aldrovandus credit, prædictos populos non esse revera acephalos, seu sine capite, sed solùm sine collo, ob idque caput ita immediatè connexum busto, ut os & oculi appareant esse in pectore. Et hoc verisimilius videtur: ita enim necessarium est homini caput, omnium sensuum internorum externorumque sedes, ut sine illo homo subsistere nequeat.

Homines aversis plantis. Vide Iconismi V. Fig. VI.

Omitto innumeras alias hominum formas, seu potiùs deformitates, quarum meminit Plinius, Solinus, Mela, aliique Auctores passim in præcedentibus citati. Asserit enim *Plinius* lib. 7. Natur. Histor. cap. 2. jam sæpius citato, ex diversis antiquis Auctoribus, in quadam convalle magna Imai montis in Scythia esse regionem, quæ vocatur Abarimon, in eaque sylvestres homines vivere aversis post crura plantis, eximiæ nihilominùs velocitatis, & passim cum feris vagantes. Item in Triballis & Illyriis esse, qui pupillas binas in oculis singulis habeant. Ejusdem generis & fœminas in Scythia esse, quæ vocentur Bithyæ. Item in monte, cui nomen est Milo, homines esse aversis plantis, octonos digitos in singulis pedibus habentes. Item hominum genus non longè à Troglodytis abesse, qui Monosceli vocentur, miræ pernicitatis ad saltum; eosdemque Sciopodas vocari, quòd in majori æstu humi jacentes resupini, umbrâ se pedum protegant. Item in Meridianis Indiæ viris plantas esse cubitales, fœminis adeò parvas, ut Struthopodes appellentur. Item gentem inter Nomadas Indos, narium loco foramina tantùm habentem, anguium modo loripedem, vocari Syrictos.

Homines Sciopodæ.

Hæc

Hæc atque talia (concludit Plinius dictum cap. 2.) *ex hominum genere ludibria sibi, nobis miracula, ingeniosa fecit Natura. Et singula quidem quæ facit indies, ac propè horas, quis enumerare valeat? Ad detegendam ejus potentiam satis fit inter prodigia posuisse gentes.* Quæ non ideo falsa ac impossibilia videri nobis debent, quia mirabilia ac prodigiosa; nec ideo rejicienda, quia nobis non visa: alioquin quid non repudiandum foret? Adde quòd multa, ab iisdem Auctoribus relata, quæ olim fabulæ prorsus ac falsa æstimabantur, hisce temporibus, quando maria ac insulæ navigationibus, & continentes peregrinationibus frequētissimis fuêre perlustrata, certissima ac indubitata fuerunt deprehensa. *Nec tamen ego* (ut cum Plinio loquar) *in plerique eorum obstringo fidem meam, potiùsque ad Auctores relego*, quos passim ac fidelissimè citavi, inspectis non sine ingenti labore, ac temporis dispendio, singulorum libris, ne aliorum errores, ut multos fecisse deprehendi, transcriberem.

PARS III.

DE RARIORIBUS HOMINUM VITIIS, VIRTUTIBUS ET ACCIDENTIBUS.

QUantum præstat homo cæteris animantibus, si ad naturam accedat indoles, educatio, mores, vivendi ratio secundùm rectæ rationis ductum; tantò fit omnibus deterior, si desunt quæ diximus, accedatque insuper sinistra institutio, societas perversa, mala libertas, rerum humanarum ac divinarum ignoratio, aut oblivio, aliæque humani generis pestes. Hinc videmus quotidie deploramusque homines tigride truculentiores, lupo voraciores, sordidiores sue, virulentiores viperâ, verbo, omnibus immanissimis feris immaniores. Vitia hæc deplorant, ac depellere conantur alii scriptis libris integris; alii ad omne officium informare hominem nituntur. Ego ex innumeris rariora quædam ac magis admiranda in medium proferam; Addam, vel intèrseram virtutum exempla, & varia alia accidentia.

CAPUT XII.

De insignibus Edonibus, ac Bibonibus.

Edones ac Bibones insignes.

VOracitatis ac bibacitatis vitium quàm probrosum sit, atque infame inter cætera humana vitia, ex eo constat, quòd reddat hominem be-

ſtiis non dico ſimilem, ſed longè deteriorem: beſtiæ enim etiam voraciſſimæ, ut famem ſedent, aut voluptati indulgeant, ventrem implent; homines ſæpe, ut laudem apud ſui ſimiles referant, nec alios poſt ſe relinquant. Eſt tamen ſæpe voracitas non hominis, ſed naturæ vitium. Utriusque generis exempla dabimus.

Athenæus lib. 10. cap. 1. ſcribit, Herodotum tubicinem Megarenſem magnitudinis trium ulnarum cum dimidia fuiſſe, ac ſex panis ſemodios ediſſe, carnium libras viginti, binos vini congios bibiſſe. *Idem* ibidem ait, Aglaim tubicinem comediſſe carnis duodecim libras, quatuorque ſemodios panis, ac vini congium bibiſſe. Idem adhuc, mulierem Alexandriæ fuiſſe ait, quæ libras carnis duodecim ederet, panis quatuor chœnices, id eſt, totidem & ampliùs librarum, vini autem congium ebiberet. *Sabellicus* lib. 10. cap. 10. & lib. 6. Ennead. 7. ex *Capitolino* ſcribit, Maximinum Imperatorem, qui Alexandro Mammeæ filio ſucceſſit, non magis corpulentum & validum, quàm edacem & potulentum fuiſſe, quippe qui quadraginta libras carnis uno die (alii ſcribunt ſexaginta) eſitabat, potabatque vini amphoram, adeò ubertim ſudante corpore, ut calice ſudor colligeretur, impleretque uno die tres ſextarios. Amphora autem octo congios capit. *Flavius Vopiſcus* ait, Aureliano Imperatori in deliciis fuiſſe Phagonem quendam, qui uno die ad menſam Imperatoris ederit aprum integrum, centum panes, vervecem, & porcellum; biberit autem infundibulo ori appoſito plus orcâ. Orca erat vas vinarium amphorâ majus. *Plutarchus* in Convival. lib. 1. quæſt. 6. ſcribit, pugilem Heraclidem fuiſſe prope infiniti cibi potusque capacem, nec ullum in potando parem ipſi repertum.

Athenæus loco ſuprà cit. de Milone Crotoniata ſcribit, carnium minas viginti deglutiviſſe, & panis totidem; vini verò choas perſiccaſſe tres. Eundem in Olympicis quadrimum abſumpſiſſe taurum, quem per ſtadium retento anhelitu portaverat ſuis humeris. *Sabellicus* lib. 7. Ennead. 7. de Firmo quodam, fuiſſe cibi appetentiſſimum, ut ſtruthionem uno die comederit; biberit ex provocatione duas vini ſitulas; increpitumque à compotatore quòd fæcem non ebibiſſet, reſpondiſſe, terram non bibi. *Capitolino* teſte Clodius Albinus Imperator tantùm pomorum hauſit, quantum ratio humana non patitur. Nam & quingentas ficus paſſarias jejunus comedit, & centum perſica campana, & melones Oſtienſes decem, & uvarum Lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & oſtrea quadringenta. *Surius* in Comment. Anni 1511. ſcribit, virum illum prodigioſæ vaſtitatis & craſſitiei, oblatum Auguſtæ in Comitiis Maximiliano Cæſari, de quo ſuprà c. 8. fuiſſe incredibilis ingluviei, adeò ut integrum vitulum crudum, vel ovem incoctam unà devoraret, & tamen necdum famem expletam.

Digitized by Google

tam diceret. *Jonstonus* in Thaumatol. Classe 10. cap. 2, art. 3. refert, Ugucrionem Fagiolanum jam senem, apud Canem Scaligerum Veronæ gloriatum in mensa, se juvenem quaternos capones altiles, & totidem perdices, item hœdi clunes assos, & vituli infarctum pectus, præter salsamenta, una in cœna esitasse.

Innumeris aliis exemplis omissis, unum aut alterum de recentioribus bibonibus atque edonibus, quæ nullo sæculo defuerunt, adnumero. Hoc ipso sæculo quo hæc scribo, magnus quidam in Europa Princeps potatorem habebat insignem in aula, qui, quoscunque ad potandum invitaret, vincebat. Sciens hoc alius Princeps, qui alterum vel officii, vel negotii causâ convenire volebat, elegit è tota amplissima ditione sua bibonem maximum ac potentissimum, quem secum duceret. Convivii tempore cùm poculis & cantharis certaretur, implet prior modium integrum vino, propinat hospiti, unico exhaurit haustu. Hic Hospes, velut contemnens tam modicum poculum; da moram, inquit, ut probem priùs, num unico etiam haustu, ut tu, evacuare queam; moxque impletum exhaurit: tùm, posse me video, inquit; imple ergo denuò, & vide sis; & cum dicto denuò exhausit, plausumque tulit.

Edonum ac Bibonum exempla recentia.

Alibi plebejus homo, & robustissimus bajulus, cùm cuppam ingentem atque amplissimam musto plenam ad torcular vindemiarum tempore offendisset, multis adstantibus petiit à patrefamilias, liceret sibi os immergere, ac quantum luberet, sorbere. Veniâ obtentâ tantum hausit unicâ continuatâ sorbitione, ut notabiliter in cuppa mustum defecisse appareret.

Alius artocrearum pistorem, dum calidas è furno extrahebat, accedens, quanto pretio soluto liceret sibi ad satietatem comedere, sciscitabatur: moxque solutâ quartâ scuti seu imperialis taleri parte, (quantum pistor petierat) ad unam omnes, quotquot è furno extrahebantur, absumpsit artocreas: quod timens pistor, cùm bibere eum inter vorandum jussisset; tùm bibam, ait, cùm alterum subsequentem furnum absumere occepero, nondum enim satur sum. Quo audito, restituit pistor pretium solutum, damno præterito futurum præcavens damnum. Piget plura, quæ occurrunt, addere.

Variæ porrò sunt causæ voracitatis ac bibacitatis immodicæ. Nam aliquando oritur ex intemperantia, aliquando ex morbo aliquo, quem caninam appetentiam appellant, aliquando ope diaboli, aliquando ex vermibus ventriculi. *Gemma Frisius* lib. 1. Cosmocrit. cap. 6. meminit cujusdam mulieris ætate suâ non adeò grandævæ, *quæ ne ad momentum quidem absque ingestione ciborum & potuum vivere potuit, quin illuc et anxia supra modum exiliret, & tanquam injecto laqueo strangulanda quamprimùm videretur.* Hoc illi

Voracitatis ac bibacitatis immodicæ causa.

vitium ferè à pueris cum ætate habuit incrementum. Creditum est multis aut anguem, aut simile quidpiam in corpore nasci. Tentatis variis, nihil omnes Medici profecére, sed una duntaxat ratio fuit referenda in hepatis molem, vel, ut verbo dicam (quod priùs naturâ fuit) monstrosam ἰδιοσυγκρασίαν. Nam auctâ pinguedine supra modum, & calore suffocato, apertus est venter, detractaq; adipis libræ propemodum viginti, inventum hepar integrius, turgidum sanguine spirituque, sed impensiùs rubens, ac mole ineffabili, ut solâ scilicet magnitudine membra spiritalia, & conterminas partes oppresserit. Hæc Gemma.

Theodoretus in Histor. sect. 13. narrat de quodam energumenó, qui tametsi uno die triginta gallinas degularet, appetitionem tamen non poterat satiare. Tanta tamen fames cum dæmone expulsa est à S. Macedonio aquâ benedictâ, adeò ut talis priùs helluo, postea parvâ gallinæ particulâ fuerit contentus. Alium fuisse refert *Palladius* in Vita Abbatis Macarii sect. 17. qui trium modiorum panes unâ vice devorare solebat, & eosdem mox eructans resolvebat in vaporem: & cùm panes deessent, sua ipse excrementa comedebat, & suum potabat lotium.

Quidam Religiosus vir, ut ab alio itidem Religioso ac fide dignissimo, qui illum familiariter noverat, audivi, nunquam domo efferebat pedem, quin panis frustum secùm deferret. Corripiebatur enim quandoque tantâ ac tam intolerabili edendi aviditate, ut si quod comederet, non occurreret, humo allideretur, & ingenti dolore excruciaretur.

Voracitatis miræ exempla.

Quæ sequuntur, utique præstigiosa sunt. Refert ea *Nierembergius* lib. 3. Histor. Natur. cap. 9. *Incredibilia*, inquiens, *nuper vidimus in hac Aula Philippica* Madriti: *hominem qui omnia gustaret, omnia voraret, laneos adhuc pannos, & coria, & mures vivos. Imò semel visus est manducare vivum felem cum pelle & pilis: ipsumque ejulans & repugnans animal mordebat ipse. Crudele prorsus spectaculum. Nihilominùs ostendi, non novum hoc in Natura fuisse. Nam monstrum simile legi apud Realdum Columbum, qui in Anatome sua libro ult. sic ait. Quod majore admiratione me affecit, fuit inspectio Lazari, Vitri-voracis vulgò dicti, quem Patricii omnes Veneti, imò Veneti omnes, omnes Ferrarienses de facie noverant. Hic nullo prorsus gusto, dum viveret, præditus erat, nullam in edendo voluptatem, nihil injucundum persentiebat: insipida, amara, dulcia, pinguia, salsa, acria non distinguebat; vitrum, saxa, lapides, ligna, viva animalia, carbones, pisces è vivario extractos adhuc salientes vorabat. Vorabat lutum, lineos laneosque pannos, fœnum, stipulam, & ut brevi omnia complectar, quidquid homines, quidquid animantia vorant. Quidquid illi edendum, seu deglutiendum potiùs offerebatur, mercede propositâ, dictum ac factum, ingurgitabat. Testis est inter reliquos Martinus Aromatarius Patavii ad Angeli insigne, cui sacculum carbone refertum, & sacculum insuper devoravit. Quo viso persolvit quod pollicitus fuerat, comminatus ne ad pharmacopolium ampliùs accederet; veritus ne se cum taberna & vasis*

vasis efitaret. Cùm igitur hoc Naturæ monstrum mihi dissecandum esset Patavii, cœpi hujusce rei diligenter, quoad ejus fieri potuit, causam venari; quam me tandem, DEO duce, ex particulari illius structura assecutum esse confido. Nam quarta nervorum conjugatio, quæ gustus gratiâ in aliis hominibus à Natura producta est, in hoc Lazaro Vitri-vorace neque ad palatum, neque ad linguam repebat, sed ad occipitium reflectebatur. Hac Realdus.

Prioris voracitas erat utique, ut dixi, præstigiosa, quamvis Nierembergius aliter sentire videatur. Posterioris non tam voracitas erat, quàm gustus privatio: quæ tametsi rara sit, naturalem tamen causam habet. Solet hæc sensationis privatio in aliis etiam sensibus occurrere: nam & ego personam novi, quæ à nativitate ad finem vitæ usque omni odoratus sensatione fuit destituta.

Odoratu destituta persona.

CAPUT XIII.

Iterum de monstrosis Bibonibus, & Ebriosis; deq; remediis ebrietatis.

QUod *Seneca* olim prædixit, fore, ut aliquando honor ebrietati sit habendus, & plurimùm meri cepisse reputatum iri virtuti; id in sequentibus ad nostra usque tempora evenisse, haud dubia monstrant exempla. Optimus sanè non semel judicatus fuit, *non qui sermone philosophico uti novit, sed qui multos maximosque calices exsiccavit*, ait quodam loco *Galenus*. Et quoties potantibus apposita fuêre præmia? *Ælianus* lib. 2. Variar. Histor. *Athenæus* lib. 10. cap. 12. *Plutarchus* in Vita Alexandri Magni, cum aliis referunt, cùm Calanus Indus Philosophus se in pyram accensam conjecisset, ejus exequias celebrasse Alexandrum, & præter musicum certamen, & palæstram, meri quoq; certamen, ob Indos vini studiosos, instituisse, in eoque primum præmium fuisse talentum, alterum minas triginta, tertium verò decem. Ex iis qui vinum biberunt, triginta & quinque continuò ob ingens gelu obortum interierunt: at sex pauco intervallo interposito mortui sunt in tentoriis. Qui plurimùm bibendo vicit, Promachus Macedo, meri quatuor choas hausit, & propterea ab Alexandro talenti coronâ donatus est; sed triduo tantùm supervixit.

Bibonum insignium exempla.

Athenæus paulò antè citato lib. 10. cap. 11. refert, cùm Alexander Magnus aliquando poculum bicongium (viginti libras continebat) expetisset, bibensque Proteam Macedonem, & potationibus adsuetum provocasset; ille accepit; atque cùm regem pluribus verbis laudasset, ita bibit, ut ei ab omnibus applauderetur. Postea verò exiguo tempore interposito idem poculum expetivit Proteas, rursusque bibit regem provocans. Quod capiens Alexander, egregiè quidem bibit, non tamen potuit ferre, sed.

Digitized by Google

re, sed poculo ex manibus demisso in pulvinar decubuit. Idem Alexander cùm apud Medium Thessalum cœnaret, adessentque viginti in Symposio; omnes provocavit, ab omnibus pariter accipiens.

Bibonum recentia exempla.

Paucis ab hinc annis diem vixit ultimum Dux bello inclytus, rebusque præclarè pro Imperio Romano gestis maximè celebris. Hic in convivio quodam cùm à multis Belliducibus, aliisque primariis viris diu multùmque ad bibendum in sanitatem (more Germanorum nostrorum) diversorum Potentatum ac Principum fuisset provocatus, omnibusque ac singulis strenuè respondisset; jussit tandem tot Scyphos impleri, quot mensæ assidebant, omnesque simul toties propinavit singulis, atque exhausit, quoties antea singulos evacuârat. In Nuptiis cujusdam Nobilis, tempore Lipsii, quidam sex congios simul exhausit, teste *Jonstono* in Thaumatol. class. 10. cap. 2. art. 4.

Ebrietatem quæ impediant.

Ebrietatis exempla nulla affero, quia adeò frequentia sunt, ut admirationem ampliùs non mereantur. Ebrietati multa resistere experientia docuit. Brassicam imprimis crudam, illam præsertim quæ plus cæteris rubescit, id facere, *Levinus Lemn.* lib. 2. de Occult. cap. 11. testatur; calidam maceratam, capitique circumpositam, *Galenus* lib. 2. de Composit. Medicam. cap. 5. Causam si quæris, alii ex esu ejus crassos elevari vapores, qui vinosos spiritus incrassent, scribunt; Aristoteles verò ait, humores vinosos undique in alvum trahere, corpusque refrigerare. Eadem vis hederæ tribuitur à Weckero; apio, nucibus, lupinis, ab *Alexandro*; pulveri pumicis in aqua sumpti à *Fumanello*; croco à *Gratarolo* de Vini nat. cap. 5. caprino pulmoni ab *Africano*; lacti jejuno stomacho sumpto, ab *Amando* de Sancta Sophia lib. de veris secretis; pulti ex lacte & farina hordei cum aceto sumptæ, à *Platero* Prax. Medic. tom. 1. cap. 3. Idem *Platerus* pulverem quendam ebrietati resistentem ita describit. *Recipe seminum caulium drachmam unam, coriandri drachmas quinque, camphoræ grana decem. Fiat pulvis, cujus cochlear unum ex vino austero exbibeatur.* Abstemium reddere dicitur hirundinum stercus pulverizatum, & bibitum, si Plinio credimus.

CAPUT XIV.

De diuturna quorundam hominum à cibo & potu abstinentia; & num ea fuerit naturalis.

Mira & ferè incredibilia diuturnæ abstinentiæ à cibo & potu extant apud varios Auctores exempla: quorum quidem aliqua sine dubio miraculosè ac supernaturaliter, alia dæmonis ope contigerunt: an verò nonnulla etiam naturaliter contigerint, & vires Naturæ minimè excesserint, meritò dubitatur, ut postea videbimus. Posse enim dæmo-

dæmonem naturalibus ac sibi notis, nobis autem occultis mediis diuturnam procurare inediam, probavimus lib. 1 cap. 30. Posse quoque ac solere non rarò homines miraculosè ab omni cibo ac potu abstinere longo tempore, probat quadragesimale jejunium Christi, Moysis, Eliæ, aliorumque Sanctorum abstinentia longissima ab omni cibo, præterquam ab Eucharistico. Nos illa præcipuè proferemus hoc loco exempla diuturnæ inediæ ac imbibentiæ, quæ naturæ viribus contigisse videntur; eorumque causam indagabimus.

§. I. Exempla inediæ aut perpetuæ, aut diuturnæ.

Inediæ perpetuæ, aut diuturnæ exempla.

FUisse olim ad extremos Indiæ fines ab Oriente, circa fontem Gangis, Astomorum gentem sine ore, halitu tantùm atque odore viventem, quem naribus trahebant, suprà cap. 11. §. 3. ex *Plinio*, & *Solino* retulimus. Similia etiam ex *Nierembergio* & *Gregorio Garzia* addidimus. Quæ si vera sunt, fatendum est, illos populos perpetuam ab omni cibo & potu inediam servasse. *Plutarchus* lib. 8. Quæst. Convival. q. 9. refert ex Aristotele, Timonis in Cilicia aviam, aut nutricē, delitescere solitam quovis anno per spatium bimestre, ac nullâ re aliâ quàm spiratione victitasse. *Olympiodorus* Platonicus, interpres Aristotelis, teste *Cælio Rhodig.* lib. 24. c. 21. scripsit, Aristotelis, qui rem vidit, testimonio, fuisse hominem, qui quoad vixit, neque manducaverit unquam, neque dormiverit, tantùm in Sole manendo alimentum ac sustentationē ex aëre acceperit. Persimilia his scribit *Plato* in Phædone.

Inediæ diuturnæ exempla alia.

S. Augustinus Epist. 86. ad Casulanum affirmat, temporibus suis quendam vixisse quadraginta diebus sine cibo. De alio quoque asserit Petrarcha apud *Fulgosum* lib. 1. cap. 2. & H. Benedictus Medicus apud *Lilium Gyraldum* Dialogis. 17. in Thesauro Critico Gruteri fol. 2. idem fecisse Venetiis, & à multis rei experimentum fuisse factum. In Tullensi territorio, villâ Commerciaco, puella duodenis post sacram Communionem in Paschate à Sacerdote susceptam, primùm per decem menses pane, deinde omni cibo & potu per triennium abstinuit, & pòst ad communem hominum vitam rediit, teste *Sigeberto* Anno Christi 823. *Abbas Urspergensis* apud Gyraldum loco paulò pòst citando refert hanc historiam ad Annum Christi 1322. uti & *Fulgosius* lib. 1. cap. 6.

Albertus Magnus lib. 7. Animal. scriptum reliquit, fuisse fœminam Coloniæ in Germania sub Friderico II. Imperat. quæ sine cibo dies quandoq; viginti transmiserit, sæpe verò & triginta. Virum quoque melancholicum se vidisse testatur, qui sine cibo septem perseveraverit hebdomadas, alternis tantùm diebus aquam exsorbentem. *Cælius Rhodiginus* lib. 13. cap. 24. testatur, visam in Hispania puellam, quæ comederet nihil, ac haustu tantùm aquæ vitam protraheret ad multos annos. Idem testatur, quendam bien-

nio toto nihil prorsus vel comedisse, vel bibisse. *Fulgosus* lib. 1. c. 2. scribit de quodam, qui jurejurando affirmavit, se jam biennio nihil comedisse, nec bibisse. Apud *Jonstonum* classe 10. Thaumatol. c. 2. art. 7. puellam quandam undecim annis jejunam permansisse dicitur. Eodem teste *Petrus Aponus* Problem. 10. ad finem, aliam annos octodecim jejunam vidit: *Rondeletius* verò quandam toto decennio, fœcundam pòst prole parentem: *Hermolaus* denique quendam sacerdotem solâ aëris inspiratione superstitem per annos quadraginta.

Anno Christi 1460. Nicolaus Helvetius Underualdensis, post susceptos ex conjuge quinque liberos, cùm haud longè à pago solitariam ageret vitam, per annos quindecim nec cibum gustavit, nec potum, tandemq; è vita discessit. Dum adhuc viveret, Constantiensis Episcopus, in cujus diœcesi degebat, profectus ad eum ipsum locum, ubi Nicolaus erat, diligenter rem perquisivit, inventamq; veram diligenter litteris commendavit. Qui ut certior ea de re fieret, sub obedientiæ imperio recusantem parum cibi sumere coëgit: ob quam rem triduo graviter stomacho laboravit. Nec illi tantùm Episcopo, sed multis quoque Principibus Germanis, Gallis, & Italis, qui eò profecti sunt, res hæc explorata fuit. Hæc omnia testatur *Fulgosus* lib. 1. c. 6 addens se cum iis locutum, qui viderant, ac sermones unà seruerant.

Magis mirum illud videri potest (inquit Gyraldus loc. cit. apud Gruterũ) *quod hoc ipso tempore, quo nos hæc scribimus, in urbe Spira Germaniæ, quæ ad Rhenũ sita est, in pago ei urbi proximo, puella esse dicitur Margarita, tredecim annos nata, quæ tres fermè annos famem toleravit, ac ut scripto testatur Physicus insignis Gerardus Bucoldianus nomine, eam puellam duodecim dies fuisse apud se, jussu Ferdinandi Cæsaris Romanorum, ut rem penitus exploraret: tum demum ait, se cõperisse, quòd puella nec cibi quidquam, nec potus assumeret; & quòd puella est staturâ justâ, & habitudine bonâ, oculis cæsiis, vultu ac facie non illiberali, ingenio planè puellari ac simplici; os semper habet aridum, nil exspuit; nihilo secius potus nihil admittit, & flet tamen, & nares emungit, dormit, quietemq; capit; inter respirandum non admodum venter ei contrahitur, vel dilatatur; viscera, ut ait, nihil vitii habere videntur, nec item jecur, nec lien.* Addit dictus Medicus apud Gyraldum, puellam scabie pituitosâ urgeri. *Gerardus Bucoldianus* Medicus apud *Laurentium Bayerlinck* in Theatro Vitæ Humanæ Ver. Abstinentia, ita rem narrat. *Apud Spirenses*, inquit, *in Villa Rhodo dicta, Anno Christi 1539. puella quadam, Margarita, patre nata Suffrido Weis, & matre Barbarâ, cùm jam ferè decimum ætatis suæ annum attigisset, capitis & ventris dolore ad festum D. Michaëlis est correpta. Cibum magis magisq; fastidire cœpit. Ad Nativitatem usq; Dominicam, cùm adhuc comedisset, nullum planè post id tempus aut cibum assumpsit, aut per alvum excrementum egessit; à potu tamen non abhorrebat. Post Pascha etiam potum fastidire cœpit, adeò ut post Pentecostes festa, æstuosissimo licèt anni tempore, ne biberit*

biberit quidem, aut urinam emiserit. Ferdinandus Romanorum Rex, nè quid fraudis subesset, per Medicos suos explorari curavit. Hæc ex Bayerlinck. De hac puella Librum scripsit *Simon Portius* Italus, & Epistolam Moguntiæ excusam anno 1540. citatus *Bucoldianus* Medicus.

Alia duo exempla refert *Josephus Quercetanus* in Opere Diætetico sect. 2. c. 4. *Primum est* de puella quadam *Constanensi*, quam cùm ipse vidit, erat tres aut quatuor annos nata, & jam per sesquiannum sine cibo ac potu perstiterat. Mirabantur omnes tam stupendum casum, multiq; sibi persuadebant, aliter fieri non posse, quin alimentis clàm pasceretur. At verò ubi Quercetanus ventriculum, hypochondria, mesenterii, & inferioris abdominis regionem attrectavit, dimovit illos à sinistra opinione, apertè ostendens, in illo abdomine usque adeò depresso, & instar marmorei lapidis indurato, nihil colligi posse, cùm nihil in illas partes trajici, nec influere posset. Eandem puellam aliquot post menses, cùm per eandem urbem transiret Quercetanus, in eodē statu comperit, ita ut per integrum annum, ipso aliquando præsente ac invisente, talis perstiterit. Referebat illa melancholicum temperamentum, taciturna admodum, ut ne verbum quidem unquam vel vix hisceret, pendente semper capite, reliquis membris, ut brachiis & cruribus, moveri nesciis. Successu tamen temporis crevit, incessit, ac tandem naturalem edendi ac bibendi appetitum recepit. *Alterum exemplum* est de quadam alia puella, octodecim annos circiter nata, quando ipsam vidit, temperamento quoq; melancholico, quæ citra cibum & potum supra triennium vixerat. *Hæc sensim primò panis, deinde ciborum aliorum omnium appetitum, vel fructuum etiam amiserat: ad aliquod tempus jusculis nutrita, paulatim etiam usum illorum remisit: tandem aliquot cochlearia vini aquâ diluti ei oblata sunt, donec & usum illius prorsus etiam respuit, non ferente potum stomacho, ex dolore & cruciatu, quem illic præferebat; ita ut ad extremum ἄποτος citra ullius rei ingestionem, hac inediâ aliquot dies duraverit, dein & hebdomadas, ac tandem integrum annum, quo citra ullius alimenti usum, quàm aëris, vivebat, valetudine integrâ. Puella hæc (quæ Apollonia Chrier nuncupabatur) nata erat in quodam pago seu oppidulo Galz dicto, ditionis Bernensis.* Ducta est unà cum matre, jussu Senatus Bernensis, Bernam ad Xenodochiū, ut observaretur, num clanculùm ei à matre cibus porrigeretur. Cui rei cùm per aliquot dies accuratè invigilatum esset, cognitum tandem verè fuit, illam citra ullam alimenti ingestionem vivere. Huc etiam spectat illa Rogerii Bacconi Anglicana puella, quam dicit viginti annis nihil comedisse: & Gallus ille Sacerdos, qui tempore Nicolai V. Pont. Max. biennio toto cibis potuq; abstinuit.

Inediæ diuturnæ adhuc alia exempla.

Digitized by Google

§. II. Quàm diu homo absque alimento extrinseco possit naturaliter tolerare inediam ac inbibentiam: & quæ sit causa inediæ diuturnæ.

Inediam ac imbibentiam quàm diu possit homo naturaliter tolerare.

ANtequam discutiamus, num relata inediæ ac inbibentiæ exempla Naturæ viribus contigerint, nec nè; & quænam ejus rei sit causa, si naturalis est, hanc priùs quæstionem decidere oportet. Qua in re

Certum est, posse hominem tolerare famem ac sitim, per triduum integrum, nullo etiam remedio adhibito, nulloq; refrigerio aut refocillatione per nares aut aliunde admissis. Nam vir ille Ægyptius, de quo agitur *lib.* 1. *Reg.* cap. 30. v. 12. non comederat neque biberat tribus diebus & tribus noctibus. Et Sara Tobiæ Junioris uxor tribus diebus & tribus noctibus non manducavit neque bibit, ut habetur *Tob. cap.* 3. *vers.* 10. Et Esther Regina gentiles suos adhortata fuit, ut non comederent nec biberent quidquam tribus diebus & noctibus; idemque se facturam cum ancillis suis spopondit. *Esth. cap.* 4. *v.* 16. Græci, ut refert *Lucianus*, in suis funeribus totum triduum absq; ullo cibo transigebant. Ægyptii Sacerdotes, ut refert *D. Hieronymus* lib. 2. contra Jovin. bibui triduivè inediam tolerabant. Angliæ Regina, cùm ei à Gallis Calisium fuisset ereptum, præ mœrore à cibo per triduum abstinuit, ut scribit *Turnebus* Poëta Gallicus in Panegyrico de capto Calisio. Alia exempla omitto, quia quotidiana penè sunt.

Quot autem ultra triduum vivere queat homo naturaliter diebus, incertum est apud Auctores. *Hippocrates* lib. de Principiis statuit, hominis vitam durare posse, si septem diebus abstineat ab omni cibo & potu; quem terminum si excedant aliqui, ait illos nihilominùs mori. *Varro* etiam apud *A Gellium* lib. 3. cap. 10. in fine ait, *quòd quibus mediâ mori consilium est, septimo demum die mortem appetunt.* Non discrepâsse videtur *Galen.* Aphor. 15. lib. 1. Plures concedit dies *Plinius* lib. XI. cap. ult. dicens: *Homini non utique septimo lethalis inedia; durasse & ultra undecimum plerosque certum est.* Et meritò quidem id asserit Plinius, alioquin aut de fide relatorum exemplorum §. I. dubitandum foret, aut asserendum, miraculosè omnia, vel certè diaboli fraude contigisse.

Ajo itaque, tametsi homo, cujus ventriculus, & intestina reliqua, integra sunt ac sana, & in naturali statu constituta, ultra septimum, aut nonum, aut summùm undecimum diem naturaliter abstinentiam ab omni alimento extrinsecùs assumpto prorogare sine vitæ jactura non queat; potest tamen accedentibus certis causis non solùm ad dictum, sed ad longius etiam tempus id facere. Nec puto hoc negare Hippocratem, Galenum, Varronem, & alios, qui solùm tunc negant, ultra præscriptum à se termi-

terminum vitam sine alimento prorogari posse, quando omnia hominis interiora manent in naturali statu, nec accedit causa aliqua extrinseca alimentum subministrans.

Causæ porrò ob quas inedia diuturna prorogari potest, sunt quæ vel tollunt appetitum, vel diminuunt eundem. Tollitur appetitus, quando venæ mesaraicæ chylum non attrahunt, & è ventriculo quasi exsugunt; diminuitur, quando illa suctio in orificio ventriculi non percipitur. Non attrahitur chylus, vel ob venarum obstructionem, vel intemperiem calidam, vel non evacuationem alimenti propter copiam, vel orificii ventriculi à pituitosis humoribus obsessionem. Non percipitur suctio in ventriculi orificio, vel ob influxûs spirituum animalium inhibitionem, languorem vè illorum, vel facultatis distractionem, vel ventriculi intemperiem ac stuporem. Sed quòd hanc appetitus sublationem aut diminutionem mors non sequatur, aliam adhuc causam subesse necesse est. Hanc *Langius* conjicit in nervorum in orificio ventriculi relaxationem; *Quercetanus* loco suprà citato in aërem inspiratione attractum, & spirituum pabulum factum; *Sennertus* existimat, mortem non sequi, quia corpora talia sunt penè indissolubilia, nihilq; aut parum ex iis exhalatur, quòd humore tenaci, bene concreto & compacto, & actioni caloris nutrimentum depascentis minimè cedente constent, caloremq; mitissimum & placidissimum habeant, nec multum alimenti requirant.

Inedia diuturna cur tolerari queat.

Inediam diuturnam cur mors non sequatur.

Ego existimo, & quòd appetitus aut extinguatur, aut diminuatur, & quòd mors ad abstinentiam ab extrinseco nutrimento non sequatur, non unam esse causam, sed variam in variis, prout varia sunt hujusmodi abstinentium temperamenta, & corporum constitutiones. Nam, ut bene advertit *Delrius* lib. 2. Disquisit. Magic. q. 21, quibus ventriculus & jejunum intestinum humore chyloso vacant, in quem calor naturalis possit agere (dum reliqua omnia sunt sana) in longa inedia concrescunt, atque ita homines moriuntur. At si vel à morbo præcedente, vel alia ex causa sit in corpore residuus humor phlegmaticus crudus, lentus, atque viscosus; illo calor naturaliter utitur pro alimento, donec totus absumatur. Idem contingit, si ex summa cerebri humectatione materia quædam subtilis & pituitosa à capite in corpus descendit, atque interea corpori in alimentum cedit: tunc enim quidquid à corpore exspiratur vel diffluit, continuò ab hoc humore in alimentum converso restituitur, nec cibus homini necessarius est, donec hic humor penitus consumatur. Hanc inediæ ac imbiberiæ diuturnæ causam putat Delrius fuisse in illa Rogerii Bacconi Anglicana puella, & in Gallo Sacerdote, & in puella Spirensi. Hoc an ita sit, non ausim affirmare: an ita esse possit, dubium non videtur esse ullum, quoniã

Fff 3 & ani-

Digitized by Google

& animalia quędam totam hyemem ſine cibo extrinſecus aſſumpto transigunt, ſoláq; pinguedine ſuâ nutriuntur, cujusmodi ſunt urſus, taxus, glis, & alia. Hæc igitur in unis, alia in aliis fuerit cauſa, cur ad appetitum proſtratum in aliquibus non fuerit ſecuta mors. Unde mirum non eſt, quòd aliqui ad priſtinum & communem vivendi ſtatum, recuperato appetitu, redierint. Lege *Quercetanum* loco ſuprà cit. De Aſtomis quid ſentiendum, diximus cap. XI.

§. III. Exemplum inediæ diuturnæ, diaboli ope procuratæ.

Inedia diuturna, ope diaboli procurata ac tolerata.

INediæ hactenus enumeratæ cauſam habent, ut opinor, naturalem; quæ ſequitur, naturalem quidem & ipſa cauſam habet, at dæmonis fraude cõtigit. Rem geſtam narrat *B. Proſper* de dimid. tempor. cap. 6. *Noſtris quoque temporibus* (inquit) *Aſpare VI. Coſ. Carthagini conſtituto, hoc ſignum diabolicum monſtroſumque, quod illic accidit, quis illius patria civis ignorat? Quadam juvencula Araba natione, ancilla DEI habitum geſtans, cùm in balneo lavans ſimulacrum quoddam Veneris impudicè aſpiceret, & ſeipſam, eiq; ſe conſimilans, domicilium ſe diabolo prabuit. Statim ille leo, qui rugiens circuit, quam quarebat, invenit. Meatus igitur gutturis ejus occupans, nullum cibum, nullumq; potum trajiciens, per ſeptuaginta fermè dies, totidemq; noctes, jejunium ſibi diabolus ex capto poſſeſſoque vaſe exhibuit. Hoc monſtrum parentes puella per tot dierum ſpatia auferri poſſe ſperantes, dum juge malum ulteriùs tolerare non poſſent, ſimul cum filia ſeſe ingeſſerunt Sacerdoti, qua acta erant, fideliter intimantes. Hoc tantùm puella fatebatur, avem quandam noctis medio apparere, que ſibi ore neſcio quid infunderet. Stupor tunc inerat cunctis, videre puellam nullis indiciis diuturni jejunii fœdatam, nullo pallore, ſeu tabe, vel debilitate confectam, quin potiùs robuſtam ſucco viſcerum, moleque membrorum. Cùmque incredibilia viderentur, qua dicebantur, habito conſilio, in Monaſterio puellarum, in quo Reliquia Sancti Stephani ſita ſunt, Sacerdos puellam ſimul & Prapoſito commendavit. Illic primo tantùm die apparuiſſe illam avem aſſerit, ſibiq; increpaſſe, quòd neque fame, neque ſiti compulſa, illum appeteret locum, quò ſibi accedere non liceret. Per duas ſanè hebdomadas nihil cibi vel poculi ſumens, in Monaſterio manſit. Accidit autem ut quintusdecimus Dominicus illucesceret dies. Aſcendente nobiſcum Sacerdote ut matutinum illic ſacrificium ſolito offerretur, puellam Prapoſitus ad altare perduxit, eo inceſſu & habitu, quo ſolent rubore perfuſa ex epulis poculiſque mulieres advenire. Sed ut ſe illa proſtravit altari, clamore fletus ſui cunctis adſtantibus gemitus lachrymaſq; induxit, quibus tantum malum auferendum plebs Dominũ exorabat; erat enim jam indecens murmur in populo. Peracto itaq; Sacrificio, cùm eadem inter cateras brevem particulam corporis Domini tinctam à Sacerdote perciperet, ſemihorâ mandens trajicere non valuit, nondum illo fugato, de*

quo

quo dicit Apostolus: Quæ consonantia Christi ad Belial? & iterum: *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participare, & mensæ dæmoniorum. Manu igitur faciem ejus sustentante Sacerdote, ne Sanctum projiceret; à quodam Diacono suggestum est, ut Calicem salutarem gutturi ejus Pontifex applicaret. Quod ut factum est, statim ut locum illum, quem diabolus obsederat, Salvatoris imperio reliquit, Sacramentum, quod ore gestabat, cum laude Redemptoris transglutisse puella clamavit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quòd post octoginta & duos dies, diabolo expulso, puella de potestate fuerit eruta inimici.* Hæc B. Prosper.

Ex quibus patet, posse dæmonem naturalibus remediis applicatis causare tolerantiam diuturnæ inediæ, idque vel modis à nobis in præcedenti §. insinuatis, vel aliis nobis occultis: multa enim sunt quæ famem sedant multo etiam tempore, ut vidimus lib. 1. cap. 30. multa quæ appetitum tollunt, multa quantumvis modicâ quantitate applicata, etiam fortassis per odoratum, nutriunt. Quæ omnia cùm sciat diabolus, & occultissimè applicare queat; verum erit quod diximus, & cap. cit. lib. 1. probavimus.

CAPUT XV.

De Longævis, & longævitatis causa.

Vitam hominum ante diluvium longissimam fuisse, adeò ut nongentesimum annum multi fuerint supergressi, constat ex Libro Genesis. Post diluvium semper magis ac magis diminuta fuit, adeo ut Regii Prophetæ Davidis tempore homines communiter vix septuagesimum aut octuagesimum annum prætergrederentur. Qui vitæ terminus usque ad nostra etiam tempora communiter, & plerisq; regionibus perdurat. Nihilominùs in aliquibus regionibus homines diutiùs utplurimùm vivere, quàm in aliis; & in omnibus ferè regionibus paucos aliquos inter multos vitæ longævitate excellere fuisse solitos, constat ex sacris æquè ac profanis historiis. Ex multis paucas attingam.

§. I. Exempla antiqua longævorum.

Longævorum exempla antiqua.

Plinius lib. 7. c. 2. refert ex Isigono, *Cyrnos Indorum genus annis centenis quadragenis vivere. Itē Æthiopas macrobios, & Seras, existimat, & qui Athō montē incolunt.* Ibidē ex Onesicrito refert, *quibus in locis India umbra non sint, corpora hominum cubitorū quinūm & binorum palmorum existere, & vivere annos centū triginta, nec senescere, sed ut medio ævo mori. Crates Pergamenus Indos, qui centenos annos excedant, Gymnetas appellat; non pauci Macrobios. Ctesias gentem ex his, quæ* appel-

Digitized by Google

appellantur. Pandora, in convallibus sitam, annos ducentos vivere, in juventa candido capillo, qui in senectute nigrescat. Et paulò pòst: *Artemidorus, in Taprobana insula longissimam vitam sine ullo corporis languore traduci.*

Idem *Plinius* eodem lib. 7. cap. 48. hæc longævitatis ex diversis Auctoribus enarrat exempla. *Anacreon Poëta Arganthonio Tartessiorum regi centum quinquaginta tribuit annos, Cyniræ Cypriorum decem annos ampliùs, Æginio ducentos. Theopompus Epimenidi Gnossio centum quinquaginta septem. Hellanicus quosdam in Ætolia Epiorum gentis ducentos explere. Cui adstipulatur Damastes, memorans Pictoreum ex iis præcipuum corpore viribusque, & trecentos vixisse. Ephorus Arcadum reges trecentis annis. Alexander Cornelius, Dandonem quendam in Illyrico quingentis vixisse. Xenophon in Periplo, maritimorum regem sexcentis, filium ejus octingentis.* Hanc eandem historiam referens *Valerius Maxim.* lib. 8. cap. de Senect. citansque Xenophontem, non in Periplo, sed περὶ γήρατος, hoc est, de senectute, Latinorum regem legisse videtur, non ut hîc, maritimorum. In hoc tamen à vulgata Plinii lectione discrepat; quòd Latinorum regi octingentos annos, filio autem ejus dederit sexcentos. Notat tamen Plinius, hæc omnia inscitiâ temporum accidisse, ut tot anni dicto regi & filio tribuantur, quoniam alii annum unum æstate determinabant, alterum hyeme, alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuêre; quidam Lunæ senio, ut Ægyptii. *Itaq; apud eos aliqui & singula millia annorum vixisse produntur*, concludit Plinius, qui plura alia dicto capite longævitatis exempla recitat.

Solinus in Polyhist. cap. 21. ait, in summo vertice montis Atho fuisse oppidum, Acrothon dictum, *in quo dimidio longior, quàm aliis terris, incolentium ætas prorogabatur, ideo inde homines μακροβίους Græci nostri appellavêre Longævos.* Eadem habet *Pomponius Mela* lib. 2. ex quo Solinus hæc mutuatus est. Consentit *Plinius* lib. 4. cap. 10. *Olaus Magnus* lib. 4. Histor. cap. 4. loquens de gentibus Septentrionalibus, ait: *Ætas verò hominum ibidem in nationibus frigidis eò pervenit, ut centum sexaginta & ampliùs annos vivant; etiam in Anglia, & Scotia, ubi quidam Venerandus Episcopus David vixit ultra centum septuaginta annos.* Idem lib. 12. cap. 4. loquens de Islandiæ incolis, ait: *Hi autem Islandenses sani, jucundi, & liberales sunt; diu sine medicina, etiam supra centum annos vivunt. Petrus de Natalib.* in Vita S. Severi testatur, eum excessisse longè annos trecentos: agebat enim annum 297. quando factus est Episcopus Tungrensis, seditque annos 76; quare vixit annis 373. Hujus exempli meminit *Baronius* in Martyrologio ad 13. Maij, sed putat rem portentosam.

§. II. Exempla recentia longævorum.

Longævorum exem-

QUidam è Gangaridum gente (hodie Bengala dicitur, in Orientali India) Indiarum Prætorem Nunnium Acunnam adiit, & senectutis suæ

sub-

Digitized by Google

ſubſidium petiit. Natus erat annos trecentos triginta quinque, & filium habebat nonagenarium. Aliquoties illi deciderant dentes, aliis continuò ſubnaſcentibus. Barba ubi ſæpius incanuiſſet, in atrum denuo colorem, idque paulatim, ſemetipſa vertebat. Ante centiſſimum tunc annum idola coluerat; inde æquè miſerabili errore ad nefariam Mahometis tranſierat ſectam. Is propter miraculi novitatem Regis Cambayæ ſtipendiis ali conſueverat; & tunc, ut ajebam, idem ſubſidium vitæ ac ſenectutis ſuæ à Nunnio petiit, & non gravatè obtinuit. Ita *Majolus* in Colloq. 4. & *Nieremberg.* lib. 8. Hiſtor. Natur. cap. 8. ex Maffei Hiſt. Indicæ lib. 11. & *Ferdinandus Caſteneda* lib. 8. Addit *Nierembergius* loc. cit. in montanis Jucutan longævitatem eſſe valde communem; nec mirum, ibi repertum Joannem Na centum & quadraginta annorum. Inventum quoque, qui trecenteſimum usque vixerat.

Pla recentia.

In Braſilia in terra Verzino vivere homines annis 140. comperit *Antonius Pigafetta.* Paſſim & vulgò in Arabia Felici vivere 120. annis, ſcripſit *Ludov. Barthema* lib. 2. c. 9. Venetus nauta apud *Ramuſium* to. 1. teſtatur, in portu Mudeſuraba non procul à Diu, repertum hominem annorum trecentorum. In India ulteriori inter Brachmanes repertum quendam hominem annorum trecentorum, teſtatur *Nicolaus de Comit.* Nauclerum centum añorum ſe Stockholmiæ vidiſſe, ſcribit *Lev. Lemnius* lib. 4. cap. 14. Occult. qui triginta annorum in matrimonium adſciverat ſponſam, aliquot poſt liberorum parentem. Laurentius Hethlandus apud *Buchananum* centum quadraginta annos natus, ſæviſſimâ hyeme piſcatum prodibat. Emanuel Demetrius, obſcuro loco natus, centum & tres vixit annos; uxor illius nonaginta novem; ſeptuaginta explevêre in matrimonio; alter alteri tres ſupervixit horas; Delphis ambo ſimul anno 1603. ſepulti. ita *Thuanus* lib. 134. Audiviſſe & legiſſe me memini, cùm non ante multos annos Proepiſcopus Bambergenſis Diœceſin viſitaret, reperiſſe viros quàm plurimos, qui centeſimum vivendo transgreſſi fuerant annum. Eſt in hac urbe vir prope centenarius, adeo adhuc vegetus, ut ſæpe tabellarii officio fungens per patriam diſcurrat. Alios non paucos novi ego ipſe in Sicilia, Italia, & Germania noſtra, qui centum ferè annorum ſenectam tranſigebant felicem ac vegetam. *Guilielmus Piſo* lib. 1. Hiſtor. Natur. & Medicæ teſtatur, Americanos, de quibus illo loco agit, maturè pubeſcere, ſeneſcere tardè, idque ſine canitie aut calvitie. *Quo fit, quòd longè ultra centeſimum ætatis annum, viridi ſenectâ fruuntur, totumque adeo territorium Macrobium dici mereatur.*

§. III. Cauſæ longævitatis.

De vita longa librum ſcripſit *Marſilius Ficinus*, aliique multi eandem verſârunt materiam. Ajunt omnes, & verè, probam temperiem

Longævitatis cauſæ.

compagem corporis firmam, cœli clementiam, soli ac regionis bonitatem, victûs cautam rationem, rerum utilium observationem in cultu corporis, voluptatum detestationem ac fugam, non modò productiorem, sed & beatiorem vitam efficere: his verò contraria vitam decurtare. Præcipuè tamen ad vitam prorogandam conducit regionis temperies, & salubritas aëris. Hinc in Taprobana insula, & in Arabia Felice, aliisque locis, ut in præcedentibus historiis vidimus; tam sanam ac longam vitam ducunt incolæ.

Sæpe tamen non victus ratio, non rerum utilium observatio, aliaque similia, vitam porogant, sed ad ciborum ac laborum duritiem ab infantia assuetudo, omnisque mollitiei conteptus. Hinc passim in Germaniæ nostra homines agrestes, & qui vitam in sylvis ferè inter durissimos labores traducunt, vixque pane & aquâ ventrem explent, longam & à morbis liberam vivunt vitam. In Brasilia quoque, teste *Gulielmo Pisone* loc. cit. cùm advenarum proles crebris morbis infestentur, multique succumbant; Brasilianorum liberi vivacissimi sunt; quòd illi victus ac vestitus accuratam, hi nullam habeant rationem. Hinc Brasilorum matres *rident ineptam nostratium & vestiendis & educandis parvulis industriam, quâ perspirationem impediri, & catharros multos generari ajunt. Nulli inter illos strabones, lusciosi, claudi, gibbovè deformati inveniuntur; cùm tamen infantes nunquam aut linteis involvantur, aut involuti fasciis Europaorum more ligentur. Frigidâ frequenter lavantur. Idem profectioribus usitatissimum est, cum ob innatam genti munditiem, tum ad firmandam & tuendam corporis sanitatem.*

CAPUT XVI.

De senibus repuerascentibus, & juvenibus maturè canescentibus.

NAturę miracula si ingenio nostro examinentur, incredibilia videntur; ac sæpe sæpius fidem non inveniunt nisi apud oculatos & auritos. Inter ea sunt, quæ de repuerascentibus senibus, & maturè canescentibus juvenibus circumferuntur; quæ nisi probati & oculati scriberent testes, fidem excedere videri possent. Utrorumque exempla affero.

§. I. De senibus repuerascentibus.

Senes repuerascentes.

IN 4. par. Magiæ nostræ, lib. 5. Syntagm. 3. cap. 1. quæstionem proposuimus, an dæmon possit seni reddere juventam. Eandem breviter exagitavimus suprà lib. 1. cap. 29. Inter argumenta affirmativæ sententiæ, sequentia adduximus exempla.

Torquemada Dial. 1. Horti Floridi, narrat, fuisse anno 1531. Tarenti in Italia centenarium senem capularem, qui pilis, cute, unguibus, situ atque

Digitized by Google

atque squalore ætatis decidentibus, & in melioris ætatis omnibus mutatis, de sene juvenis prodierit, & quinquaginta pòst annis supervixerit. In Castella quoque Rivia (in Rioxa Castillæ, ait *Nierembergius* lib. 8. Histor. Natur. cap. 9. ubi easdem historias recitat) alteri cuidam seni simi-lis sors contigit, idque vulgi famâ notum fuit, & ab Ammiralio Castellæ sedulò exploratum. *Valesius Tarentasius* scribit, se vivo Monuiedri (oppidum est Valentini regni, olim Saguntus dictum) fuisse Monialium Abbatissam vetulam, cui subitò menstrui fluores renovati, dentes renati, comæ denigratæ, rugæ & sulci cutis adæquati, mammæ pendulæ atque pannosæ ad instar virgunculæ sororiarint, sic denique se vultu, facie, totoque corporis habitu juvenculam exhibuerit, ut rei novitate perculsa, præ verecundia se cunctorum oculis subtrahere fuerit conata. Indo illi seni, de quo præcedenti capite mentionem ex Maffeo fecimus, ter juventæ flos exaruisse, ter refloruisse dicitur. *Petrus Martyr* apud Nierembergium loc.cit. scribit, Indum senem cujusdam fontis lotione & potione omnino adolevisse repetitâ juventute. Vidi ipse oculis meis Panormi in Sicilia virum, qui cùm diu barbam & capillos canitie venerandos antea circumtulisset, nigro erat capillo ac barbâ, nec quadragenario major videbatur. Idem, alique, quos novêre fide dignissimi, qui id sanctè mihi asseruêre, perspicilla, quibus ob visus debilitatem usi antea fuerant, deposuerunt, visu renovato. Paucas ante septimanas Serenissimus Dux Megapolitanus Christianus, in arce nostra Herbipolensi monstravit mihi historiam Gallico metro conscriptam, sibiq; recentissimè è Gallia missam, de vetula quadam paulò antè ad juventutis florem redeunte.

§. II. De juvenibus maturè canescentibus.

Juvenes maturé canescentes.

SOlinus in Polyhist. cap. 25. scribit. Albanorum Asiæ populorum infantes albo crine nasci, ideoque Albanos dici. De Pandoris vidimus cap. præcedenti ex *Plinio* lib. 7. cap. 2. eos esse in juventute canos, nigrescere in senectute. Vidi ego, unà cum P. Athanasio Kirchero, Romæ in Nosocomio infantulam canis capillis natam. Causam tribuit P. Kircherus in Arte Magnetica matris imaginationi, quæ vel maritum, vel adulterum senem ac canum vehementiùs sibi impresserat.

Didacus Osorius Hispali, à Rege Catholico in carcerem conjici jussus, cùm adhuc admodum esset juvenis, unicâ tantùm carcerationis nocte, præ nimia animi tristitia, cogitationibus mentem agitantibus, totus incanuit, velut senio confectus. Id tradit *Petrus Hispal.* in Sylv. par. 2. cap. 7. Idem contigit nostris ferè temporibus, sub Francisco Gonzaga Mantuæ Principe. Is, teste *Scaligero* Exercit. 312. in Cardan. affinem suum, suspectum conjurationis, cùm in turri portæ Cæsareæ ad quæstionem aut

 suppli-

supplicium servari jussisset, nuntiatum est manè totum repentè canum factum. Quod quasi prodigium flexit Principis animum, qui ei propterea & veniæ & vitæ fecit gratiam. Quidam è naufraugio erepti præter spem, in momento quasi cani facti sunt, teste *Joanne Sperlings* in Anthropologia physica lib. 2. cap. 14. q. 4. Vir etiam Generosus, teste *Lemnio* apud eundem, & *Schenckio* lib. 1. Observat. 1. qui in aula Cæsaris Virginem, quam adamârat, defloravit, & in carcerẽ cõjectus fuit, capite postridie plectẽdus, tanto animi correptus fuit angore, ut eâ nocte, conceptâ formidine mortis, paucarum horarum spatio facies effecta fuerit squalida, color cadaverosus, canities indecora, barba fœdâ illuvie deformata. Hinc sequenti die coram tribunali constitutus, à nemine agnatorum, & nè à Cæsare quidem ipso, agnosci potuit. Qua miserabili viri sorte Cæsar commotus, cùm priùs explorare jussisset, an canities illa esset adulterina, & barba aliquo liquore oblita, & nullam imposturam deprehendisset, vindictam mutavit in commiserationem. Ex *Suetonio* in Nerone & Galba habemus, cùm Sergius Galba à Nerone ad Hispaniæ sedandos motus missus esset, ac ingressus Provinciam sacrificaret intra ędem publicam, puero è ministris acerram tenenti capillum repentè toto capite incanuisse.

Canescentes puellæ in vindictam miraculosè.

Extraordinario quidem, naturali tamen modo recensita contigêre canitiei exempla; quæ sequuntur, prodigiosa sunt. Scribit *Theodoretus* in Philotheo, cùm Jacobus Nisibenus Episcopus descenderet in Persidem, juxta fontem quasdam puellas, abjectâ verecundiâ detecto capite, contractisque vestibus, impudentibus oculis Sanctum Virum spectasse: hanc rem virum DEI ægrè tulisse, volentemque divinam virtutem ad tempus manifestam facere, fonti maledixisse, & confestim aquarum cursum exaruisse; maledixisse quoque puellis, & impudentem earum juventutem immaturâ canitie punivisse. Nam cùm statim res verbum subsecuta esset, capillorum nigredo in candorem mutata est, ita ut puellæ novis arborum plantis similes evaderent, quas verno tempore autumnalibus foliis languere videmus. *Albertus Kranzius* lib. 6. Metropol. cap. 47. & alii referunt, cùm Vipertus Juvenis in Ravenburgensis Ecclesiæ Episcopum fuisset electus, Romamque profectus dispensationis causâ super ætate, à Pontifice contemptus esset; nocte sequenti totum incanuisse. Quo viso miraculo, Pontifex confirmavit hominem simul, & dispensavit, additâ etiam consecratione.

Juvenis miraculosè canescens.

Canitiei acceleratæ causa.

Ad causam canitiei acceleratæ quod attinet, non videtur esse eadem quæ ordinariæ canitiei. Universim loquendo ajunt Medici, capillorum canitiem ex frigiditate humoris alimentalis produci, quia frigiditas albedinem generat. In senectute igitur ob humoris frigidi abundantiam, crines albescunt. Alii (& in idem ferè recidit) ex abundantia pituitæ seu phleg-

phlegmatis oriri dicunt. Hinc senes canescere putant, quia abundant maximè pituitâ. Verùm si pituita canos facit, cur quidam juvenes magis pituitosi, quàm senes nonnulli, non æquè ac hi canescunt? cur sanguinei & cholerici veneranda ornantur canitie? cur aliqui, qui minimè pituitosi sunt, unicâ nocte canescunt? cur aliqui infantes cani nascuntur, alii minimè, cùm æquè omnes videantur esse pituitosi? Alii itaque probabiliùs dicunt, causam canitiei universim esse cujuslibet sanguinis, sive melancholicus sit, sive cholericus, sive phlegmaticus, vitiationem. Juxta hanc igitur sententiam ajo, plerùmque acceleratam & subitò ortam canitiem oriri ex sanguinis vitio; quod non tantùm ex senio contingit, sed vel maximè ex metu & tristitia, aliavè magnâ animi perturbatione. Infantis tamen Romanæ canities probabiliter orta fuit ex causâ suprà insinuata: Albanorum verò infantium vel ex eadem, vel virtute aliqua peculiari semini parentum inditâ, proveniente ex loci & alimentorum constitutione.

CAPUT XVII.

De mutantibus, vel dissimulantibus sexum.

§. I. De mutantibus sexum.

Sexum mutantiū exempla.

DE sexus mutatione egimus fusè lib. 1. cap. 31. eamque fieri sollitam non raró, multis exemplis antiquis ac novis confirmavimus; modumque, quo ea mutatio fiat, explicavimus. Exemplis ibi relatis addo nunc sequentia. *Ambrosius Pareus* lib. 2. Chirurg. cap. 5. ait, Anno 1560. quendam ad annum usque decimum quintum ætatis habitum fuisse pro fœmina, & cùm luderet cum aliis ancillis, virilia ad illum usque diem implicata erupisse. Hoc cùm parentes intellexissent, facultate Ecclesiasticâ interveniente, nomine mutato, Joannem pro Joanna deinceps appellasse. *Montuus* lib. 1. Theor. cap. 6. refert, se intellexisse à Serenissima Eleonora Caroli V. Imperatoris germana, quandam ancillam in marem mutatam fuisse. Sed benè advertit, quòd in his aliisque exemplis non fuerit mutatus sexus, sed detectus qui antea latuerat. In quo nobiscum sentit. Lege etiam *Majolum* Colloq. 3.

§. II. De dissimulantibus sexum.

Sexum dissimulantium exempla.

NOn desunt exempla mulierum virilem sexum certa de causâ simulantium; quæ fortassis causam dederunt credendi nonnullis, viros fuisse revera in fœminas mutatos, dum post mortem compertum fuit, fœminas esse, quæ antè viri putabantur. Legitur enim apud *Lipomannum* tom. 2. ex *Metaphraste* 8. Octob. Pelagiam Antiochenam per plures annos

Digitized by Google

usque ad obitum latuisse inter Monachos sub Pelagii nomine, & sanctissimè vixisse, monachali habitu, donec post mortem sexus fuit detectus. Idem fecit Eugenia Philippi Comitis filia: hæc enim, ut commodiùs Christo serviret, virum mentita, & monasticam inter viros vitam agens, etiam Abbatis officio defungi Alexandriæ meruit, ut scribit *Marulus* lib. 4. Euphrosyne quoque eâdem in urbe, contemptis nuptiis, sub Smaragdi nomine, latens inter Monachos annis octo supra triginta, vitam sanctissimâ vixit, ut *Metaphrastes* scribit 25. Septembris. Sed & Marina virgo fuit in Achaia, virili habitu Monachum repræsentans, quæ accusata, quòd mulierem prægnantem reddidisset, patienter accusationem tulit, partumque accusatricis diligenter educavit, omnemque ab Abbate impositam peragere pœnitentiam potiùs, quàm se esse fœminam aperire voluit: sed post obitum cognita, unicum & inauditum inter Monachos conversationis reliquit exemplum, ut narrat *Lipomannus* tom. 6. ad diem 17. Julii, in Præfatione ad Vitam alterius Sanctæ Marinæ. Theodoræ quoq; Alexandrinæ idem contigit, ut admissa inter Monachos, etiam criminis damnaretur, partumque educaret potiùs, quàm sexum suum detegeret, ut habet *Metaphrastes* die 11. Septemb.

Pulcherrimum est, quod de Sancta Apollinari Syncletica seu Patricia narrat *Matthæus Raderus* in Viridario Sanctorum ex Menæis Græcorum collecto. Hæc Anthemii, viri dignitate præstantissimi filia, licèt formæ venustate, animique solertiâ facilè cæteras omnes antestaret, à teneris tamen unguiculis virginitatis cultrix, diurnis DEUM nocturnisque precibus fatigabat, ut in perpetuo virginitatis flore tuendo se compotem redderet. Enixè etiam à parentibus copiam adeundi Hierosolymam flagitavit. Quam cùm impetrasset, magno servorum ancillarumque comitatu, multoque auro & argento ac pretiosâ veste acceptis profecta, loca sancta frequentavit, sanctaque Christi vestigia venerata, opes omnes in egentes distribuit, vernasque manumisit, seniore uno cum eunucho retento, & Alexandriam se contulit; ubi in loco campestri sese nonnihil ab itinere recreavit. Hîc comitibus somno oppressis, illa vicinam ingressa sylvam omnes humanas curas abjecit. Post multum deinde temporis virili cultu sumpto, & Dorothei nomine adscito, Scetanam solitudinem sanctis frequentatam Patribus adiit, seseque pro eunucho gessit: cui Macarius domicilium adsignavit, in quo diu noctuque precibus vacavit. Habebat Anthemius alteram quoque filiam, à spiritu maligno obsessam; quam ad sanctos viros curandam in Scetam misit. Hanc Patres ad Dorotheum adducunt; qui paucos intra dies illam sanavit, & ad patrem remisit. Sed cùm post aliquot dies uterum gestare fuisset deprehensa;

hensa; pater suspicatus eam à Dorotheo devirginatam, expeditos mittit cursores, qui Dorotheum sibi sistant. Venit; per nota quædam signa, quæ sit, patri aperit; revertitur in solitudinem, tandemq; post mortem fœmina deprehenditur, summâ omnium admiratione.

Hæc Græcarum Heroinarum sunt exempla: nunc Latinorum quoq; unum aut alterum attexamus. *Gregorius Turon.* de Gloria Confess. cap. 16. de Poppula hæc narrat. *Fuit & beata Poppula valde religiosa. Quæ cùm sæpius à parentibus flagitaret, se in Monasterio locari puellarum, eò quòd in domo parentum curis sæculi impedientibus DEO servire non posset, & illi præ amore nollent eam à se separari; totondit comam capitis sui, indutoque virili habitu Turonicam diœcesin adiens, in congregationem se contulit Monachorum, ibique in jejuniis & orationibus degens, virtutibus multis emicuit. Erat enim tanquam vir inter viros, nec ulli erat cognitus sexus ejus, atque adeo etiam renuens in Abbatem electa est. Triginta autem annos in Monasterio fuit, à nemine agnita. Ante autem tertium diem, quàm ab hoc Mundo migraret, id Monachis patefecit; & sic defuncta, à mulieribus abluta, sepulta est, miraculis ad tumulum ejus deinceps coruscantibus.* Hæc Gregorius.

Mirabilis est historia Hildegundis, quæ inter Monachos in monasterio Schonaviensi habitans Josephi nomen assumpsit; cujus acta *Cæsarius* primùm, deinde *Raderus* ex Manuscripto Codice Velseriano enarrant, conscripta ab Auctore eidem Hildegundi Synchrono, & eodem cum ipso loco ac cœnobio vivente. Historiam, quia longior est, omitto: qui volet, alterutrum adeat Auctorem.

Ex his patet, quanquam Sacræ literæ, *Deuteron.* 22. & ejus loci Interpretes Tertullianus, Cyprianus, & alii, rem DEO invisam & abominandam dicant esse, si vir fœminam, aut fœmina virum induat; si tamen id pio fine periculo pudoris & innoxiæ vitæ fiat, minimè reprehendendum esse.

CAPUT XVIII.

An unquam mulier aliqua virum simulans, fuerit summus in Romana Ecclesia Pontifex.

Joannæ Papissæ fabula examinatur.

DEcantatissimum est hoc tempore, & multorum Novatorum scriptis & ore contra Catholicos vulgatum, fuisse olim circa Annũ Christi octingentesimum & quinquagesimum tertium, fœminam, quæ ob doctrinam & vitæ simulatam probitatem eò usq; inter omnes Romanæ Ecclesiæ Cardinales ac Clericos excelluerit, ut post Papæ Leonis IV. obitum, unanimi consensu electa fuerit in summum Pontificem, rexerit Ecclesiam annis duobus

duobus & mensibus aliquot, tandemque sub finem Pontificatus in publica aliqua processione pepererit in platea. Quæ res si vera est, ingens sanè dedecus affert toti Romanæ atque Catholicæ Ecclesiæ; nec parùm labefactat Catholicorum doctrinam, è sacris Litteris haustam, de Spiritus Sancti in Christi Vicario, & Petri successore eligendo assistentia. Et tametsi vehementer cupiam, rem totam ex fundamentis discutere, ac post tot & tam insignes Scriptores, qui eam discusserunt, meum quoque interponere judicium; quia tamen hic locus ad id faciendum minimè opportunus videtur, ad alium differam locum. Tantùm igitur partis utriusque fundamenta sincerè ac integrè proponam, ac prudentis Lectoris judicio rem decidendam relinquam. Incipio ab iis qui factum adstruunt, Catholicis & Acatholicis, antiquis & recentibus.

§. I. Auctores qui vel affirmant, vel affirmare dicuntur, mulierem fuisse aliquando Papam.

Joannam quandam fuisse Papam, multi affirmant.

PRimus omnium, qui fœminam aliquando Papam fuisse, scriptis consignasse dicitur, fuit *Marianus Scotus* Monachus Fuldensis, qui in Chronico suo lib. 3. Ætat. 6. Anno Christi 853. & 854. Lotharii verò Imperatoris anno 13. & 14. Editionis Basileensis per Jacobum Parcum, expensis Joannis Oporini Anno 1559. & Editionis Francofurtensis Anno 1583. ita scribit. *Leo Papa obiit Calendis Augusti. Huic successit Joanna, mulier, annis 2. mensibus 5. diebus 4.* Natus fuit hic Auctor anno Christi 1028. factus Monachus anno 1053. habitavit primò Fuldæ, deinde Moguntiæ; obiit anno 1086. teste Dodichindo Abbate, qui ad ejus Chronicon appendicem addidit. Historiam suam ab Orbe Condito inchoatam, continuavit usque ad annum 1083. Hoc itaque anno, aut non longè antè, scripsit illa de Papa muliere.

Secundus fuisse dicitur *Sigebertus* Monachus Gemlacensis in sua Chronographia, qui ad Annum Christi 854. editionis Francofurtensis citatæ, hæc habet. *Fama est, hunc Joannem fœminam fuisse, & uni soli familiari tantùm cognitam, qui eam complexus est, & gravida facta peperit, Papa existens. Quare eum inter Pontifices non numerant quidam; ideo nomini numerum non facit.* Hæc ibi. Quæ tamen verba minimè cohærent cum antecedentibus; nullibi enim fecerat Sigebertus mentionem alicujus Joannis, quem verbis illis designaret. Vixit hic Autor tempore Gregorii VII. Pontificis, & obiit tempore Paschalis II. circa annum Christi 1112.

Tertius, qui id sine dubio asseruisse dicitur, fuit *Martinus Polonus* in Supputationibus suis, Editionis Basileensis supra citatæ, ubi ad annum Christi 855. ita scribit. *Post hunc Leonem, Joannes Anglus natione Margantinus,*

Digitized by Google

tinus, sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. Et cessavit Pontificatus mense uno. Mortuus est Romæ. Hic, ut asseritur, fœmina fuit. Et cùm in puellari ætate, à quodam suo amasio, in habitu virili, Athenis ducta fuit; in diversis scientiis ita profecit, ut nullus sibi par inveniretur; adeò ut pòst Romæ triennium legens, magnos Magistros discipulos & auditores haberet. Et cùm in urbe vitâ & scientiâ magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in papatu per suum familiarem impregnatur. Verùm tempus partus ignorans, cùm de Sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata, inter Coliseum & Sancti Clementis Ecclesiam peperit. Et postea mortua, ibidem (ut dicitur) sepulta fuit. Et propterea quòd Dominus Papa eandem viam semper obliquat, creditur omnino à quibusdam, quòd ob detestationem facti hoc faciat. Nec ideo ponitur in catalogo Sanctorum Pontificum, tam propter muliebrem sexum, quàm propter deformitatem facti. Hæc ille. Fuit hic Martinus natione Polonus, professione Monachus, dignitate Episcopus, & Pœnitentiarius Innocentii quarti Pontificis. Scripsit Chronicum, in quo breviter res gestas Pontificum & Imperatorum persequitur usque ad sua tempora, id est, usque ad Honorium IV. qui sedere cœpit ad annum Domini 1285. Dicitur fuisse vir simplex, & pro historiis fabellas obtrusisse.

Quartus qui expressè id asserit, est *Baptista Platina* in Historia sua de vitis Pontificum, ubi de Joanne VIII. loquens, ita scribit. *Joannes Anglicus, ex Moguntiaco oriundus, malis artibus (ut ajunt) Pontificatum adeptus est. Mentitus enim sexum, cùm fœmina esset, adolescens admodum Athenas cum amatore suo viro docto proficiscitur; ibique præceptores bonarum artium audiendo, tantum profecit, ut Romam veniens, paucos admodum, etiam in sacris Litteris, pares haberet, nedum superiores. Legendo autem & disputando doctè & acutè, tantum benevolentiæ & auctoritatis sibi comparavit, ut mortuo Leone, in ejus locum (ut Martinus ait) omnium consensu Pontifex crearetur. Verùm postea à servo compressa, cùm aliquamdiu occultè ventrem tulisset, tandem dum ad Lateranensem basilicam proficisceretur, inter theatrum (quod Colosseum vocant, à Neronis Colosso) & Sanctum Clementem, doloribus circumventa peperit; eoque loci mortua, Pontificatus sui anno secundo, mense uno, diebus quatuor, sine ullo honore sepelitur. Sunt qui ob hæc scribant, Pontificem ipsum, quando ad Lateranensem basilicam proficiscitur, detestandi facinoris causâ, & viam illam consultò declinare, & ejusdem vitandi erroris causâ, dum primò in sede Petri collocatur, ad eam rem perforata, genitalia ab ultimo Diacono attrectari. De primo non abnuerim. De secundo ita sentio: sedem illam ob id paratam esse, ut qui in tanto magistratu constituitur, sciat se non DEUM, sed hominem esse, & necessitatibus naturæ, utpote egerendi, subjectum esse, unde meritò stercoraria sedes vocatur. Hæc quæ dixi, vulgò feruntur, incertis tamen*

Digitized by Google

& obscuris Auctoribus: quæ ideo ponere breviter & nudè institui, ne obstinatè nimium & pertinaciter omisisse videar, quod ferè omnes affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo; quanquam appareat, ea quæ dixi, ex his esse, quæ fieri posse creduntur. Hactenus Platina, qui fuit patriâ Cremonensis, vixit tempore Sixti Papæ quarti, cui dedicavit librum de Vitis Pontificum Romanorum, & obiit anno Dom. 1481.

Quintus, qui expressè id asserit, est *Auctor Fasciculi Temporum*, editi Venetiis anno 1490.; qui Auctor ad Annum Christi 864. hæc habet. *Joannes Germanus. Iste Joannes Anglicus cognomine, scilicet natione Moguntinus, circa hæc tēpora dicitur fuisse. Et erat fœmina habitu vestita virili. Sic in divina Scriptura profecerat, ut par ei non inveniretur. Et in Papam eligitur. Sed post impregnata, cùm publicè in processione pergeret, peperit, & moritur. Et hic sextus videtur fuisse Papa, qui nomen sanctitatis sine re habuit usque huc, & similiter sicut alia à DEO plagatus fuit: nec ponitur in catalogo Pontificum. Nugantur aliqui, ea de causa nullum Almannum in Papam eligi; quod falsum esse constat.* Hæc ibi. In alia editione antiquiore inter annum 1470. & 1486. facta, paulò aliter res describitur in hunc modum. *Joannes Papa mulier, dictus Anglicus, natione Moguntinus, circa hæc tempora dicitur fuisse. Mulier fuit amicta habitu virili. Studiis se contulit, & in tantum profecit in Sacra Scriptura, quòd par ei non inveniretur. Quare in Papam eligitur. Sed post impregnata, cùm publicè in processione pergeret, peperit, & moritur. Et hic sextus videtur fuisse Papa, qui Sanctitatis nomen sine veritate habuit usque huc. Nec etiam in catalogo Pontificum ponitur.* Fasciculus temporum, de quo hic, est Chronologia ab initio Mundi usque ad annum 1484. Auctor ejus dicitur esse *Wernerus Westphalus*, teste Bellarmino lib. de Scriptoribus Ecclesiast. ab anno Dom. 1400. ad 1500.

Sextus est Jacobus Philippus Bergomensis, Ordinis Sancti Augustini, qui vixit anno Domini 1494. & scripsit Historiam ab initio Mundi usque ad annum Dom. 1436. libris quindecim, vocavitque Supplementum Chronicorum. Hic igitur Auctor ad annum Christi 858. hæc habet. *Joannes VII. Papa, natione Anglicus, post Leonem Pontificem Pontifex factus, sedit annis 2. & mensibus 5. Hunc tradunt fuisse fœminam, quòd adolescens admodum ex Anglia Athenas cum quodam doctissimo amasio suo profecta, ibidem bonarum artium preceptores audiendo tantum profecit, ut Romam veniens paucos admodum, etiam in sacris literis, haberet pares. Ea quippe legendo, disputando, docendo, orando, tantam benevolentiam & gratiam sibi comparavit, ut mortuo Leone prædicto Pontifice, in ejusdem locum, ut multi affirmant, omnium consensu Pontifex crearetur. Verùm postea à familiari compressa gravidatur; Papa existens peperit. Nam ex Vaticano ad Lateranen-*

ranensem basilicam aliquando ad litanias profecta, inter Colisseum & Sanctum Clementem, prater spem doloribus circumventa, sine obstetrice aliqua publicè peperit; & ex loci ab omnibus mortua ibidem sine ullo honore cum fætu misera sepulta est. Ad cujus detestandam spurcitiem, & nominis continuandam memoriam, in hodiernum usque summi Pontifices rogationum cum populo & Clero sacrum agentes, cùm locum partus medio ejus in itinere positum abominentur, eo omisso declinant ad diverticula vicosque, & sic loco detestabili postergato, reintrantes iter perficiunt, quod cœperunt. Et ad evitandos similes errores statutum fuit, nè quis de cætero in Beati Petri collocaretur sede, priusquàm per perforatam sedem futuri Pontificis genitalia ab ultimo Diacono Cardinale attrectarentur.

Septimus est *Auctor Compilationis Chronologicæ* ab initio Mundi usque ad annum Christi 1474; qui post annum Domini 800. Sergio Pontifici subjicit Papissam, his verbis: *Fuit & alius pseudopapa, cujus nomen & anni ignorantur. Nam mulier erat, ut fatentur Romani, & elegantis formæ, magnæ scientiæ, & in hypocrisi magnæ vitæ. Hæc sub virili habitu latuit, quousq; in Papam eligitur. Et hæc in papatu concepit; & cùm esset gravida, dæmon in Consistorio publicè coram omnibus prodit factum, clamans ad Papam hunc versum:*

Papa pater patrum papissæ pandito partum.

§. II. Aliorum Auctorum nomina & loca indicantur, qui eâdem de re scribunt.

Præter Auctores hactenus relatos, multi alii ex antiquioribus, & innumerabiles penè ex recentioribus, Catholici æquè ac Acatholici, idem expressissimis verbis asserunt; quorum verba si adducere vellem, in immensum hoc Caput excresceret. Solùm ergo *Centuriatorum Magdeburgensium* verba adscribam, reliquorum verò nonnullorum nomina cum libro aut loco, in quo de illa re tractant, referam.

Joannam quandam fuisse Papam, quinam alii affirment.

Centuriatores ergo Centur. 9. cap. 10. col. 500. loquentes de Joanne VIII. ita scribunt. *Sacrificus quidam Anglicus, uxorem seu scortum gravidum secum duxit Moguntiam. Cùm autem isthic esset, venit dies partus ejus, & peperit filiam, cui nomen Gilberta inditum est. Contigit autem illi ingenium amplius, quàm pro muliebri natura. Quare in ipsa ætate adolescentiæ apud aliquem hominem eruditum educata, literas didicit, ac in cœnobium Fuldense, sexum mentita, à Monacho quodam ejus rei non ignaro introducta est. Ubi cùm inter amplexus ejus habitu monastico non diu latere posse videbatur, peregrinationem ille Athenas discendi gratiâ instituit, ac Gilbertam quasi juvenem secum abduxit. Ibi autem inter homines*

Digitized by Google

mines doctos versata, operam literis egregiam navavit, ac latinè & græcè didicit, ac disputandi solertiam sibi comparavit. Mortuo isthic suo amatore seu marito, Romam abiit; ac pro homine Anglo suscepta, in scholis seu cœnobiis docere cœpit; ac suâ eruditione, & disputandi promptitudine, in magnam auctoritatem & existimationem venit, adeoque sibi hominum favorē conciliavit, ut Leoni, communi Cleri & plebis suffragio, ac Imperatorum consensu Pontifex crearetur, & Joannes septimus (ut Sabellicus vult; aut octavus, ut Platina) vocatus sit, Anno Domini 853. juxta Martinum: aut 854. juxta Sigebertum. De necromantia scripsit librum unum. Baleus Centuria 13. cap. 10. In officio aliorum Pontificum more contulit sacros ordines, presbyteros & diaconos ordinavit, episcopos consecravit, abbates constituit, missas celebravit, & altaria & templa consecravit, sacramenta administravit. Regna hujus Mūdi, & gloriam ejus usurpavit; nam pedes suos aliis exosculandos præbuit. Lothario in Prumiense cœnobium recondito, Ludovico filio ejus regni sceptra & coronam solemni ritu contulit. In quo reipsâ impletum est, quod Apocal. 17. scribitur de regibus meretricem Babilonicam adoraturis, & potestatem ab ea accepturis. Chronicum Saxoniæ Anno Domini 856. Ab Ethelvvolpho Anglorum rege tributum, ac munera alia accepit. Romanæ Ecclesiæ privilegia non nisi centum annorum præscriptione tolli posse decrevit, ut aliquis scribunt. Libidines sub sanctitatis & castitatis velamento horrendas exercuit, quas DEUS mirabili modo patefecit, ut ejus, & aliorum Pontificum, quorum viva imago in hac meretrice expressa fuit, turpitudo omnium piorum oculis esset exposita. Nam libidini tam diu indulsit, donec à Cardinale domestico, qui solus scribitur cum ea rem habuisse (sed quis facilè credat, illam procacem pellicem uno contentam fuisse?) impregnata, uterum quidem occultavit, sed DEI judicio, & singulari providentiâ, cùm ex Vaticano in processione solemni Lateranensem basilicam inviseret, inter Neronis Colossæum & Clementis fanum, obortis repentè partus doloribus, enixa est, & eo loci defuncta, cùm annis duobus, mensibus quinque, & diebus quatuor, meretrix in sede Petri vicarium Antichristi egisset, anno Domini 857. Sine honore pontificio sepulta est, & ex catalogo nomen ejus rejectum, ac cautum est, nè Pontifex per illam plateam in Lateranensem basilicam eat: & ut in sella Petri sedentis novi Pontificis virilia à Diacono explorentur attactu, & exclamatione, Habet, habet. Qui quidem mos hodie abolitus esse dicitur, quia non opus eo sit, cùm pellices, concubinæ, & spurii ea de re certissimum dicant testimonium. Martinus in Chronico, Marianus Scotus, Sigebertus, Ranulphus lib. 5. cap. 32. Baleus Centuria 2. cap. 20. & Centuria 13. cap. 10. Volaterranus, Platina, Bergemensis, & alii. Hæc Centuriatores; qui addunt in fine, marmoream statuam in eo loco, ubi Pontifex hic peperit, erectam fuisse ad rei memoriam; & in libro Pontificiali, ac aliis quibusdam omissam esse hanc historiam, propter fœditatem rei.

Aliorum

Aliorum Auctorum, qui à Martini Poloni temporibus ad hæc usque de eadem re scripserunt, sunt sequentia. Nullum servo aut temporis, aut dignitatis, aut sectæ ordinē, sed prout in calamū incurrunt, enumero. *Bocacius* lib. de Fœminis illustr. *Baleus* de Script. Britann. Anonymus de Joanna octava contra Jesuitas, *Jacobus Curio* in Chronico, *Joannes Marius* de Schismat. & Concil. *Baptista Fulgosius* lib. 7. c. 3. *Joannes de Marcoville* lib. de Laude Mulier. *Joannes Stella* lib. de Vitis Rom. Pont. *Osvvaldus Crollius* in Itinerario Ital. *Christianus Massæus* in Chron. *Achilles Gassarus* in Epito. *Zuvingerus* in Theatro, *Sebastianus Francus* in Chron. *Bibliander* in Chron. *Franciscus Junius* in Bellarminum lib. 3. de Pontif. cap. 24. *Albertus Cranzius* lib. 2. Metropol. *Anselmus Rids* in Catalogo, *Sabellicus* Enneade 9. *Henricus Primaus* de Cæremon. Pontifi. *Michaël Stifelius* lib. de Numer. Danielis, *Conradus Deckerus* in Papissa Romana, *Ranulphus* in Polychron. *Reineccius* in Schol. ad Albertum Stadium, *Egbertus Grimmius* lib. de Papissa, *Sethus Calvisius* in Opere Chronol. *Annales Augustani*, *Joannes Huß* lib. de Ecclesia, *Valentinus Munzer* in Chronico, *Lutherus* in Colloquiis tit. 27. *Petrus de Mesia* in Sylva, *Chronica Coloniensia* German. *Contarinus Cruciger*, *Theodoricus Niem*, *Paulus Merula* in Thesauro temp. *Theodorus Schorembergius* in Tragœdia de hac re, *Philippus Bergomensis* de claris Mulierib. *Chronica Hollandica*, *Nauclerus* Volum. 2. Generat. 29. *Antoninus* 2. par. Hist. tit. 16. cap. 1. *Joannes Rioche* in Compendio tempor. *Cœlius Rhodiginus* lib. 8. Lect. antiq. cap. 1. *Marcus Guazzo* in Chronico Italico, *Leander Albertus* in Descript. Italiæ in Catalogo Paparum ad ann. 854. *Franciscus Rosieres* tom. 4. stemmatum Ducum Lotharingiæ, *Trithemius* in Rosvveida, & in Hist. Hirsaugiensi, *Chronica Ulmæ impressa*, *Catalogus* adscriptus Othoni Frisingensi impressus Argentor. anno 1515. *Annales Aquitaniæ*, *Wilhelmus Jacobus Egmondanus*, *Joannes de Nevizano* lib. 4. Sylvæ Nuptial. *Volaterranus* Comment. Urbis lib. 22. *Cornelius Agrippa* de Vanit. Scient. *Philippus Mairnixius* in Apiario par. 6. cap. 3. *Matthæus Palmerius* in Chronico, *Hartmannus Schedel* in Chronico, *Catalogus* Pontifi. præfixus Platinæ, *Berouldus* in Chronico, *Amandus à Zierixea* in Chronico, *Guillelmus Occham* in Opera 90. dier. c. 124. *Joannes Laziardus* in Epitome Histor. *Wolphius* Lectionum Memorabilium Centuria 9. & plurimi apud ipsum, *Chronica Suevica* Germanica, *Baptista Mantuanus*, *Laonicus Chalcocondylas* lib. 6. de rebus Turcar. *Flores Temporum* collecti à Minorita, *Stephanus Blanck* lib. de Mirabilibus Urbis Romæ, *Christianus Massæus* in Chronico, *VVilhelmus Brevvin* lib. de septem Ecclesiis principal. Romæ, *Alexander Cooke* lib. de Papissa Joanna, *David Blondel* in libello Gallico de ea re.

Præter hos multi alii à relatis citantur, & multi in sequentibus nominabuntur.

§. III. Auctores qui negant, unquam mulierem fuisse Papam; & Argumenta quibus id evincere nituntur.

Joannam aliquam fuisse Papam, quinam negent.

PRæcipuos tantùm, & qui ex professo rem illam refutare conantur, proferam in medium. Hi sunt *Onuphrius Panuinius* in Annot. ad Platinam loco suprà cit. *Florimundus Remundus* Senator Burdigal. Tractatu de hac re, *Cardinalis Baronius* tom. 10. Anal. ad Annum Christi 854. & 879. *Longus* in Breviar. *Bellarminus* lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 24. *Possevinus* in Apparatu sacro, *Joannes Bernartius* de Utilit. Legend. histor. *Joannes Georgius Hervvart* in Mantissa contra Bzovium par. 3. fol. 30. *Miraus* Annal. Belgicor. fol. 350. *Majolus* in Diebus Canicul. Colloq. 3, *Serarius* lib. 1. Moguntiæ, *Petavius* par. 1. Rationarii tempor. lib. 8. cap. 10. *Joannes Stalenus* in Papissa Monstrosa. *Justus Lipsius* Epistolâ ad Franciscum Swertium. Hi omnes Pontificii sunt. Ex Sectariis etiam non pauci rem totam aut pro fabula reputant, aut in dubium revocant, nempe *Auctor* augmenti Chronici Carionis, *Anonymus* in tractatu de ea re edito anno 1588. *Sethus Calvisius* in chronologia ad annum 855. & 858. *Christophorus Besoldus* in Synopsi ad an. 853. *Henricus Kornmannus* lib. de Virginitatis jure, & Centuria 3. Decis. 8. *Paulus Merula* in Thesauro tempor. & novissimè fusè ac doctè *David Blondel* in libello edito ann. 1649. hac de re idiomate Gallico.

Argumenta porrò, quibus probant narrationem de Papissa fabulosam esse, sunt sequentia.

I. Argumentum, desumptum ex discordia Scriptorum de re illa.

Joannem Papissam nunquam fuisse, quibus argumentis probetur.

SI enim Quæratur I. *E qua mundi regione Papissa prodierit*; Respondet Fasciculus temporũ, Bocacius, Balæus, Anonymus contra Jesuitas, Curio, *fuisse Germanam*; Joannes Marius, Fulgosus, Jacobus Bergomensis, Joannes de Marcoville, Joannes Stella, Osvvaldus Crollius, Achilles Gassarus, Zvvingerus, Sebastianus Franck, *fuisse Anglam*; Bibliander, *fuisse in Anglia non natam, sed educatam*; Franciscus Junius, *fuisse in Anglia neque natam, neque educatam*, additque Grimmius, *dici Anglicam non à natione, sed à familia* Engels.

Si Quæratur II. *Quæ sit ejus patria*; Respondet Platina, Cranzius, Fasciculus temp. Bocacius, Richardus Wassenburgius apud Wolphium, Anselmus Rydt, Sabellicus, Primæus, Carion, Balæus, Stifelius, *fuisse Moguntinam*; Martinus Polonus, *Margantinam*; Conradus Deckerius, *Engelheimensem* ex diœcesi Moguntina, aut Palatinatu; Ranulphus, *fuisse Anglam natione Moguntinam*; Reineccius, *patriam incertam esse*.

Si

Si Quæratur III. *Qui fuerint ejus parentes*; Respondent Centuriatores Magdeb. *patrem fuisse Sacerdotem ex Anglia, missum in Germaniam ad propagandam fidem*; Grimmius, *Monachum & Sacerdotem*; Joannes de Marcoville, *parentes ortos* è Mayenem; Quidam apud Sethum Calvisium, *Matrem fuisse scortum, Patrem sacrificum Moguntiæ.*

Si Quæratur IV. *Quod ei nomen*; Respondent Crucifer apud Grimmium, Balæus, Curio, Annales Augustani, Bocacius, *Gilberta*; Joannes Huss, Fulgosus, Stifelius, Münzer, Lutherus, *Agnes*; Petrus de Messia, Joannes de Marcoville, *Joannes vel Joanna*, Chronicon Coloniense Germ. *Jutta*; Germani quidam, *Isabella*; Martinus Polonus, Author Compilationis, Philippus Bergomensis, *Nomen ejus nescitur.*

Si Quæratur V. *Quæ ejus in juventute vita*; Respondent Magdeburgenses, *Meretrix fuit*; Contarenus Cruciger, *Tam Veneri quàm artibus liberalibus operam dedit*; Bocacius, Fulgosus, *Domo fortassis profuga ob impudicitiam*; Balæus, *Maga fuit*; Zwingerus, Theodoricus de Niem, *Continens fuit, dum studuit, ac ob laudatos mores Pontificatum meruit.*

Si Quæratur VI. *Quis ejus amasius, & quò eam duxit*; Respondent Chronica Augustana, *Monachus fuit ex monasterio Fuldensi*; Jacobus Curio, *Ab Anglo quodam Fuldensis Cœnobii Monacho tum per Graciã, tum per Italiã, mentito sexu circumducta*; Balæus, Merula, *Monachum in maritum duxit, à quo per Ecclesias & Monasteria est deducta*; Bocacius, *Studiosus adolescens Moguntiæ*; Contarinus, *à Juvene studioso Moguntiæ didicit in domo paterna linguam latinam, & ab eo ducta est in Angliam*; Lutherus, *Cardinalis, qui eam duxit in Angliam*; Chronica Augustana, *Amasius duxit eam Romam.*

Si Quæratur VII. *Ubi studuerit*; Respondent Martinus Polonus, Platina, Fulgosus, Zwingerus, Balæus, *Athenis*; Schorembergius, *Parisiis*; Bocacius de Niem, Contarinus, Bergomensis, *In Anglia, & ex Anglia venit Romam.*

Si Quæratur VIII. *Quot annis Romæ docuerit*; Respondet de Niem, *duobus*; Merula, Chronica Hollandica, *tribus*; Bocacius, *aliquot.*

Si Quæratur IX *In quarum litterarum professione floruerit*; Respondent Martinus Polonus, Nauclerus, Bocacius, Antoninus, *Trivium legens magnos Magistros habuit*; &, *In triviis legens, magnos discipulos & auditores habuit*; Fasciculus temporum, *Sic in divina Scriptura profecerat, ut par ei non inveniretur*; Joannes Rioche, *Romæ litteris sacris studuit*; Contarinus, *Prælegit apertè Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam*; de Niem, Grimmius, *Docuit in Schola Græcorum*; Auctor Fragmenti veteris apud Wolphium, *Per biennium in Schola Græcorum docuit artes humaniores, in qua & Augustinus, ut etiam majores & nobiliores Urbis ejus lectiones frequenter auscultaverint.*

Si

Si Quæratur X. *Quando factus Pontifex* ; Respondent Antoninus ex Martino, *anno 850*; Rhodiginus, *anno 851*; Petrus Messia, Joannes Stella, Joannes de Marcoville, *anno 852*; Sigebertus corruptus, Marcus Guazzo, Balæus, Leander, *anno 854*; Anonymus de Joanna octava contra Jesuitas, *anno 855*; Nauclerus, Curio, *anno 856*; Bergomensis, Gassarus, Franck, *anno 858*; Franciscus Rosieres, *anno 883*; Trithemius, *anno 1120*.

Si Quæratur XI. *Sub quo Imperatore factus Pontifex* ; Respondent Chronica Ulmæ impressa, *sub Arnolpho*; Anonymus, Münzerus, Rioche, & alii, *sub Lothario Ludovici Pii filio*, Primæus, *sub Ludovico secundo*.

Si Quæratur XII. *Juvenis, an senex ad Papatum venerit*; Respondet Anonymus, *Juvenis*, Contarinus Cruciger, *annis maturis venit Romam*.

Si Quæratur XIII. *Cui Pontifici successerit*; Respondet Catalogus adscriptus Othoni Frisingensi, *Joanni sexto*; Martinus Polonus, & plerique, *Leoni IV*; Bocacius, *Leoni V*; Schorenberger, *Stephano V*; Martinus Prædicator, *Formoso*; Grimmius, & alii, *Benedicto III*; Rosieres, *Martino*; Egmondanus, *Sergio*.

Si Quæratur XIV. *Quod ejus in Pontificatu nomen* ; Respondet quidam apud Martinum Polonum, *Benedictus III*, Nevizanus, Fulgosus, Bergomensis, & alii, *Joannes VII*; Platina, Bocacius, Stella, Agrippa, & alii, *Joannes VIII*; Mairnixius, *Joannes IX*; Palmerius, *Numerum nomini non facit*.

Si Quæratur XV. *Quot annis sederit*; Respondet Rosieres, *Anno 1, diebus 4*; Scriptor quidam Gallus, *Anno 1, & Mense 1*; Crantzius, *Annis duobus nondum elapsis*; Zvvingerus, Anselmus Rydt, *Annis duobus*; Marcus Guazzo, *Annis 2, Mense 1*; Marcoville, Schedel, Catalogus Pontificum præfixus Platinæ, *Annis 2, Mense 1, diebus 4*; Rioche, *Annis 2, Mensib. 2*; Beroaldus, Amādus à Zierixea, Trithemius, Palmerius, *Annis 3, Mensib. 2*; Antoninus, *Annis 2, Mensib. diebus 6*; Bergomensis, Stella, Franck, Ranulphus, *Annis 5, Mensibus 2*; Martinus Polonus, Petrarha apud Wolphium, *Annis 2, Mensibus 5, Diebus 4*; Chronica Hollandica, *Annis 2, Mensibus 5, Diebus 8*; Gassarus, *Annis 2, Mensibus 6*; Occam, *Annis 2, Mensibus 7*; Laziardus, *Annis 2, Mensibus 7, Diebus 4*; Steenhovvel, *Annis 3, Mensibus 8*; Petrus de Messia, *Dos annos, y treinta y tantos dias*, id est, *Annis 2, triginta & aliquot diebus*; Auctor Compilationis Chronologicæ, *Anni & nomen ignorantur*.

Si Quæratur XVI. *Quæ in Pontificatu ordinavit* ; Respondent Balæus, Magdeburgenses, *Privilegia non posse tolli, nisi præscriptione centum annorum*; Martinus Polonus M.S. in Bibliotheca Oxoniensi apud Grimmium, *Composuit præfationes Missarum post S. Ambrosium jam prohibitas*; Illyricus in Catalogo testium, *Acceptâ pecuniâ, missu Legatis, Moravos à jurisdictione Laureacensis*

Digitized by Google

censis Episcopi exemit; Wolphius, *Coronavit Ludovicum II. Imperat. & Ethelvvolphum Anglum*; Agrippa, *Facta ejus in Ecclesia non fuerunt irrita, communi errore faciente jus*; Nauclerus, *Ordinati ab ea erant iterum ordinandi.*

Si Quæratur XVII. *A quo impregnata*; Respondent Chronica Suevica, Balæus, Ranulphus, *à domestico Cardinali*; Merula, *à Collega suo Cardinali*; Annales Aquitaniæ, *à domus Præfecto*; Baptista Mantuanus, *stabuli Pontificii Præfecto*; Antoninus, Palmerius, Bergomensis, *à familiari & consueto Amasio*; Platina, Sabellicus, Rhodiginus, & alii, *à servo domestico & cubiculario.*

Si Quæratur XVIII. *Ubi, & quando peperit*; Respondent Balæus, Fulgosus, *in publica processione*; Saxonius apud Cotonum, *in processione Corporis Christi*; Bocacius & alii, *in diebus Rogationum*; Schorembergius, *in aula & solio papali*; Chalcocondylas, *inter ipsa sacrorum mysteria*; Bocacius, *post Missam celebratam*; Quidam, *Penes portam Petri & Pauli*; Sabellicus, *Inter amphitheatrum Domitiani & Clementis adem*; Chronica Hollandica, *circa Ecclesiam Clementis*; Bergomensis, *ad Litanias profecta*; Annales Aquitaniæ, Egmondanus, *dum equitaret*; Anonymus contra Jesuitas, *Dum ex templo rediret domum in Lateranum*; de Niem, *Prope templum Pacis*; Wassenburgius, *In angusto theatro, & communi area.*

Si Quæratur XIX. *Ubi periit Papissa post partum*; Respondent Bergomensis, Antoninus, Platina, Stella, & alii, *In via publica, & in ipsa processione, & ibidem sine honore sepulta*; Liber Indulgentiarum apud Nigrinum, Sebastianus Franck, *In templo diruto S. Clementis*; Zwingerus, *Periit ex Janiculi monte amburbiale sacrum celebrans*; Rabbi Abraham Zacu apud Grimmium, *Fuit expulsa*; Bocacius, *Non periit in via, sed supervixit retrusa in carcerem Tullianum, & periit in Insulis.*

Si Quæratur XX. *Quid de puero quem peperit*; Respondent Bergomensis, Stella, Marcoville, Franck, Anonymus, *Periit statim in ipsa via*; Bocacius, *Periit post carcerem in Insulis*; Rabbi Zacu, *Occisus est matre expulsâ*; Junius, *Superstes fuit aliquot annis.*

Si Quæratur XXI. *An ob hoc factum Sedes perforata fuerit facta*; Respondent Massæus, Chalcocondylas, Bergomensis, Stella, & alii, *Sedes perforata ideo facta, ut Pontificum electorum sexus probetur*; Mairnixius, *Tales sedes duæ Porphyreticæ sunt, ubi tanguntur virilia Pontificis electi*; Platina, Sabellicus, Marcoville, & alii, *Non est ob hoc sedes perforata facta, sed ut in altiori statu constitutus Papa admoneatur communis & mortalis naturæ*; Junius, *Ista sedes, si quæ fuit, penes Auctores sit fides.*

Si Quæratur XXII. *Ubi hæc sedes perforata*; Respondet Robertus Gallus apud Wolphium, Fanchier apud Plessæum, *In porticu Lateranensis palatii*. Wilhelmus Brevvin, *In Capella Salvatoris*; Pierius apud Wolphium, *Pro suggestu S. Joannis in totius populi conspectu*; Junius, Choocke, *Non est in loco publico, sed in conclavi electionis.*

Digitized by Google

Si Quæratur XXIII. *An adhuc sedis perforatæ usus*; Respondent Franck, Petrus de Messia,& alii,*Usus adhuc est*,Magdeburgenses,& alii, *Usus ejus non est amplius.*

Atque hanc tantam ac tam evidentem Auctorum discrepantiam circa facti circumstantias, arguunt, purum putum figmentum esse, fœminam aliquando fuisse Papam.

II. Argumentum, desumptum ex altissimo silentio Scriptorum antiquorum de illa re.

NAm ab Anno 853., usque ad 1285., quod Martinus Polonus de illa re scripsit primus, nullus nec amicus, nec inimicus Romanæ Ecclesiæ, qui tamen multi & magni tunc fuerunt, maximè Græci, pro certo adferri potest, qui vel apicem de illa re scripserit; nec Scriptorum quisquam ante Lutherum altiùs ascendit, quàm ad dictum Martinum, quadringentis annis fictâ Papissâ posteriorem; quamvis Adversarii aliqui conentur primum Auctorem facere Marianum Scotum, ducentis annis, ac deinde Sigebertum, trecentis ferè annis Papissâ posteriorem.Sed non solùm Catholici, verùm etiam nonnulli ex præcipuis Sectariis, præsertim Calvisius, Besceldus, David Blondel, & quidam Anonymus ostendunt, Mariani & Sibegerti exemplaria impressa esse corrupta, nihilque ea de re in variis antiquis manuscriptis reperiri.

III. Argumentum, desumptum ex vera Chronologia.

EJusdem rei falsitatem ac impossibilitatem ostendunt & Catholici, & Acatholici, ex vera Chronologia annorum Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. & Adriani II. inter quos nullus alius Papa intercedere potuit. Rem totam fusè, distinctissimè, ac doctissimè diducunt Joannes Stalenus Catholicus, & David Blondel Acatholicus; quos legat qui volet; nobis enim prolixioribus esse nec libet, nec licet. Quæ si veritatis amore, & nullo præjudicio depravatâ mente evolverit Lector, statuet quod verisimilius esse ipse judicaverit. Ego certè si vel juratissimus hostis essem Papæ ac Papistarum, non possem illos non liberare à tanta calumnia. Sed hæc obiter.

APPENDIX.

SCripseram hæc, cùm incidi in *Judicium viri docti Anonymi de D. Samuelis Maresii Joanna Papissa restituta*, annexum fini Quaternionis Dissertationum Theologicarum Stephani Curcellæi adversus Samuelem Maresium. Quæritur eo loci, utrum D. Samuel Maresius Joannam Papissam restituerit, Blondellumque rectè refutaverit, nec ne: Respondeturque, *tantum abesse ut Blondellus rectè à D. Maresio sit refutatus, ut potius D. Maresius oleum & operam in illo refutando perdiderit, omnisq; judicii logici vacuus in arenam*

disputa-

Digitized by Google

diſputatoriam imprudenter deſcenderit, adeoque nihil, juxtim cum imperitiſſimis diſputatoribus hodiernis effecerit, egeritque. Probatur I. quia *D. Mareſius adduxit urſitque pro Joanna ſua probanda auctoritates recentiores, incertas, fallaces, maleq; cohærentes, adeoq; inſufficientes, principiumque tantùm petentes.* 2. quia *Poſtquam à Blondello clariſſimè monſtratum eſſet, omnia vetuſtiſſima, illiusq; (Joannæ Papiſſæ dictæ) temporis teſtimonia, Joannam Papiſſam prorſus ignorare & excludere, D. Mareſius teſtimonia illa, ceu negativa elevat* tantùm, dicens, nihil concludi argumentis ab auctoritate humana negativè deſumptis; & plùs credi tribus teſtibus affirmantibus, quàm mille nihil dicentibus, modò iſti non negent, quod alii affirmant. Addit allatos à Blondello teſtes tacentes non plùs videri Joannam excludere, quàm includere, eò quód qui tacet, conſentire videtur. Tandem, ac ſi ſententiam ſuam de Joanna jam optimè ſolideque probaſſet, ex illa ſua nondum probata ſententia ad omnia negativa teſtimonia ſtrenuè reſpondet, in iis. *Non immediatè, ſed mediatè Benedictum Leoni ſucceſſiſſe dici, Joannamque propterea quòd nullo jure Papabilis fuerit, ab Auctoribus illis omiſſam eſſe.* Hic autem diſputandi ac probandi modus contra negantes Joannem Papiſſam, eſt omnino ineptus & inefficax; Ergo &c. Minorem fusè probat Anonymus ferè usque ad finem Judicii ſui.

Exploſâ Mareſii refutatione, quærit Anonymus *Utrum ergo Blondelli ſententia nunc neceſſariò ſit vera, poſtquam D. Mareſium nihil ſolidi in contrarium attuliſſe hucusque oſtenſum eſt?* Reſpondet 1. *Etiamſi Blondellus nullas ſententiæ ſuæ rationes in medium adduxiſſet, omnino tamen rationes in contrarium ſive à Mareſio, ſive ab aliis Joannæ Papiſſæ patronis allatæ, ſuâ ſponte, ſuâque infirmitate aut tenuitate evaneſcerent, inque auras evolarent, adeoque ſententiam D. Mareſii improbabilem falſamque relinquerent; Blondelli ſententiâ antiquam ſuam certitudinem & veritatem conſtanter retinente obtinenteq;.* Reſpondet 2. Blondellum tales præterea rationes pro ſententia ſua attuliſſe, *quas etiamſi tandem D. Mareſius argutiolis effugiisq; ſuis variis eludere refutareque potuiſſet, nondum tamen quidquam effeciſſet, neque ſententiam aut theſin Blondelli mox falſitatis arguiſſet, eò quòd ſuam antitheſin & ſententiam minimè adhuc probaverit, ſolidisque argumentis adſtruxerit.* Reſpondet 3. Tales Blondellum pro ſententia ſua adduxiſſe rationes, *quæ duplici de cauſa* (quas ibi adſignat) *à D. Mareſio refutari non poſſunt.*

Totum tandem diſcurſum his concludit verbis. *Et ex his nunc abundè conſtare poteſt, quàm frivolè & inaniter D. Mareſius ad pleraque Auctorum loca à Blondello citata exceperit, ſemper tantùm urgens, ea de mediata ſucceſſione Bonifacii* (Benedicti volebat dicere) *Papæ in locum Leonis intelligi, aut intelligi poſſe; nec de immediata (quã tamen verba ſimpliciter accepta innuunt, & poſtulant) intelligi debere: Leonem dici deceſſorem Benedicti non immediatũ, ſed mediatum: Joannam omiſſam aut præteritam fuiſſe, ob facti turpitudinem, & quòd nullo jure Papabilis fuerit; & quæ ejus generis ſunt alia, quibus totam ſuam reſponſionem, prout ſuperiùs viſum*

 eſt,

Digitized by Google

est, absolvit, librumque suum de Joanna Papissa restituta suffarcinavit, & respersit: cùm tamen hæc omnia effugia sua solidè priùs & sufficienter probare debuisset. Et sanè errores hi in methodum disputandi à D. Maresio commissi, ut plurimum in causa sunt, quòd hactenus Andabatarum more tantùm disputetur, contentiones & rixæ infinitæ maneant, neq; veritas alicujus rei erui, certitudoq; aliqua in rebus inveniri aut haberi possit. Nam si & D. Maresius veram disputandi & respondendi methodum scivisset, sine dubio hanc suam Blondelli refutationem nūquam aggressus fuisset, seseq; nihil solidi habere, quod Blondello opponeret, vidisset, adeoq; veritatem agnovisset, eamq; intactam reliquisset; neq; frustra sibi persuasisset, ac si Blondello optimè respondisset. Hæc Anonymus.

Lege hæc, Lector, qui Joannam Papissam hactenus credidisti, & justum judicium forma. An non suis se armis contrarium sentientes conficiunt? An non salutem ex inimicis DEUS facit?

ADDITIO.

J*Oannæ Papissæ mentionem facit* Cl. Deusingius *in Secundinis Fœtus Mussipont. sect. 5. ubi tractans de Hermaphroditis citat pro parte affirmante D. Samuelem Maresium (de quo paulò antè) Collegam suum in Universitate Gröningana; pro parte verò negante laudat D. Martinum Schoockium itidem collegam suum in eadem Universitate. Ipse verò Deusingius relinquit* Eruditissimis Viris suas quibusvis in hac materia sententias.

CAPUT XIX.

De iis, qui diu dormierunt, & elati revixerunt.

§. I. Exempla diu dormientium.

Dormientium longo tempore exempla.

MUlta exempla longo tempore dormientium retulimus lib. 1. cap. 30. ubi & probavimus id naturaliter contingere posse. Addimus nunc sequentia. *Plinius* lib. 7. Histor. Natur. cap. 52. refert; *puerum æstu & itinere fessum, in specu septem & quinquaginta dormisse annis*, & expergiscentem rerum faciem mutationemque miratum, velut si postero experrectus foret die. *Rem incompertā novitate mirabilem* (inquit Krantzius lib. 8. Wandal. cap. 39.) *silentio præterire non oportet. Ferunt juvenem scholasticis disciplinis Lubecæ intentum, secretiùs, ut sine interpellatione dormitaret, se reclusisse nemine sciente. Cùm non appareret quid de illo esset actum, requisiêre: non invenientes, arbitrati sunt clàm urbe profectum in patriam. Transierunt septem illo sopore anni. Jam per casum evenit, ut quispiam scrutaretur curiosè, quid concameratio in muro capsa contineret: vidit juvenem soporatum: & cùm ignotus illi esset, graviter cōcussum excivit de somno. Jam redegerūt in memoriam qui illum prodire viderant, ante septennium disparuisse juvenem: quem eundem non mutatā, non maceratā facie, certissimum judicârunt. Stupor apprehendit omnes. Ille miratur quid stupeant,*

Digitized by Google

peant, arbitratus se noctem unam cum parte diei somno consumpsisse. Ubi audit factum, stupet cum stupentibus; nec educere potuit quid amplius esset passus, quàm solent homines profundo somno (lethargum vocant) soporati. Viderint Physici, si poterat humidus ille locus fovere & continuare tam diuturnum somnum, sine cibo & corporis maceratione. Hoc est illud tempus, quo summus Pontifex Gregorius XI. curiam suam de Avinione Galliarum urbe reduxit in urbem Romam.

Hæc credibile faciunt quod *Lelius Bisciola* lib. 16. Horar. subseciv. cap. 2. narrat ex M. Damasceno, illius tempore rusticum in Germania sub ingenti fœni cumulo per autumnum & brumam continuò dormiisse, & consumpto paulatim fœno, attonito ac semimortuo similem extitisse. Minimè ergo incredibile est, quod idem Bisciola ibidem asserit narratum sibi sanctè Anno 1593. à quodam Sabaudiæ Principis aulico, bovem sine potu sub maximo fœni cumulo multos vixisse menses, quem rustici credebant amissum; postremò inventum adeó pinguem, se ut loco non posset movere.

Bos sub cumulo fœni repertus.

Relatorum exemplorum pleraque naturales habuisse causas, vix dubito: loci enim & aëris humiditate cerebrum humectari, humidum cerebrum somnum inducere, somnum immodicum vicissim humidum reddere cerebrum, & ratio,& experientia docet. Quod de septem fratribus Ephesinis narrat *Nicephorus Callist.* lib. 14. Histor. Eccles. cap. 45. *Constantinus Manasses* in Annal. *Carolus Sigonius*, & alii, qui Decii persecutionem fugientes intra speluncam se abdiderunt, occlusoque à persecutoribus aditu à parte exteriore, trecentis & septuaginta duobus annis usque ad Theodosii Imperatoris tempora inibi dormierunt, tandemque recluso ostio evigilarunt, & urbem adeuntes omnia immutata repererunt; prodigiosum fuit, & ad resurrectionis mysterium confirmandum à DEO permissum.

Septem dormientes.

§. II. Exempla reviviscentium, postquam elati fuêre.

Libro 1. cap. 30. multa quoque exempla retulimus eorum, qui mortui cùm fuissent, revixerunt. His addo sequentia eorum, qui elati revixerunt, desumpta ex *Plinio* lib. 7. cap. 52. ubi inter alia ait: *Aviola consularis in rogo revixit* (quod etiam loc. cit. retulimus) *& quoniam subveniri non potuerat prævalente flammâ, vivus crematus est. Similis causa in L. Lamia Prætorio viro traditur. Nam C. Ælium Tuberonem Præturâ functum à rogo relatum, Messala Rufus & plerique tradunt.* Et pauló pòst. *Varro quoque auctor est, XX. viris agros dividentibus Capuæ, quendam qui efferretur feretro, domum remeasse pedibus. Hos idem Aquini accidisse. Romæ quoque Corfidium materteræ suæ maritum funere locato revixisse, & locatorem funeris ab eo elatum.* Omitto alia quæ ibidem addit Plinius.

Reviviscentium exempla.

Digitized by Google

Scotus an fuerit sepultus vivus.

Multi crediderunt, subtilissimum Doctorem Joannem Scotum fuisse vivum tumulatum. Ferunt enim, eum sæpe diem totum, & ampliùs, immobilem sedere solitum, sensibus sopitis, mente nimirum raptâ in altissimarum rerum contemplationem, absentibus aliquando iis qui id sciebant, festinato funere ab aliis illius rei nesciis pro mortuo elatum. Addit *Paulus Jovius* in Elogiis Doctor. Viror. cùm tumulatus jam esset, redeunte vitâ, serò morbi impetum naturam discussisse, eumque frustra ad petendam opem miserabili mugitu edito, pulsatoque diu sepulchri lapide seu operculo, eliso tandem capite periisse. Nec his contentus *Abrahamus Bzovius*, scribit ad Annum Christi 1294. ex Genebrardo, Scotum intra sepulchrum, cùm jam vita rediisset, extrema manuum devorasse; addens de suo, aperto sepulchro in gradibus Mausolei devoratis manibus repertum fuisse. Sed hæc mera esse figmenta, bene ostendit *Lucas Waddingus* in Annal. tom. 3. anno 1304. & 1308., iterumque in Vita Scoti primo tomo Operum ipsius præfixo, cap. 9. est enim communis aliorum opinio, Scotum naturali ac communi morte sublatum die 8. Novem. Anni 1308. Coloniæ Agrippinæ, sepultumque in Conventu Fratrum Minorum Ordinis sui.

CAPUT XX.

De hominibus in Bestias mutatis.

Homines in bestias mutati.

Lib. 1. cap. 26. plurima exempla attulimus hominum in bestias transmutatorum, modumque explicavimus, quo id factum fuisse credamus. His addimus alia tria: Sequenti verò capite examinamus, num Rex Nabuchodonosor fuerit verè in bovem mutatus; an specie tantùm tenus. Adverte tamen, indubitatum esse, omnes sequentes metamorphoses non naturali, sed supernaturali DEI virtute contigisse, ad hominum scelera punienda, aliovè nobis occulto fine.

Scribit itaque *Metaphrastes* 30. Septemb. Teridatem Armeniorum regem, cùm virgines Ripsimem & Gaianam nefandis modis ad impudicitiam allicere adniteretur, martyresque efficere, justitiâ DEI versum esse in insaniam, mutatâ ejus formâ in porcum. *Et erat Teridates* (verba sunt Metaphrastis) *extrinsecus porcus, interna crudelitatis, & cœni voluptatum, & alterius porcinæ animæ ac vitæ simul imago & pœna*; tam diuque in eo statu permansit, donec à S. Gregorio, postea Martyre, fuit pristinæ menti ac formæ restitutus. Longissima est, sed mirabilis historia, quam pius Lector apud Surium inveniet ad diem 30. Septembris.

Hominum in bestias

Mirabilis est quod narratur apud Nierembergium lib. 2. de Mirab. Europæ

ropæ cap. 42. ex *Silvestro Giraldo*, his verbis. *Circa triennium, ante adventum comitis in Hyberniam, contigit quendam sacerdotem de partibus Ultoniæ versus Mediam itinerantem, in sylva quadam conjuncta Mediæ pernoctasse. Cùmq; ad culum, quem sibi sub arbore quadam frondosa congesserat, uno tantùm comitatus lo, lucubrasset; ecce lupus ad eos accedens, qui statim in hujusmodi verba pro-. Securi estote, & nolite timere; non enim trepidandum vobis est, ubi timor non Cùmque ipsi tantò vehementiùs consternatis animis obstupuissent, verba de DEO subjunxit. Et obtestatus à sacerdote, adjuratusque per DEUM omnitem, & per fidem Trinitatis, nè eis noceret, & quanam creatura fuisset, quæ stiali formâ humana verba proferret; catholicum in omnibus responsum præbens, m tamen subiecit. De quodam hominum genere sumus Ossyriensium, unde quotennio per imprecationem Sancti cujusdam, Natalis scilicet Abbatis, duo, et mas & fœmina, tam à formis, quàm finibus exulare coguntur. Formam enim humanam prorsus exuentes, induunt lupinam. Completo verò septennii spatio, si fortè superstites fuerint, aliis duobus ipsorum loco simili conditione subrogatis, ad pristinam redeunt tam patriam, quàm naturam. Et mihi quidem peregrinationis. hujus socia non procul graviter infirmatur: cui, si placet, jam in extremis agenti, sacerdotale solatium intuitu divinæ pietatis indulgeas. Quo dicto, lupum præcedentem usque ad arborem quandam satis propinquam Presbyter sequitur tremebundus. In cujus concavitate lupam conspicit, sub specie feina gemitus & planctus humanos emittentem. Quæ statim ut ipsum vidit, præmittens salutationem satis humanam, gratias etiam DEO retulit, quòd in tali articulo tanto eam solatio dignatus esset visitare, & sic usque ad extremam Communionem à Sacerdote cuncta ritè peracta suscepit, quam & ipsam constanter efflagitavit, attentiùs supplicans, ut Viatici largitione beneficium consummaret. Quo sacerdos cùm se carere firmiter asseruisset, lupus, qui parumper abscesserat, iterum accessit, ostendens ei parvulum librum manualem, & aliquot hostias consecratas continentem, qua more patriæ Presbyter itinerans sub indumento à collo suspensa deferebat. Rogabat etiam, nè DEI donum & subsidium eis divinâ providentiâ destinatum aliquatenus denegaret. Et ut omnem abstergeret dubietatem, pede quasi pro manu fungens, pellem totam à capite lupæ retrahens usque ad umbilicum replicavit, & ita statim expressa forma vetulæ cujusdam apparuit. Quo viso, tandem Sacerdos obnixè postulantem, & devotè suscipientem, terrore tamen magis quam ratione compulsus, communicavit, & statim à lupo pellis retractata priori formæ se coaptavit. His ergo ritè potiùs quàm rectè peractis, humanam potiùs quàm bestialem societatem eis ad igniculum totâ nocte lupus exhibuit. Manè verò facto, extra silvam ipsos conducens, Presbyteroque præbens iter, viam ei certissimam longè præostendit. Multas etiam Sacerdoti super impenso beneficio gratias in discessu referebat, promittens efficaciores multò se ei gratias relaturum, si Dominus eum ab hoc exilio, cujus jam duas partes compleverat, revocaverit. Inter ultima verò hujus confabulatio-*

mutatorum mirabile exemplum.

bulationis verba quæsivit Presbyter à lupo, utrum gens inimica, quæ in Insulam supervenerat, olim foret diuque in ea permansura. Cui lupus, Propter peccata, inquit, populi nostri, & vitiorum enormitates, ira DEI descendens in generationem pravam, dedit eam in manus inimicorum. Quàm diu ergo gens ea mandata DEI custodierit, & in viis ejus ambulaverit, tota manebit & inconvulsa: sin autem (quia proclivis est cursus ad voluptates, imitatrix est natura vitiorum) ad nostros ex convictu mores fortè condescenderint, divinam in se quoque procul dubio vindictam provocabunt. Similem quoque sententiam in Levitico reperies, Domino ad populum Israëliticum loquente in hunc modum: Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cavete ergo, ne & vos similiter evomat, cùm paria feceritis, sicut evomuit gentem quæ fuit ante vos. *Totum hoc autem postmodum contigit, primò per Chaldæos, & postea Romanos. Item & in Ecclesiastico;* Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.

Biennio verò pòst elapso contigit me per Mediam transitum fecisse, ubi Episcopus terræ illius Synodum tunc fortè convocaverat. Episcopos etiam & Abbates vicinos adsciverat, ut super hac re (quam ex Sacerdotis confessione jam didicerat) quid agendum illi foret, communicato consilio certiùs instrueretur. Audiens ergo me transire per partes illas, duos mihi de Clericis suis transmisit, rogans ut tanto negotio tractando in propria persona, si fieri posset, interessem: sin autem, de assensu meo litteris saltem eos certificarem. Audito ergo ab illis seriatim negotio (quod & priùs tamen ab aliis audieram) quia causis quibusdam urgentibus adesse non potui; litterarum beneficio, consilio quidem absens non fui. Cui & Episcopus cum Synodo obtemperans, Sacerdotem ipsum, cum litteris suis, rem gestam & Sacerdotis confessionem continentibus, appositis etiam Episcoporum & Abbatum, qui intererant, sigillis, ad summum Pontificem destinavit.

Hactenus Giraldus. Qui cùm retulisset alia quædam mutatorum hominum in bestias exempla ex *S. Augustino* lib. 16. cap. 8. & lib. 18. cap. 18. de Civit. DEI; addit: *Nostris quoque temporibus quosdam vidimus, qui magicis artibus imbuti, pingues, ut videbantur, porcos, sed tantùm rubros, ex quacunque præjacente materia producentes, in nundinis vendebant: sed hi statim ut aquam aliquam transibant, evanescentes, in propriam & veram revertebantur naturam: quantalibet autem industriâ servatis assumpta species ultra triduum non durabat. Item vetulas quasdam tam in Wallia, quam in Hybernia, & in Scotia, se in leporinam transmutare formam, ut adulterina sub specie ubera sugendo, lac alienum occultiùs surripiant, vetus quidem sed & adhuc recens frequensque querela est.* Utrum verò tum hi, tum alii homines, fuerint revera in bestias mutati, discussimus ac decidimus loc. cit. lib. 1. iterumque postea dicemus.

Tertium exemplum refert idem *Nierembergius* cit. loc. cap. 43. ex Jocelino, his verbis. *Regnabat in finibus quibusdam Britanniæ, quæ modò Wallia*

Google

VValia dicitur, tyrannus quidam Ceretics nomine, flagitiosus, fraudulentus, injuriosus, blasphemans ubique viam Domini, Christianorum persecutor, & interfector crudelissimus. Audiens autem S. Patritius illius belluæ tyrannidem effrenatam, studuit illum ad viam salutis revocare, dirigens ad illum convertendum à vitiis suis pessimis epistolam commonitoriam. Ipse verò venumdatus ut faceret malum, de die in diem seipso deterior factus, admonitionem deserit S. Patritii, & despexit, suaque flagitia, facinora, fraudum factiones, cruentatas cædes dilatavit. Quod cùm Patritius relatu veridico didicisset, divinitùs edoctus, intellexit vas contumeliæ obduratum in nequitiis, nullimodæ correctioni, sed potiùs perditioni præparatum; in hunc modum fertur orasse ad Dominum. Domine DEUS omnipotens, sicut scis, & potes, hominem hunc vulpinum in vitiis monstrosum, modo monstroso ejice à facie terræ, & illius consummatæ malitiæ finem impone. Inclinans Dominus aures suas ad vocem servi sui, prædictum tyrannum quadam die in medio fori stantem, circumstante multitudine suorum, subitò in vulpem transformavit; illeque à conspectu omnium fugiens, nunquam in terra ulteriùs comparuit. Hoc factum nullus discredere jure poterit, qui uxorem Loth in cautem mutatam, aut historias de Nabuchodonosor Rege legerit. Sed de hac sequenti capite.

CAPUT XXI.

An Nabuchodonosor Rex fuerit revera mutatus in bovem.

DE fide præcedentium historiarum dubitare sine piaculo quis posset, quoniam non nisi humanâ nituntur auctoritate; sequentem revocare in dubium sine crimine nemo potest, qui divinâ conscriptam ac stabilitam non ignorat. Narro priùs metamorphosin Regis; deinde qualis ac quanta ea fuerit, quomodoque facta, examino.

§. I. Historia Nabuchodonosoris in bestiam mutati.

Nabuchodonosoris in bestiam mutati historia.

FUit ea prædicto Regi in somno indicata, anno regni 37. quando post debellatam ante biennium Ægyptum factus monarcha, intumuit superbiâ. Duodecimo verò à somnio mense completa est; ejectusque ipse ut bestia, mansit in statu illo annis septem; tandemque octavo anno menti & regno redditus, agnovit atque laudavit DEUM. Rem gestam proponit ipse Nabuchodonosor epistolâ post restitutionem missâ ad omnes populos imperio suo subjectos, quæ habetur apud *Danielem* Prophetam cap. 4. Qua in Epistola postquam narrasset, se, cùm quietus esset in domo sua, & florens in palatio suo, somnium vidisse, quod frustra omnes arioli & sapientes Babylonis interpretari fuissent conati, tandem vocato Danieli seu Baltassari id exposuisse, huncq; id interpretatum, Verba Scripturæ

 sunt.

Digitized by Google

mines doctos versata, operam literis egregiam navavit, ac latinè & græcè didicit, ac disputandi solertiam sibi comparavit. Mortuo isthic suo amatore seu marito, Romam abiit; ac pro homine Anglo suscepta, in scholis seu cœnobiis docere cœpit; ac suâ eruditione, & disputandi promptitudine, in magnam auctoritatem & existimationem venit, adeoque sibi hominum favorē conciliavit, ut Leoni, communi Cleri & plebis suffragio, ac Imperatorum consensu Pontifex crearetur, & Joannes septimus (ut Sabellicus vult, aut octavus, ut Platina) vocatus sit, Anno Domini 853. juxta Martinum, aut 854. juxta Sigebertum. De necromantia scripsit librum unum. Balæus Centuria 13. cap. 10. In officio aliorum Pontificum more contulit sacros ordines, presbyteros & diaconos ordinavit, episcopos consecravit, abbates constituit, missas celebravit, & altaria & templa consecravit, sacramenta administravit. Regna hujus Mūdi, & gloriam ejus usurpavit; nam pedes suos aliis exosculandos præbuit. Lothario in Prumiense cœnobium recondito, Ludovico filio ejus regni sceptra & coronam solemni ritu contulit. In quo reipsa impletum est, quod Apocal. 17. scribitur de regibus meretricem Babilonicam adoraturis, & potestatem ab ea accepturis. Chronicum Saxoniæ Anno Domini 856. Ab Ethelvvolpho Anglorum rege tributum, ac munera alia accepit. Romanæ Ecclesiæ privilegia non nisi centum annorum præscriptione tolli posse decrevit, ut aliqui scribunt. Libidines sub sanctitatis & castitatis velamento horrendas exercuit, quas DEUS mirabili modo patefecit, ut ejus, & aliorum Pontificum, quorum viva imago in hac meretrice expressa fuit, turpitudo omnium piorum oculis esset exposita. Nam libidini tam diu indulsit, donec à Cardinale domestico, qui solus scribitur cum ea rem habuisse (sed quis facilè credat, illam procacem pellicem uno contentam fuisse?) imprægnata, uterum quidem occultavit, sed DEI judicio, & singulari providentiâ, cùm ex Vaticano in processione solemni Lateranensem basilicam inviseret, inter Neronis Colosseum & Clementis fanum, obortis repentè partus doloribus, enixa est, & eo loci defuncta, cùm annis duobus, mensibus quinque, & diebus quatuor, meretrix in sede Petri vicarium Antichristi egisset, anno Domini 857. Sine honore pontificio sepulta est, & ex catalogo nomen ejus rejectum, ac cautum est, nè Pontifex per illam plateam in Lateranensem basilicam eat: & ut in sella Petri sedentis novi Pontificis virilia à Diacono explorentur attactu, & exclamatione, Habet, habet. Qui quidem mos hodie abolitus esse dicitur, quia non opus eo sit, cùm pellices, concubinæ, & spurii ea de re certissimum dicant testimonium. Martinus in Chronico, Marianus Scotus, Sigebertus, Ranulphus lib. 5. cap. 32. Balæus Centuria 2. cap. 20. & Centuria 13. cap. 10. Volaterranus, Platina, Bergemensis, & alii. Hæc Centuriatores; qui addunt in fine, marmoream statuam in eo loco, ubi Pontifex hic peperit, erectam fuisse ad rei memoriam; & in libro Pontificiali, ac aliis quibusdam omissam esse hanc historiam, propter fœditatem rei.

Aliorum

Aliorum Auctorum, qui à Martini Poloni temporibus ad hæc usque de eadem re scripserunt, sunt sequentia. Nullum servo aut temporis, aut dignitatis, aut sectæ ordinē, sed prout in calamū incurrunt, enumero. *Bocacius* lib. de Fœminis illustr. *Balæus* de Script. Britann. Anonymus de Joanna octava contra Jesuitas, *Jacobus Curio* in Chronico, *Joannes Marius* de Schismat. & Concil. *Baptista Fulgosius* lib. 7. c. 3. *Joannes de Marcoville* lib. de Laude Mulier. *Joannes Stella* lib. de Vitis Rom. Pont. *Osvvaldus Crollius* in Itinerario Ital. *Christianus Massæus* in Chron. *Achilles Gassarus* in Epito. *Zvvingerus* in Theatro, *Sebastianus Francus* in Chron. *Bibliander* in Chron. *Franciscus Junius* in Bellarminum lib. 3. de Pontif. cap. 24. *Albertus Cranzius* lib. 2. Metropol. *Anselmus Ridt* in Catalogo, *Sabellicus* Enneade 9. *Henricus Primeus* de Cæremon. Pontif. *Michaël Stifelius* lib. de Numer. Danielis, *Conradus Deckerus* in Papissa Romana, *Ranulphus* in Polychron. *Reineccius* in Schol. ad Albertum Stadium, *Egbertus Grimmius* lib. de Papissa, *Sethus Calvisius* in Opere Chronol. *Annales Augustani*, *Joannes Huß* lib. de Ecclesia, *Valentinus Münzer* in Chronico, *Lutherus* in Colloquiis tit. 27. *Petrus de Messia* in Sylva, *Chronica Coloniensia* German. *Contarinus Cruciger*, *Theodoricus Niem*, *Paulus Merula* in Thesauro temp. *Theodorus Schorembergius* in Tragœdia de hac re, *Philippus Bergomensis* de claris Mulierib. *Chronica Hollandica*, *Nauclerus* Volum. 2. Generat. 29. *Antoninus* 2. par. Hist. tit. 16. cap. 1. *Joannes Rioche* in Compendio tempor. *Cœlius Rhodiginus* lib. 8. Lect. antiq. cap. 1. *Marcus Guazzo* in Chronico Italico, *Leander Albertus* in Descript. Italiæ in Catalogo Paparum ad ann. 854. *Franciscus Rosieres* tom. 4. stemmatum Ducum Lotharingiæ, *Trithemius* in Rosvveida, & in Hist. Hirsaugiensi, *Chronica* Ulmæ impressa, *Catalogus* adscriptus Othoni Frisingensi impressus Argentor. anno 1515. *Annales Aquitaniæ*, *Wilhelmus Jacobus Egmondanus*, *Joannes de Nevizano* lib. 4. Sylvæ Nuptial. *Volaterranus* Comment. Urbis lib. 22. *Cornelius Agrippa* de Vanit. Scient. *Philippus Mairnixius* in Apiario par. 6. cap. 3. *Matthæus Palmerius* in Chronico, *Hartmannus Schedel* in Chronico, *Catalogus* Pontifi. præfixus Platinæ, *Beroaldus* in Chronico, *Amandus à Zierixea* in Chronico, *Guilielmus Occham* in Opera 90. dier. c. 124. *Joannes Laziardus* in Epitome Histor. *Wolphius* Lectionum Memorabilium Centuria 9. & plurimi apud ipsum, *Chronica Suevica* Germanica, *Baptista Mantuanus*, *Laonicus Chalcocondylas* lib. 6. de rebus Turcar. *Flores Temporum* collecti à Minorita, *Stephanus Blanck* lib. de Mirabilibus Urbis Romæ, *Christianus Massæus* in Chronico, *VVilhelmus Brevvin* lib. de septem Ecclesiis principal. Romæ, *Alexander Choocke* lib. de Papissa Joanna, *David Blondel* in libello Gallico de ea re.

Præter hos multi alii à relatis citantur, & multi in sequentibus nominabuntur.

§. III. Auctores qui negant, unquam mulierem fuisse Papam; & Argumenta quibus id evincere nituntur.

Joannam aliquam fuisse Papam, qui nam negent.

PRæcipuos tantùm, & qui ex professo rem illam refutare conantur, proferam in medium. Hi sunt *Onuphrius Panuinius* in Annot. ad Platinam loco suprà cit. *Florimundus Remundus* Senator Burdigal. Tractatu de hac re, *Cardinalis Baronius* tom. 10. Anal. ad Annum Christi 854. & 879. *Longus* in Breviar. *Bellarminus* lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 24. *Possevinus* in Apparatu sacro, *Joannes Bernartius* de Utilit. Legend. histor. *Joannes Georgius Hervvart* in Mantissa contra Bzovium par. 3. fol. 30. *Miraus* Annal. Belgicor. fol. 350. *Majolus* in Diebus Canicul. Colloq. 3. *Serarius* lib. 1. Moguntiæ, *Petavius* par. 1. Rationarii tempor. lib. 8. cap. 10. *Joannes Stalenus* in Papissa Monstrosa, *Justus Lipsius* Epistolâ ad Franciscum Swertium. Hi omnes Pontificii sunt. Ex Sectariis etiam non pauci rem totam aut pro fabula reputant, aut in dubium revocant, nempe *Auctor* augmenti Chronici Carionis, *Anonymus* in tractatu de ea re edito anno 1588. *Sethus Calvisius* in chronologia ad annum 855. & 858. *Christophorus Besoldus* in Synopsi ad an. 853. *Henricus Kornmannus* lib. de Virginitatis jure, & Centuria 3. Decis. 8. *Paulus Merula* in Thesauro tempor. & novissimè fusè ac doctè *David Blondel* in libello edito ann. 1649. hac de re idiomate Gallico.

Argumenta porrò, quibus probant narrationem de Papissa fabulosam esse, sunt sequentia.

I. Argumentum, desumptum ex discordia Scriptorum de re illa.

Joannem Papissam nunquam fuisse, quibus argumentis probetur.

SI enim Quæratur I. *E qua mundi regione Papissa prodierit*; Respondet Fasciculus temporũ, Bocacius, Balæus, Anonymus contra Jesuitas, Curio, *fuisse Germanam*; Joannes Marius, Fulgosus, Jacobus Bergomensis, Joannes de Marcoville, Joannes Stella, Osvvaldus Crollius, Achilles Gassarus, Zvvingerus, Sebastianus Franck. *fuisse Anglam*; Bibliander, *fuisse in Anglia non natam, sed educatam*; Franciscus Junius, *fuisse in Anglia neque natam, neque educatam*, additque Grimmius, *dici Anglicam non à natione, sed à familia Engels.*

Si Quæratur II. *Quæ sit ejus patria*; Respondet Platina, Cranzius, Fasciculus temp. Bocacius, Richardus Wassenburgius apud Wolphium, Anselmus Rydt, Sabellicus, Primæus, Carion, Balæus, Stifelius, *fuisse Moguntinam*; Martinus Polonus, *Margantinam*; Conradus Dockerius, *Engelhei mensem* ex diœcesi Moguntina, aut Palatinatu; Ranulphus, *fuisse Anglam natione Moguntinam*; Reineccius, *patriam incertam esse.*

Si

Si Quæratur III. *Qui fuerint ejus parentes*; Reſpondent Centuriatores Magdeb. *patrem fuiſſe Sacerdotem ex Anglia, miſſum in Germaniam ad propagandam fidem*; Grimmius, *Monachum & Sacerdotem*; Joannes de Marcoville, *parentes ortos* è Mayenem; Quidam apud Sethum Calviſium, *Matrem fuiſſe ſcortum, Patrem ſacrificum Moguntiæ.*

Si Quæratur IV. *Quod ei nomen*; Reſpondent Crucifer apud Grimmium, Balæus, Curio, Annales Auguſtani, Bocacius, *Gilberta*; Joannes Huſs, Fulgoſus, Stifelius, Münzer, Lutherus, *Agnes*; Petrus de Meſſia, Joannes de Marcoville, *Joannes vel Joanna*, Chronicon Colonienſe Germ. *Jutta*; Germani quidam, *Jſabella*; Martinus Polonus, Author Compilationis, Philippus Bergomenſis, *Nomen ejus neſcitur.*

Si Quæratur V. *Quæ ejus in juventute vita*; Reſpondent Magdeburgenſes, *Meretrix fuit*; Contarenus Cruciger, *Tam Veneri quàm artibus liberalibus operam dedit*; Bocacius, Fulgoſus, *Domo fortaſſis profuga ob impudicitiam*; Balæus, *Maga fuit*; Zwingerus, Theodericus de Niem, *Continens fuit, dum ſtuduit, ac ob laudatos mores Pontificatum meruit.*

Si Quæratur VI. *Quis ejus amaſius, & quò eam duxit*; Reſpondent Chronica Auguſtana, *Monachus fuit ex monaſterio Fuldenſi*; Jacobus Curio, *Ab Anglo quodam Fuldenſis Cœnobii Monacho tum per Græciā, tum per Italiā, mentito ſexu circumducta*; Balæus, Merula, *Monachum in maritum duxit, à quo per Eccleſias & Monaſteria eſt deducta*; Bocacius, *Studioſus adoleſcens Moguntiæ*; Contarinus, *à Juvene ſtudioſo Moguntiæ didicit in domo paterna linguam latinam, & ab eo ducta eſt in Angliam*; Lutherus, *Cardinalis, qui eam duxit in Angliam*; Chronica Auguſtana, *Amaſius duxit eam Romam.*

Si Quæratur VII. *Ubi ſtuduerit*; Reſpondent Martinus Polonus, Platina, Fulgoſus, Zwingerus, Balæus, *Athenis*; Schorembergius, *Pariſiis*; Bocacius, de Niem, Contarinus, Bergomenſis, *In Anglia, & ex Anglia venit Romam.*

Si Quæratur VIII. *Quot annis Romæ docuerit*; Reſpondet de Niem, *duobus*; Merula, Chronica Hollandica, *tribus*; Bocacius, *aliquot.*

Si Quæratur IX. *In quarum litterarum profeſſione floruerit*; Reſpondent Martinus Polonus, Nauclerus, Bocacius, Antoninus, *Trivium legens magnos Magiſtros habuit*; &, *In triviis legens, magnos diſcipulos & auditores habuit*; Faſciculus temporum, *Sic in divina Scriptura profecerat, ut par ei non inveniretur*; Joannes Rioche, *Romæ litteris ſacris ſtuduit*; Contarinus, *Prælegit apertè Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam*; de Niem, Grimmius, *Docuit in Schola Græcorum*; Auctor Fragmenti veteris apud Wolphium, *Per biennium in Schola Græcorum docuit artes humaniores, in qua & Auguſtinus, ut etiam majores & nobiliores Urbis ejus lectiones frequenter auſcultaverint.*

Digitized by Google

Si Quæratur X. *Quando factus Pontifex*; Respondent Antoninus ex Martino, *anno 850*; Rhodiginus, *anno 851*; Petrus Messia, Joannes Stella, Joannes de Marcoville, *anno 852*; Sigebertus corruptus; Marcus Guazzo, Balæus, Leander, *anno 854*; Anonymus de Joanna octava contra Jesuitas, *anno 855*; Nauclerus, Curio, *anno 856*; Bergomensis, Gassarus, Franck, *anno 858*; Franciscus Rosieres, *anno 883*; Trithemius, *anno 1120*.

Si Quæratur XI. *Sub quo Imperatore factus Pontifex*; Respondent Chronica Ulmæ impressa, *sub Arnolpho*; Anonymus, Münzerus, Rioche, & alii, *sub Lothario Ludovici Pii filio*, Primæus, *sub Ludovico secundo.*

Si Quæratur XII. *Juvenis, an senex ad Papatum venerit*; Respondet Anonymus, *Juvenis*, Contarinus Cruciger, *annis maturis venit Romam.*

Si Quæratur XIII. *Cui Pontifici successerit*; Respondet Catalogus adscriptus Othoni Frisingensi, *Joanni sexto*; Martinus Polonus, & plerique, *Leoni IV*; Bocacius, *Leoni V*; Schorenberger, *Stephano V*; Martinus Prædicator, *Formoso*; Grimmius, & alii, *Benedicto III*; Rosieres, *Martino*; Egmondanus, *Sergio.*

Si Quæratur XIV. *Quod ejus in Pontificatu nomen*; Respondet quidam apud Martinum Polonum, *Benedictus III*, Nevizanus, Fulgosus, Bergomensis, & alii, *Joannes VII*; Platina, Bocacius, Stella, Agrippa, & alii, *Joannes VIII*; Mairnixius, *Joannes IX*; Palmerius, *Numerum nomini non facit.*

Si Quæratur XV. *Quot annis sederit*; Respondet Rosieres, *Anno 1, diebus 4*; Scriptor quidam Gallus, *Anno 1, & Mense 1*; Crantzius, *Annis duobus nondum elapsis*; Zvvingerus, Anselmus Rydt, *Annis duobus*; Marcus Guazzo, *Annis 2, Mense 1*; Marcoville, Schedel, Catalogus Pontificum præfixus Platinæ, *Annis 2, Mense 1, diebus 4*, Rioche, *Annis 2, Mensib. 2*; Beroaldus, Amãdus à Zierixea, Trithemius, Palmerius, *Annis 3, Mensib. 2*; Antoninus, *Annis 2, Mensib. diebus 6*; Bergomensis, Stella, Franck, Ranulphus, *Annis 5, Mensibus 2*; Martinus Polonus, Petrarha apud Wolphium, *Annis 2, Mensibus 5, Diebus 4*; Chronica Hollandica, *Annis 2, Mensibus 5, Diebus 8*; Gassarus, *Annis 2, Mensibus 6*; Occam, *Annis 2, Mensibus 7*; Laziardus, *Annis 2, Mensibus 7, Diebus 4*; Steenhovvel, *Annis 3, Mensibus 8*; Petrus de Messia, *Dos annos, y treinta y tantos dias*, id est, *Annis 2, triginta & aliquot diebus*; Auctor Compilationis Chronologicæ, *Anni & nomen ignorantur.*

Si Quæratur XVI. *Quæ in Pontificatu ordinavit*; Respondent Balæus, Magdeburgenses, *Privilegia non posse tolli, nisi præscriptione centum annorum*; Martinus Polonus M.S. in Bibliotheca Oxoniensi apud Grimmium, *Composuit præfationes Missarum post S. Ambrosium jam prohibitas*; Illyricus in Catalogo testium, *Acceptâ pecuniâ, missis Legatis, Moravos à jurisdictione Laurea-*

censis

censis Episcopi exemit; Wolphius, *Coronavit Ludovicum II. Imperat. & Ethelvvolphum Anglum*; Agrippa, *Facta ejus in Ecclesia non fuerunt irrita, communi errore facientejus*; Nauclerus, *Ordinati ab ea erant iterum ordinandi.*

Si Quæratur XVII. *A quo impragnata*; Respondent Chronica Suevica, Balæus, Ranulphus, *à domestico Cardinali*; Merula, *à Collega suo Cardinali*; Annales Aquitaniæ, *à domus Præfecto*; Baptista Mantuanus, *stabuli Pontificii Præfecto*; Antoninus, Palmerius, Bergomensis, *à familiari & consueto Amasio*; Platina, Sabellicus, Rhodiginus, & alii, *à servo domestico & cubiculario.*

Si Quæratur XVIII. *Ubi, & quando peperit*; Respondent Balæus, Fulgosus, *in publica processione*; Saxonius apud Cotonum, *in processione Corporis Christi*; Bocacius & alii, *in diebus Rogationum*; Schorembergius, *in aula & solio papali*; Chalcocondylas, *inter ipsa sacrorum mysteria*; Bocacius, *post Missam celebratam*; Quidam, *Penes portam Petri & Pauli*; Sabellicus, *Inter amphitheatrum Domitiani & Clementis ædem*; Chronica Hollandica, *circa Ecclesiam Clementis*; Bergomensis, *ad Litanias profecta*; Annales Aquitaniæ, Egmondanus, *dum equitaret*; Anonymus contra Jesuitas, *Dum ex templo rediret domum in Lateranum*; de Niem, *Prope templum Pacis*; Waſſenburgius, *In angusto theatro, & communi area.*

Si Quæratur XIX. *Ubi periit Papissa post partum*; Respondent Bergomensis, Antoninus, Platina, Stella, & alii, *In via publica, & in ipsa processione, & ibidem sine honore sepulta*; Liber Indulgentiarum apud Nigrinum, Sebastianus Franck, *In templo diruto S. Clementis*; Zwingerus, *Periit ex Janiculi monte amburbiale sacrum celebrans*; Rabbi Abraham Zacu apud Grimmium, *Fuit expulsa*; Bocacius, *Non periit in via, sed supervixit retrusa in carcerem Iulianum, & periit in Insulis.*

Si Quæratur XX. *Quid de puero quem peperit*; Respondent Bergomensis, Stella, Marcoville, Franck, Anonymus, *Periit statim in ipsa via*; Bocacius, *Periit post carcerem in Insulis*; Rabbi Zacu, *Occisus est matre expulsâ*; Junius, *Superstes fuit aliquot annis.*

Si Quæratur XXI. *An ob hoc factum Sedes perforata fuerit facta*; Respondent Maſſæus, Chalcocondylas, Bergomensis, Stella, & alii, *Sedes perforata ideo facta, ut Pontificum electorum sexus probetur*; Mairnixius, *Tales sedes duæ Porphyreticæ sunt, ubi tanguntur virilia Pontificis electi*; Platina, Sabellicus, Marcoville, & alii, *Non est ob hoc sedes perforata facta, sed ut in altiori statu constitutus Papa admoneatur communis & mortalis naturæ*; Junius, *Ista sedes, si qua fuit, penes Auctores sit fides.*

Si Quæratur XXII. *Ubi hæc sedes perforata*; Respondet Robertus Gallus apud Wolphium, Fanchier apud Pleſſæum, *In porticu Lateranensis palatii*, Wilhelmus Brevvin, *In Capella Salvatoris*; Pierius apud Wolphium, *Pro suggestu S. Joannis in totius populi conspectu*; Junius, Choocke, *Non est in loco publico, sed in conclavi electionis.*

Digitized by Google

Si Quæratur XXIIII. *An adhuc sedis perforatæ usus*; Respondent Franck, Petrus de Messia, & alii, *Usus adhuc est*, Magdeburgenses, & alii, *Usus ejus non est amplius*.

Atque hanc tantam ac tam evidentem Auctorum discrepantiam circa facti circumstantias, arguunt, purum putum figmentum esse, fœminam aliquando fuisse Papam.

II. Argumentum, desumptum ex altissimo silentio Scriptorum antiquorum de illa re.

NAm ab Anno 853., usque ad 1285., quod Martinus Polonus de illa re scripsit primus, nullus nec amicus, nec inimicus Romanæ Ecclesiæ, qui tamen multi & magni tunc fuerunt, maximè Græci, pro certo adferri potest, qui vel apicem de illa re scripserit; nec Scriptorum quisquam ante Lutherum altiùs ascendit, quàm ad dictum Martinum, quadringentis annis fictâ Papissâ posteriorem; quamvis Adversarii aliqui conentur primum Auctorem facere Marianum Scotum, ducentis annis, ac deinde Sigebertum, trecentis ferè annis Papissâ posteriorem. Sed non solùm Catholici, verùm etiam nonnulli ex præcipuis Sectariis, præsertim Calvisius, Beseldus, David Blondel, & quidam Anonymus ostendunt, Mariani & Sibegerti exemplaria impressa esse corrupta, nihilque ea de re in variis antiquis manuscriptis reperiri.

III. Argumentum, desumptum ex vera Chronologia.

EJusdem rei falsitatem ac impossibilitatem ostendunt & Catholici, & Acatholici, ex vera Chronologia annorum Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. & Adriani II. inter quos nullus alius Papa intercedere potuit. Rem totam fusè, distinctissimè, ac doctissimè diducunt Joannes Stalenus Catholicus, & David Blondel Acatholicus; quos legat qui volet; nobis enim prolixioribus esse nec libet, nec licet. Quæ si veritatis amore, & nullo præjudicio depravatâ mente evolverit Lector, statuet quod verisimilius esse ipse judicaverit. Ego certè si vel juratissimus hostis essem Papæ ac Papistarum, non possem illos non liberare à tanta calumnia. Sed hæc obiter.

APPENDIX.

SCripseram hæc, cùm incidi in *Judicium viri docti Anonymi de D. Samuelis Maresii Joanna Papissa restituta*, annexum fini Quaternionis Dissertationum Theologicarum Stephani Curcellæi adversus Samuelem Maresium. Quæritur eo loci, utrum D. Samuel Maresius Joannam Papissam restituerit, Blondellumque rectè refutaverit, nec ne: Respondeturque, *tantum abesse ut Blondellus rectè à D. Maresio sit refutatus, ut potius D. Maresius oleum & operam in illo refutando perdiderit, omniq; judicii logici vacuus in arenam* [illegible] *disputa-*

disputatoriam imprudenter descenderit, adeoque nihil, juxtim cum imperitissimis disputatoribus hodiernis effecerit, egeritque. Probatur I. quia *D. Maresius adduxit urgetque pro Joanna sua probanda auctoritates recentiores, incertas, fallaces, maleq; cohærentes, adeoq; insufficientes, principiumque tantùm petentes.* 2. quia *Postquam à Blondello clarissimè monstratum esset, omnia vetustissima, illiusq; (Joannæ Papissæ dictæ) temporis testimonia, Joannam Papissam prorsus ignorare & excludere, D. Maresius testimonia illa, ceu negativa elevat* tantùm, dicens, nihil concludi argumentis ab auctoritate humana negativè desumptis; & plùs credi tribus testibus affirmantibus, quàm mille nihil dicentibus, modò isti non negent, quod alii affirmant. Addit allatos à Blondello testes tacentes non plùs videri Joannam excludere, quàm includere, eò quòd qui tacet, consentire videtur. Tandem, ac si sententiam suam de Joanna jam optimè solideque probasset, ex illa sua nondum probata sententia ad omnia negativa testimonia strenuè respondet, in iis. *Non immediatè, sed mediatè Benedictum Leoni successisse dici, Joannamque propterea quòd nullo jure Papabilis fuerit, ab Auctoribus illis omissam esse.* Hic autem disputandi ac probandi modus contra negantes Joannem Papissam, est omnino ineptus & inefficax; Ergo &c. Minorem fusè probat Anonymus ferè usque ad finem Judicii sui.

Explosâ Maresii refutatione, quærit Anonymus *Utrum ergo Blondelli sententia nunc necessariò sit vera, postquam D. Maresium nihil solidi in contrarium attulisse hucusque ostensum est?* Respondet 1. *Etiamsi Blondellus nullas sententiæ suæ rationes in medium adduxisset, omnino tamen rationes in contrarium sive à Maresio, sive ab aliis Joannæ Papissæ patronis allatæ, suâ sponte, suâque infirmitate aut tenuitate evanescerent, inque auras evolarent, adeoque sententiam D. Maresii improbabilem falsamque relinquerent; Blondelli sententiâ antiquam suam certitudinem & veritatem constanter retinente obtinenteq;.* Respondet 2. Blondellum tales præterea rationes pro sententia sua attulisse, *quas etiamsi tandem D. Maresius argutiolis effugiisq; suis variis eludere refutareque potuisset, nondum tamen quidquam effecisset, neque sententiam aut thesin Blondelli mox falsitatis arguisset, eò quòd suam antithesin & sententiam minimè adhuc probaverit, solidisque argumentis adstruxerit.* Respondet 3. Tales Blondellum pro sententia sua adduxisse rationes, *quæ duplici de causa* (quas ibi adsignat) *à D. Maresio refutari non possunt.*

Totum tandem discursum his concludit verbis. *Et ex his nunc abundè constare potest, quàm frivolè & inaniter D. Maresius ad pleraque Auctorum loca à Blondello citata exceperit, semper tantùm urgens, ea de mediata successione Bonifacii* (Benedicti volebat dicere) *Papæ in locum Leonis intelligi, aut intelligi posse; nec de immediata (quã tamen verba simpliciter accepta innuunt, & postulant) intelligi debere; Leonem dici decessorem Benedicti non immediatũ, sed mediatum: Joannam omissam aut præteritam fuisse, ob facti turpitudinem, & quòd nullo jure Papabilis fuerit; & quæ ejus generis sunt alia, quibus totam suam responsionem, prout superiùs visum*

 est.

est, absolvit, librumque suum de Joanna Papissa restituta suffarcinavit, & respersit: cùm tamen hæc omnia effugia sua solidè priùs & sufficienter probare debuisset. Et sanè errores hi in methodum disputandi à D. Maresio commissi, ut plurimum in causa sunt, quòd hactenus Andabatarum more tantùm disputetur, contentiones & rixæ infinitæ maneant, neq; veritas alicujus rei erui, certitudoq; aliqua in rebus inveniri aut haberi possit. Nam si & D. Maresius veram disputandi & respondendi methodum scivisset, sine dubio hanc suam Blondelli refutationem nũquam aggressus fuisset, seseq; nihil solidi habere, quod Blondello opponeret, vidisset, adeoq; veritatem agnovisset, eamq; intactam reliquisset; neq; frustra sibi persuasisset, ac si Blondello optime respondisset. Hæc Anonymus.

Lege hæc, Lector, qui Joannam Papissam hactenus credidisti, & justum judicium forma. An non suis se armis contrarium sentientes conficiunt? An non salutem ex inimicis DEUS facit?

ADDITIO.

J*Oanna Papissæ mentionem facit* Cl. Deusingius *in Secundinis Fœtus Mussipont. sect. 5. ubi tractans de Hermaphroditis citat pro parte affirmante D. Samuelem Maresium (de quo paulò antè) Collegam suum in Universitate Gröningana; pro parte verò negante laudat D. Martinum Schoockium itidem collegam suum in eadem Universitate. Ipse verò Deusingius relinquit* Eruditissimis Viris suas quibusvis in hac materia sententias.

CAPUT XIX.

De iis, qui diu dormierunt, & elati revixerunt.

§. I. Exempla diu dormientium.

Dormientium longo tempore exempla.

MUlta exempla longo tempore dormientium retulimus lib. 1. cap. 30. ubi & probavimus id naturaliter contingere posse. Addimus nunc sequentia. *Plinius* lib. 7. Histor. Natur. cap. 52. refert; *puerum æstu & itinere fessum, in specu septem & quinquaginta dormisse annis*, & expergiscentem rerum faciem mutationemque miratum, velut si postero experrectus foret die. *Rem incompertâ novitate mirabilem* (inquit Krantzius lib. 8. Wandal. cap. 39.) *silentio præterire non oportet. Ferunt juvenem scholasticis disciplinis Lubecæ intentum, secretiùs, ut sine interpellatione dormitaret, se reclusisse nemine sciente. Cùm non appareret quid de illo esset actum, requisiere: non invenientes, arbitrati sunt clàm urbe profectum in patriam. Transierunt septem illo sopore anni. Jam per casum evenit, ut quispiam scrutaretur curiosè, quid concamerato in muro capsa contineret: vidit juvenem soporatum: & cùm ignotus illi esset, graviter cõcussum excivit de somno. Jam redegerũt in memoriam qui illum prodire viderant, ante septennium disparuisse juvenem: quem eundem non mutatâ, nõn maceratâ facie, certissimum judicârunt. Stupor apprehendit omnes. Ille miratur quid stupeant,*

Digitized by Google

peant, arbitratus se noctem unam cum parte diei somno consumpsisse. Ubi audit factum, stupet cum stupentibus; nec educere potuit quid amplius esset passus, quàm solent homines profundo somno (lethargum vocant) soporari. Viderint Physici, si poterat humidus ille locus fovere & continuare tam diuturnum somnum, sine cibo & corporis maceratione. Hoc est illud tempus, quo summus Pontifex Gregorius XI. curiam suam de Avinione Galliarum urbe reduxit in urbem Romam.

Hæc credibile faciunt quod *Laelius Bisciola* lib. 16. Horar. subseciv. cap. 2. narrat ex M. Damasceno, illius tempore rusticum in Germania sub ingenti fœni cumulo per autumnum & brumam continuò dormiisse, & consumpto paulatim fœno, attonito ac semimortuo similem extitisse. Minimè ergo incredibile est, quod idem Bisciola ibidem asserit narratum sibi sanctè Anno 1593. à quodam Sabaudiæ Principis aulico, bovem sine potu sub maximo fœni cumulo multos vixisse menses, quem rustici credebant amissum; postremò inventum adeò pinguem, se ut loco non posset movere.

Bos sub cumulo fœni repertus.

Relatorum exemplorum pleraque naturales habuisse causas, vix dubito: loci enim & aëris humiditate cerebrum humectari, humidum cerebrum somnum inducere, somnum immodicum vicissim humidum reddere cerebrum, & ratio, & experientia docet. Quod de septem fratribus Ephesinis narrat *Nicephorus Callist.* lib. 14. Histor. Eccles. cap. 45. *Constantinus Manasses* in Annal. *Carolus Sigonius*, & alii, qui Decii persecutionem fugientes intra speluncam se abdiderunt, occlusoque à persecutoribus aditu à parte exteriore, trecentis & septuaginta duobus annis usque ad Theodosii Imperatoris tempora inibi dormierunt, tandemque recluso ostio evigilarunt, & urbem adeuntes omnia immutata repererunt; prodigiosum fuit, & ad resurrectionis mysterium confirmandum à DEO permissum.

Septem dormientes.

§. II. Exempla reviviscentium, postquam elati fuere.

Libro 1. cap. 30. multa quoque exempla retulimus eorum, qui mortui cùm fuissent, revixerunt. His addo sequentia eorum, qui elati revixerunt, desumpta ex *Plinio* lib. 7. cap. 52. ubi inter alia ait: *Aviola consularis in rogo revixit* (quod etiam loc. cit. retulimus) *& quoniam subveniri non potuerat prævalente flammâ, vivus crematus est. Similis causa in L. Lamia Prætorio viro traditur. Nam C. Ælium Tuberonem Præturâ functum à rogo relatum, Messala Rufus & plerique tradunt.* Et paulò pòst. *Varro quoque auctor est, XX. viris agros dividentibus Capuæ, quendam qui efferretur feretro, domum remeasse pedibus. Hoc idem Aquini accidisse. Romæ quoque Corfidium materteræ suæ maritum funere locato revixisse, & locatorem funeris ab eo elatum.* Omitto alia quæ ibidem addit Plinius.

Reviviscentium exempla.

Scotùs an fuerit sepultus vivus.

Multi crediderunt, subtilissimum Doctorem Joannem Scotum fuisse vivum tumulatum. Ferunt enim, cum sæpe diem totum, & ampliùs, immobilem sedere solitum, sensibus sopitis, mente nimirum raptâ in altissimarum rerum contemplationem, absentibus aliquando iis qui id sciebant, festinato funere ab aliis illius rei nesciis pro mortuo elatum. Addit *Paulus Jovius* in Elogiis Doctor. Viror. cùm tumulatus jam esset, redeunte vitâ, serò morbi impetum naturam discussisse, eumque frustra ad petendam opem miserabili mugitu edito, pulsatoque diu sepulchri lapide seu operculo, eliso tandem capite periisse. Nec his contentus *Abrahamus Bzovius*, scribit ad Annum Christi 1294. ex Genebrardo, Scotum intra sepulchrum, cùm jam vita rediisset, extrema manuum devorasse; addens de suo, aperto sepulchro in gradibus Mausolei devoratis manibus repertum fuisse. Sed hæc mera esse figmenta, bene ostendit *Lucas Waddingus* in Annal. tom. 3. anno 1304. & 1308., iterumque in Vita Scoti primo tomo Operum ipsius præfixo, cap. 9. est enim communis aliorum opinio, Scotum naturali ac communi morte sublatum die 8. Novem. Anni 1308. Coloniæ Agrippinæ, sepultumque in Conventu Fratrum Minorum Ordinis sui.

CAPUT XX.

De hominibus in Bestias mutatis.

Homines in bestias mutati.

Lib. 1. cap. 26. plurima exempla attulimus hominum in bestias transmutatorum, modumque explicavimus, quo id factum fuisse credamus. His addimus alia tria: Sequenti verò capite examinamus, num Rex Nabuchodonosor fuerit verè in bovem mutatus; an specie tantùm tenus. Adverte tamen, indubitatum esse, omnes sequentes metamorphoses non naturali, sed supernaturali DEI virtute contigisse, ad hominum scelera punienda, aliovè nobis occulto fine.

Scribit itaque *Metaphrastes* 30. Septemb. Teridatem Armeniorum regem, cùm virgines Ripsimem & Gaianam nefandis modis ad impudicitiam allicere adniteretur, martyresque efficere, justitiâ DEI versum esse in insaniam, mutatâ ejus formâ in porcum. *Et erat Teridates* (verba sunt Metaphrastis) *extrinsecus porcus, interna crudelitatis, & cœni voluptatum, & alterius porcinæ animæ ac vitæ simul imago & pœna*; tam diuque in eo statu permansit, donec à S. Gregorio, postea Martyre, fuit pristinæ menti ac formæ restitutus. Longissima est, sed mirabilis historia, quam pius Lector apud Surium inveniet ad diem 30. Septembris.

Hominum in bestias

Mirabilis est quod narratur apud Nierembergium lib. 2. de Mirab. Europæ

Europæ cap. 42. ex *Silvestro Giraldo*, his verbis. *Circa triennium, ante adventum comitis in Hyberniam, contigit quendam sacerdotem de partibus Ultoniæ versus Mediam itinerantem, in sylva quadam conjuncta Mediæ pernoctasse. Cùmq; ad igniculum, quem sibi sub arbore quadam frondosa congesserat, uno tantùm comitatus puerulo, lucubrasset; ecce lupus ad eos accedens, qui statim in hujusmodi verba prorupit. Securi estote, & nolite timere; non enim trepidandum vobis est, ubi timor non est. Cùmque ipsi tantò vehementiùs consternatis animis obstupuissent, verba de DEO sacra subjunxit. Et obtestatus à sacerdote, adjuratusque per DEUM omnipotentem, & per fidem Trinitatis, nè eis noceret, & quænam creatura fuisset, quæ sub bestiali formâ humana verba proferret; catholicum in omnibus responsum præbens, tandem tamen subjecit. De quodam hominum genere sumus Ossyriensium, unde quolibet septennio per imprecationem Sancti cujusdam, Natalis scilicet Abbatis, duo, videlicet mas & fœmina, tam à formis, quàm finibus exulare coguntur. Formam enim humanam prorsus exuentes, induunt lupinam. Completo verò septennii spatio, si fortè superstites fuerint, aliis duobus ipsorum loco simili conditione subrogatis, ad pristinam redeunt tam patriam, quàm naturam. Et mihi quidem peregrinationis hujus socia non procul graviter infirmatur: cui, si placet, jam in extremis agenti, sacerdotale solatium intuitu divinæ pietatis indulgeas. Quo dicto, lupum præcedentem usque ad arborem quandam satis propinquam Presbyter sequitur tremebundus. In cujus concavitate lupam conspicit, sub specie ferina gemitus & planctus humanos emittentem. Quæ statim ut ipsum vidit, præmittens salutationem satis humanam, gratias etiam DEO retulit, quòd in tali articulo tanto eam solatio dignatus esset visitare, & sic usque ad extremam Communionem à Sacerdote cuncta ritè peracta suscepit, quam & ipsam constanter efflagitavit, attentiùs supplicans, ut Viatici largitione beneficium consummaret. Quo saserdos cùm se carere firmiter asseruisset, lupus, qui parumper abscesserat, iterum accessit, ostendens ei parvulum librum manualem, & aliquot hostias consecratas continentem, quæ more patriæ Presbyter itinerans sub indumento à collo suspen̄sa deferebat. Rogabat etiam, nè DEI donum & subsidium eis divinâ providentiâ destinatum aliquatenus denegaret. Et ut omnem abstergeret dubietatem, pede quasi pro manu fungens, pellem totam à capite lupæ retrahens usque ad umbilicum replicavit, & ita statim expressa forma vetulæ cujusdam apparuit. Quo viso, tandem Sacerdos obnixè postulantem, & devotè suscipientem, terrore tamen magis quam ratione compulsus, communicavit, & statim à lupo pellis retractata priori formæ se coaptavit. His ergo ritè potiùs quàm rectè peractis, humanam potiùs quàm bestialem societatem eis ad igniculum totâ nocte lupus exhibuit. Manè verò facto, extra silvam ipsos conducens, Presbyteroque præbens iter, viam ei certissimam longè præostendit. Multas etiam Sacerdoti super impenso beneficio gratias in discessu referebat, promittens efficaciores multò se ei gratias relaturum, si Dominus eum ab hoc exilio, cujus jam duas partes compleverat, revocaverit. Inter ultima verò hujus confabulatio-*

mutatorum mirabile exemplum.

bulatio-

Digitized by Google

bulationis verba quæsivit Presbyter à lupo, utrum gens inimica, quæ in Insulam supervenerat, olim foret diuque in ea permansura. Cui lupus, Propter peccata, inquit, populi nostri, & vitiorum enormitates, ira DEI descendens in generationem pravam, dedit eam in manus inimicorum. Quàm diu ergo gens ea mandata DEI custodierit, & in viis ejus ambulaverit, tota manebit & inconvulsa: sin autem (quia proclivis est cursus ad voluptates, imitatrix est natura vitiorum) ad nostros ex convictu mores fortè condescenderint, divinam in se quoque procul dubio vindictam provocabunt. Similem quoque sententiam in Levitico reperies, Domino ad populum Israëliticum loquente in hunc modum: Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cavete ergo, ne & vos similiter evomat, cùm paria feceritis, sicut evomuit gentem quæ fuit ante vos. *Totum hoc autem postmodum contigit, primò per Chaldæos, & postea Romanos. Item & in Ecclesiastico:* Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.

Biennio verò pòst elapso contigit me per Mediam transitum fecisse, ubi Episcopus terræ illius Synodum tunc fortè convocaverat. Episcopos etiam & Abbates vicinos adsciverat, ut super hac re (quam ex Sacerdotis confessione jam didicerat) quid agendum illi foret, communicato consilio certiùs instrueretur. Audiens ergo me transire per partes illas, duos mihi de Clericis suis transmisit, rogans ut tanto negotio tractando in propria persona, si fieri posset, interessem: sin autem, de assensu meo litteris saltem eos certificarem. Audito ergo ab illis seriatim negotio (quod & priùs tamen ab aliis audieram) quia causis quibusdam urgentibus adesse non potui; litterarum beneficio, consilio quidem absens non fui. Cui & Episcopus cum Synodo obtemperans, Sacerdotem ipsum, cum litteris suis, rem gestam & Sacerdotis confessionem continentibus, appositis etiam Episcoporum & Abbatum, qui intererant, sigillis, ad summum Pontificem destinavit.

Hactenus Giraldus. Qui cùm retulisset alia quædam mutatorum hominum in bestias exempla ex *S. Augustino* lib. 16. cap. 8. & lib. 18. cap. 18. de Civit. DEI; addit: *Nostris quoque temporibus quosdam vidimus, qui magicis artibus imbuti, pingues, ut videbantur, porcos, sed tantùm rubros, ex quacunque præjacente materia producentes, in nundinis vendebant: sed bis statim ut aquam aliquam transibant, evanescentes, in propriam & veram revertebantur naturam: quantalibet autem industriâ servatis assumpta species ultra triduum non durabat. Item vetulas quasdam tam in Wallia, quam in Hybernia, & in Scotia, se in leporinam transmutare formam, ut adulterina sub specie ubera sugendo, lac alienum occultiùs surripiant, vetus quidem sed & adhuc recens frequensque querela est.* Utrum verò tum hi, tum alii homines, fuerint revera in bestias mutati, discussimus ac decidimus loc. cit. lib. 1. iterumque postea dicemus.

Tertium exemplum refert idem *Nierembergius* cit. loc. cap. 43. ex Jocelino, his verbis. *Regnabat in finibus quibusdam Britanniæ, quæ modò*

Wallia

VValiæ dicitur, tyrannus quidam Cereticus nomine, flagitiosus, fraudulentus, injuriosus, blasphemans ubique viam Domini, Christianorum persecutor, & interfector crudelissimus. Audiens autem S. Patritius illius belluæ tyrannidem effrenatam, studuit illum ad viam salutis revocare, dirigens ad illum convertendum à vitiis suis pessimis epistolam commonitoriam. Ipse verò venumdatus ut faceret malum, de die in diem seipso deterior factus, admonitionem deserit S. Patritii, & despexit, suaque flagitia, facinora, fraudum factiones, cruentatas cædes dilatavit. Quod cùm Patritius relatu veridico didicisset, divinitùs edoctus, intellexit vas contumeliæ obduratum in nequitiis, nullimodæ correctioni, sed potiùs perditioni præparatum; in hunc modum fertur orasse ad Dominum. Domine DEVS omnipotens, sicut scis, & potes, hominem hunc vulpinum in vitiis monstrosum, modo monstroso ejice à facie terræ, & illius consummatæ malitiæ finem impone. Inclinans Dominus aures suas ad vocem servi sui, prædictum tyrannum quadam die in medio fori stantem, circumstante multitudine suorum, subitò in vulpem transformavit; illeque à conspectu omnium fugiens, nunquam in terra ulteriùs comparuit. Hoc factum nullus discredere jure poterit, qui uxorem Loth in cautem mutatam, aut historias de Nabuchodonosor Rege legerit. Sed de hac sequenti capite.

CAPUT XXI.

An Nabuchodonosor Rex fuerit revera mutatus in bovem.

DE fide præcedentium historiarum dubitare sine piaculo quis posset, quoniam non nisi humanâ nituntur auctoritate; sequentem revocare in dubium sine crimine nemo potest, qui divinâ conscriptam ac stabilitam non ignorat. Narro priùs metamorphosin Regis; deinde qualis ac quanta ea fuerit, quomodoque facta, examino.

§. I. Historia Nabuchodonosoris in bestiam mutati.

Nabuchodonosoris in bestiam mutati historia.

FUit ea prædicto Regi in somno indicata, anno regni 37. quando post debellatam ante biennium Ægyptum factus monarcha, intumuit superbiâ. Duodecimo verò à somnio mense completa est; ejectusque ipse ut bestia, mansit in statu illo annis septem; tandemque octavo anno menti & regno redditus, agnovit atque laudavit DEUM. Rem gestam proponit ipse Nabuchodonosor epistolâ post restitutionem missâ ad omnes populos imperio suo subjectos, quæ habetur apud *Danielem* Prophetam cap.4. Qua in Epistola postquam narrasset, se, cùm quietus esset in domo sua, & florens in palatio suo, somnium vidisse, quod frustra omnes arioli & sapientes Babylonis interpretari fuissent conati, tandem vocato Danieli seu Baltassari id exposuisse, huncq; id interpretatum. Verba Scripturæ

Digitized by Google

sunt. *Visio capitis mei in cubili meo. Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia: magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens cælum: aspectus illius erat usq. ad terminos universæ terræ: folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cæli, & ex ea vescebatur omnis caro. Videbam in visione capitis mei super stratum meum; & ecce Vigil, & sanctus de cælo descendit: clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus; excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus; fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus. Veruntamen germen radicum ejus in terra sinite, & alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum feris pars ejus in herba terræ. Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei; & septem tempora mutentur super eum. In sententia Vigilum decretum est, & sermo Sanctorum, & petitio, donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum; & cuicunque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum. Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor Rex. Tu ergo, Baltassar, interpretationem narra festinus, quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus Deorum Sanctorum in te est. Tunc Daniel, cui nomen Baltassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi unâ horâ, & cogitationes ejus conturbabant eum. Respondens autem Rex ait: Baltassar, somnium & interpretatio ejus non conturbent te. Respondit Baltassar, & dixit: Domine mi, somnium his qui te oderunt, & interpretatio ejus hostibus tuis. Arborem quam vidisti sublimem atq. robustam, cujus altitudo pertingit ad cælum, & adspectus illius in omnem terram, & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, & in ramis ejus commorantes aves cæli; Tu es, Rex, qui magnificatus es, & invaluisti, & magnitudo tua crevit, & pervenit usque ad cælum, & potestas tua in terminos universæ terræ. Quod autem vidit Rex Vigilem, & Sanctum descendere de cælo, & dicere: Succidite arborem, & dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terra dimittite, & vinciatur ferro & ære in herbis suis, & rore cæli conspergatur, & cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora mutentur super eum; hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum Regem. Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis ferisque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud. Quòd autem præcepit ut relinqueretur germen radicum ejus, id est, arboris; regnum tuum tibi manebit, postquàm cognoveris potestatem esse cælestem.* Huc usque somnium & interpretatio ejus.

Prosequitur historiam ipse Rex, & eventum narrat sequentibus verbis. *Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem. Post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulabat, respondit q. Rex, & ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris*

decoris mei? Cùmque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex; regnum tuum transibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud. Eâdem horâ sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus ejectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum fuit, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi &c. In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem regni mei decoremque perveni, & figura mea reversa est ad me, & optimates mei & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior addita est mihi.

En quanti Regis quanta & quàm vera metamorphosis: nec enim parabola hæc est, ut *Origenes* cum suis ausus est affirmare, existimans sub nomine regis Nabuchodonosoris symbolicè describi casum Luciferi; quod tamen *D. Hieronymus* & alii passim ajunt non tantùm falsum, sed etiam hæreticum esse, cùm ex simplici narratione totius facti pateat historiam esse, & Scriptura clarè dicat, *Omnia* hæc (quæ scilicet narrata fuêre) *venerunt super Nabuchodonosor regem.*

Nabuchodonosor an fuerit verè mutatus in bestiam.

Quæritur tamen, & graphicè certè certatur, an verè mutatus fuerit Nabuchodonosor in feram. Ac *Primò* quidem aliqui censent, Josephum affirmare, ipsum totum secundùm corpus & animam fuisse mutatum in feram. Sed neque Josephus id scribit, neque ratio patitur, ut patet ex dictis lib. 1. cap. 26. & contrarium clarè colligitur ex verbis sacræ Scripturæ recitatis. Si enim tam anima, quàm corpus subiissent veram ejusmodi mutationem, non jam ipse Nabuchodonosor *vinculo ferreo & æreo alligatus* fuisset; non ipse *fœnum ut bos comedisset*; non *rore cœli corpus ejus infectum* esset; non *capilli ejus in similitudinem aquilarum* crevissent, *& ungues ejus quasi avium*; non *septem tempora super* ipsum *mutata* fuissent; nec quidquam illorum, quæ Scriptura dicit contigisse regi Nabuchodonosori, ipsi revera contigisset; sed ea omnia bovi, aut bestiæ accidissent, & bos, non rex fuisset punitus.

Secundò igitur *Dorotheus* in Synopsi, & *Epiphanius* in Vita Danielis, censent Nabuchodonosorem non totum in feram fuisse mutatum, sed interiùs formam hominis, id est, animam rationalem retinuisse, exteriùs verò mutatum fuisse in figuram bovis anteriùs, & leonis posteriùs: quod secundum ex eo probant, quoniam Scriptura dicit, *cor feræ detur ei*, bos autem non fera, sed bestia est, at leo & fera & bestia est; item

quoniam Septuaginta Interpretes dicunt, capillos ejus creviſſe in ſimilitudinem leonum. At nulla eſt neceſſitas aſſerendi, figuram ejus externam ex bovis ac leonis figura fuiſſe compactam, tum quia in explicatione ſomnii Daniel nullam leonis, ſed tantùm bovis facit mentionem, regemque bovi ſimilem factum narrat; tum quia non tantùm cicures ac domeſtici ſunt boves, qui beſtiæ, ſed etiam agreſtes, ut ſunt Uri & biſontes, qui feræ dicuntur.

Tertiò, *Michaël Medina* lib. 2. de Fide. cap.7.putat, transmutationem Nabuchodonoſoris in beſtiam non fuiſſe veram, neque quoad animam, neque quoad corpus, ſed merè præſtigiatoriam, ita ut ſolùm ſibi & aliis apparuerit eſſe mutatus in bovem. Addunt, præſtigiatoriam hanc mutationem fieri potuiſſe dupliciter: Primò, per illuſionem ſenſûs, perſtringente vel DEO, vel Angelo, vel Dæmone, oculos Regis & intuentium, ut regem intuentes putarent ſe videre beſtiam; quâ ratione ſæpe ope dæmonis perſtringuntur oculi hominum, ut putent ſagas ac magos eſſe mutatos in lupos, feles, buſones, prout frequens experientia docet,& nos ſuprà lib.1.cap.26.explicavimus. Secundò, per circumpoſitionem corporis ferini, ponente vel DEO, vel Angelo, vel Dæmone circa corpus regis figuram quandam beſtiæ, ſub qua cùm cerneretur à ſe vel aliis, beſtia putaretur. Sed neque hic modus explicandi mutationem regis in beſtiam ſubſiſtere poteſt, quia Scriptura innuit, eum fuiſſe mutatum revera, in aliquo ſenſu, in beſtiam, quandoquidem ait, *cor ejus ab humano mutatum fuiſſe, & cor feræ ipſi datum*; & *fœnum ut bovem comediſſe*; *& capillos ejus in ſimilitudinem aquilarum creviſſe, & ungues ejus quaſi avium*; & ipſe rex fatetur, *Senſum ſuum, & figuram ſuam eſſe reverſam ad ſe*: at nihil horum verè dici poſſet, ſi tantùm præſtigiatoriè modis explicatis fuiſſet facta metamorphoſis; ergo &c.

Quartò, alii ajunt, ut præcedentes, regem Nabuchodonoſorem non fuiſſe revera transformatum in beſtiam, neque ſecundùm animam,neque ſecundùm corpus, ſed ſolùm imaginariè, quia ſuâ imaginatione vitiatâ & corruptâ ſibi ipſe transformatus videbatur. Quantam autem vim habeat corrupta imaginatio, ut putet quis ſe eſſe id quod non eſt, patet ex multis exemplis, quæ Galenus,Levinus Lemnius,&alii afferũt,& nos alibi recenſebimus. Ita cenſent *S.Thomas*(vel quisquis eſt Auctor) lib.2.de Regim. Princip. *Franciſcus Valleſius* de ſacra Philoſop.c.8.& *Hieronymus Mercurialis* lib.6. Variar.Lect.c.20.Sed hic quoq; modus explicandi non ſufficit, quia rex fatetur *ſibi reſtitutum non tantùm ſenſum, ſed etiam figuram*; ergo non tantùm in imaginatione & phantaſia, ſed etiam in corpore facta erat mutatio aliqua, ut fera videretur. Et certè niſi fera fuiſſet viſa, nec Daniel & Satrapæ permiſiſſent, ut in ſylvas fugeret, nec aliæ feræ ibidem ei pepercíſſent ſine ſingulari protectione DEI.

Inter

Digitized by Google

Inter hasce tam discrepantes sententias, quarum aliæ putant, Nabuchodonosorem fuisse revera mutatum in bestiam quoad animam & corpus; aliæ, nullo modo fuisse mutatum nec quoad animam, nec quoad corpus; aliæ, fuisse quidem mutatum revera quoad corpus, non quoad animam; ego mediâ ferè viâ incedo, &

Ajo I. Nabuchodonosorem ita fuisse mutatum in bestiam, ut tamen manserit verus homo. Ratio est, quia si non mansisset verus homo, non possent verificari illa, quæ de Nabuchodonosore dicuntur in cap. 4. Danielis, ut consideranti patet: nec punitus fuisset idem qui peccasset, sed bos pro ipso.

Nabuchodonosor quâ ratione fuerit in bestiam mutatus.

Ajo II. Eundem Nabuchodonosorem ita fuisse mutatum, tam quoad animam, quàm quoad corpus, ut verè dici possit, eum fuisse aliquâ ratione mutatum in bestiam. Nam anima fuit mutata secundùm intellectum, voluntatem, & imaginationem; quæ omnia fuerunt ita vitiata, ut putaret rex se esse bovem ferum, & appeteret silvas, & fœnum, & fugeret hominum consortium, quæreretque societatem bestiarum. Fuit quoque cordis, & corporis, & omnium sensuum temperamentum ita immutatum ac efferatum, ut esset simile temperamento bestiarum, citra tamen humanitatis seu humanæ naturæ amissionem: quia enim fœnum ut bos comedit, stomachus aliam habuit temperiem, ut cibos ferinos concoqueret; aliam palatus, ut ei fœnum saperet; aliam odoratus, ut graminis fragrantiam sequeretur; aliam tactus, ut non sentiret adeò frigora & æstus, roremq; cœli super se cadentem. Hac de causa dicitur, *ablatum ab eo fuisse cor humanum, & datum cor feræ.* Cor humanum significat in divinis Litteris tam mentem seu intellectum, quàm appetitum seu voluntatem; quia quod est cor in corpore, hoc est ratio & voluntas in anima, & in toto homine. Cor ferarum, quoniam intellectum & voluntatem non habent, significat earum imaginationem & appetitum ferinum. Ablatum fuit à Nabuchodonosore cor humanũ, quia amisit usum rectæ rationis, (& consequenter sanæ voluntatis) & factus est amens. Datum fuit eidem cor ferinum, quia imaginatio & appetitus fuit vitiatus atque corruptus, ut cogitaret de fœno, de solitudine, & de aliis de quibus bestiæ cogitant, ac de iis delectaretur. Credibile tamen est, eum habuisse subinde lucida intervalla, ut agnosceret statum à quo deciderat, & ad quem devenerat.

Alia etiam corporis mutatio fuit facta, adeò exotica, ut feræ potiùs quàm homini similis appareret. Nam 1. pili capitis & barbæ adeò excreverunt, ut similitudinem haberent vel capillorum leonum, ut Septuaginta vertunt; vel pennarum aquilarum, ut Vulgata nostra habet, nimirum ob copiam & densitatem, ob hirsutiem ac duritiem, & ob colorem atrum ac deformem. 2. Externus corporis habitus magis fuit ferinus,

 quàm

Digitized by Google

quàm humanus, quoniam nullum admittebat cultum, nullasq; vestes, quas more insanorum lacerabat, & abjiciebat, ac nudus incedebat, soli, æstibus, nivibus, pluviis, omnibusque cœli injuriis, septem annorum spatio expositus, ac proinde enormiter denigratus, ac deturpatus. 3. Ungues, qui nunquam præscindebantur, in modum unguium avium, aut aquilarum excreverunt. 4. Ita fuit efferatus, ut & in alios sæviret, & domo fugeret; unde necessarium fuit vinculis ferreis & æreis eum ligare. 5. Incessus erat bestiæ, non hominis; manibus enim pedibusque ut bos quadrupes incedebat. An verò & cornua, & caudam, & genuum vertebras inversas habuerit, ut boves habent (quod asserunt aliqui) incertum est. Fortassis etiam humanam loquelam paulatim perdidit, & boatum atque mugitum assumpsit. Tantum de Nabuchodonosore. Causa metamorphosis alia non fuit, quàm voluntas DEI, volentis punire Regis superbiam.

ADDITIO.

S*ingularem circa Nabuchodonosoris mutationem sententiam habet* Cl. Deusingius *quam ipsiusmet verbis proponere, ac declarare lubet. Itaque*

In Historia fœtus extra uterum *num. 60. 61. 62. & 63. ita discurrit.* De Nebucadnezare Daniel. 4. non probamus opinionem eorum, qui existimant, corporalem ejus factam esse transmutationem, ut corporis bruti naturam induerit, factâ conversione in imaginem bovis. Neq; id ipsum verbis sacri textus, quibus dicitur *herbam comedisse ut boves*, probatur magis, quàm idem ex textu probari queat mutatum fuisse in aquilam, aut aliam quamcunq; avem, eò quòd dicatur *capillus ejus crevisse ut pluma aquilarum, & ungues sicut avium*: Quin potiùs ex capillo & unguibus colligi potest, corpus mansisse humanum: certè in corpus bovinum hæc minimè quadrant. Interim verè humanæ essentiæ mutationem factam in Nebucadnezare, persuasum habemus; existimamus, in ipso rationalem animam, singulari DEI judicio, à sensitivo corpore eatenus solutam fuisse, ut hypostaticæ unionis copula, quæ inter sensitivum corpus humanamq; ipsam mentem intercedit, ad tempus remissa fuerit, mente interim seu rationali animâ haud extra corpus semotâ. Ut adeo in illo statu merum animal humanum fuerit Nebucadnezar, influxu rationalis animæ carens, adeoq; bruti animantis instar vivens, ac veluti in inferiori hominis gradu absolutam nactus subsistentiam, cessante ad tempus naturali illâ subordinatione, quâ sensitiva natura humana ad rationalem animam, veram formam hominis, respectum habet. Atque ita singulari quadam ratione *similis factus est belluis agri*, carens non modò usu rationis (quod in multis sine essentiæ mutatione accidere frequens est, cùm secundùm sensus vivitur, ratione à sensi-

bus

Digitized by Google

bus in captivitatem ſubmiſsâ) ſed verè exutus ratione ipſâ : donec exacto ſeptenio ad ſe rediens, inſtauratâq; à Deo illâ copulâ, inquit; *Et intellectus meus ſuper me redit*: hoc eſt, cum me ipſo in ſenſitivum corpus ſimpliciter, adeoq; beſtiis ſimile, verſo, mens mea denuò in unionem hypoſtaticam ſociata eſt.

Hæc citato loco Deuſingius, quæ repetit & uberiùs explicat in Secundinis Fœtus Muſſipont. *ſect. 24. ubi inſinuat, animæ rationalis infuſionem in corpus, & unionẽ cum ipſo, ſupponere naturam ſenſitivam humanam, adeoq; corpus ſenſitivũ humanum conſtitutum.* Equidẽ *inquit*, ſi (ut res ipſa habet) humana eſſentia intelligatur conſiſtere non modò in ſenſitivo corpore humano, quod animal humanũ Platonici vocant, atq; hominem inferioris gradus ; ſed inſuper concipiatur ad integram completamq; eſſentiã humanã pertinere copula ſeu nexus hypoſtaticus inter rationalem animam (quâ ſociatâ corpori homo ſuperioris gradus conſtituitur) atq; inter ipſum corpus ſenſitivum : putem omnino in Nebucadnezare verè factam humanæ eſſentiæ mutationem. Nec enim putem, ſolummodò actũ ſecundum fuiſſe verè ſublatum, ut nempe mens ipſa ſeu rationalis anima ἐνεργήματα duntaxat nulla exercuerit; ſed ſublatũ fuiſſe hypoſtaticum illum nexum inter animam rationalem ac corpus ſenſitivum (quo ex gemina eſſentia, animali & ſpirituali, fit una perſona) ut adeo nullus influxus mentis in corpus animale humanum potuerit locum habere, quantumvis mente ſeu rationali animâ in corpore ipſo etiamnum præſente: quæ præſentia ſola, citra nexũ hypoſtaticum (quo una hypoſtaſis ſeu una perſona hominis fiat ex anima rationali & corpore ſenſitivo) non magis eſſentiam hominis abſolvit, quàm ex dæmone fortè in corpore obſeſſo, atque ex ipſo obſeſſo, una aliqua eſſentia aut perſona conſtituatur.

In hanc ſententiam devenit Deuſingius, ut explicaret, quâ ratione verum ſit quòd Nabuchodonoſor factus fuerit ſimilis beſtiis agri, & tamen anima rationalis non fuerit ſeparata realiter à corpore. Sed redit argumentũ contra alios factum. Nam ſi ſoluta fuit unio inter animam rationalem & corpus Nabuchodonoſoris; ergo hic deſiit eſſe homo, qui eſſentialiter eſt compoſitus ex corpore tali organico & rationali anima unitis, ut in Scholis notum eſt: ſi deſiit eſſe homo; ergo non ipſe Nabuchodonoſor fuit punitus, non ipſe vinculo ferreo alligatus, non ipſe fœnum comedit ut bos, non ipſe rore cœli fuit perfuſus, non ipſius capilli & ungues creverunt in ſimilitudinem aquilæ & avium, non ſuper ipſum mutata fuêre ſeptem tempora; ſed hæc omnia contigere animali illi Deuſingiano, ſeu bos fuerit, ſeu animal inter bovem & hominem medium. Certè homo non fuit. In noſtra autem ſententia omnia rectè explicantur.

CAPUT XXII.

De Noctambulis, & miris eorum operationibus.

QUi dormientes noctu ſurgunt, ſe induunt, obambulant, varia opera perficiunt, uno verbo Noctambulos ſeu Noctambulones appellamus. Horum nonnulla exempla referemus, deinde ejus rei cauſam indagabimus, & antidota præſcribemus.

§. I. Exem-

§. I. Exempla varia Noctambulorum.

Noctambulorum exempla.

QUidam juvenis è lecto surgens, indutus vestimentis & ocreis, calcaribusq; appositis, super fenestram conscendit, & hinc atque inde divaricatis cruribus, parietem perinde ac si equus esset, incitavit. Alter in puteum descendit, non antea experrectus, quàm gelidam pede attigisset. Utrumq; testatur *Jonstonus* in Thaumatol. Classe 10. cap. 7. art. 6. Eodem teste, apud *Horstium* quidam nobilis turrim conscendit, nidum avium spoliavit, per funem se iterum demisit. *Alemana* Comment. ad librum Hippocrat. de Aëre &c. refert ex aliis, quendam Parisiis gladio accinctum, Sequanam tranasse, eumq; interfecisse, quem sibi interficiendum vigilans proposuerat, & post patratum scelus domum rediisse. Apud *Libavium* lib. de Noctambulis, puer nudus ad portam progressus, domumque regressus, vigilem in medio oppido sedentem observavit.

Apud *Majolum* Colloq. 4. *Laudensis* I. C. enarrationes in Clementinas scribens memorat, cùm Parisiis degeret, usum se consuetudine Anglici cujusdam, cui id in more positum erat, ut somno correptus domo egrederetur, ad templa proficisceretur etiam procul remota: atque eum aliquando juxta Sequanam fluvium somno adhuc oppressum ambulantem, etiam puerum peremisse, ac sese rursùm in lectum recepisse, nunquam, dum illa perageret, expergefactum. Apud eundem Majolum *Bartolus* memorat, Pisanum quendam civem in ipso somno sæpe arma corripuisse, urbem inambulasse concinentem, semper oppressum somno. *Marianus* quoque Senensis I. S. apud eundem narrat, novisse se puellam in vicinia, quæ è lecto cubilique, somno oppressa egredi consueverat, pistoriamque exercebat, nunquam expergefacta.

Andreas Laurentius lib. 4. Histor. Anatom. q. 12. ait, Galenum narrare, se somno oppressum confecisse ferè integrum stadium, nec à somno excitatum priusquàm in lapidem impegisset. Item Theonem Stoicum dormientem in somnis ambulare; Periclis verò servum in summo tecto spatiari solitum.

Martinus Delrio lib. 1. Disquisit. Magic. cap. 3. q. 3. narrat historiam, quæ Legione in Hispania contigit, in quodam Religiosorum conventu, ante annos vix viginti, quando ille scribebat; aitque se nosse personas quibus accidit. *Erat*, inquit, *Laicus unus, solitus interdiu pueros rudimentis catechismi imbuere. Cogitationes eædem dormienti recurrebant, ita ut in somnis & præcineret, & doceret, & hortaretur, & increparet pueros æquè clamosè & ferventer, ac solebat interdiu, sicque turbabat vicinorum somnum. Itaque qui propinquior illi habebat alius Laicus, & sæpe monuerat; quodam die illi per jocum minatur, si pergat hos clamores edere, surrecturum se noctu,*

Digitized by Google

noctu, & ad thalamum ejus iturum, & flagello ex funiculis intemperies has abacturum. Quid Gundisalvus? (sic enim vocabatur.) Surgit circa noctis medium dormiens, & egressus, ut decubuerat, in indusio, cubiculum Fratris Collegæ ingreditur, manu forfices ferens & prætentans; & rectà ad lectum alterius, qui fuerat interminatus, contendit. Vide DEI providentiam. Luna lucebat, & nox innubis erat, & Frater iste vigilabat. Videt accedentem, & celeriter se de lecto dejicit, quà paries erat nonnihil remotior. Noctambulus lectulo proximus forficibus culcitram ter quatervè petit, & confestim redit unde venerat. Manè facto interrogatus, negat se meminisse, neque id facere unquam in animum vel leviter induxisse; tantùm cogitasse, si alter cum flagello ad se accederet, illum intentatis forficibus perterrefacere, & abigere.

§. II. Cur aliqui dormientes obambulent.

Noctu in somno cur aliqui ambulent.

CAusam hujus rei varii variè explicant. Plerique tamen, & rectè, imaginationi adscribunt, cujus quanta vis sit in corpus proprium, ac fortassis etiam alienum, alio loco explicabimus. Incitare eandem dormientes ad motum, ad clamores, ad loquelam, quotidiana docet experientia. *Cardanus* lib. 8. de Variet. cap. 46. refert, quendam se in somno induisse; legisse supplicationes pro mortuis; ad vocantem Principem, cujus erat cubicularius, accessisse; ac demum etiam interrogantibus respondisse. Pauci dies sunt, cùm quidam manum vulneratam mihi ostendit, quòd pugnum intentans contendenti secum, ut somnians sibi imaginabatur, manum impetu vehementissimo in proximum lecto parietem impegisset. Hæc eadem igitur imaginatio tantam vim habet in nõnullis somno sopitis, ut illos ad surgendum, se vestiendum, circumeundum, illaque omnia quæ diximus, aliaque plura perpetrandum impellat. Est autem dormientium imaginatio brutorum imaginationi non absimilis, quoniam rationem repugnãtem non habet; unde fit ut multa periculosa moliantur, quæ vigilantes non auderent, quia imaginatio vaporum caligine sopita, non agnoscit pericula: & si quandoque evigilant (quod fieri dicitur, cùm proprio nomine compellantur) & periculum agnoscunt; cadunt in præceps, ut memini me audire contigisse cuidam, qui tollenonem conscenderat nudus, & compellatus ex nomine, in puteum decidit.

Imaginationis vis in dormientibus.

Huic porrò affectui, ait *Andreas Laurent.* loc. cit. obnoxii sunt, qui sanguine spumante, & multo fervidoque spiritu abundant. *Majolus* loc. etiam cit. ex *Antonio Musa* & *Tiraquella* refert, hujusmodi morbo seu malo betonicam herbam pro antidoto esse. Ego nuper cuidam à matre ad me misso, ut remedium contra idem malum, quo laborare se singulis noctibus ajebat, exquireret, suasi à matre ut peteret, ut quoties se noctu extra lectum ambulantem deprehenderet, virgis exceptũ ad lectum compelleret.

CAPUT XXIII.

De subitò depilatis, & enormiter barbatis.

UT aliis in rebus minutissimis, ita maximè in pilis, vel dandis, vel demendis, mirabilem se exhibet Natura. Exemplis rem illustro.

§. I. Exempla depilatorum.

Depilatorum subitò exempla.

VIr quidam toto Orbe notissimus, & scriptis libris celeberrimus, cùm Romæ brumali tempore sub vesperum domum revertisset, & clausis ad primum ingressum cubiculi fenestris ac valvis, illatoque lumine, ad studendum se composuisset; videt ingentem soricem ad valvas oberrantem, & quærentem exitum. Arripit ergo baculum, qui fortè ad manus erat, & sorici ad parietem arreptanti tam validum infligit ictum, ut sanguis per baculum ad manum usque momento temporis, percutiente id minimè advertente, magnâ copiâ deflueret. Quo facto, abjicit per fenestram apertam soricem, & studia prosequitur, mentum cum maxilla dexterâ sustentans manu, cubitò mensæ innixo, ut facere consueverunt, qui libros meditabundi legunt. Die sequenti cùm primùm in conspectum venit Collegarum suorum, risu excipitur & cachinnis; erat enim (quod ipse non adverterat) menti pars dextera, dexteraq; maxilla penitus depilis, pars verò reliqua hirsutie penè obtecta. Subitò igitur è conspectu hominum se proripit, & partem quoque alteram abradi novaculâ curat, antidotumque ad pilos recuperandos adhibet. At cùm pili jam crescerent, non minori quàm antea risu excipiebatur: erant enim qui de novo erumpebant, mollissimi instar lanæ, reliqui verò setarum in modum duri; nec parum exspectandum fuit, donec ad æqualem utrique duritiem reducerentur. Quis credidisset, soricum sanguinem pilos depellere?

Fuit hac in urbe, non multos ante annos, vir penè sexagenarius, cui post morbum diuturnum omnes capitis ac barbæ capilli deciderunt: quos tamen brevi tempore recuperavit perfectissimè, domesticorum curâ non alio adhibito remedio, quàm lixivio è radicibus lapparum aquæ incoctis præparato, quo caput ac mentum frequentiùs irrigabat.

Alium quinquagenario majorem, ac barbâ canitie venerandâ, & ad cingulum usque protensâ ornatum, novit nonnemo è Collegis meis in Moguntina diœcesi; qui cùm à convivio ac largiori compotatione decubuisset, manè evigilans deprehendit se omnibus omninò pilis capitis, barbæ, ciliorum ac superciliorum, atque adeò totius corporis, carere; nec tamen vel unicum in lecto capillum reperit, nec quo id artificio aut maleficio contigisset, rescire unquam potuit.

Novi

Digitized by Google

Novi ego in Sicilia Laicum è Religiosorum cœtu Fratrem, Gallum natione, qui in confertissima hominum, ad nescio cujus Sancti festivitatem in templo quodam celebrandam, congregatorum turba, cùm obortâ interim sævâ tempestate fulmen in templum decidisset, illo tactus, ac in terram prostratus fuit, nullo alio damno recepto, nisi quòd omnes totius corporis pilos vestibus contectos se deperdidisse, paulò pòst sibi restitutus, deprehenderit.

§. II. Exempla barbatorum.

Suprà cap. 7. §. 1. retulimus ex *Nierembergio* lib. 5. Histor. Natur. cap. 16. nanum quendam, qui è vulva materna cum pilis & pube prodierat, anno ætatis septimo jam barbatum fuisse. Ibidem §. 2. ex *Ctesia Gnidio* lib. Indicorum apud Photium in Bibliothec. retulimus, pygmæos olim in India habitantes aluisse comam longissimam, ad ipsa usque genua demissam, atque etiam infrà, cum barba longiore, quàm apud ullos hominum, adeò ut capillos retrò, barbam antè circa corpus colligantes, iis pro veste uterentur.

Barbatorũ enormiter exempla.

Apud Chinenses, quibus rari plerumque circa mentum capilli excrescunt, in veneratione sunt, qui longas ac latas circumferunt barbas. Hoc scientes Europæi, maximè qui Christi Evangelii deprædicandi causâ ad remotissimas illas gentes navigant, quàm longissimam possunt, enutriunt barbam. Horum duos è China reduces vidi Romæ, P. Martinum Martinium Tridentinum, & P. Michaëlem Boymum Polonum; quorum uterque quoniam idem iter remetiri cogitabant (& verò etiam emensi sunt feliciter) non sine cura longissimas suas apud nos quoque nutriebant barbas.

Urbano Octavo Sum. Pontif. vir quidam Helvetus natione, Romanâ peregrinatione susceptâ, post loca sancta piè ac religiosè visitata, ab Helvetiorum Pontificiæ custodiæ deputatorum summo Præfecto obtinuit, ut ad osculum pedis & benedictionem Pontificiam admitteretur. Is tam longam ac latam rufi coloris barbam gestabat, ut totum pectus ad genua usque tegeret, adeò ut Pontifex, dum cum in genua provolutum humanissimè alloqueretur, & patriam patriæque statum exquireret, Paternitatis titulo, quo Monachos Itali compellant, uteretur; existimabat enim primo aspectu non barbam, sed Monachorum scapulare à collo ad genua defluere, ut ipsemet postea, errorem suum agnoscens, est fassus. Ita narravit mihi *P. Athanasius Kircherus* testis oculatus.

CAPUT XXIV.

De pueris Hammelensibus seductis à Mago.

Hammelensium puerorum historia.

INter Mirabilia hominum meritò numerari potest exitus atque seductio puerorum Hammeliæ, quod oppidum est inferioris Saxoniæ ad Visurgim fluvium situm. Historiam narrant quàm plurimi Auctores, novissimè verò & omnium accuratissimè *Samuel Erichius* in Libello Germanicè conscripto, editoque Anno 1655. Eandem nos recitavimus ex P. Athanasio Kirchero in p. 2. Magiæ nostræ lib. 4. Syntagm. 2. cap. 3. ubi tamen in numero anni, quo ea contigisse dicitur, error irrepsit: non enim anno Christi 460, sed 1282, aut 1284. contigit, eo quo sequitur modo.

Cùm dicti oppidi indigenæ eo anno ingentibus murium agminibus infestarentur, malumque in tantum cresceret, ut nihil ferè sive fructuum, sive segetum, quod eorum rosionibus non esset obnoxium, reperiretur; vir quidam invisus ante hac, & staturæ prodigiosæ comparuit; qui quidquid murium eo in oppido, ejusque districtu esset, confestim sublaturum se, dummodò de certa pecuniæ summa secum pacifcerentur, pollicitus est. Nec segniùs quàm promisit, effecit. Nam promissâ mercede, dictus vir ex pera, quâ cinctus erat, fistulam (utriculus is erat) extraxit: & simul atque eam inflavit, ingentia murium agmina ex omnibus domorum angulis ac foraminibus prorupêre, & aulædum illum præeuntem extra oppidum ad flumen usque sunt secuta. Ibi aulædum succinctâ veste flumen ingredientem sorices secuti, unà omnes spontaneâ submersione perierunt. Hoc peracto, vir ille condictam mercedem exposcit. Verùm cùm cives de pecunia promissa solvenda tergiversarentur, minacibus illos verbis increpuit, asseruitque, nisi mercedem darent, futurum, ut aliam exigeret mercedem multò promissâ graviorem. Minæ cum risu acceptæ sunt. Vertente igitur anno, die 26. Junii, circa meridiem denuò vir dictus comparuit habitu venatoris, vultu terribili, purpureo inusitatæ compositionis pileo; fistulamque aliam longè à priori diversam simul ac insonuit; ecce pueri ac puellæ numero 130. derepentè confluunt, & ludionem extra oppidum tripudiantes sequuntur. Est extra oppidum mons, seu potiùs collis, quem Calvariæ montem (Köpffelberg dicunt incolæ loci illius) vocant, & in monte caverna sat ampla, jumentorum stabulationi apta. In hanc cavernam unà secum omnes pueros duxit venator. Atque ab eo tempore nullus unquam puerorum comparuit ampliùs, nec unquam rescitum deinde, quid de iis factum, aut quò abierint. Unica puella, quæ infantem brachiis gestabat, & præeuntes assequi non poterat, rem à longè aspexit, & regressa oppidanos monuit; qui agminatim omnes egressi, per loca omnia, & omnes angulos, liberos, sed frustra, quæsiverunt.

Histo-

Digitized by Google

Historiam hanc omnes Hammelenses, traditione à majoribus acceptâ, veram esse testantur. Eandem exhibet pictura minuta in fenestra quadam Parochialis Ecclesiæ oppidi, quam Kircherus, & multi alii, qui scriptis eam consignarunt, viderunt. Plurima alia in eodem oppido, & extra illud, extant vestigia, quæ accuratè recenset suprà dictus Erichius, testis oculatus. Addunt multi, oppidanos, ab illo tempore, quo res tam insolens & funesta contigit, annos suos in instrumentis publicis computare solitos ab anno Exitus puerorum suorum.

De re gesta minimè dubito, non tam propter unanimem multorum Scriptorum consensum, quàm propter constantem incolarum urbis traditionem. Magicâ arte, & ope diaboli, non vi soni fistulæ, utrumque egressum, murium inquam, & puerorum, contigisse, dixi loco citato, & nunc iterum assero, nec ullus est qui aliter sentiat. Lege Erichii citati libellum, cui titulus, *Exodus Hamelensis*, impressum Hanoveræ 1655.

CAPUT XXV.

De mira somniantibus.

Quid, & quotuplicia sint somnia (an fides illis, & quando adhibenda;) quibus signis dignosci queant inter se divina, diabolica, & naturalia; an, & quibus licita eorum observatio, ac interpretatio; quid ex naturalibus conjectare liceat, aliaque plura, fusè explicavimus in 4. par. Magiæ lib. 6. Syntagmate 2. Sæpe somnia manifestare occulta, seu absentia, seu futura; sæpe somniantes afficere ingenti tristitiâ, lætitiâvè; sæpe sanitatem, ægritudinem non rarò afferre, quotidiana docet experientia. Ex innumeris exempla pauca affero, antiqua, & recentia.

Somnia mira aliquorum.

Valerius Maximus lib. 5. cap. 5. de duobus Arcadibus narrat, qui iter unà facientes, Megaram cùm venissent, alter ad hospitem se contulit, alter in tabernam meritoriam divertit. Is qui in hospitio erat, vidit in somnis comitem suum rogantem, ut sibi cauponis insidiis circumvento subveniret, posse enim celeri ejus accursu se imminenti periculo subtrahi. Quo viso excitatus prosiliit, tabernamque, in qua is diversabatur, petere conatus est; Sed mox propositum suum ipse damnans, lectum iterum ac somnum repetiit. Tunc idem ei jam saucius oblatus obsecravit, ut qui vitæ suæ auxilium ferre neglexisset, necis saltem ultionem non negaret: corpus enim suum à caupone trucidatum tum maximè plaustro ferri ad portam, stercore coopertum. Tam constantibus familiaris precibus compulsus, protinus ad portam cucurrit, & plaustrum, quod in quiete demonstratum erat, comprehendit, cauponemque ad capitale supplicium perduxit. Hoc

Somnium cujusdam Arcadis.

utique non naturæ viribus, sed Angeli ope, seu boni, seu mali, contigit: neque enim nulla Ethnicis beneficia extraordinaria Angeli subinde cōtulerunt.

Somnium Galeni.

De Galeno referunt Auctores plurimi, cùm ægroto cuidam nullâ ratione remedia adhibere potuisset, per somnium fuisse monitum, ut è vena quæ inter auricularem & annularem digitos est, sanguinem educeret; idque cùm peregisset, peritior factus somnio quàm studio, ægrotus convaluit. Quod quidem & ipsum non sine boni Spiritus benignitate contigisse credendum est, & testatur *Monopolita* Decad. 1. cap. 8. q. 3. Quæstionis 2.

Somnium Eulogii S. Aug. discipuli.

Mirabilius est quod narrat *D. Augustinus* lib. de Cura pro Mortuis cap. 11. contigisse aliquando sibi cùm Mediolani degeret, & Eulogio Rhetori Carthagine moranti. Id narrat ipse Augustinus cit. loc. his verbis. *Nobis apud Mediolanum constitutis, Carthaginis Rhetor Eulogius, qui meus in eadem arte discipulus fuit, sicut mihi ipse, posteaquàm in Africam remeavimus, retulit, cùm Rhetoricos Ciceronis libros discipulis suis traderet, recensens lectionem quam postridie fuerat traditurus, quendam locum offendit obscurum. Quo non intellecto, vix potuit dormire sollicitus. Qua nocte somnianti ego illi, quod non intelligebat, exposui; imò non ego, sed imago mea nesciente me, & tam longè trans mare aliquid aliud sive agente, sive somniante, & nihil de illius curis curante. Quomodo fiant ista, nescio.* Sed quin Angeli ope, seu boni, seu mali contingant, nullus dubito. *Publicius Cornelius Rufus (inquit* Plinius *lib. 7. cap. 50.) dormiens oculorum usum amisit, cùm id sibi accidere somniaret.*

Quæ sequuntur, narrat *Jonstonus* in Thaumatol. Classe 10. cap. 7. art. 5. *Lucæ Iselio, privigno Zvvingeri, Vesentione agenti, Huberi Basileensis Medici mors in somnis aperta est. Nam videre visus est lectum suum egesta humo recens apertum: quam cùm lodice remoto excutere vellet, sub stragulis Huberum Medicum vidit, momento oculi in puerilem transmutatum speciem. Nessenus eodem die quo in Albi suffocatus est, somnium de lintris offensione & sui prolapsu habuit. Christophorus Rhaumbanius, Medicus Vratislaviensis, monitum de cura morbi sibi incurabilis in somnio factum secutus, ægrum pristinæ sanitati restituit; & quod miror, medicamentum illud in libro paucis pòst annis edito conscriptum offendit.*

Somnium matris Scanderbegi.

Huc pertinet matris Scanderbegi somnium de serpente, qui totam operuit Epirum, caput inter Turcarum protendit fines, cruentis facibus ipsos absorbendo, caudam inter Christianos & Veneti imperii tenuit terminos. *Barlet.* lib. 1. de Gestis Scanderb. cap. 82. Multa alia similia somnia, quibus virorum vel sanctitate, vel litteris, vel bellicâ fortitudine clarorum vitæ conditio prænuntiata fuit, omitto.

Mirum etiam somnium fuit quod habuit Gunthramus Rex Francorū. *Cùm enim aliquando venationi intentus, per nemus vagaretur, fortè à sociis avulsus, uno tantùm comite, cujus fidem præ reliquis perspectam habebat, ad*

aqua

Digitized by Google

aqua gelida rivulum delatus est. Ubi cùm sopor gravis eum opprimeret, reclinato in servi sinum capite, obdormiit. Ibi rem mirandam servus animadvertit. Ex dormientis siquidem ore bestiolam vidit prorepere, & rectà ad rivulum tendere. Quem cùm frustra omni conatu transire laboraret, servus evaginatum gladiũ rivo imposuit, per quem cùm bestiola facilè evasisset, in foramen proximi montis irrepsit, & post horam inde regrediens, eâdem via in os regis reversa est. Experrectus deinde rex servo narravit, quòd sibi per somnium visus esset ad ripam ingentis fluminis delatus esse, & per ferreum pontem transiisse, inde ad montem pervenisse, in quo grande auri pondus latuerit. Quod cùm servo suo exposuisset rex, & vicissim ex illo audivisset, quid se dormiente monstri acciderit; ambo ad montem istum contendunt, ibique defossam ingentem auri vim effodiunt. Ita *Heidfeld.* in Sphynge cap. 14. *Marinus Mersennus* in Genesin vocat somnium hoc diabolicum. Mihi verò vehementer suspecta est historia. Si enim rex reclinato in sinum servi capite dormiebat, quomodo servus fuit ausus surgere, & bestiolæ pontem sternere? quomodo redeuntem bestiolam in os regis reintrare permisit? Probabilior est huic similis historia, quam *Wierus* lib. 1. de Præstigiis dæmon. narrat in hunc modum. *Refert Helinandus Monachus lib. Chronicor. 13. se audivisse ab Ebando patruo suo, qui à cubiculis erat Henrico Remensi Archiepiscopo, Ludovici Gallorum regis fratri, quòd Henrico Archiepiscopo æstate quadam in itinere somnium meridianum capiente, miles quidam inter cæteros aperto & hiante ore post prandium dormiret; è cujus ore visa est ab aliis vigilantibus quædam alba bestiola mustelæ similis exiisse, atque ad vicinum ibi rivulum procurrisse. Cùmque sursum deorsum in ripa rivuli cucurrisset, nec transeunti viam inveniret; quidam ex adstantibus accedens, evaginatum gladium rivulo angusto veluti pontem faciens imponit. Bestiola illicò rivulum super gladium transgrediens, longius procurrit, & sese subduxit. Paulò pòst redire visa, cùm iterum notum pontem quæreret, atq; eo jam sublato discurrens transire non valeret; idem ille qui antea rursum rivuli ripas imposito gladio conjungit, atq; abscedit. Tum transit bestiola, & ad dormientis adhuc patulum os rediens, videntibus omnibus ingreditur: ac illicò qui dormierat, expergiscitur, rogatusq; num quid in somno passus esset, respondit, se fessum esse & defatigatum tanquam ex difficili & longo itinere, in quo bis super pontem ferreum flumen transivisset. Unde socii collegerunt, eum quæ ipsi viderant, verè somniasse.* Addit Wierus, sibi videri hoc somnium fuisse diaboli ludibrium, ad persuadendum hominis animam esse corpoream.

Somnium Athanasii Kircheri.

Somnium quod P. Athanasius Kircherus Romæ habuit (ut ipsemet mihi narravit) naturale fuit, & corporis sanitatem ipsi attulit, magno Reipublicæ Litterariæ emolumento. Decumbebat is gravi & periculoso morbo, nec Medicis spes vitæ superesse videbatur ulla. Sciens hoc Kircherus, petivit à Medicis ac Collegii Romani Superiore, liceret sibi applicare reme-

remedium, quod saluti fore confideret. Conceditur. Postulat è pharmacopoleo Collegii adferri sibi medicamenta soporifera, quæ nominaverat; miscet, sumit, somnum capit profundum ac jucundissimum, qui totam duravit noctẽ. Somniavit enim, Summum se Pontificem electum, & ingenti perfusum lætitiâ excipere Principum Christianorum legationes ac congratulationes, omniumque populorum applausus; tum variarum nationum ac gentium ædificare in Urbe Collegia ac templa, aliaque multa fidei Catholicæ propagandæ causâ constituere. Evigilat manè, sanum se esse experitur, ac talis mox à Medico superveniente declaratur, magnâ omnium admiratione. Aliud ejusdem somnium enarravi in Præfatione ad Prodromum Mundi Mirabilis. Similia passim occurrunt, quæ omitto.

CAPUT XXVI.

De sumentibus innoxiè venena, aliosque insolitos cibos.

SAnctorum hominum plurimos venena sibi aut palàm oblata, aut clanculùm præparata, sine noxa sumpsisse, mirum non est, quoniam Christi virtus, venenis omnibus superior, noxiam retundebat virtutem, juxta promissionem factam: *si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Animalia quoq; nonnulla venenatis nutriri herbis ac animalibus, nec fidem superat, nec Naturæ vim, quoniam præter temperamentum veneno resistitivum, assuetudo perpetua in naturam transit. Sic enim capræ & coturnices venenis pinguescunt; stellio araneis vivit, sues devorant serpentes, uti & ichneumon, & ciconia; mortiferis herbis pascitur catoblepa, & taxus. Taceo alia. At hominem, cui venenata maximè noxia, eò devenire assuetudine, ut venenis sine noxa fruatur, inter Mirabilia hominum meritò quis numeraverit. Nõnulla ergo exempla subjiciam, & causam effectus adsignabo.

§. I. Venena innoxiè sumpta.

Venena innoxiè sumpta.

M*ithridates* (inquit Plinius lib. 25. Natur. Histor. cap. 2.) *maximus suâ ætate regum, quem debellavit Pompeius, omnium ante se genitorum diligentissimus vita fuisse, argumentis, præterquàm famâ, intelligitur. Uni ei excogitatum, quotidie venenũ bibere præsumptis remediis, ut consuetudine ipsâ innoxium fieret. Primò inventa genera antidoti, ex quibus unum etiam nomen ejus retinet. Illius inventum autumant, sanguinem anatum Ponticarum miscere antidotis, quoniam veneno viverent.* Unde illud *Martialis* lib. 5. Epigram:

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Alber-

Digitized by Google

Albertus Magnus lib.7.de Animal.tract.2.cap.5. recitat historiam puellæ Coloniensis trium annorum, quæ comedebat innoxiè araneas in angulis domorum repertas,& ex hoc cibo proficiebat, ac præ omnibus illum appetebat. Idem factitasse non ante multos annos Virum Religiosum, audivi ab oculatis testibus fide dignissimis, qui ipsi cohabitaverant. *S. Augustinus* lib.2.de Moribus Manich. refert historiam famosæ mulieris Atheniensis, quæ assueta veneno, tandem ob facinora morti damnata, con-[illegible] veneno interimi nequaquam potuit. *Auctor* libri de Secretis Secretorum ad Alexandrum Magnum, *Avicenna, Rufus*, & alii meminerunt puellæ cujusdam Indicæ, quæ ob continuam venenatorum esitationem adstantibus pestiferum adflabat halitum. Porus Indorum Rex veneno quotidie vescebatur, ut alios perimeret. Visus fuit qui commorsus à venenatis, occidebat eadem; non secus ac Religiosus Laicus Hispanus, de quo in 4. par. M[illegible]æ, cimices qui se momordissent, interimebat. Æthiopes Hyaspidis fluvii accolæ, è scorpionibus & aspidibus lautissima parabant fercula. Thracia mulier ex manipulis veratri gratissimum habebat obsonium.

Eadem vivendi ratio superiori sæculo penes quendam Indorum regem reperta est. Is erat Cambaiæ Rex; quem ferunt ab infantia veneno enutritum, tamque pestifero fuisse halitu, ut vel muscas solùm se tangentes interimeret, ut testatur *Odoardus Barbosa* apud *Majolum* Colloq. 4. Quin consuetudo veneni adeo in eo invaluerat, ut ipso aleretur: unde fiebat ut vix illa uxorum suarum, quæ ipsi commiscebatur, effugeret mortem in diem proximam, ut testatur *Ludovicus Barthena* Indic. Rer. lib. 1. c. 2. apud eundem Majolum. Quemcunque etiam oderat, & necatum volebat, solo sputo in eum misso interimebat. Vestes ejus nemo sine mortis periculo attingebat, quoniam & ipsæ tangentes inficiebant.

§. II. Aliorum ciborum insolitorum esus.

Cibos insolitos comedentes.

HUjus generis nonnulla exempla collegit *Jonstonus* in Thaumatolog. Class.10.cap.2.art.2. ubi ait ex *Nancelio* lib. 3. Analog. puellam quandam stercoribus delectatam, & virum nobilem foria infantum recentia avidissimè sorbillasse. Item, calcem vivam pugni magnitudine devorasse quendam apud *Fernelium* lib. 6.Patho.cap.3. aliam fila ex vestibus, apud *Trincavellum*, lib.7.cap.5. aliam gossipium & lanam, apud *Lusitanum* cap.3. cent.6. aliam lacertas, apud *Marcellum* Histor. Mirabil.lib.4 cap.1.& mulierem quinquagenariam tartarum, apud *Nicolaum* Serm.5.tract.4.cap.36. & carbones denique aliam, apud *Camerarium*. De Lazaro vitrivoro sermonem habuimus cap. 12. Rusticus quidam in Frisia vorabat pro mercede vitra, ligna, saxa, viva animalia, pisces vivos, aliaque similia, non secus ac prædictus Lazarus, teste *Jonstono* cit.

Similium rerum appetentiæ plerumque ex singulari morbo provenivnt,quem *μαλακίας* in prægnatibus, *κίτ[τ]ας* in virginibus & aliis appellamus. Causa ejus videtur esse humor vitiosus & pravus tunicis ventriculi impactus ab extrinseco, vel in eodem genitus ex prava victus ratione, vel ab utero eòdem affluens. Prægnantibus accidit primis tribus mensibus; Virginibus, cùm mensium intercipiuntur fluxus. In Lazaro non ex appetentia, sed ex gustus privatione proveniebat; privatio autem illa erat ex insolita dispositione quartæ nervorum dispositionis, ut citato loco diximus ex Columbo.

De astomis,brachystomis,solo odore viventibus,aliisq; similibus,quid sentiendum sit,definivimus suprà cap.XI.

CAPUT XXVII.

De aversantibus caseum, aliosque nonnullos cibos.

CUr hominum nonnulli caseum aversentur, alii cæpas & allia, alii vinum,carnes,panem ipsum,alii alios cibos;problema est, quod multorum jam diu vexavit ingenium. Illud, quoad casei aversationem, nuper discussit *Martinus Schoockius* libello de ea re edito, & ante illum fecisse idem dicitur Thomas Sagittarius, aliique nonnulli variis occasionibus. Nos non de casei modò, sed aliorum etiam quorumlibet ciborum nausea seu aversione idem hoc loco discutiemus: ac primò quidem more nostro varia exempla,deinde ejus rei rationem tum aliorum,tum nostram afferemus.

§. I. Exempla varia aversantium certos cibos.

Aversantium certos cibos exempla.

Aversatio piscium.

A*Matus Lusitanus* narrat Centur.2.Curat.36.novisse se quendam, qui pisces omnes adeò abhorrebat, ut cùm die quodam ab amico ad cœnam invitatus piscis frustum cibis aliis obvolutum ab amico, se inscio, comedisset, in tantas animi angustias & cordis pressuras cum vomitu & secessu devenerit, ut parum absuerit, quin spiritus eum deficeret, ac moreretur. Erat huic nomen Stephanus Surdaster, natione Hispanus, patriâ Toletanus. *Erasmus* in Epist. ad Lambertum Grunnium, scribit de se sub persona pueri Florentii, à piscibus sic abhorruisse adolescentem, ut vel ad solum odorem protinus gravem capitis dolorem non sine febri sentiret. *Paræus* Introduct. ad Chirurg.cap.22. testatur, se novisse inter Galliæ proceres primariæ nobilitatis virum, qui appositâ anguillâ, medias inter epulas, atque sodalium amicorum greges, sic consternabatur,ut repentè in præcipitem virium omnium lapsum incideret. Alius, teste *Weinrichio* in Comment. de Monstris cap.8. anguillarum non modò esum,

esum, odorem, & aspectum pati non poterat, sed nec manere quidem in ædibus ubi occultabantur vivæ, absq; insigni anxietate.

Aversatio carnium.

Non minùs carnes alii, quàm hi pisces, aversantur, teste *Amato* loc. cit. Et *Scaliger* Exercit. 153. num. 10. ait, se fœminam illustrem novisse, quæ ante annum ætatis suæ quartum decimum nullius suasu flecti poterat, ut carnibus vesceretur. *Brasavolus* in Comment. 34. ad 2. Hippocrat. de rat. vict. in morb. acut. ait, Illustrissimam Taraconensem Federici Regis Neapolitani filiam natu minorem, carnes nec edere, nec gustare potuisse, adeò ut si bolum in os sumeret, in vehementissimam incideret syncopen, & horrendo clamore eiularet, in terramque decidens volutaretur, ac tali in symptomate per semihoram perseveraret.

Aversatio è variis cibis.

De rustico quodam Northlando, in Waterlandia, in pago Scermerio, non procul ab Alemaria urbe sita, scribit *Forestus* in Scholio ad Observ. 5. lib. 4. de Febrib. qui nullo alio cibo potuque utebatur, quàm solo lacte vaccino. E contrario Conciliator Petrus Aponensis, teste *Marcello Donato* ex Matthæo Gradensi, sic lac abhorruit, ut nec illud comedentes quidem sine nausea aspicere posset. *Bruyerinus* lib. 1. de Re cibaria cap. 24. ait, novisse se Normannum quendam rusticum, qui nec panem, nec carnes, nec pisces, nec caseum unquam degustasset, sed solis ovis vescebatur. E contrario, *Marcello Donato* teste loc. cit. illustris Comitis cujusdam puer cùm ova comedebat, labia tumescebant, & facies purpureis nigrisq; maculis conspergebatur, osq; spumâ circumdabatur, ac si venenum sumpsisset.

Maranta Meth. cognos. simplic. lib. 3. cap. 13. scribit, patrem suum alienissimum semper fuisse ab esu leporis, & cujuscunque generis volatilium. *Schoockius* in lib. de Aversat. Casei ait, se habuisse ancillam, cui persuaderi nullâ ratione poterat, ut carnem vitulinam gustaret. Idem novit virum longè doctissimum, scriptisque libris celeberrimum, qui carnem suillam æquè ac angues execrabatur, nec ullos cibos porcinâ pinguedine condiri patiebatur. *Horstius* in Observat. ad Levin. Lemnium ait, observasse se quendam Antwerpiæ, qui quoties in conviviis porcellum Trojanum inferri, & mensæ apponi conspiciebat, statim syncope correptus corruebat.

Schoockius loc. cit. testatur, unum è liberis suis brassicam abominari. Cressonibus tantùm visis horrore se perfundi, scribit *Scaliger* Exercit. 153. num. 10. *Maranta* loc. cit. novisse se ait vetulam, quæ melopepones tanquam rem insuavissimam aversabatur. *Horstius* loc. cit. Arnstadii Comitem ab olivarum oleo tantopere abhorruisse dicit, ut omnia ex eo

parata edulia, eodemque quo ille conclavi asservata, subitò auferri oportuerit, ni exitiali eum syncope periclitari vellent. Uladislaus Jagello Polonorum Rex sic à pomis abhorrebat, ut ne odorem quidem ferret, teste *Cromero* lib. 20. Hist. Polon. *Bruyerinus* loc. suprà cit. ait, novisse se Joannem à Querceto, Parisiensem, regium Secretarium Francisci I. qui solebat malorum odore atque aspectu adeò turbari, ut statim illi abeundum esset è convivio, si apposita cerneret; & si propiùs naribus admovebantur, repentè sanguis effluebat. Jacobus Foroliviensis Medicus apud Bruyerinum loc. cit. testatum reliquit, non aliter solitum se cruciari ab allio manducato, quam ab epoto veneno; quippe ea sibi accidere, quæ solent iis qui venena biberunt. *Paulus Zacchias* Medicus Romanus lib. 2. Quæst. Medico-Legalium tit. 2. q. 7. nobilem virum novisse se ait, qui à quamplurimis rebus maximè abhorrebat, præcipuè verò à fructibus quibuscunque; inter quos melopepones adeò aversabatur, ut ne odorem quidem eorum absque fastidio & nausea sustineret; & si quando clàm domum deferebantur, illicò sentiebat, & ejici confestim præcipiebat.

Quid connaturalius homini, ac magis ad victum quasi necessarium quàm sal & panis? Et tamen *Maranta* loc. cit. testatur, virum quendam nobilissimum nullum obsonii genus comedere potuisse, quod salem etsi per modicum, haberet admixtum. *Bruyerinus* lib. 2. de re cibar. cap. 6. puellam novit sero lactis per integros sexdecim annos à parentibus educatam, quæ ab omnibus cibis ita abhorrebat, ut etiam à longè odorem micæ panis in serum, quo nutriebatur, injectæ deprehenderet. Memini ego, cùm puer admodum eram, narrari ab avo meo de puero quodam rusticano tum vivente; qui panem adeò abhorrebat, ut si inadvertenter etiam aliis condimentis obvolutum bolum sumpsisset, statim ad vomitum provocaretur. Schoockius quoque alium novit, qui nunquam panem esitabat.

Aversatio panis.

Jam quod ad casei aversationem attinet, notum omnibus est, & quotidianâ stabilitum experientiâ, quamplurimos esum illius penitus abhorrere. Ego certè vix ullo in Collegio nostro in variis Belgii, Siciliæ, Italiæ, Germaniæ Provinciis habitavi, in quibus non unus aut alter fuerit repertus. Multi etiam ne odorem quidem ejus tolerare possunt. *Schoockius* in lib. de aversat. casei ait, se non modò per omnem vitam aversatum fuisse caseum, verùm iis quoque natum parentibus, avis, & proavis, qui simili antipathiâ laborârunt. Addit, ex fratribus suis sex, duos tantùm caseum comedisse; ex matris sororibus quatuor, unam solummodò.

Aversatio casei.

In iis porrò, qui certos cibos aversantur, hoc singulare est in quibusdam, ut *Julius Alexandrinus* lib. 2. Salubr. cap. 13. etiam observat, quòd quidam cibi aut potus genus unum aversantur, aliud verò quod cum illis agnationem maximam habet, minimè. Nam quidam respuunt vinum ordina-

dinarium & patrium, non verò Creticum, nec dulce quantumvis generosum, uvas verò ingurgitant voracissimè. Aliis cancrorum esus est adversissimus, piscium verò aliorum cujuscunque generis nequaquam. Nonnulli carnem suillam tantùm abhorrent, alii bubulam, alii vervecinam, alii gallinaceos solùm pullos.

§. II. Quæ sit causa aversationis casei, & quorundam aliorum ciborum, ex aliorum sententia.

Aversationis casei & quorundam ciborum causa, ex aliorum sententia.

VArias primùm sententias proponam; deinde quid ego sentiam, propalabo. Et tametsi plerorumque sententiæ ac rationes solius casei nauseam respiciant, proponendas tamen duxi, & examinandas, quoniam lucem præferent sententiæ nostræ.

Primò igitur putant aliqui, nonnullos casei esum abhorrere non alia de causa, nisi propter gravem odorem quem exhalat, maximè si putridus sit. Sed incongrua est hæc ratio. Primò, quia multi casei esum abhorrent, odorem verò minimè: nam plerique quos ego novi, qui caseum nauseant, non offenduntur ejus odore, etiamsi cincti sint undique ab aliis, qui eo fruuntur. Hoc ipsum de se testatur *Schoockius* lib. de aversf. casei Num. 4. ubi addit notam sibi esse honestam fœminam, quæ licèt ab esu casei haud aliter atque cicutæ abhorreret, marito tamen, qui magnarius caseorum mercator erat, auxilio erat, in caseis tractandis, ac vendendis: quo in negotio longè fœdior esse odor, quàm dum in mensis apponitur. Secundò, quia sæpe casei aliqui nullum habent odorem gravem, sed contra gratum, etiam iis qui ab esu abhorrent. Tertiò, quia qui à caseo abhorrent, etiamsi nescientes, & aliis condimentis involutum esitent, non minorem tamen nauseam ac stomachi convulsionem persentiunt, quàm si palàm deglutivissent.

Verum tamen est, aliquibus casei odorem esse molestissimum, sed eâdem, vel simili de causâ, ob quam nonnullis odor rosarum, ambræ, moschi, zibeti, citrorum aliorumque odoriferorum est molestus: nos autem hîc non inquirimus causam nauseæ odoris, sed esitationis.

Secundò, alii putant, propterea quosdam à casei esu abhorrere, quòd persuasum habeant eum noxium esse valetudini suæ, imò & mortem adferre. Sed hæc quoque ratio incongrua est. Primò, quia pueri etiam nonnulli, imò & infantes, qui nullam habent talem apprehensionem, caseum abhorrent. Secundò, quia aliqui non modò apprehendunt, sed etiam sciunt, caseum esse valetudini suæ noxium, ut sunt calculosi, & tamen ab ejus esu non abstinent. Alia ergo causa est aversationis casei, quàm dicta apprehensio.

Potest quidem contingere, ut aliquis ab esu illius abstineat propter dictam

ctam apprehensionem; sed hoc rarissimum est, & contingit etiam in aliis cibis. Nam *Libavius* Tract. de Antipath. exemplum habet cujusdam qui aversabatur fraga, quòd existimaret sub iis latibula sua habere bufones. Item alterius, qui suillam nolebat comedere, licet gratissimi saporis esse fateretur, quòd audivisset medicos quosdam dixisse, ejus esu obvenire lepram. Schoockius novit fœminam honestam, quæ anguillas non comedebat, quòd persuasum haberet, eas ex cadaveribus solummodò generari, & anguibus esse quàm simillimas. Alium novit idem, qui ova frixa non gustabat, quòd putaret stomachi naturalem dispositionem per illa turbari. Et ego novi in Sicilia virum Religiosum, qui ova non gustabat, quòd sciret gallinas multas immunditias ac vermes deglutire. Idem adduci non poterat, ut comederet illum cibum, quem sciebat aut apprehendebat fuisse ab alio tactum: unde tametsi avidissimè comederet appositas ficus, aut alios fructus, quàm primùm tamen ab aliquo adstantium joci gratiâ tangebantur, illos relinquebat, ut non semel vidi. Imò adeò horrebat res ab alio tactas, ut si sciret aut apprehenderet, aliquem mensæ assidere non lotis manibus, recusaret aquam aut vinum sumere ex illo poculo, quod alius tetigerat. Sed hæc, ut dixi, rara sunt; casei autem aversatio frequens est, ideoq; ab alia provenit causa.

Tertiò, alii propterea existimant, plures & à caseo, & ab aliis quibusdam cibis comedendis esse alienos, quòd dum utero gestarentur, matres eorum à dictis cibis abhorruerint. Quam quidam prægnantium à certis cibis aversionem putant provenire à redundantia menstrui sanguinis in utero, cujus vapores os ventriculi inficiant, ac ejus temperiem evertant, & malâ afficiant qualitate, unde coctio & tractio præpediatur, idque potissimùm primis mensibus, & in plenilunio, quando major redundat copia sanguinis. Verùm neque hæc sententia placet, quia constat aliquos aversari cibos quosdam, quos tamen matres eorum, dum illos utero gestabant, tantùm abest ut abhorruerint, ut vel maximè appetiverint. Nam mater pueri illius rustici, de quo suprà, qui panem aversabatur, dum uterum gereret, & in vicinia nuptiæ celebrarentur, videns panem primarium ac optimum qui à convivis absumebatur, & à convivarum liberis domum deferebatur, ingenti desiderio illius æstuabat, & ut voti compos fieret, nuptiarum locum accessit animo petendi, sed pudore præpedita regressa fuit, non tamen desiderium extinxit, sed accendit. Hinc puer natus tantum abhorruit panem, quantum mater illum desideraverat. Alia ergo hujus rei causa est indaganda.

Quartò, *Martinus Schoockius* lib. de Aversatione casei, Num. 15. putat, ideo quosdam aversari caseum, quòd infantes suxerint è matrum aut nutricum mammis lac caseatum, quod jam tum nauseam casei illis ingene-

ingeneraverit. Hoc ut probet, *supponit primò* Num. 15. quòd lac, si fortè fœmina antea illud in mammis habuerit, & deinde conceperit, ordinariò consueverit, secundùm rationem caseationis, concrescere ac coagulari; licèt hoc ante conceptum quoque haud rarò contingere consueverit, propter calorem quendam præternaturalem mammis obvenientem, dum nimirum insitus earum calor (eò quòd materia chylosa lacti antea inserviens, post conceptum se ad uterum pro efformatione partium corporis recipit) major incipit esse atque improportionatus, ratione modici chyli in lac convertendi. *Supponit secundò*, quòd si quis aliquando cibum aliquem insigniter fastidivit, ab eodem abhorrere ferè soleat longo tempore post, si non per omnem quoque vitam. Sic ipse Schoockius, cùm sali antimonio ad vomitum procurandum sumpto superbibisset aliquando vinum calens majore copiâ, & cum repugnantia, postea ad biennium & ampliùs ad vini quoque odorem exhorruit. Sic matrona spectabilis, quam idem novit, postquam in ovo sorbili pullum inventum incautiùs deglutisset, ova semper postea abhorruit. Sic alia pariter ova aversabatur, quòd ovum anatinum nauseabunda deglutiisset, ovo piscium saporem referente, quòd bosce deglutire anates consueverint. Omitto alia exempla quæ refert.

His suppositis ait, sibi exploratum decennali experientiâ, quòd plerique qui aversantur caseum, eò usque nutriti fuerint lacte matrum aut nutricum prægnantium, donec ipsi lac caseatum aversando semetipsos ablactaverunt. Testata enim fuit avia ejus, quæ tres genuit filias à caseo abhorrentes, quòd nunquam sciverit initium conceptionis, & quòd dictæ filiæ semetipsas sponte ablactaverint. Idem de se testata est mater ejus, quæ habuit liberos à caseo abhorrentes, excepto tertio natu, quem ob morbidam mammarum intumescentiam solitò citiùs ablactavit. Et pater ejus, qui à caseo alienus erat, commissus fuerat nutrici, quæ clàm à famulo imprægnata fuerat, & tamen infantem lactaverat. Alia ejusmodi exempla ultra viginti ait Schoockius se collegisse. Ex his concludit cum *Kenelmo Digbao* tract. 1. de Nat. Corp. cap. 38. pag. 331. causam cur caseum aliqui abhorreant, esse, quòd suxerint lac matrum, aut nutricum, postquam hæ jam gravidæ erant, & lac mammarum habebant caseatum; quod cùm infantes nauseent, ob incommodum quod ipsis infert, fit ut totâ vitâ suâ deinde caseum nauseent. Fatetur tamen Schoockius Num. 18. fieri posse, ut infantes lac caseatum sugentes non abhorreant à caseo, si præter lac sumant etiam alios cibos congruentes.

§. III. No-

Digitized by Google

§. III. Nostra sententia, cur aliqui caseum aliosvè cibos aversentur.

Aversationis casei, aliorumq; ciborum causa, ex nostra sententia.

EGo in præsenti controversia de casei aliorumq; nonnullorum aversatione, statuo sequentia.

I. Causa cur aliqui caseum abhorreant ab infantia, non est quòd lac caseatum è mammis matrum aut nutricum prægnantium suxerint. Ratio est, quia alioquin longè plures caseum abhorrerent in omnibus nationibus ac populis, quàm de facto abhorrent. Nam plurimæ matres sunt adeò fœcundæ, ut singulis annis prolem effundant, præsertim ignobiles & pauperiores; quæ tamen ipsæmet lactant infantes suos antecedentes ferè usque ad partum subsequentium: plurimæ item matres, quæ non singulis annis pariunt, sed vel singulis bienniis, aut trienniis; non ablactant infantes, donec vicinæ ferè sint partui. Si ergo omnes prædictarum matrum proles à caseo abhorrerent, quantus esset eorum numerus? Vel ergo falsum est, quód lac in mammis prægnantium caseetur; vel falsum, quòd tale lac exsuctum ab infantibus, ingeneret iis nauseam & horrorem casei. Nec dicas, tales infantes sumere simul cum lacte caseato alios cibos, ut pultes, &c. Et ideo non horrere caseum: nam etiam alii infantes, qui postea caseum horrent, sumpserunt simul alios cibos; quibus enim infantibus pultes non ingeruntur?

II. Neque casei, neque aliorum ciborum aversatio, semper oritur in infantibus ex eo, quòd matres prægnantes horruerint tales cibos. Ratio est, quia aliquæ matres prægnantes non tantùm non horruerunt cibos illos, quos proles natæ horrescunt, sed vehementissimè appetiverunt, ut patet ex dictis contra tertiam sententiam præcedenti §. relatam.

III. Causa propter quam aliqui certos cibos abhorrent à nativitate (de his enim potissimùm est sermo) non est una in omnibus, sed varia in variis. Nam in aliquibus causa est aversio matrum prægnantium ab illis cibis, quos postea proles abhorrent, ut *Libavius* tract. de Antipathia contigisse putat matri cujusdam commilitonis sui, qui fraga abhorrebat. In aliis è contrario est vehemens pica & desiderium matrum cibi, quo fuerunt defraudati, ut patet in puero illo rustico, de quo §. præcedenti in tertia sententia. In aliis est certum stomachi ac ventriculi temperamentum, cui contrarium est talis cibus: sicut enim aliquibus adultis supervenit temperamentum tale, ut respuant cibos aliquos quos antea avidè comedebant (novi enim, qui salpas & ova frixa antea comedebant non illubenter, nunc vix videre sine horrore possunt) ita infantibus nonnullis congenitum esse potest simile temperamentum. In aliis denique aliæ sunt causæ, quæ in hoc negotio, sicut in aliis plerisque, quæ per antipathiam explicari solent,

Digitized by Google

solent, sunt nobis occultæ in particulari; quod quidem fateri ingenuè, non dedecet Philosophum; dedecet autem vel maximè, incongruas comminisci causas, easq; pertinaciter defendere.

CAPUT XXVIII.

De mirabiliter sanatis.

MEdicorum gnome est, contraria contrariis pellenda esse. Non Gratia modò, sed & Natura hanc sæpe legem infringit, & modis aliis, iisque mirissimis, sanitatem largitur. Exemplis rem stabiliemus, sed iis tantùm, quæ Naturam operatam fuisse aut certum, aut verisimile est. Unum tamen adnectam, in quo Gratiæ maxima, Naturæ vis nulla elucet.

§. I. Sanitas naturaliter restituta.

Sanitas mirabiliter restituta.

PRometheus Thessalus, ut refert *Plutarchus* in Opusc. Qua ratione ex inimicis emolumentum capiendum, tuber habebat incurabile. Huic cùm inimicus occurrisset, & necem omni studio intentasset, *gladio tuber percussit, atque ita aperuit, ut homini salutem attulerit, atque à periculo vindicaverit rupto tubere.* Phalereus (ut *Plinius* habet lib. 7. Natur. Hist. cap. 50. vel Phæreus Jason, ut legit *Valerius Maximus* lib. 1, cap. de miracul.) vomicæ morbo laborabat, & deploratus à medicis, *cùm mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoste.* Eodem *Plinio* teste loc. cit. *Q. Fabius Maximus Consul apud flumen Isaram prælio commisso adversus Allobrogum Arvernorumq; gentes, ad VI. Idus Augustas, centum triginta millibus perduellium cæsis, febri quartanâ liberatus est in acie.*

Hisce oculis meis vidi in Siciliæ urbe quadam juvenem ardentissimâ febri laborantem ab aliquot jam diebus, qui cùm lecto decumberet, & febrili calore vel maximè æstuaret, aliusque coram me & viris aliis honestis eum invisentibus minùs decenter loqueretur, rei indignitate motus adeò exarsit in illum, ut præ ira totus contremisceret, & in sudorem solveretur; moxque ab illo momento liber à morbo apparuit. Ibidem cùm alia in urbe degerem, viri tres cum famulo uno egressi ad fluviolum piscandi gratiâ, injectâ in aquam majori copiâ taxi, quàm par erat, pisces per imprudentiam intoxicarunt, ac largiter deinde modis variis præparatos devorarunt; sed mox domum reversi, & ardentissimâ febri ad unum omnes correpti, intra triduum, famulo excepto, animam efflârunt. Famulus audiens dominos defunctos, & sibi quoque mortem appropinquare sentiens, cùm toto triduo intolerabili siti fuisset penè enectus; ut eam ante mortem saltem depelleret, surrexit noctu clàm omnibus, & vini generosissimi lagenâ repertâ eam exsiccavit, lectum repetiit, sudavit largiter, & cum sudore venenum ac morbum omnem ejecit.

Digitized by Google

Paleologus Imperator quomodo sanatus.

In vita Paleologi II. Constantinopolitani Imperatoris, teste *Majolo* Colloq. 4. ab Egnatio scribitur, ipsum exacto quadragesimo ætatis anno adeò gravi morbo laborasse, ut integrum fermè annum lecto decubuerit, magno Reipublicæ incommodo, nec quidquam Medicorum arte illi ægritudini prævalente. Quo tempore elapso, à mulierculæ cujusdam consilio Imperatrix didicit, virum convalescere non posse, nisi acribus ac importunis molestiis continuè vexaretur; eo enim modo dilapsuros humores, unde ægritudo manabat. Admisso mulierculæ consilio, Imperatrix cœpit Paleologum virum vexare incredibilem in modum, vix ulla in re obsequens illi. Frequenti igitur vexatione discussis humoribus, & calore nativo aucto, adeò Imperator convaluit, ut viginti, quibus postea vixit, annis, semper incolumis extiterit. Idem refert *Mondognetus* in vita M. Aurelii lib. 2. cap. 25. Mirum sanè, vexationes ac irritationes homini fuisse salutares, quæ alioquin plerumq; valetudini solent esse noxiæ.

Quod sequitur exemplum sanitatis mirabiliter adeptæ, multa alia admiranda involvit, ideo tametsi prolixum, referre non piget iisdem verbis, quibus à *Majolo* Colloq. 4. qui hominem, cui contigit, vidit, refertur.

Pecchii casus miserandus.

Pecchius Cisalpinus fuit vir equidem industrius & imperterritus. Hic cùm aliquando in odium incidisset cuidam viro illustri, multorumque oppidorum Domino; itinerans vi armatâ captus ab illo, clamq; est in saccum conjectus; & in ima parte domus occlusus in arce quadam firmissima, etiam inscitis aliis familiaribus, præter unum fidum necessarium, servatus est. Ut diutiùs in cruciatu Pecchius viveret, arcis Dominus jusserat, quotidie panis frustum, & aqua paullulùm dari, velut reo ad carceres perpetuos damnato: nemo tamen hominum, quis ille esset inclusus, noverat. Interim dum per urbes, oppida, vicosq; Pecchius quæritur, eo non invento, Magistratus ubi suam vitam degebat antea, occisum censuerunt: inventus enim fuerat mulus ejus, quo equitabat, sanguine aliquatenus aspersus. Actum est judicio publico, ut occisor quæreretur. Inventi sunt duo, quibuscum aliquando fuerat rixatus. Hoc indicio comprehensi ac torti, occidisse hominem fassi sunt. Et alteri quidem suspendii, alteri abscissionis capitis supplicium collatum est, cùm tamen ille interim qui occisus putabatur, viveret inclusus in eo, quem diximus, teterrimo carcere. Absumpsit is miserè annos decem & novem in eo vitæ genere, pane & aquâ perexiguè alitus, nunquam vestem aut exuens, aut mutans; semper tamen (ut ipse nobis suis verbis narravit) DEI ejusq; Divæ Matris clementiæ memor, & spe semper constans, futurum aliquando ut inde eriperetur. Filii interim velut patri mortuo justa fecerant; hæreditatem quoq; aditam & administrarant, & alienarant. Exacto igitur decimo nono anno (nam Christi 1540. inclusus fuerat) quinquagesimo nono inventus est in hunc modū. Jam is arcis Dominus, qui incluserat, diem suum obierat, panis & aqua tamen velut reo damnato adhuc daba-

dabatur; nunquam tamen aut videri ab aliquo, aut sibi alloqui quisquam inventus est omni hoc tempore. Tandem igitur cùm de extruendo loco ageretur, atque murus, quo undique ille cinctus erat, nulla prorsus janua, sed parvula tantùm specula, qua perpaulū luminis irradiaret, permissa fuisset, destrueretur; apparuit homo lacerâ prorsus veste, barbâ ad usque genua, capillis ultra humeros protensis. Admirātibus qui aderant, in vulgus mox res inventa transiit. Accurrêre omnes, velut ad sylvestrem hirsutumq; hominem. Periti qui aderant, consuluêre ne mox sub dio homo traduceretur, ne aut cacus ob nimium ambientem insuetum aërem fieret, aut etiā vita vigor qui supererat, nimio aëre obrueretur. Hac cautione usi, aliquot dies hominem servarunt incolumem; quis fuerit, quisvè sit, prodit, quod vita genus peregerit; tandem conspectus agnoscitur; ac velut homo resurgens, Principis judicio bona à filiis alienata recuperat, dum vivit fruiturus. Mirum, cùm podagrâ laboraret immissus in carcerem, reliquo omni tempore incolumi corpore fuit, etiam postquam eo periculo exemptus fuit. Cum eo etenim collocuti sumus, hacq; ex illius ore didicimus, cùm Mediolani compertum hominem rogaremus, ut hac nobis enarraret. Erat tum annus 1569. Novembris mensis. Hæc Majolus.

Alphonsus Aragonum Rex Capuæ laborans adversâ valetudine, medicis multa medicamenta adhibentibus, in gravissimo morbo Quinti Curtii historias de Alexandri Magni rebus gestis descriptas legere cœpit: cujus lectione delectatus, cùm omnem morbi improbitatem superasset, sanitati restitutus fuit, ut scribit *Antonius Panormita* de Rebus gestis Alphonsi,& *Æneas Sylvius* de ejus dictis. Similiter quoque Laurentius Medices historiarum lectione à morbo curatus esse dicitur. Ladislaus Ungariæ Rex veneno hausto, exenteratis mulis se includens, mortem evasit, ut scribit *Volaterranus* lib. 22. Antropo. De mirabili morborum insanabilium cura per linctionem serpentum in quadam spelunca Italiæ, dicam alibi.

§. II. Sanitas miraculosè restituta P. Athanasio Kirchero.

Kircherus mirabiliter sanatus à B. Virgine Deipara.

PLenæ sunt historiæ sacræ ac profanæ, plenæ Sanctorum Vitæ, exemplis innumeris, maximèque admirandis, sanitatum miraculosè restitutarum omni hominum generi, statui, sexui, ætati. Omissis tamen omnibus, utpote ad hunc locum minimè pertinentibus, unum tacere nolo, quod Viro Celeberrimo P. Athanasio Kirchero olim Paderbornæ in Societatis nostrę Collegio ac Tyrocinio contigit, quoniā id Lectori Benevolo haud ingratum futurum existimo, propter insignia Viri merita in Rempublicam Litterariam, & singularem doctorum omnium erga eundem affectum. Totam rei gestæ seriem accepi oretenus Romæ primùm ab ipso P. Kirchero, deinde hîc in Germania, à duobus oculatis & integerrimæ fidei testibus, qui eodem tempore dictum Collegium ac Tyrocinium incolebant,

 nempe

nempe ab Admodum R. P. Ricquino Göltgens nunc Provinciæ nostræ Rheni Superioris Præposito Provinciali, & à R. P. Melchiore Cornæo Herbipolensis Collegii nostri, in quo hæc scribo, Rectore. Eandem autographo suo confirmavit ipsemet P. Kircherus, ut postea dicetur. Moneo tamen, haud majorem fidem atque auctoritatem me narrationi huic tribuere, ac tribui velle, quàm quæ historiæ debetur. Res itaque sic se habet. Cùm anno Christi 1619. dictus P. Athanasius Kircherus Paderbornæ admodum juvenis (sextum decimum vix excesserat annum) Tyronem Societatis nostræ ageret, duplici, eoque (ut videbatur) insanabili malo affligebatur, psorâ nimirum, & herniâ; quorum postremum è sæculo in Religionem intulerat, nec præ pudore indicaverat. Cùm enim non diu anteà quàm è patria ad dictum Tyrocinium proficisceretur, hyemali tempore inter æquales suos glaciem tereret, & juvenili ardore abreptus crura immodicè divaricaret, corpusque totum vehementiùs, ad vires & agilitatem ostentandas agitaret; illicò dicto malo, sibi nec nomine tenus tunc noto, corripitur. Ingenti ergo dolore affectus domum revertitur; sed ne locum affectum videri aut attrectari à quoquam permittere cogeretur, nemini mortalium rem aperit, tametsi vultus tristior, & corporis totius pallor, insoliti doloris non obscura darent indicia. Non diu pòst Paderbornam è patria (quæ Geisa est, non procul à Fulda oppidum) proficiscitur, malumque longo illo itinere non parum irritat; nec tamen indicat Patribus. Ei mox accessit psora, quæ corpus totum, sed crura potissimùm ac tibias adeò insedit, ut penè corroserit.

Tandem ergo, cùm diutiùs dolori ferendo par non esset, rem detegit. Diu, sed frustra, ab expertissimo Chirurgo adhibita fuêre remedia. Ergo cùm malum utrumque indies cresceret, & medicamenta omnia eluderet; concluditur à Patribus, Athanasium in patriam, unde venerat, remittendum, utpote Societati nostræ inutilem. Indicatur id adolescenti vesperi sub cœnam. Turbatur bonus adolescens, & cœnâ finitâ non ad colloquendum cum sociis, ut moris apud nos, sed ad orandum, dulciterque expostulandum cum Virgine Deipara MARIA (quam cultu singulari ab infantia honoraverat, & ut matrem semper amaverat) in templum se confert. Ibi prostratus in genua, coram Cœli Reginæ statua (quam Sanctam Mariam Romanam vocabant, & tunc in choro pensili templi nostri asservabatur) in hæc paucula verba, corde mœstitiâ, & ore lacrymis perfuso, prorupit. *Mater, ego Mundo, & rebus omnibus quæ in Mundo habebam, ac habere poteram, nuntium remisi, statumq; Religiosum, ac JESU Societatem elegi, ut Filio tuo ac Tibi servire sine impedimento possem; & ecce, Patres me ejiciunt. Permittin' hoc Mater?* Vix dixerat, cùm audit (internis, externisnè etiam auribus, nescit) has sibi voces reddi: *Confide fili, non dimitteris.* Hac auditâ voce,

mox

mox omnis mœstitia abscessit. Ingenti igitur fiduciâ plenus, socios revisit, colloquia de rebus piis pro more instituit, consueta orationis pensa absolvit, ad quietem se componit. Die altero cùm Chirurgus pro more fascias, quibus tibias pridie circumligaverat, coram Laico Fratre, cui Tyronum sanitatis cura commissa erat, solvit; nec vulnus in cruribus, nec vestigium ullum psoræ in corpore reliquo apparet. Obstupescit uterque, & medicinam humanâ præstantiorem adhibitam agnoscit. Urgent igitur, edicat quomodo, & à quo sanitatem habeat: at ille pudore plenus, relictis in Chirurgi manu fasciis, aufugit in hortum domesticum: unde retractus, rem totam sincerè aperuit.

Hæc, ut suprà dicebam, oretenus ab ipso P. Athanasio Kirchero, atque à citatis testibus accepi. Eadem consignata sunt ac typis excusa in Litteris Annuis Paderbornensis Collegii. Est penes me libellus manu propriâ à dicto P. Kirchero conscriptus Anno 1620. cui titulus: *Florilegium meditationum, exercitiorum & variarum industriarum spiritualium virtutis studioso accomodatarum*; in quo dum varia beneficia à DEO, Deique Matre accepta recenset, inter alia hæc habet verba: *Revoca in mentem, quot, quantaque per suam sanctissimam, misericordissimam, pientissimam Matrem in te contulerit beneficia; nimirum non solùm te mente, sed & corpore sanando, ut majori cum fervore illi servires, &c.* Scripserat longo pôst tempore Paderbornâ P. Matthias Franck, ad P. Guilielmum Gumpenberg historiam de imagine Beatæ Virginis miraculosâ Romana Paderbornæ, quam Atlanti suo Mariano inseruit; ac in fine mentionem fecerat, prædictum miraculum olim contigisse ibidem Patri Athanasio Kirchero. Hujus confessionem autographo suo confirmatam ut eliceret dictus P. Guilielmus, litteras dedit ea de re ad P. Kircherum; qui in hæc verba respondit. *Desiderat Reverentia Vestra ex me scire curæ miraculosæ, quam Divina Bonitas per merita Beatæ Virginis circa meam personam operata est olim in Novitiatu modū & rationem. Injurius meritò in Deum, Matremq; dici possem, si tanti beneficii magnitudinem aut fateri erubescerem, aut silentio supprimerem. Sciat itaque, me duplici, unius noctis spatio, infirmitate, eaq; incurabili, psorâ & herniâ, cælitus curatum esse; atque ex ea hora non corporis tantùm, sed & ingenii vires in me plurimùm auctas sensisse. Quæ ad DEI gloriam, Matrisq; honorem dicta sufficiant. Quomodo autem id contigerit, cùm non sit hujus loci & temporis, consultiùs posthumæ vitæ conservabitur.* Hæc ille. Quæ inserta sunt Atlantis Mariani libro 5. in fine. Hujus ejusdem rei mentionem facit *P. Joannes Eusebius Nierembergius* in Trophæis Marianis libro 6. c. 59. ubi de statua B. Virginis Romana Paderbornæ agit.

CAPUT XXIX.

De numeroso partu quarundam mulierum.

§. I. Varia exempla numerosi partus.

Partus numerosi exempla.

Binas proles unico partu edere mulieres, nec novum est, nec rarum: nam & Rebecca uno partu peperit Jacobum & Esau, *Genes. cap. 25.* & Thamar Pharen ac Zaram *Genes. cap. 38.* & id passim ubique gentium contingere videmus, præsertim in Ægypto, teste *Aristotele* lib. 7. Histor. Animal. cap. 4.

Tergeminos natos aliquando, constat exemplis Horatiorum, & Curiatiorum, ut est apud *Livium* Decade 1. lib. 3. & *Plinium* lib. 7. cap. 3. Helionora Salviata, Bartholomæi Friscobaldi Florentini civis uxor, duos & quinquaginta liberos enixa est, nunquam pauciores tribus uno partu, teste *Jacobo Capello* in Fragmentis. *Majolus* Colloq. 3. ait, se vidisse tempore Gregorii XIII. Pont. Max. in diœcesi Vulturaniensi inopem mulierem ab mercenario agricola viro suo tres uno partu suscepisse mares vivos, ac sacrosancto baptismate initiatos; qui tamen diu non supervixerint. *Aldrovandus* quoque cap. 1. de Monstris pag. 51. editionis Bonon. testatur, se vidisse Bononiæ mulieres, quæ tres vivos fœtus enixæ sint, similiter baptizatos, & brevi extinctos.

Quatuor uno fœtu, duos mares, & duas fœmellas, enixa est Ostiæ in Italia Fausta quædam è plebe, supremis annis Augusti Cæsaris, teste *Plinio* lib. 7. cap. 3. & *Solino* cap. 2. Lotharii verò secundi sæculo mulier uno partu quatuor mares enixa est, teste *Wernero* in Fasciculo temporum. *Paulus Juris Consultus* in Pandect. lib. 5. tit. 4. & lib. 17. ad Plautum, testatur, traditum esse, quatuor pariter puellas à matrefamilias natas esse: & non leves Auctores tradidisse, mulierem Peloponesiam quinquies quaternos enixam: & Ælium scribere, se vidisse in Palatio liberam mulierem, quæ ab Alexandria perducta esset, ut Hadriano ostenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum post quadragesimum diem. His etiam consentit *Cajus* J.C. in Pandect. lib. 34. tit. 5. loquens de Scrapia Alexandrina, teste *Cœlio Rhodig.* lib. 4. cap. 23. Rustica in pago Keßwyl / prope Acronium lacum, A. D. 1535. quatuor pueros mares uno partu incolumes edidit, non diu tamen superstites, *Stumpfio* teste. *Aldrovandus* cap. 1. de Monstris pag. 51. edit. Bonon. ait, sibi à spectatæ fidei obstetricibus affirmatum, unico partu fuisse quatuor fœtus editos. Idem ibidem asserit, Anno 1640. mense Novemb. uxorem cujusdam fabri lignarii quatuor fœmellas simul enixam.

Quin-

Digitized by Google

Quinque etiam simul nasci proles, non est adeò rarum, *Aristotele* etiam assentiente, qui lib. 7. Histor. Animal. cap. 4. ait, mulierem quandam partubus quatuor edidisse viginti proles, quinas nimirum singulis partubus. Idem scribit de muliere quadam Alexandrina *Antigonus* in Mirab. Nat. si diversa est hæc ab illa Aristotelis. Eâdem in urbe alia mulier quinque infantes unà peperit, tres masculos, & duas fœminas, quas suis sumptibus ali jussit Trajanus Imperator. Eademque mulier exacto anno tres alios peperit, teste *Phlegonte* de Mirab. & Longæv. *Aulus Gellius* lib. 10. cap. 2. de eodem quinario numero sic scribit. *Aristoteles Philosophus memoriæ tradidit, mulierem in Ægypto uno partu quinque pueros enixam, eumq́; esse finem dixit multijugæ hominum partionis, neque plures unquam simul genitos compertum. Hunc autem esse numerum ait rarissimum. Sed & D. Augusto imperante, qui temporum ejus historiam scripserunt, ancillam Cæsaris Augusti in agro Laurenti peperisse quinque pueros dicunt, eosq́; pauculos dies vixisse: matrem quoque eorum non multò pòst quàm peperit, mortuam: monumentumq́; ei factum jussu Augusti in via Laurentina, inq́; eo scriptum esse numerum puerperii ejus, de quo diximus.* Eo anno, quo Henricus II. Rom. Imp. mortuus est, Altaichii, inferioris Bojariæ monasterio, mulier quædam quinque filios simul enixa est, ut scribit *Aventinus* lib. 5. Annal. Bojor. Scribit *Albertus Magnus* apud Cœlium loc. cit. mulierem quandam in Germania peperisse sexaginta filios, quolibet partu quinque, quorum nullus ad dimidium annum pervenerit. *Lycosthene* teste in Prodigiis, Joannis Gislingeri Tigurini uxor, circa annum 1553. peperit simul tres pueros, & duas puellas. Falsus tamen fuit Aristoteles, & alii, qui ad quinarium numerum coarctarunt partum numerosum: nam

Ambrosius Paræus apud Aldrovandum cap. 1. de Monstris pag. 51. edit. Bonon. meminit nobilis cujusdam familiæ Maldemeræ dictæ, aitq́; Domini Maldemeræ uxorem anno primo, quo nupsit, gemellos peperisse, secundo ternos, tertio quaternos, quarto quinos, quinto *senos fœtus*; & hoc partu ultimo eam periisse; & ex his senis unum superstitem, Dominum Maldemeræ tunc adhuc vixisse.

Sub Agelmundo Hunnorũ Rege meretrix quædam *septem* uno partu in Germania enixa est, licèt in lacum projectos omnes peremerit, uno excepto (cui nomen postea Lamissio fuit) quem Agelmundus venatione adhuc in aquis palpitantem repertum extrahi jussit, & ali; qui ipse postea, à Longobardis in Regem electo, ac defuncto, successit in imperio, sub Benedicto I Papa. Ita *Majolus* Colloq. 3. ex *Auctore* Annalium, quibus est titulus, de Initiis regnorum ex *Philippo Bergom.* lib. 10. sub Justino juniore, & *Petro Hispal.* cap. 32. Idem scripsit ante hos omnes *Urspergensis* Anno Dom. 565. cùm Longobardorum res persequitur, & *Sigebertus*

tus in Chronico. In Ægypto, ubi fœtifer potui est Nilus, ſeptenos olim uno utero ſimul natos, auctor eſt *Trogus* apud *Plinium* lib. 7. cap. 2.

Novem uno partu fertur ediſſe infantulos Comitiſſa quædam Querfurtenſis, quos omnes ad unum usque voluit interimere, ſed patre fortè fortunâ ſuperveniente, conſervati ſunt. *Brotuffius* lib. 4. Hiſt. Anhalt. Princip. cap. 4. & *Schenckius* lib. 4. Obſerv. 162.

Undecim Germana quædam in Italia unico effudit partu: nam *Franc. Pico Mirandul.* in ſecundum Hymnum ſuum teſte, edidit illa gemino partu viginti proles, primo quidem novem, altero verò undecim. Idcirco geſtans hæc mulier uterum, longâ & latâ faſciâ, circa humeros nodatâ, alvum ad genua procumbentem fulcire cogebatur, ut refert *Paraus* ex Mirandulano apud Aldrovandum cap. 1. de Monſtris pag. 51. edit. Bononienſ.

Iſenbertus Comes de Altorf uxorem habuit Irmentrudin. Hæc cùm pauperculam fœminam eodem partu tres liberos mares enixam vidiſſet, & tanquam impudicam reprehendiſſet, quòd ex eodem viro tres ſimul filios ſuſcipere impoſſibile videretur; poſt annum, DEO ſic ejus temerarium judicium confutante, abſente viro *duodecim* mares enixa eſt. Perterrita eo caſu, quòd jam de ſua quoque pudicitia dubitari poſſe arbitraretur, obſtetrici undecim in proximo torrente Schercio mergendos committit, unico ſervato. Paret obſtetrix. Obvius fit illi Comes, & quid velatum geſtet, interrogat. Illa Welfos (ſic enim linguâ ſuâ catulos vocabant) deformes ſubmerſuram ſe aſſerit. Mox ille: At permitte, inquit, ut videam ſintnè aliqui, qui venationi nobis inſervire poſſint. Repugnat illa. Tandem coacta, infantes undecim oſtendit, & negotium Comiti, ita ut geſtum erat, narrat. Imperat ergo Comes, ut factum apud uxorem ſuam diſſimulet; & filios educari præcipit. Exacto jam ſexennio, cùm omnes viverent, in arcem adduci jubet, atque illic coram omnibus amicis imprudentiâ uxoris detectâ, veniam illi dedit, & filios porrò duodecim æquali jure ſuos eſſe voluit: ſtatuitque ut non Comites de Altorf, ſed ex vetulæ obſtetricis ominoſa voce, quæ vitam illis undecim dederat, Welfi vocarentur: & gratitudinis ergò pro divinitùs ſervatâ tam numeroſâ prole, in ipſo Altorfenſi oppidulo cœnobium Monialium conſtruxit. *Cromerus* lib. 11. Hiſt. Polon. narrat, Matthiam Golancerium, Epiſcopum Uladiſlavienſem in Polonia fuiſſe ſub Uladiſlao Loctico rege: ejus matrem duodecim filios uno partu ediſſe; verùm ex illis unum illum vixiſſe Matthiam, reliquis mox, ut nati erant, mortuis. *Plinius* lib. 7. cap. 11. ait, extare *in monumentis Medicorum, & quibus talia conſectari curæ fuit, uno abortu duodecim puerperia egeſta.*

Albucaſis apud Aldrovandum loco ſæpe cit. obſervavit, in muliere abortiente *quindecim fœtus* formatos.

Avi-

Digitized by Google

Avicenna apud eundem addit, aliam mulierem *viginti duos* abortus fecisse. Quod etiam notavit *Cælius* lib. 4. cap. 23. ex Alberto Magno lib. 9. de Animal. tract. 1. cap. 5. de muliere quadam in Germania: & primum etiam recolit, *Scholiastes Tertulliani* lib. de Anima cap. 2.

Cromerus lib. 9. Histor. Polon. & *Guagninus* in Vita Boleslai V. narrant, Anno Christi 1270. in Cracoviensi regione honestam quandam matronam, Margaritam nomine, Virboslai Comitis uxorem, *triginta sex* pueros vivos uno partu edidisse, die 20. Januarii.

Cælius Rhodiginus loco proximè citato, ex Alberto Magno refert, aliam fœminam quandam abortum fecisse *septuaginta* infantium, configuratis conformatisque jam in uterò corpusculis. *Albertus Magnus* loc. cit. ex Avicenna.

Imò ut ampliùs crescat admiratio, idem ex eodem recitat, aliam ejecisse in pelvim embryunculorum, auricularis digiti magnitudine, corpuscula *centum & quinquaginta*. Cujus rei facta fides est, tuniculis, quibus obvolvebantur, conscissis. Addit quoque Albertus, pluribus eorum adfuisse dilatationis & constrictionis motum; & signa alia vitæ complura; oculis tamen imperfectioribus; manuum verò & pedum digitos fuisse capillares.

§. II. Historia prodigiosissimi partus trecentarum & sexaginta quinque prolium.

Partus prodigiosi trecentarum & sexaginta prolium.

DEcantatissima est, & plurimorum Scriptorum monumentis consignata historia portentosissimi partus Margaritæ cujusdam Principis fœminæ in Hollandia, tot uno partu edentis proles, quot dies continet annus, nimirum trecentas & sexaginta quinque. Quæ si vera est, idem illi, quod rebus aliis oppidò portentosis, contigit, ut citò divulgata, & verbis ac scriptis multorum celebrata, insigniter quoad circumstantias temporis, numeri prolium, nominis personarum intervenientium, aliorumque accidentium fuerit alterata atque corrupta. Legi quotquot reperire potui illius rei Scriptores, inter quos sunt *Joannes Cuspinianus* in Guilelmo Cæsare, *Hadrianus Junius* in Batavia cap. 20. *Jacobus Meyerus* Annal. Flandr. lib. 9. in Anno 1278. *Franciscus Guicciardinus* in Belgii descript. *Justus Lipsius* (quamvis obiter) in Virgine Hallensi cap. 3. *Genebrardus* in Clemente V. *Ludovicus Vives* in Colloquiis, *Laurentius Bayerlinck* in Theatro Vitæ Hum. Ver. Imprecatio, *Majolus* Colloq 3. *Hieremias Drexelius* in Phaëtonte Orbis cap. 27 §. 5. & *Auctor* Iconum ac Historiæ Comitum Hollandiæ, &c. qui citant *Fulgosum* lib. 1. cap. 6. *Erasmum Roderodamum*, *Marcellum Donatum*, in Histor Med. cap 24. & alios. Plerique adducunt epigraphen seu inscriptionem desumptam ex Monumento dictæ Margaritæ, quod extare

dicitur in Cœnobio Monialium Ordinis S. Bernardi, cui Losduno est nomen: sed hanc ipsam epigraphē apud unos aliter, aliter apud alios lego. Referam rem Junii verbis, cui, utpote regionis in qua contigit, incolæ, major fides habenda esse videtur. Ita ergo habet.

Losdunum duobus passuum millibus ab Haga Comitis dissidet, à collibus, quos inter habitatur, nomen adeptum; Bernardi institutum sequitur, à Mathilde cōstructum: ubi ostenditur inter alia monumentum Margaretæ Principis fœminæ, quæ Florentii IV. Comitis è Mathilde jam dicta uxore filia, Comiti Hennebergensi nupta, uno pauciores quàm annus vertens dies habet, liberos partu portentoso edidisse memoratur. Quæ res, ut compendio absolvam, ad hunc habet modum. Pauperculam gemellos enixam, & pendentes utrimque ab uberibus lactantem, quæ Comitis uxori se fortè obtulerat stipem flagitans, probro incessebat ipsa Princeps, & adulterio concepisse incestam prolem ajebat: fieri enim posse, ut uno ex marito bina stirps nasceretur, pernegabat. Illa pudicitiâ intemerata DEUM testem citans, imprecatur illi sobolem, quæ numerum solidi anni dierum æquet, si pudicitiæ suæ constaret honos. Precum efficaciam comprobasse eventi fides dicitur, partu incredibili, nisi publici monumenti auctoritatem convellere, fidemq; tabulæ ad testandam sempiternam rei memoriam positæ, dissolvere nefas putarem. Epigraphen non abs re fuerit hoc loco adscribere, servatâ ejus sæculi lexi, ut Saliorum & Carmentæ absoleta verba religiosè retinenda duxit antiquitas, & conservanda, ne fides periclitetur.

Illustris Domini Florentii Comitis Hollandiæ filia, cujus mater fuit Mathildis filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoque habuit Guglielmum Alemanniæ Regem. Hæc præfata Domina Margareta, anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ætatis suæ anno quadragesimô secundo, ipso die Parasceves, horâ nonâ ante meridiem, peperit infantes vivos promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quatuor: qui postquam per Venerabilem Episcopum Dominum Guidonem Suffraganeum, præsentibus nonnullis proceribus & magnatibus, in pelvi quadam baptismi Sacramentum percepissent, & masculis Joannes, fœmellis verò nomen Helisabeth impositum fuisset; ipsorum omnium simul cum matris anima ad DEUM æternaliter victura redierunt, corpora autem sub hoc saxo requiescunt. Hæc Junius; qui addit in fine capitis, extare hodie supra Warcomium cis Mosæ ripam arcem ejusdem memoriæ testem, Puerorum cognomine nuncupatam, quæ totidem, quot ferunt capita, fenestras olim ostentârit.

A Junio non dissentiunt *Guicciardinus, Majolus, Drexelius.* Dissentiunt tamen sequentes. Nam *Meyerus* loc. cit. refert rem gestam ad annum 1278. in quo hæc habet. *Eodem anno obiit Mathildis filia Florentii Comitis Hollandiæ, ea quæ uno partu filios peperit CCCLXV. qui omnes ab Episcopo Trajectensi Othone sacris abluti sunt fontibus, in pelvi simul jacentes, ac deinde obierunt. Hoc Mathildi accidisse putatur ideo, quòd pauperculæ cuidam mulieri geminos exprobrasset.*

rasset perinde atque adultera: qua conscientiâ suæ pudicitiæ, Oro (inquit) DEUM, ut tot pariat ipsa, quot dies continet annus. Erat autem Mathildis uxor Comitis Hennebergensis: Mater illi, Mathildis filia ducis Brabantiæ Henrici: frater Gulielmus in Hollandia Comes, qui ad imperii apicem electus est contra Fridericum secundum. Sepulta est apud Losdunum in Monasterio à matre fundato. Errant qui eam Margaretam Comitem Hollandiæ vocant, eumq; partum anno M.CCCXIV. adscribunt. Hactenus Meyerus. *Cuspinianus* etiam puerperam prædictam vocat *Mechtildem Comitissam de Henneberg*; & dicit eam *uno partu miraculosè & supra fidem, trecentos quinquaginta pueros* enixam esse; ac omnes *ab Episcopo Trajectensi Ottone avunculo ejus in pelvi* baptizatos, & pòst mortuos esse. *Genebrardus* vocat quidem Comitissam prædictam Margaritæ nomine, at dicit eam uno partu peperisse 363. liberos, idque circa annum Christi 1314. Bayerlinck in epitaphio exprimit proles 365. annum verò rei gestæ 1266. Sed hic posterior videtur esse Typographi error, aut calami lapsus. Omitto aliorum discrepantias.

Consimilis exempli in partu numeroso observati fides (subjungit Junius) *ne quid DEI omnipotentiæ derogetur, adnotata legitur ab Annalium Brunsuicensium Scriptore, consentientibus Alberto Crantzio in Vandalica historia Commentariis, & Ernesto Anhaltinorum Principum Historiographo: quorum consensus testatur, tricesimo septimo post prædictum prodigium anno, Margaretam huic, de qua loquimur, cognominem, Helsteinii Comitis conjugem, totidem capitum sobolem maturo partu enixam edidisse; in quo fœtus omnes humanam manifestè speciem repræsentantes, in baptisterio salutari undâ abluti fuerint.* Hæc tamen narratio prioris narrationis fidem non tam confirmare, quàm labefactare mihi videtur, ut res tota mihi suspecta esse videatur. Auget suspicionem in libello suprà citato, cui titulus: *Icones & Historia Illustrissimorum Hollandiæ Zelandiæq; Comitum ac Dominorum*; in quo ad Iconem & Historiam Florentii IV. Comitis XVII. post relatam ex Junio historiam suprà positam cum epigraphe, additur, hodie Tabulam seu epigraphen illam aliter legi, ad hunc videlicet modum:

En tibi monstrosum nimis & memorabile factum,
Quale nec à Mundi conditione datum.
Hæc lege, mox animo stupefactus Lector abibis.

Margareta Hermanni Comitis Hennebergiæ uxor, quarti Florentii Comitis Hollandiæ & Zelandiæ filia, Guilhelmi Regis Romanorum, ac postea Cæsaris seu Gubernatoris Imperii; atque Aleitheia Comitis Hannoniæ soror, cujus patruus Episcopus Trajectensis, avunculi autem filius Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ. Hæc autem Illustrissima Comitissa annos quadraginta duos nata; ipso die Parasceves, nonam circiter horam, anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, trecentos sexaginta quinque enixa est pueros; qui priùs à Guidone Suffraganeo Trajectensi in duobus ex ære pelvibus baptizati sunt: quorum masculi quot-

quot erant, Joannes, puellæ autem Elisabethæ vocatæ sunt ; qui simul omnes cum matre uno eodemq; die fatis concesserunt, atque in hoc Lausdunensi templo sepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis gestabat pueros: quam rem ipsa Comitissa admirata, dicebat, id per unum virum fieri non posse, ipsamq; contumeliosè rejecit. Unde hæc paupercula animo perturbata, ac perculsa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu ipsi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerarentur. Quod quidem præter natura cursum obstupendâ quadam ratione ita factum est, sicut hic in perpetuam hujus rei memoriam ex vetustis tam manuscriptis, quàm typis excusis Chronicis breviter positum & enarratum est. DEUS ille ter Maximus hac de re suspiciendus, honorandus, ac laudibus extollendus in sempiterna secula. Amen. Hactenus ex dicto libello.

Hæc inscriptio cùm nova sit (ut ex stylo colligitur) & à priori discrepet in prolium numero; meritò rem totam reddit suspectam. Si quis tamen certiora afferet, lubens amplectar.

§. III. Causa partus numerosi an naturalis sit.

Partus numerosi causa.

THamarem unico Judæ soceri coitu gemellos masculos edidisse, sacra Scriptura *Gen.* cap. 38. velut magnum mysterium enumerat. Itaque plures naturaliter non nisi pluribus commistionibus nascuntur. Ad quantum autem numerum naturaliter conceptorum ac efformatorum in utero Natura ascendere queat, non constat. Aristoteles, ut vidimus §. 1. ad quinarium numerum id coarctavit. Fuit tamen procul dubio falsus, ut ibidem notavimus, alioquin dicendum foret, omnes partus, in quibus plures quàm quinque fuerunt editi fœtus, præternaturales esse dicendos. Ultimus tamen de quo §. 2. sine controversia naturalis non fuit, ac fortassis etiam nonnulli ex præcedentibus. Hæc insinuasse sufficiat.

CAPUT XXX.

De tempore partus quarundam mulierum vel contracto, vel protracto.

Partus tempus vel contractũ, vel protractum.

TEmpus gestandi uterum, ac pariendi, in cæteris animalibus determinatum est, non item in hominibus. *Schenckius* memorat lib. 4. Observ. 152. 153. 154. & seqq. mulieres aliquas quinto, sexto, septimo, octavo, nono, decimo, & undecimo mense peperisse, & infantes natos fuisse vitales: quamvis alioquin communiter alii dicant, fœtus ante septimum mensem in lucem editos & octavo mense natos, non esse vitales; & exeuntes mense septimo esse admodum imbecilles.

Digitized by Google

cilles. Constat etiam apud *D. Bernardum* in vita S. Malachiæ Episcopi, nobilem mulierem sexto decimo mense, aquâ lustrali epotâ, peperisse in regione Ulidiæ; adstantibus testibus idoneis pluribus. Gestatus quidam per viginti tres menses apud *Paschal.* in Biblioth.Med. Imò *Schenckius* lib. cit. Observat. 159. ex *Aventino* lib. 5. Annal. prodidit, fuisse olim uxorem Ducis Baruch Vandaliæ, quæ conceperit, & biennio uterum gestaverit, ac tandem puerum gradientem & loquentem pepererit. Insuper ex eodem Auctore *Observat.* 160. fuit mulier, quæ quadriennio uterum gestavit absque molestia, imò cùm ante conceptionem innumeris vexaretur affectibus, gravida reddita, liberata fuit ab omnibus. *Ctesias* apud Photium prodidit, quasdam Indorum mulieres semel tantùm in vita patere, natosq; confestim canescere. Sed hujus rei fides sit penes Auctorem. Interim tamen nonum, decimumque mensem naturalem legitimi partus terminum statuunt Medici, & docet experientia, cùm fœtus jam grandior nec alimentum sufficiens habeat ampliùs in utero materno, nec locum sat amplum.

Ad tempus, quo mulieres ad concipiendum ac pariendum aptæ ac potentes censentur, quod attinet, meminit *Schenckius* lib. cit. Observ. 125. puellas quasdam octo annorum concepisse, ac peperisse. *Albertus Magnus* lib. 4. Sentent. nono quandam anno redditam prægnantem, peperisse decimo scribit. *Plinius* verò lib. 7. cap. 2. septimo quasdam patere, ac semel tantùm. Et quamvis mas usque ad annum septuagesimum, & fœmina usque ad quinquagesimum generare possit; *Schenckius* tamen meminit mulieris sexagenariæ, quæ ex sene septuagenario concepit; nec non virorum, qui ad octuagesimum sextum annum, imò usque ad centesimum congredientes pepererunt. Sed hæc rara sunt. Novi in Sicilia senem nonagenario majorem, qui mulierem octogenariam, & virginem adhuc (ut dicebatur) duxit in uxorem, cum spe propagandæ familiæ: & dicebat quidem nova nupta gravidam se esse, magnoque desiderio pariendi tempus exspectabat; sed tandem spe suâ frustrata fuit.

Mulieres ad concipiendum & pariendum quando aptæ.

Huc quoque spectat, quòd mulieres nonnullæ secundo, tertio, & quarto mense post priorem fœtum editum, alium edidere vitalem. Unius quæ bis intra duorum mensium spacium enixa est, mentionem facit *Nancelius* lib. 8. Analog. Mira hæc; at non illud, quòd rustici cujusdam in Franconia uxor quarto post matrimonium contractum & nuptias celebratas mense peperit, & tamen marito simplici persuasit, se tempus ordinarium pariendi non prævertisse. Mirante enim marito præproperum partum, ac asserente, ab aliis se intellexisse, ad minimum octo à nuptiis menses elabi debere, antequam pareret uxor; quæsivit mulier, quot eam mensibus u-

Rustici cujusdam simplicitas.

Digitized by Google

xorem habuisset; quatuor, respondit hic; & ego, inquit uxor, quatuor te mensibus maritum habui, quid ergo mirum si peperi? Quo audito, acquievit rusticus.

CAPUT XXXI.

De formatione & situ fœtus humani in utero materno; deq; ejus ortu, & abortu.

ATtingenda etiam hæc sunt, quoniam inter fœminarum mirabilia locum non postremum habent; at leviter, quoniam aliorum, non nostri est muneris, ea pro dignitate explicare: exscribimus quæ ex Anatomicis collegimus, & collecta reperimus, ab *Aldrovando* præcipuè cap. 1. de Monstris. Interim obstupesco, tam nobilis creaturæ, qualis est homo, tam fœdum esse exortum.

§. I. Formatio fœtus in utero.

Fœtus humani in utero formatio.

IGitur tametsi DEUS primi maris Adami corpus ex luto, primæque fœminæ ex Adami costa formaverit, formatisque animam infuderit; reliquos tamen homines per viri ac fœminæ conjugium, ex seminis amborum permistione, quoad corporis formationem progigni voluit, cui ipse deinde formato ac penitus absoluto infunderet animam rationalem à se creatam. Circa quam corporis formationem, hominisque conceptionem, observant Medici & Anatomici, quòd mixta ambo semina, maris scilicet & fœminæ, in utero fœmineo, illicò quâdam tenui tunicâ ex calore uteri productâ concluduntur, & instar ovi tenuissimâ pelliculâ conclusi copulantur. Atque hanc vocant conceptionem. Post quam munimenta fœtus, nimirum tunicæ producuntur. Nam ex seminis prædicto modo permixti extrema superficie tenuis membrana, chorion appellata, fit. Hæc propter humiditatem latiùs deinde successu temporis, crescente fœtu in utero, extenditur, & post partum in fasciculum conclusa rejicitur. Ex hujus superflua humiditate resultant, ex antiquorum sententia, aliæ duæ tunicæ. Harum altera vocatur allantoides, admodum sinuosa; in quam urina & sudor fœtus profluit, ubi ad tempus usque partus detinentur, quoniam infans non per ureteres, sed per quosdam meatus umbilicales urinam excernit. Altera verò tunica, valde mollis, & amnæa dicta, totum ambit fœtum, ut à lædentibus defendi possit. Advertit tamen *Paræus*, duas tantùm tunicas fœtum humanum involvere, nimirum chorion, & amnæam, tertiam verò allantoidem in brutis tantùm reperiri, & ab antiquis ex observatione in brutis facta attributam esse hominibus.

Interim dum ambo semina, ad formam coaguli mista, ad dictum modum

modum concluduntur; à primo die usque ad septimum plurimæ & subtilissimæ fibræ emergunt, ex quibus primùm omnium bifurcata quædam vena, per umbilicum postea fœtus ad uterum matris directa, deducitur. In altero hujus venæ ramo sanguis colligitur, ex quo primùm hepar generatur: unde constat, hepar nihil aliud esse quàm concretum sanguinem. In altero verò ramo generantur texturæ illæ venarum, cum dilatatione aliarum venarum: hinc venæ omnes ad unum truncum in superiori jecoris parte, nempe ad venam cavam referuntur.

Dein cor cum suis venis, ope virtutis seminalis, hoc modo producitur. Venæ calidissimum & subtilissimum sanguinem attrahunt, ex quo cor naturaliter carnosum & crassum in primordio generatur: ubi etiam arteria aorta observatur, quæ omnes alias arterias, spiritum vitalem per totum corpus diffundentes, progignit. Quoniam verò ex utraque cavitate cordis erumpunt venæ, & pulmoni inseruntur; ex his pulmo quoque procreatur: vena enim ex dextra cordis cavitate procedens, sanguinem producit subtilissimum; qui, dispersis hinc inde fibris, in substantiam pulmonis facilè transmutatur. Sed ex magna vena cordis, & hepatis, nimirum cava, & aorta, non modò totum pectus, sed successivè etiam crura cum brachiis generantur.

Intra prædicti temporis spatium præcipua quoque pars humanæ structuræ, nempe cerebrum, procreatur in tertia, vel potiùs secunda pellicula hujus prædictæ massæ: ea siquidem animali spiritu repletur; qui magnam humoris genitalis partem contrahit in quandam cavitatem, ubi cerebrum figuratur, & operculo quodam circumquaque tegitur; quod siccatum, in cranium reducitur.

Verùm sicuti venæ ab hepate, & arteriæ à corde, ita nervi molliores à cerebro originem trahunt, qui præcipua sensuum organa esse perhibentur; deinde ex cerebro medulla etiam spinæ dorsi dependet; denique omnes alii nervi sumunt inde proprium initium, qui sensum atque motum toti corpori communicant. Hæc autem omnia sanguine nutriuntur menstruo per venas umbilici ad uterum directas attracto.

Itaque sex primis diebus post conceptionem, materia seminalis in utero contenta præ se fert similitudinem lactis; subsequentibus aliis novem diebus in sanguinem mutatur; aliis duodecim consolidatur; reliquis decem & octo usque ad quadragesimum quintum, omnia membra perfectissimam formam adipiscuntur, ut deinceps fœtus tantummodò augeatur. Unde versus:

Sex in lacte dies; ter sunt in sanguine terni;
Bis seni carnem; ter seni membra figurant.

Hoc

Hoc opus membris omnibus eleganter constructum & integratum, Natura obducit cute ; deinde toto opere absoluto , DEUS animam infundit.

Fœtus humani primæ partes quænam formentur in utero.

Porrò in hominis formatione primùm hepar,cor,&cerebrum,ex coagulato semine prædictis modis effingi,indicio est , quòd in concreto semine tres parvæ & albæ bullæ,lacti concreto non dissimiles , loco jecoris, cordis , & cerebri enascuntur. Hoc initium est , hic progressus humani corporis fabricæ tam admirandæ, tot ac tam diversis partibus coagmentatæ. Totum quippe ædificium plùs quàm ducentis suffultum est ossibus; totidem cartilaginibus articuli omnes incrustati ; ligamentis quamplurimis omnia connexa ; membranis innumeris vestita ; nervorum plusquam triginta paribus,ceu funiculis quibusdam colligata; arteriis totidem velut aquæ ductibus spumante sanguine & spiritu vitali perfusa; musculis ferè quadringentis,& diversi generis carnibus, ceu tumentis ; vacua spacia repleta , & viscera obtecta ; cute denique omnia circumdata sunt.

§. II. Situs infantis in utero.

Fœtus humani situs in utero.

DEterminatus infantis situs in utero perfectè cognosci atque exprimi difficulter potest , quandoquidem non unum , sed varium in variis mulieribus vivis ac mortuis observavit *Pareus*. Quandoque enim infantem cum pedibus sursum elatis , interdum deorsum porrectis conspicatus est. Imò fatetur se fœtum vidisse , dissectâ matre statim postquam exspirasset , in longum exporrectum , facie sursum conversâ , & manibus veluti ad supplicandum junctis. Ut plurimùm tamen fœtus conglobatâ ac veluti orbiculari figurâ gaudet. nimirum capite in genua reclinato,& geminis manibus sub genis , calcibus autem ad nates junctis,ut in apposita Figura I. apparet.

Vide Iconismi VI. Fig.I.

§. III. Ortus infantis ex utero.

QUando fœtus est jam perfectus ac maturus ; prægnantes doloribus corripiuntur propter infantis impetum,qui rotatur , & deorsum ad exeundum tendit.Hinc ruptis ex impetu tunicis , & recluso matricis orificio,humores fluere incipiunt,& fœtus versus os uteri volvitur.

Partus mulierum non naturalis varii modi.

Forma porrò ortus seu egressus infantis ex utero , seu partus mulieris prægnantis , duplex in universum est,naturalis , & non naturalis. Naturalis , seu vera & legitima forma partus est , quando caput infantis primò ad orificium ducitur,manibus super coxas plicatis , ut in Figura II apparet.

Icon. VI. Fig. II.

Partus

Partus non naturalis eſt, qui caret prædictis conditionibus. Hic autem multis modis fit. *Primus* eſt, quando infans præmiſſis pedibus, manibus autem ad femora deorſum deductis, ad partum venit, ut in Figura III. apparet.

Icon. VI. Fig. III.

Secundus eſt, quando pedibus quidem ad exitum accedit, manibus tamen non ad latera ſeu femora, ſed ſupra caput porrectis, ut in Figura IV. apparet.

Icon. VI. Fig. IV.

Tertius eſt, quando infans quærens exitum, unum tantùm porrigit pedem; manibus quidem ad femora demiſſis, ſed pede altero ad latus inflexo.

Quartus eſt, quando infans per transverſum apparet, dorſo verſus orificium matricis inclinato, ut in Figura V. apparet.

Icon. VI. Fig. V.

Quintus eſt, quando infans pedibus ac brachiis inflexis progreditur ad exitum, ut in Figura VI. apparet.

Icon. VI. Fig. VI.

Sextus eſt, quando infans utroq; genu ad uteri orificium procedit, manibus ad latera porrectis, ut in Figura VII. apparet.

Icon. VI. Fig. VII.

Septimus eſt, quando infans ambabus manibus ori matricis ſeſe offert, ut in Figura VIII. apparet.

Icon. VI. Fig. VIII.

Octavus eſt, quando infans natibus ortui appropinquat, ut in Figura IX. apparet.

Icon. VI. Fig. IX.

Nonus eſt, quando fœtus in pectus procidit, pedibus & manibus averſis, & retrò conjunctis, ut in Figura X. apparet.

Icon. VI. Fig. X.

Decimus eſt, quando fœtus pedibus manibusq; junctis exitum ſollicitat, ut in Figura XI. apparet.

Icon. VI. Fig. XI.

Undecimus eſt, quando infans alteram manum orificio uteri porrigit, alterâ ad latus demiſſâ, & pedibus ſurſum porrectis, ut in Figura XII. apparet.

Icon. VI. Fig. XII.

Duodecimus eſt, quando infans cervice inflexâ, pronis ad partum humeris, capite retracto, & manibus pedibusque ſurrectis, ad lucem properat.

Hi ſunt præcipui modi partus non naturalis ſimplicis, hoc eſt, in ortu unius infantis. Multis etiam modis contingere ſolet innaturalis partus gemellorum, quos omitto.

§. IV. Abortus, ejuſque cauſa.

HActenus de partu maturo ac tempeſtivo; nunc de intempeſtivo, ſeu de abortu. Abortus igitur propriè nihil aliud eſt, niſi præpropera ac intempeſtiva fœtus jam formati ac vitalis excluſio ex materno utero. Unde ſi aliquando contingat, ut femina in utero per aliquod dierum ſpacium

Abortus, ejuſque cauſa.

coagulata, nec non aliquando portiones sanguinis concreti, extra uterum dilabantur; non est abortus, sed effluxio tantùm.

Abortus accidere solet (loquendo de causis intrinsecis) vel propter affectiones infantis, vel uteri. Ratione infantis contingit, quando vel cotelydones sunt adeò debiles, ut acetabula citò rumpantur; vel membranæ fœtum involventes adeò tenues, ut ante tempus scindantur, & humores diffluant, ac fœtus deficiat. Ratione uteri seu matricis contingit, si mulier infirmæ sit naturæ; & si matrix aliquibus affectionibus sit obnoxia. Alias causas lege apud Medicos.

CAPUT XXXII.

De variis mirabilibus, quæ mulieribus accidunt.

Congeram in hoc caput præcipua quædam, quæ mulieribus acciderunt admiranda; reliqua omittam, ne liber in immensum crescat.

§. I. De multiplici cujusdam mulieris connubio.

Mulieris cujusdam connubiû multiplex.

Cœlius Rhodiginus lib. 14. cap. 8. & ex ipso *Majolus* Colloq. 3. narrant, mulierem quandam duo & viginti expertam esse matrimonia. *Damaso etenim Pontifice* (inquit Majolus) *Romæ homo repertus est, qui fuerat viginti uxorum defunctarum vir: erat & mulier quædam jam duobus & viginti viris superstes. Duo igitur sese matrimonio junxerunt, civibusq; omnibus magna orta exspectatio est, uter ipsorum præmoreretur. Præmortua uxore, populus virum superstitem coëgit à lugubri funere abstinere, quin ut lauro coronatus, palmâ præ manibus, tanquam victor, funus sequi jussus est.* Meminit ejus rei etiam *Tiraquellus* Lib. de legib. connub. & *Boer.* decis. 186. & alii.

§. II. De mulieribus barbatis.

Mulieres barbatæ.

Variis temporibus ac locis visæ fuerunt mulieres barbatæ. Nam teste 1 *Wolfio* apud *Aldrovandum* cap. 1. de Monstris, pag. 213. edit. Bonon. in Gynæceo Alberti Ducis Bavariæ mulier barbâ nigrâ & promissâ insignis versabatur: & in Museo Illustriss.mi Senatus Bononiensis conspicitur icon mulieris Germanæ, quæ olim Bononiâ transiens, barbam duos palmos longam gestabat. Ipse ego in Sicilia mulierem vidi, quæ barbam sat longam ac densam ostentabat, nisi identidem tam præscinderet. Visa Lutetiæ fœmina mystace nigro & incano justæ magnitudinis, mento etiam piloso mediocriter, teste *Jonstono* in Thaumatol. Class. 10. cap. 7. art. 7.

De

Digitized by Google

De Galla vidua, amore castitatis barbata, *S. Gregorius Magnus* lib. 4. Dialog. cap. 13. ita scribit. *Gothorum temporibus Galla, hujus urbis nobilissima puella, Symmachi Consulis ac Patricii filia, intra adolescentiæ tempora marito tradita, in unius anni spacio ejus est morte viduata. Quam dum fervente Mundi copiâ, ad iterandum thalamum & opes, & ætas vocaret, elegit magis spiritualibus nuptiis copulari DEO, in quibus à luctu incipitur, sed ad æterna gaudia pervenitur, quàm carnalibus nuptiis subjici, quæ à lætitia semper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt. Huic verò cùm valde ignea corporis conspersio inesset, cœperunt medici dicere, quia nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbam esset habitura. Quod ita quoq; pòst factum est.*

Hæc naturalia sunt; quod sequitur, miraculosum, quod tamen referre non pigebit, quia rarum. S. Liberata, alioquin Wilgefortis, apud Belgas Ont Kommera, Germanis Ohn Kümmernus dicta, Regis Portugalliæ filia, clàm Christiana nescio parente, omnium totius regni formosissima habebatur. Quam speciem, unà cum virginitate, Christo addixit. Mortuâ matre, cùm pater sponsam circumspiceret, nullam potuit hâc filiâ suâ vel nobiliorem, vel venustiorem reperire. Ethnicus igitur homo nihili faciens reverentiam sanguinis, eam in conjugium expetiit. Exhorruit Liberata petitionem incestam, potiùsq; millies mori statuit, quàm consentire in nuptias tam inauspicatas. Sed quantum filia à tali connubio abhorrebat, tantùm impurus pater ambiebat. Itaq; in eo res erat, ut filiam detrectantem regiâ potestate adigeret ad nuptias adornandas. Fugit illa ad sponsum Christum, rogavitq; contentissimis precibus, ut id quod patri maximè esset illecebrosum, & causa tam infandæ petitionis, in se mutaret, formamq; illicem insigniter devenustaret. Audiit votum DEUS, & unâ nocte ita eam vehementer deformavit, ut die altero viri, non fœminæ ampliùs speciem præ se ferret. Barba enim hispida & prolixa mentum illius genasq; contexit undique. Parens ita demutatam, nec pro fœmina, nec pro filia agnovit, sed, quòd comperisset Christianam esse, diris eam tormentis priùs subjectam, tandem in crucem clavis affixam crudelissimè interemit. Ex *Martyrologio Romano*, *Molano* ad Usuardum, *Abbate Anbusano* in Stemm. Christi 20. Julii, *Bartholomæo Riccio* in triumpho Christi crucif. & aliis.

§. II. De mulieribus eruditis.

Mulieres eruditæ.

EX multis pauca afferam exempla, vel potiùs insinuabo: ac primò quidem antiqua, deinde recentiora. *Porphyrius* in Vita Plotini Philosophi Platonici asserit, Amphiclæam Plotino magistro miros in philosophia progressus fecisse. *Dicearchus* scribit, duas ditissimas mulieres reliquisse opes, quò meliùs Platonis doctrinam sequerentur. Assyotea quo-

Digitized by Google

quoque præceptorem habuit Platonem ; & in ſtudiis philoſophicis mirificè profecit, teſte *Plutarcho* in libro dogmat. Plato. Cheubolina, filia uniùs à ſeptē Græciæ ſapientibus, à *Suida, Athenæo*, & aliis magni nominis Auctoribus ſummopere laudatur ab operibus inſignibus, quæ ſcripta reliquit. *Cornelia*, Africani uxor, & Gracchorum mater, epiſtolas ſingulari doctrinâ refertas edidit, *Quintiliano* teſte. Daphne filia Tireſciæ doctiſſima, libros complures carmine exaravit, quibus, teſte *Diodoro Siculo*, Homerus in ſuo poëmate uſus eſt. Damones Pythagoræ filia adeò in arte philoſophica profecit, ut à proprio parente nonnulla Commentaria ipſi fuerint dicata, & poſt parentis mortem Lectoris in ſchola munus palàm exercuerit. Zenobia Palmirenorum Regina linguas omnes, quantumvis arduas ac difficiles, poſſedit, & rerum Alexandrinarum hiſtorias compendiò narravit, teſte *Trebellio*. Omitto quæ Laurentius Bayerlinck congerit de Aſpaſia, Berſane, Leontia, Demophila, Femonoe, Helena Flavia Auguſta Britannorum Regis filia, Aganice, Aretaphila, Frina Teja, Theana utraque, Hipatia Alexandrina, Heptatachia, Jambe, Diotima, Sappho Lesbia, S. Catharina Virgine & Martyre, & aliis multis.

Eodem *Bayerlinck* teſte, *Laura* Veronenſis, Nicolai filia, mirabilia ſcripta ac geſta reliquit, verſus Sapphicos compoſuit, epiſtolas & orationes græco atque latino idiomate ſcripſit. *Caſſandra* Fidelis doctiſſima, publicam Patavii diſputationem edidit, & pulchrè verſus Lyricos compoſuit. *Baptiſta*, Ducis Urbini conjux, excellens fuit in orationibus, & epiſtolis ſcribendis. Romam ſe contulit; ubi non ſine omnium admiratione & ſtupore coram Julio II. Pont. Max. orationem habuit. Hildega Germana, mulier doctiſſima, ſcripſit rerum naturalium libros quatuor, doctrinâ & ſubtilitate commendatos. *Trivultia* pediſſequa, ingenii & memoriæ dotibus ornatiſſima fuit: orationes latino ſermone à ſe ſcriptas coram Summis Pontificibus multoties recitavit: græcæ etiam linguæ non ignara. Orationem ab aliquo vel ſemel tantùm recitatam, totam de verbo ad verbum repetebat è memoria: librum ſemel atque iterum à ſe lectum, totum feliciter memoriæ mandabat: unde quaſi Naturæ prodigium ab omnibus ſuſpiciebatur.

Roſſuita Saxonica Religioſa, plures libros ſtrictâ & ſolutâ oratione poſteris reliquit. *Conſtantia*, Alexandri Sfortiæ conjux, adhuc puerula Philoſophiæ & Arti Poëticæ operam ſedulò navavit; unde celebris atque inſignis à Politiano prædicata eſt. *Lucretia Marinella* Veneta libros vulgavit de nobilitate & excellentia fœminarum, quos Joannes de Cartagena ſcribit ſe cum voluptate Romæ legiſſe. *Geneura* Veronenſis in ſcribendis epiſtolis parem non habuit ſuâ ætate. *S. Brigitta* libros ſuarum revelationum ſcriptos nobis reliquit. *S. Catharina Senenſis* ſcripſit inſignes dialogos & epi-

Digitized by Google

& epistolas, ac sæpe coram Gregorio XI.& Urbano VI.Summis Pontificibus facundè, ultra quàm dici posset, peroravit. Hyldegardes Virgo Urbis Moguntiæ multa in lucem edidit: ad illam S.Bernardus multas scripsit epistolas.

Cùm Panormi in Sicilia degerem, celeberrimi nominis erat in ea urbe, ob insignem in omni doctrinæ genere excellentiam, Domina *Maria Bardi* & Centellas, è Comitibus Vernii, Illustrissimi Marchionis Sambucæ filia, ac R.P.Francisci Bardi è Societate Jesu, mei in Theologia Professoris primùm, ac deinde studiorum in Panormitano Collegio nostro Præfecti, ex fratre neptis: qua de causa etiam dictus R.P. Bardi non dubitavit ipsi librum suum doctissimum de Conscientia, tametsi alieno sub nomine, dedicare. Etiamnum superstes est Serenissima *Christina* Sueciæ Regina, cujus quanta sit eruditio, Orbis Christianus novit universus, & innumera testantur doctorum Virorum monumenta litteraria, ejus gloriosissimo nomini inscripta. Non minori doctrinæ famâ celebris est Serenissimi ac Potentissimi Principis Caroli Electoris Heydelbergensis soror, adeò ut passim non alio quàm Dominæ doctæ appelletur nomine.

§. IV. De fortitudine bellica quarundam fœminarum.

Mulieres bellicosæ.

Lucretia Marinella, de qua §.præcedenti in Discursu suo de excellentia fœminarum, narrat, mulieres Cursolenses cum manifesto periculo propriæ vitæ, integrum exercitum Selimi Turcarum Imperatoris potentissimi, qui Cursolam urbem occupare tentabat, invadere non exhorruisse, & bellicis tormentis adeò hostes defatigasse, ut Uluzalem, generalem Turcarum ducem, cum universo exercitu ejus, terga vertere, & fugam ignominiosè arripere coëgerint.

In Compendio rerum Hungaricarum, per *Teucrinum Anneum*, latinè reddito, refertur de fœmina inter Christianos à Sinane Bassa captos, & Constantinopolim ductos, reperta habitu virili, quæ etiam semper à Commilitonibus pro viro agnita fuerat. Hæc itaque tanquam prodigium aliquod ad Sultanum adducta, severè ab eodem fuit examinata, ac inter alia rogata, num sub illo habitu Turcam aliquem unquam prostravisset. Ad quæ illa, ut quæ sibi utique moriendum putaret, respondit, se, quamdiu stipendia fecisset, nunquam aliter quàm fortem ac strenuum militem deceret, egisse; nec in velitationibus ac prælis Turcas solùm omni impetu retudisse, sed vel decem eorum manu suâ prostratos, & tandem frustulatim concisos sustulisse. Quibus Imperator Turcicus auditis, pro spectaculo eam per totam urbem circumduci mandavit, tandemq; conjugi suæ Imperatrici honorarii loco præsentavit.

Maria Bronchia, civis Pisana, cùm proprium maritum præ timore irruentis belli fugere animadverteret, ipsa continuò ejus arma capessens, ad defensionem urbis Pisarum intrepido animo properavit, adeòque in profligandis hostibus fortiter se gessit, ut ab ingruente illo malo patriam suam liberaret. Unde populus, gratitudinis ergò, tanquam patriæ liberatrici, honorificam erexit statuam.

Omitto innumera penè alia exempla, quæ congerit *Bayerlinck* Verb. Mulier, de Semiramide, & Matre Clementis Spartarum Regis, de Fœminis Argivis, de Margarita filia Waldomarii Sueciæ Regis, aliisq; multis. Recentissimum est, nec minùs crudele, quod sequitur. Est in Sicilia oppidum Ieracitanum non procul Catana, cujus incolæ à Germanis originem ducere dicuntur. Eo in oppido cives duo in foro, exortâ rixâ, verbis primò, deinde pugionibus se mutuò lacessebant, adeò furibundè, ut priusquam ab accurrentibus divellerentur, illorum unus lethali vulnere accepto corrueret in terram, alter fuga salutem quæreret. Nuntiatur confestim casus uxori: accurrit illa, & arrepto mariti pugione insequitur fugientem, confodit, pectus aperit, cor extrahit, & marito jamjam exhalanti animam ostendit, exhortans ut lætus moreretur, quoniam non inultus obiret.

CAPUT XXXIII.

De mirabilibus quinque sensuum hominis.

IN hoc caput conjiciam, quidquid præter dicta hactenus mirabile, & dignum relatu occurrerit circa quinque hominis sensus. Incipio ab oculis & visu.

§. I. Mirabilia oculorum & visus.

Visus mirabilia.

PLinius lib. 7. Nat. Hist. cap. 16. inter oculorum exempla fidem excedentia (ita loquitur) numerat, quòd quidam, Cicerone teste, totam Homeri Iliadem adeò minutis in membrana characteribus descripserit, ut nuci inclusa fuerit. Callicratem quoque ex ebore formicas, & alia tam parva fecisse animalia, ut partes earum à cæteris cerni non possent: Myrmecidem verò ex eadem materia quadrigam fecisse, quâ musca integeret alis; & navem, quam apicula pinnis absconderet. Præterea quendam à Varrone strabonem vocatum, à Lilybæo Siciliæ promontorio, exeunte classe Carthaginis portu, distante CXXXV. M. passuum, etiam numerum navium deprehendisse.

Cardanus lib. 8. de Variet. cap. 43. inter quatuor mira, sibi à natura indita, ait: *Secundum est, quòd cùm volo, video quæ volo, oculis, non vi mentis, velut imagines illas, de quibus dixi, cùm infans essem, me vidisse. Sed nunc credo ob occupationes,*

pationes, nec diu, nec perfectas, nec omnino semper cùm volo, nec tamen nisi velim. Itaque video luces, animalia, orbes, ac quæcunque cupio. Credo causam esse vim virtutis imaginatricis, visusq; subtilitatem.

Suetonius in Vita Tiberii Cæsaris Auctor est, ipsum noctu absque lumine cuncta clarè prospexisse. Idem sibi contigisse in prima ætate, fatetur *Cardanus* loc. cit. Sed hoc si consuetum sit, & semper aut sæpe contingat; utique mirum: si aliquando tantùm; minimè mirum, quoniam & mihi, & aliis subinde accidit, in juventute maximè. Minùs mirum videtur, quòd dum nocte obscurissima fulgurat, clausis probè oculis & fulgur videamus, & omnia distinctè quæ in conclavi sunt, sed quasi ad momentum tantùm. Causam existimo esse, quoniam fulguris splendor ob subtilitatem & vehementem diffusionem penetrat oculos clausos, & rerum species secum intromittit. Longè mirabilius est quod scribit *Cornelius Gemma* lib. 1. Cosmocrit. cap. 7. novisse se quendam, qui noctu, externo lumine non adhibito, litteras legebat. Si tamen noctu id fiebat, & non crepusculo vespertino: tunc enim qui debilioris sunt visus, legunt commodè, aliis acuto visu præditis id non potentibus. Causam examinabimus in Joco-seriis. Huc spectat quòd refert *Aristoteles* lib. 3. Meteor. tex. 12. & lib. de Memor. & Remin. de Antipherente Orretano, qui ob visus debilitatem videbat semper ante se imaginem sui in aëre, reflectente in oculos ejus species. Modum & causam explicabimus loc. cit.

Aliqui sine horrore, aut lipothymia, videre nonnulla non possunt. *Scaliger* Exercit. 274. meminit cujusdam sibi noti, qui ad simplicis crescionis sive sysimbrii aquatici aspectum tali horrore corripiebatur, ut illicò inde fugere cogeretur. *Marcellus Donatus* lib. de Hist. Med. c. 4. ait, se novisse Mantuæ virum nobilem Hippolytum Lanzovum, ericii terrestris aspectum adeò formidantem, ut ipso viso statim corriperetur syncope. Abenzoar de seipso scriptum reliquit, se vulnus etiam simplex aspicientem animi deliquium incurrisse. Novi ego Religiosum in Sicilia, qui sanguinis aspectum modis omnibus fugiebat. Angliæ Rex Jacobus, ut refert Illustriss. Digbæus in libello de pulvere sympathico, strictum ensem non poterat aspicere, & eo vel casu, vel necessitate cogente aspiciens penè obstupescebat.

§. II. Mirabilia Cœcorum.

Cœcorum mirabilia

AD mirabilia oculorum reducimus mirabilia cœcorum. Igitur Diodorus Stoicus cœcus non modò Philosophiam, ac Musicam, sed Geometriam quoque didicit; & hanc ultimam quoque (quod incredibile videri queat) docuit, præcipiens discipulis, ubi, unde, & quò linea quælibet esset ducenda. Dydimus Alexandrinus, Præsul Cæsareensis, à pueritia cœcus, dialecticam & geometriam didicit; nec non Commentaria in psalmos scripta reliquit, [illegible] *Ruffino* lib. 2. Eccles. Histor. c. 7.

P. Lau-

Digitized by Google

P Laurentius Stengelius lib.de Monstris cap. 16.§. 10 narrat. Anno 1612. Ingolstadii juvenem quendam arcularium, dum fistulam æneam expoliret,& pulverem nitratum incautiùs tractaret, illo incenso utrumq; oculum miserando casu perdidisse,cæcumque factum, in hospitalem domum fuisse receptum. Ibi ut in media senum ac vetularum turba secretus habitaret, lectum sibi,& exiguum juxtà locum tabulis affabrè circummunivisse,& picturis affixis exornâsse. Duo deinde minutiora molendina (quæ piperi molendo idonea forent) cum scalis,cum arca,cum rotis, cum radiis, cum dentibus & axibus,cum omnibus deniq; rebus perfectissimo molendino necessariis,cultro exsculpsisse, adeò exactè & ad amussim, ut unum illorum dignum fuerit judicatum quod Monachium,ad res Principis raras & artificiosas,in pinacothecam transferretur.

Notum est (inquit Philip. Camer. Horar.Subcis.Cent. 1 .cap.37.) *fuisse majorum nostrorum tempore Joannem Ferdinandum, natum in Flandria patre Hispano,cæcum & præterea inopem. Quas tamen ambas difficultates,admodum contrarias hominibus doctis, ita superavit, ut non solùm Poëta & Philosophus insignis evaserit,sed etiam tam eximius Musicus, ut cum maxima audientium delectatione varia genera Musica tractaret,atq; insuper cantilenas aliquot vocum artificiosissimas memoriter componeret.*

Hunc tamen (pergit idem Auctor) *longè superavit Nicasius de Werda, Mechliniæ natus. Qui licèt ab anno tertio ætatis oculis captus, & ob id etiam elementorum litterarum penitus ignarus fuisset; tamen nihilominùs in omni doctrina divina & humana adeò profecit,ut admirationi omnibus esset; & cùm Lovanii gradum Magisterii accepisset,scholis aliquamdiu Mechliniæ cum laude præesset,& Lovanii aliquantò pòst Licentiam in Theologia consecutus,cæcus quamvis, Evangelium tamen pulchrè docuerit. Quin & post hæc gradum Doctoris utriusque Juris in Academia Coloniensi cùm accepisset, in gymnasio publicè ibidem Jura, cum stupore omnium,docuit,atque libros utriusque Juris, quos nunquam viderat,& legerat,memoriter recitavit,donec Coloniæ moreretur Anno 1492.*

Mirabilius fortassis est, quod de cæco narrat *Antonius Panorm.*de Rebus Alphonsi Reg.lib.3.dicens: *Audivimus à rege* Alphonso,*cæcum naturâ, Agrigenti adhuc vivere, quem sæpenumero ducem venationis habuisset, monstrantem his ipsis,qui oculis cernerent,ferarum saltus & latebras. Sed & de hujus industria mirum accidisse: Nempe habuisse hunc aureos fermè quingentos, deq; his valde sollicitum,statuisse in agro defodere; defodientem à vicino ejus compatre conspectum, eoq; abeunte pecuniam ablatam. Cùm verò paucis diebus thesaurum reviseret,neque invenisset; animo angi,discruciari, exedi,neque alium conjectare, nisi vicinum compatrem surripere potuisse; accessisseq; ad illum, atque dixisse, esse quod consulere eum oporteat; tenere se aureos mille, quorum partem dimidiam abstrusisset jam in tuto loco,de reliqua autem dimidia anxium esse,ut pote cæcum,*

& rerum

Digitized by Google

& rerum perquam incommodum custodem : propterea si ei quoque visum fuerit, hoc reliquum in eodem loco illo tutò quidem trudi & abscondi posse : compatrê approbasse consilium, & properè pracurrisse, quingentosq; aureos, unde nuper effoderat, recondisse, ratum totos mille sibi nequaquam defuturos. Posthac cæcum in agrum recurrisse, repertaq; pecuniâ compatrem appellando exclamasse, cæcum oculato meliùs vidisse, lætumq; rediisse.

Henricus Smetius lib. 5. Miscell. Medic. Ep. 13. testatur, vidisse se cæcum quendam, naso pro oculis utentem, ejusque beneficio objecta omnia discernentem. *Is dextro oculo ante annos multos, cùm puer esset, privatus fuerat; tandem juvenis factus (rusticus erat) ex ceraso in palum dumi ligneum fastigiatum delapsus, vultum impegit, ut nasum, unà cum oculo sinistro, gena, palpebra utraq; & supercilio dirumperet, adeò fœdè, ut Chirurgus oculi globum avulsum prorsus crederet, eumq; palo inhæsisse. Cicatrice tandem obductâ, post annum ab accepta plaga, dum in gramine apricatur, fortè lucem, ac flosculorum candorem humi animadvertere cœpit per nasi cavitatem : & jam per quinque aut sex annos continuos visionem eo modo exercuit, ut quidquid offeratur, naso oculato distinguat exactè, sed despectando; suspectando enim lucem ferre nequit.* Hæc Smetius.

Cæcus per nasum videns.

De Comite Mansfeldio scribit *Keckermannus* in Physic. visu destitutum, solo tactu album à nigro discernere potuisse. Apud *Hieronymum Bardum* in Medico Politico-Cathol. cap. 4. Appendice 1. scribit Keplerus, simile quid olim Heidelbergæ contigisse, *nempe quendam, oculo altero amisso, altero manus palmâ tecto, si splendens quidpiam infra nares sisteret, splendorem agnoscere, atque etiam internoscere quadantenus potuisse.* Causa portentosæ hujus in utroque visionis utique fuit, quòd lux & species rerum per hiatum aliquem è naso sursum in vacuam oculi cameram, ad retinam usq;, viâ rectâ appulerint, ibidemque non secus ac aliàs objectorum imagines depinxerint. *Camerarius* Hor. Subcis. Cent. 3. cap. 80. scribit de Francothalensi quodam, ab utero cœco, qui ex tribus filiabus cujusdam, tactu manus formosissimam selegit.

Cæcus tactu colores discernens.

Nostrâ ætate (inquit Aldrovandus in Histor. Monstr. pag. 213. edit. Bonon.) *Joannes Gambasius Volaterranus, insignis statuarius, Florentiâ Romam profectus est. Hic circa annum ætatis vigesimum utroque captus est oculo. Quocirca per decennium in hac arte nil erat operatus. Sed deinceps subiit eum cogitatio ingenii denuò in arte statuariâ experiendi; & contrectatâ diligenter manibus statuâ marmoreâ, quæ Cosmum I. Hetruriæ Magnum Ducem referebat, aliam ex argilla adeò similem expressit, ut omnes rei novitate stupidos reddiderit. Quare jussu Ferdinandi Magni Ducis Hetruriæ Romam petiit, & expressam Urbani VIII. Pont. Max. ex argilla effigiem quam simillimam eidem obtulit. Deinde multas etiam nonnullorum formas effinxit.* Idem addit, lanium cæcum, Bononiæ

Digitized by Google

tunc adhuc ſuperſtitem, ſolo tactu belluas mactandas quanti eſſent ponderis æſtimaſſe, libellas ſtateræ numeraſſe, monetas noviſſe, equitaſſe, & alia multa ad munus lanii attinentia feliciter obiiſſe. *Dodonæus* in Obſervat. apud eundem meminit ſenis nonagenarii cæci, qui vulnere ſupra frontem accepto, iterumque ſanato, viſum cum omnium admiratione receperit. Multa cœcorum mira & ſagaciſſima opera quotidie occurrunt.

§. III. Mirabilia aurium & auditus.

Auditus mirabilia.

DE *Auribus* ſcribit *Plinius* lib. 7. cap. 22. prælium quo Sybaris deleta eſt, eo die, quo geſtum erat, auditum Olympiæ, per intervalla maris & terræ longiſſima. Sed num naturaliter? In Magia noſtra retulimus lepidum exemplum ex *Scaligero* Exercit. 344. de quodam nobili Gallo, ad phormingis ſeu lyræ ſonum illicò reddente urinam. In 2. par. ejusdem Mag. multa retulimus tum naturalia, tum artificialia, ad auditum & aures ſpectantia. De habentibus magnas aures egimus ſupra cap. 11. §. 2. *Cromero* teſte lib. 8. Hiſtor. Pol. circa annum 1240. tanta à Tartaris Polonorum ſtrages fuit edita, ut auriculis præciſis Tartari novem ingentes ſaccos impleverint.

Thomajus in Horto Mundi cap. 19. narrat, tempore Gregorii cujusdam Pontificis natum in Lombardia infantem tam magnis auribus, ut corpus integerent. Viſi ſunt qui aures promptiſſimè moverent, teſte *Dalechampio*.

Surdi loquentes ſubmiſsè percipiunt.

Defectum auditus ſupplet Natura in multis, qui ex ſolo labiorum motu ſecum loquentium percipiunt, quæ dicunt, & ad interrogata, etiam ſubmiſſâ voce, reſpondent. Novi in Sicilia virum doctiſſimum è Societate noſtra, qui ſurdus erat penitus, & tamen promptiſſimè de quavis re, tam cum noſtris, quàm cum externis agebat, tametſi nullum perciperet verbum, dummodò labiorum motum loquentium videret. Hujus rei experimentum manifeſtum tunc vidi, cùm virum alium, ejus rei experimentum capere volentem perſpexi diu cum illo colloqui, nullo prolato verbo, ſed ſermone tantùm linguæ ac labiorum motu efformato. Idem notatum fuit in P. Paulo Layman, viro æquè pio ac docto; qui cum fiſtulæ æneæ incautâ exploſione propè aures illius factâ, in ſolemni quadam proceſſione, vim audiendi propè omnem amiſiſſet; aſſiduâ poſtea oris loquentium obſervatione didicit viſu percipere, quòd non poterat auditu. Similia paſſim occurrunt.

§. IV. Mi-

Digitized by Google

§. IV. Mirabilia Nasi & odoratus.

Quidam rosarum odorem, utut gratissimum, ferre non possunt. *Pierius* lib. 8. Hieroglyph. scribit, Oliverium Caraffam Cardinalem quotannis, rosarum tempore, Romæ secedere coactum, seq; intra suos, quos in Quirinali habebat, hortos claudere, custodiis ad ostia dispositis, ne quis aut salutantium, aut amicorum, officii gratiâ ingredientium, rosam inferret. Scribit quoque *Scaliger* Exercit. 153. Num. 10. Cardinalem quendam à rosarum odore abhorruisse. Petrus Melinus, ingenio, eruditione, & loco nobilis rosarum odore plurimùm offendebatur, teste *Pierio* loc. cit. *Amatus Lusit.* Med. Centur. 2. Curat. 36. scribit, Monachum quendam se novisse ex D. Dominici familia, & Berberigorum Venetiis prosapia, qui cùm rosæ odorem persentiebat, aut ex longinquo eam videbat, illicò in animi deliquium incidebat, & tanquam mortuus humi prostratus jacebat. *Servius* Medicus Rom. libello de odoribus scribit, novisse se pedissequum, qui rosarum odorem adeò abhorrebat, ut eo percepto animo deficeret. *Illustriss. Kenelmus Digbæus* tract. 1. de Nat. corpor. cap. 38. ait, nobilem quandam Anglam, Elisabethæ Reginæ olim à secretioribus cubiculis, summopere abhorruisse ab odore rosarum: & cùm quidam dormientis genu rosam imposuisset, experturus num tanta illi esset cum flore illo antipathia, quãta dicebatur; pustulas in genu ortas. *Schenckio* teste lib. 7. Observ. Med. cap. ult. Doctor Joannes Echtius ex rosæ rubræ olfactu continuò in sternutationem provocabatur. Eodem *Schenckio* test. loc. cit. Henricus à Cardona Cardinalis, ex rosarum odore deliquium animi patiebatur. *Cromerus* lib. 8. Histor. Polon. ait, Laurentium Uratislaviensem Episcopum ex rosarum odore extinctum esse.

Odoratus mirabilia. Rosarum odorem aversantiū exempla.

Marcellus Donatus lib. 6. Histor Mirab. Medic. cap. 4. scribit, ad rutæ odorem militem solitum arripere fugam. Fuerunt nonnulli, qui solo medicamenti olfactu magis purgati sunt, quàm si medicamentum intus suscepissent. Sunt & qui ex vini odore fuêre inebriati. Novi virum Religiosum ac doctum, adhuc superstitem, qui juvenis adhuc, cùm dormisset capite supra doliolum reclinato, in quo priùs adustum fuerat vinum, tam vehementer fuit inebriatus, ut vel passum progredi non potuerit, fueritq; ad lectum deportandus, quò novum genus crapulæ edormiret.

Odore vini inebriati.

Leo Africanus de Hamar duce quodam Caravanæ scribit, eum ex solo odore agnovisse ubi locorum esset. Apud Antuerpianos rusticum quendam, cùm in myropolium divertisset, deliquio animi periclitari cœpisse, & fimo equino naribus admoto revocatum, scribit *Levinus Lemnius* lib. 2. Occult cap. 9. Fœminam novi, quæ totâ vitâ odorem nullum perceperat. *Cardanus* lib. 8. de Variet. cap. 43. de se fatetur, quòd semper odorem

Digitized by Google

aliquem perceperit, nunc carnis videlicet, nunc thuris, modò sulphuris, modò aliarum rerum. Causam ait esse subtilitatem maximam sensus sui, & cutis raritatem, tenuitatemque humorum.

Nasum moventes.

Ad nasi mirabilia spectat, quòd nasum aliqui moveant, & huc atque illuc liberè contorqueant. Novi ego in Sicilia virum Religiosum ac doctum, qui inter loquendum movebat dictâ ratione nasum adeò manifestè, ut risum inassuetis, & sibi ipsi ruborem induceret.

§. V. Mirabilia gustus.

Gustus mirabilia.

NAncelius lib. 3. Analog. meminit puellæ cujusdam stercoribus delectatæ. Idem virum nobilē soria puellarum recentia avidissimè sorbillasse refert, ut suprà etiam diximus. Calcem vivam pugni magnitudine devorasse quandam, legitur apud *Fernelium* lib. 6. Patholog. cap. 3. aliam fila ex vestibus, apud *Trincanellum* lib. 7. cap. 5. aliam gossipium & lanam, apud *Lusitanum* Cent. 3. Curat. 86. aliam lacertas, apud *Marcellum Donatum* Hist. Mirab. Med. lib. 4. cap. 1. aliam quinquagenariam tartarum apud Nicolaū Serm. 5. tract. 4. c. 36. aliam deniq; crines apud *Camerariū*. Hæc omnia refert *Jonstonus* in Thaumatol. Class. 10. cap. 2. art. 2. ubi addit, id singulari morbo accidere posse, quem in prægnantibus μαλακίαν, in virginibus & aliis κίτταν appellamus. Causam ejus morbi esse humorem vitiosum & pravum tunicis ventriculi impactum, vel in eodem genitum ex prava victus ratione, vel ab utero eodem affluentem, ut suprà etiam vidimus.

De Lazaro quodam, alioque Madriti, omnia devorantibus, vide quæ diximus cap. 12. De variis varios cibos aversantibus, egimus cap. 27. Quibus adde Conciliatorem Aponensem, referente *Matthæo Gradensi* apud *Aldrovandum* in Hist. Monstr. pag. 214. edit. Bonon. lac ita abominantem, ut ne quidem illud edentes sine nausea intueri posset. Apud eundem *Marcellus Donatus* novit Mantuæ virum nobilem, qui illud ovatartici genus, quod ex ovis sturionis paratur, & vulgò in Sicilia *Caviale*, alicubi in Italia *Caviario* nuncupatur, non modò non libare, sed nec intueri poterat. Quod & aliis circa aliud ovatarticum, vulgò *Botaraco* in Sicilia, *Botarga* alicubi in Italia nuncupatum, accidit, eodem Marcello teste.

§. VI. Mirabilia tactus.

Tactus mirabilia. Exstasin naturaliter patientes.

D. *Augustinus* lib. 14. de Civit. Dei cap. 24. scribit de quodam Presbytero Restituto nomine, qui quoties volebat, jacebat mortuo similis, ita ut nec vellicantes sentiret, nec quamvis igne ambustus fuisset, moveretur; hominum tantùm voces, si clariùs loquerentur, tanquam ex longin-

ginquo se audivisse, postea referebat. Non obnitendo autem, sed non sentiendo immotum servasse corpus, eo probabatur argumento, quòd velut defunctus omnis expers esset halitus. Similem se à sensibus auferendi habitum, ex morbo contractum, Elisabetham Burtoniam virginem Cantianam habuisse, *Historia Anglicana* innuit. Hoc idem apud Turcas frequens esse asserit *Cardanus* lib. 8. de Variet. c. 43. ubi etiam sibi ipsi eandem vim tribuit, dicens: *Quoties volo, extra sensum quasi in exstasin transeo. Volo autem docere, quomodo id agam, & quid sentiam: nam non eodē modo quo ille Presbyter afficior: ille enim dolorem magnum non sentiebat, anhelituq; destituebatur, ut dictum est; voces tamen è longinquo audiebat: mihi verò non ita, sed vocem quidem leviter audio, quid dicant non intelligo; dolorem magnum an sensurus sim, nescio; vellicationem validam, & podagræ dolores vehementissimos nihil prorsus sentio. Sed diu in ea permanere non possum. Sentio, dum eam ineo, ac (ut verius dicam) facio, juxta cor quandam separationem, quasi anima abscederet; totiq; corpori res hæc communicatur, quasi ostiolum quoddam aperiretur. Et initium hujus est à capite, maximè à cerebello, diffunditurq; per totā dorsi spinam. Vi magnâ continetur, hocq; solùm sentio, quòd sum extra me ipsum, magnâq; quadam vi paululum me contineo.* Hæc Cardanus.. Non nemo tamen de hac, & presbyteri illius exstasi ac indolentia dubitet, an naturalis fuerit.

An dæmon possit hominem reddere immunem à læsione, vulnere, & dolore, discussimus lib. 1. cap. 28.

CAPUT XXXIV.

De Mirabilibus quarundam humani corporis partium, ac membrorum.

§. I. Mirabilia capillorum.

DE canescentibus nocte unicâ, deque pueris & infantibus canis, locuti sumus in præcedentibus. *Cardanus* lib. 8. de Variet. c. 43. ex Augustino mentionem facit quorundam hominum, *qui capillos immoto capite traducerent ad frontem, & reducerent:* aitque hoc valde mirabile esse, quoniam nulla vis, qua id fiat, capillis inesse potest, *sed causam in cutis laxitatem & robur referre debemus.* Aldrovandus *in Histor. Monstror. pag. 446. Edit. Bonon. ait, se vidisse mulierem exteram, capite adeò capillorum ferace, ut crines explicati ad terram usque pertingerent; ideoq; ad quæstum peregrinabatur, dum crines explicando, magna cum admiratione se spectandam præbebat.*

Capillorum mirabilia.

Eâ occasione narrat ibid. equum Illustriss. Comitis Aldrovandi, Bononiæ Senatoris, jubas colli usque ad terram promissas gestasse, quibus gradiendo humum verrebat; & ob hosce fortassis capillos *Bella Donna* dicebatur.

Equus insigniter jubatus.

batur. Idem ibidem narrat, natum Anno Domini 308. Antiochiæ puerum cum barba, ætate Constantini Magni. De mulieribus barbatis suprà sumus locuti. *Cardanus* loc. cit. narrat de Monacho quodam Carmelitani Ordinis, quòd per annos tredecim perpetuos, quoties caputium reducebat ad occiput, scintillæ ignis è capillis erumpebant.

Puer cum barba natus.

§. II. Mirabilia linguæ; & ejus defectus à Deo, & à Natura suppletus.

Linguæ mirabilia.

MEla lib. 3. cap. 4. refert, extra Ægypti & Macrobiorum deserta mutos fuisse populos, quibus pro eloquio nutus fuerit; alios sine sono linguæ; alios sine linguis, alios labris etiam cohærentibus. Idem asserit *Solinus* cap. 37. & *Plinius* lib. 6. cap. 30. nec abnuit *S. Augustinus* lib. 16. de Civit. Dei cap. 8. & *Isidorus* lib. 11. cap. 3.

Muti locuti.

De Crœsi filio hæc scribit *A. Gellius* lib. 5. cap. 9. desumpta ex *Herodoto* in Chio: *Filius Crœsi regis, cùm jam per ætatem fari posset, infans erat: & cùm jam multùm adolevisset, item nihil fari quibat. Mutus adeò & elinguis diu habitus est. Cùm verò in patrem ejus bello magno victum, & urbe in qua erat captâ, hostis gladio educto, regem esse ignorans, invaderet; diduxit adolescens os, clamare nitens, eoq; nixu atque impetu spiritûs vitium nodumq; linguæ rupit, planèq; & articulatè locutus est, clamans in hostem, ne Rex Crœsus occideretur. Tum & hostis gladium reduxit, & rex vitâ donatus est, & adolescens loqui prorsus deinceps incepit. Herodotus in Historiis hujus memoriæ scriptor est, ejusque verba sunt quæ prima dixisse filium Crœsi refert:* ὦ ἄνθρωπε, μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Eandem historiam scribit *Plinius* lib. 11. cap. 51, sed ait, dictum filium Crœsi semestrem esse locutum in crepundiis.

Idem *Gellius* loc. cit. aliam similem addit historiam de Aegle Samio, dicens: *Sed & quispiam Samius athleta (nomen illi fuit* Αἴγλης*) cùm antea non loquens fuisset, ob similem dicitur causam loqui cœpisse. Nam cùm in sacro certamine sortitio inter ipsos & adversarios non bonâ fide fieret, & sortem nominis falsam subjici animadvertisset; repentè in eum, qui id faciebat, sese videre quid faceret, magnùm inclamavit. Atque is oris vinculo solutus, per omne inde vitæ tēpus, non turbidè, neque adhæsè locutus est.* De infantibus, & de hominibus quibus exsecta fuerat lingua, divinâ virtute locutis, multa extant exempla in Historiis Ecclesiasticis, quæ omitto, quia miraculosa, ac supra Naturæ vires. Lege de illis, si vis, *Majolum* Colloq. 2.

Linguæ defectum supplet Natura aliquando & Deus.

Linguæ defectum in multis non rarò supplet DEUS, non rarò Natura, seu DEUS ut Auctor Naturæ. Constantiæ ad laçum Acronianum vir erat, teste *Joanne Nidero* lib. 2. Formicarii, cap. 7. quem à primis incunabulis Natura mutum surdumque, fortuna inopem esse voluit. Hic quia DEO corporis & mentis illibatâ serviebat virginitate, occultarum

rerum

rerum scientiâ fuit ab ipso ornatus: quanquam enim linguæ usu destitutus erat, nutibus tamen multa futura atq; arcana indicabat, interque alia quod sequitur. Nutriebat illum, utpote pauperem, civis Constantiensis opulentus, eumque filii loco habebat. Hic aliquando lacum trajecturus, domi convasabat. Quod ubi vidit mutus, manibus pedibusque obstitit, eique qua poterat gestuum vehementiâ, iter dissuasit. Et cùm diu frustra dominum ac Mecœnatem suum fuisset dehortatus, nec tamen à proposito dimovisset; domo exeûtem prosecutus est ad præripia lacus: & cùm nec ibi profectionem dissuadere potuisset, tandem contra navem de littore solventem manus ad cœlum oculosq; sustulit, lamentisque & gemitibus ostendit Mecœnati suo grave aliquod malum impendere; neque antea cessavit abeuntem plangere, quàm eum desiit è propinquo videre. Vatem fuisse, exitus probavit. Nam intra paucas horas, coortâ tempestate, fluctus navem & civem cooperuerunt.

Philippus Camerarius Centur. 1. Hor. Subcis. cap. 37. refert, fuisse suo tempore Norimbergæ adolescentem & virginem, ex iisdem parentibus prognatos; qui licèt ambo muti & surdi forent, tamen uterque scitè legere, & scribere elegantissimè, nec non & rationes mercatorias computare poterant. Adolescens præterea ex nutu, quæ sibi facienda forent, dexterè percipiebat, & si deerat calamus, gesticulationibus suas cogitationes exprimebat; nec non in omnibus aleæ lusibus excellebat: puella verò acu & ingeniosâ texturâ alias puellas facilè superabat. *Inter cæteras autem mirificas dotes* (inquit citatus Auctor) *quas illis Natura compensavit, memorabile est, quòd ex motu labiorum interdum percipere videntur, quid aliquis loquatur. Unde videas eos conciones sacras sæpissimè frequentare; ut aliquis non absurdè dicere posset, videri intentis oculis visu eos haurire, quod alii auditu facere solent. Siquidem orationem Dominicam, aliasq; pias preces, quando volunt, absque suggestione, aliisvè adminiculis, scribunt, Evangeliaq; festis diebus destinata, non secus ac alii, memoria commendant, ita ut expeditè ea scribere possint. Quòd si in templis salutiferum nomen JESU Christi profertur, hic, præ cæteris in cœtu, detracto pileo, & genu flexo venerabundus conspicitur. Adeò Natura, veluti fidelis mater, compensando sollicita & studiosa est, ne tanquam dura noverca meritò accusari possit. Quod enim in aliis sensibus adimit, in aliis restituit.* De certamine inter duos mutos nutibus facto Florentiæ, diximus suprà.

§. III. Mirabilia dentium.

Dentium mirabilia.

M*Ajolus* Colloq. 4. ex *Bonfinio* Decad. 3. lib. 8. refert, aliquando puerum in Piceno cum sex dentibus natum. Marcum etiam Curium olim cum dentibus natum, & ob id dentatum dictum, testatur *Plinius* lib. 7. c. 16. Idem de Cn. Papyrio asserit, & de Valeria.

Aliqui

Digitized by Google

Aliqui vice dentium, continuo osse gignuntur, sicuti Prusia regis Bithyniorum filius, superna parte oris, ait ibidem *Plinius*. Eodem modo dentatum fuisse Pyrrhum Epirotarum regem, scribit *Fulgosus* lib. 1.

Dentes novissimi, qui genuini vocantur, circiter vicesimum annum nascuntur homini, multis & octogesimo, inquit *Plinius* lib. 11. cap. 37. Vesalio molaris dens natus anno ætatis vigesimo sexto, ut ipse testatur lib. 1. c. 11. Collegæ cuidam meo, viro doctissimo, nati sunt quadragesimo. Idem ex Muliano prodit, Zancli Samothraceno civi renatos esse dentes post centum & quatuor annos. *Timarchus Nicoclis filius Paphii, duos ordines habuit maxillarum*, eodem teste *Aldrovandus* in Hist. Monstr. pag. 214. edit. Bonon. ait, Jonem Chium apud Cœlium Rhodiginum attribuere Herculi triplicem ordinem dentium; additque, hoc mirum non esse, cùm & *Columbus* lib. Anatom. cap. 10. meminerit pueri, triplicem dentium ordinem habentis.

Dens in palato.

Est exemplum dentis homini & in palato geniti, inquit *Plinius* loc. cit. *Eustachius* quoque lib. de dentib. apud Aldrovandum loc. cit. meminit mulieris Romanæ cum dente propè foramen palati nato; item & alterius degentis in Monasterio Sanctissimæ Trinitatis Eugubii, in cujus palato, anno ætatis decimo, dens apparuit.

§. IV. Mirabilia cordis.

Cordis mirabilia.

VArro apud *Aldrovandum* in Hist. Monstr. pag. 69. edit. Bonon. tradit, cor hominis anniculi duas pendere drachmas, ac deinceps singulis annis usque ad quinquagesimum pondus duarum drachmarum acquirere, ita ut tunc centum pendat drachmas; à quinquagesimo verò usque ad centesimum singulis annis decrescere iterum duabus drachmis usque ad defectum. Ex hoc deducit, hominem naturaliter ultra centesimum annum vivere non posse. Sed hoc fabulosum esse, patet ex dictis suprà capite de Longævis.

Cor pilosum in aliquibus.

Cor figuræ est pyramidalis, ut constat, & inter pulmones intra pericardium velut intra bursam est situm. Hoc in aliquibus repertum est pilosum, ut teste *Dodoneo* in Observat. & *Benivenius* de Abdit. cap. 33. in quodam latrone è patibulo suspenso, qui habitus pro mortuo fuit depositus, atque curatus convaluit; sed ad eadem scelera devolutus, iterum captus, iterumque suspensus fuit, ac tum demum apertus, deprehensumque cor, ob eximiam caliditatem, undique refertum pilis. Hoc idem observatum fuit, teste *Valerio Maximo* lib. 1. cap. 8. in Aristomene Messenio, qui trecentos Lacedæmonios interfecerat, & aliquoties captus, aliquoties etiam elapsus fuerat; cor enim prorsus hirsutum in eo repertum fuit. In qui-

Digitized by Google

quibusdam desideratum sinistrum ventriculum, in aliis cartilagineum septum repertum, scribit *Columbus* lib. 15 Anatom. Os in eo in duobus virorum cadaveribus deprehensum, notavit *Gemma* lib. 2. Cosmocrit. Calculos quantitate pisorum in aliis inventos, tradit *Wierus* lib. 4. de Præstig. Dæmon, cap. 16. Pericardium defecisse in juvene, & ideo syncopen passum, annotavit *Columbus* loc cit.

Vulnus aliquando in corde excitari posse, nec tamen lethale, Marylli Mimographi puer, cui secto licet pericardio cor appareret, mors tamen consecuta non est, ostendit apud *Galenum* lib. 7. Administ. Anat. Idem ferè in cordis vulnere accidisse, testatur *Nicolaus Mulerius* in Epistola quadam de milite, qui vulnere in corde à commilitone accepto Anno 1607. die 22. Augusti, vixit usque ad diem octavum Septembris. Epistolam recitat *Jonstonus* in Thaumatol. classe 10. cap. 6. art. 1.

CAPUT XXXV.
De Mirabilibus memoriæ.

Memoriæ mirabilia.

MEmoria (inquit Plin. lib. 7. cap. 24.) *necessarium maximè vitæ bonum, cui præcipua fuerit, haud facile dictu est, tam multis gloriam ejus adeptis. Cyrus rex omnibus in exercitu suo militibus nomina reddidit; L. Scipio, populo Romano; Cineas Pyrrhi regis legatus Senatui & Equestri ordini Romæ postero die quàm advenerat. Mithridates duarum & viginti gentium rex, totidem linguis jura dixit, pro concione singulos sine interprete affatus. Charmidas (rectiùs fortassis Carneades) quidam in Græcia, quæ quis exegerat volumina in bibliothecis, legentis modo repræsentavit.*

Idem *Plinius* lib. cit. cap. 25. de C. Julio Cæsare testatur, eum scribere & legere simul, dictare & audire solitum: epistolas quoque diversarum rerum quaternas pariter librariis dictare; aut si nihil ageret, septenas. Quod utique sine excellentissimæ memoriæ præsidio fieri non poterat. De Hadriano Imperatore tradit *Spartianus*, eum uno eodemq; tempore scripsisse, dictasse, audivisse, & cum amicis fabulatum esse; libros quoq; lectos statim memoriter reddidisse.

Eusebius Cæsariens. lib. 8. cap. 21. de Valente Æliæ civitatis diacono scribit, divinarum litterarum memoriam in pectus adeò illum inclusisse, ut quemcunque locum citare vellet, perinde expeditè illud faceret absque scripto, atque si ex scripto legeret. Idem cap. 22. de Joanne Palæstino cæco narrat, eum ob excellentem memoriam integros sacrarum Scripturarum libros memoriter scivisse, ut *interdum Legis & Prophetarum testimonia, sæpe historias, nonnunquam Evangelia, aut Apostolorum scripta memoriter ex animi domicilio, tanquam ex quodam litterarum thesauro, proferre potuerit.*

S. Augustinus lib. 4. de Anima & ejus orig. cap. 7. de quodam amico suo sic scribit. *Amicus quidam meus jam inde ab adolescentia, Simplicius nomine,*

Digitized by Google

boni, excellentis mirabilisq; memoriæ, cùm interrogatus esset à nobis, quos versus Virgilius in omnibus libris supra ultimos dixerit; continuò, celeriter, memoriterq; respondit: quæsivimus etiam, superiores ut diceret; dixit, & credimus eum posse retrorsum recitare Virgilium: de quocunque loco voluimus, petivimus ut faceret; fecit. Prosâ etiam de quacunque Oratione Ciceronis, quam memoriæ commendaverat, id eum facere voluimus; quantum voluimus sursum versus, secutus est. Cum admiraremur, testatus est DEUM, nescivisse se hoc posse ante illud experimentum. Hæc ille.

Seneca testatur lib. 1. Declam. se in lectione magistri sui duo millia vocabulorum memoriæ commendasse, quæ lectione finitâ eo ordine, quo dicta erant, & retrogrado, memoriter recitaverit. Portius Latro, quæ dicturus erat, edíscendi causâ nũquam relegebat; edidicerat enim cùm scribebat; dicebat ita, ut in nullo unquam verbo memoria eum deciperet. *Marcus Antonius Muretus* scribit lib. 3. Varior. cap. 1. se Patavii novisse hominem è Corsica originem trahentem, qui triginta tria vocabulorum millia ordine quocunque, sive recto, sive retrogrado, recitaret. *Petrarcha* narrat de quodam milite, amico suo, multorumque itinerum socio, memoriâ eum tantâ fuisse, ut omnia vel visu, vel auditu semel percepta, fidelissimè retineret, observato etiam loco & tempore, quibus vel res gesta, vel narrata fuisset. Innumera alia exempla invenies apud *Laurentium Bayerlinck* in theat. Ver. Memoria.

Majolus Colloq. 4. refert ex Rob. de Ment. Anno Domini 1128. in Suessionensi urbe puerum omnem Veteris Testamenti historiam rhythmicè retulisse; ipsum quoq; Evangelium omne, ac quidquid Christus egisset in terris, occlusis oculis veluti ex scripto recensuisse. Et tamen erat pecorum custos, & omnium litterarum ignarus. *Leander* in Sabinis testatur, Franciscũ Cardulũ Narniensem, cùm plura folia conscripta sibi prælegi audivisset, mox singula verba recensuisse, & recto ordine, & converso. Idem fecit Jacobus Critonius Scotus Adolescens Venetiis Anno Domini 1581.

Memoriæ mirabiliter deperditæ aut auctæ exempla.

Hactenus præstantis memoriæ exempla; nunc mirabiliter deperditæ, aut mirabiliter auctæ unum aut alterum addamus. Læditur memoria nunc ad tempus, nunc citra regressum; item nõnunquam ex toto, aliàs ex parte. Teste *Plinio* lib. 7. cap. 24. quidam ictus lapide oblitus est litterarum. Hunc scribit *Valerius Maximus* lib. 1. fuisse Atheniensem & doctum, & litterarum tantùm, non aliarum rerum memoriam perdidisse. Alius, eodem *Plinio* teste lapsus ex alto, matris, affinium, & propinquorum nomina fuit perpetuò oblitus. Messala Corvinus ex ægritudine non tantùm propinquorum, & servorum, sed & proprii nominis est oblitus, ut idem *Plinius* scribit. *Cornelius Jansenius*, ille qui Commentaria egregia in sacram Scripturam edidit, litterarum quoq; oblitus fuisse dicitur, teste *Bayerlinck* loc. cit. paulò antè.

Hæc

Digitized by Google

Hæc de perdita; nunc de acquisita, vel aucta. Clemens VI. Pont. Rom. tam felicis erat memoriæ, ut quidquid vel semel legisset, oblivisci ampliùs non posset. Tantum bonum obtigisse ei testatur *Petrarcha* de Memoria, ex vehementi capitis vulnere, cujus indicium erat cicatrix in vertice. Friderici II. Imp. tempore, quidam Germanus clericus, ex petra S. Michaëlis ortus, è vena hausto sanguine, servatâ aliarum rerum memoriâ, litterarum tantùm oblitus fuit, nec plùs aut legere, aut scribere nôrat, quàm si utrumque nunquam didicisset, annumq; in hac oblivione mansit: postea eodem tempore, atque ex eodem loco iterum hausto sanguine, legendi scribendique scientiam, quam antea habebat, recepit. *Fulgosius* lib. 1. cap. 6.

CAPUT XXXVI.

De insigni quorundam robore, velocitate, & agilitate; & de pedum dexteritate.

EX innumeris pauca adnotabo; alia alibi referam, & librum claudam.

§. I. De robore quorundam.

PLinius lib. 7. Hist. Nat. cap. 20. ex Varrone de prodigiosâ viriū relatione, refert, *corpore vesco, sed eximiis viribus Tritanum, in gladiatorio ludo Samnitium armaturâ celebrem, filiumq́, ejus militem Magni Pompeii, & rectos, & transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos, in brachiis etiam, manibusq́. Atque etiam hostem ab eo ex provocatione dimicantem, inermi dexterâ uno digito superatum, & postremo correptum in castra translatum.* *Robur eximium quorundam.*

Idem ibidem de A. Junio Valente, qui meruit in prætorio Augusti Cæsaris Centurio, scribit, eum vehicula cum culeis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitum: carpenta quoque apprehensa unâ manu retinuisse, obnixum contra nitentibus jumentis: & alia mirifica fecisse, quæ insculpta monumento ejus spectabantur.

Fusius Salvius (pergit Plinius) *duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. Nos quoque vidimus Athenatum nomine, prodigiosa ostentationis, quingenario thorace plumbeo indutum, cothurnisq́, quingentorum pondo calceatum, per scenam ingredi.*

De Milone Crotoniata refert idem ibidem, eum, cùm constitisset, neminem vestigio movere; & cùm malum teneret manu, neminem corrigere digitum potuisse. Idem in Olympia bovem per stadium, retento anhelitu, portasse dicitur, ictuque manus deinde nudæ stravisse, & eodem die solus absumpsisse non gravatim, ne pugno fortior, quàm stomacho vide- *Milonis Crotoniatæ robur.*

videretur. Hic tamen tam nervosus athleta robustiorem se invenit. Scribit enim *Cœlius Rhodiginus* lib 21. cap. 36. è græco penu, *fuisse Bussequam Titormum corpore staturosum, viribus præcellentem. In eum ubi incidisset Milo his Crotoniates, virium fiducia elatior, ac sibi placens percupiebat, visâ proceritate insigni, illius periclitari robur. At is non sine ironia, posse nil se magnum asseverabat. Mox tamen in Evenum descendens, rejecta veste, permagnum arripit lapidem: quem primò quidem ad se pertraxit, inde & propulit, bisq; ac ter ipsum hoc effecit, postea sustulit, sed non ultra genua: demum humero impositum ad quinquaginta ferè tulit orgyias, id est, ulnas, projecitq;. At lapidem vix emovebat Milo. Ceterum eo nec contemtus Bussequa, pergit in armentum, stansq; in mediis, ferocißimi omnium maximiq; tauri pedem corripit, furentemq;, ac inde se proripere adnitentem frustra, retinet constantißimè. Nec satis; quinimò manu alterâ prætereuntis fortè tauri alterius pedem apprehendit audacißimè, ac comprimit ferociter. Id cùm intueretur Crotoniates, in cœlũ manibus sublatis,* ὦ ζεῦ, ἔφη, μὴ τῦτον ἥρακλῆν ἡμῖν ἕτερον ἔσπειρας; *id est, ô Jupiter, inquit, an alterum proseminasti nobis Herculem hunc?* Miserandum interitum Milonis, viribus suis nimiùm præfidentis, describit A. *Gellius* lib. 15. cap. 16. Nam *cùm jam natu grandis artem athleticam didicisset,* (id est reliquisset) *iterq; faceret fortè solus in locis Italiæ sylvestribus; quercum vidit proximè viam, patulis in parte media ramis hiantem. Tum experiri (credo) etiam tunc volens, an ulla sibi reliquæ vires adessent, immißis in cavernas arboris digitis, diducere & rescindere quercum conatus est. Ac mediam quidem partem discidit, divellitq;; quercus autem in duas diducta partes, cùm ille, quasi perfecto quod erat connixus, manus laxasset, cessante vi rediit in naturam, manibusq; ejus retentis, inclusisq; stricta denuò & cohæsa dilacerandum hominem feris præbuit.*

Bussequæ robur.

Leonem in Nemea (inquit Rhodiginus lib. 13. cap. 36.) *fuisse ab Hercule peremptum, poterat sanè fabulosum videri: sed præsto ex Historia Polydamas est. à quo itidem in Olympo feram id genus magnitudine visendâ & robore, confectam, & quidem inermi prorsum, inobseptoq;, prodidêre sincerißimi ex Græcis conditoribus. Ad id verò provectum audacia ferunt, Herculis modò æmulatione. Adjicitur quinimò & miraculum alterum: nam idem hic leonis domitor boum ingressus armentum, inibi taurum magnitudine insignem, ac præcipuè ferum conspicatus, ex posterioribus alterum arripuit pedem, retinensq; pertinacißimè, ferocientem, ac impetu præ rabido prosilientem, non dimisit priùs, quàm indignabundus ac furens tandem in Polydamantis manu* χηλὴν, *id est, ungulam reliquit. Narratur & illud quadrigas totâ vi concitatas constanter retinuisse, alterâ modò manu retrò curru apprehenso. Hac tantâ fortitudinis famâ perculsus Persarum rex Darius, Artaxerxis filius, sed nothus, virum nuntiis crebris, ac pollicitationibus magnificis Susà pellicuit. Quò is cùm venisset, mox de iis qui immortales à Persis nuncupantur, tres conspiratu uno nitibundos ex provocatione arma in adversum ferentes contrucidavit solus. Testatißima fiunt omnia hæc ex ejus*

Polydamæ robur.

statua

Digitized by Google

ſtatua cum epigrammate in Olympia. Ceterùm, qui plerumque viribus nimium ſeſe efferentes exitus manet, quemq́; eſt vaticinatus in carmine Homerus, & Polydamantem excepit. Siquidem, quod dicitur, ſuo eſt ipſius gladio jugulatus. Caſu quippe cum aliis combibonibus quibusdam in ſpecu æſtus vi flagrantiſſimâ ſeſe commodum conjecerat; forte ita evenit, dæmone non bono utique, ut montis apex convulſus haud dubiam inſpectantibus oſtentaret ruinam, & quidem proximam: inde reliqui, cùm malum ingruens præſentiſſimumq́; præcepiſſent, è veſtigio fuga præſidium mandantes, citatiſſimi ex mortis ſeſe faucibus proripiunt. At Polydamas, ut quiſa to ruentis molem ſaxi manuum fulturâ conatus reprimere, ponderis vaſtitate mox oppreſſus ac contritus interiit.

Ex *Julio Capitolino*, aliisq́ue Hiſtoriarum Scriptoribus didicimus, Maximum Tyrannum eâ proceritate fuiſſe, ut octo pedes digito egrederetur; pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio annuli vice uteretur; tanto robore, ut hamaxas manibus attrahere, equis pugno dentes ſolvere, calce crura frangere, lapides tophicos digitis friare, arbores minùs annoſas dirumpere poſſet. Qua de cauſa ab aliis Milo Crotoniates, ab aliis Hercules, Antæus à nonnullis eſt appellatus. Hac tamen fortitudine ſuâ abuſus, tandem interiit, à militibus confoſſus.

Maximi Tyrann robur.

C. Marius, tempore Galieni, à militibus ex fabro ferrario Imperator eſt factus. Fuit is tam robuſti corporis, ut *Trebellius Pollio* in Hiſt. 30. tyrann. ſcribat, *nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuiſſe, cùm in digitis nervos videatur habuiſſe, non venas.* Fertur enim & plauſtra venientia digito ſalutari repuliſſe; & fortiſſimos quoſq́ue digito ita afflixiſſe, ut non ſecus ac querni ligni, vel clavis ferreæ ictu percuſſi dolerent. Multas res colliſione duorum digitorum contrivit. Hic tamen tertio die imperii à milite illo fuit occiſus, qui ejus quondam in fabrili officina operarius fuerat.

Marii robur.

Memorat *Flavius Vopiſcus* in Aureliano, eum ſtaturâ procerâ, & nervis validiſſimis fuiſſe; manu ſuâ, bello Sarmatico, unâ die quadraginta & octo interfeciſſe; diverſis autem diebus, ultra nongẽtos quinquaginta. Ob quam fortitudinem pueri in Aurelianum cantiunculas compoſuerunt, & choreas, quib⁹ militariter ſaltitarẽt, in hunc modũ inſtituerũt. *Mille, mille, mille; mille, mille, mille decollavim⁹. Un⁹ homo mille, mille, mille, mille decollavim⁹. Mille, mille vivat, qui mille, mille, occidit. Tantùm vini habet nemo, quantum fudit ſanguinis.* Omitto innumera alia exempla, tam ex profanis, quàm ſacris hiſtoriis, de Samſone, de Davide, & ſociis ejus fortiſſimis.

Aureliani robur.

Sarcator quidam in Suecia, apud *Olaum* lib. 5. cap. 2. auri centum viginti libras collo appenſas geſtavit perpetuò. Idẽm novem objectus athletis, truncavit univerſos. Apud *Bonfinium* Rer. Ungar. Dec. 4. lib. 2. Paulus quidam ſtaturâ & membris Herculi ſimillimus, armatum homi-

Digitized by Google

nem in dentibus arreptum, inter militares choreas nô inermis circumduxit saltando. *Leandro* teste in Mediol. Ubertus de Cruce Mediolanensis jumentum frumento onustum portabat; & uno constitutus pede, à nemine de statione depelli poterat.

Maximam virium substantiam nervos facere, certissimum est, inquit *Solinus* cap. 4. Polyhist. quantòque fuerint densiores, tantò propensiùs augescere firmitatem. Notavit id Varro in Tritano, de quo suprà.

§. II. De agilitate quorundam.

Agilitas quorundam.

IPhiclus Philaci & Clymenes filius, tantæ agilitatis fuit, ut super frugis aristas sine offensa curreret. Quidam & immunem super maris aquam incessisse produnt. *Joannes Camers* in cap. 4. Solini, ex Higinio cap. 35. lib. 2. Astronomic. At cujus id ope factum? Scritofinnos cursu antevertere feras, auctor est *Krantzius* in Suecia. Heraldum nobilem Hibernicum equos celeritate vicisse, ab eodem proditum lib. 5. Norweg. cap. 6. In Occidui novi Orbis provincia quadam, Indi cursu adeò valent, ut diem integrum insequantur feram, donec lassitudine fessam intercipiant. *Hispal.* Sylvæ p. 5. c. 7. In Mexico tabellarii quatriduo septuaginta transvolavere leucas. Polymnestor Milesius puer leporem assecutus est ludicro. Philonides mille ducenta stadia, seu septuaginta quinque leucas Gallicas uno die emensus est itinere pedestri. Fontejo Vipsanioque Consulibus, in Italia octo annorum puer, quinq; & quadraginta millia passuum à meridie transivit ad vesperam. *Jonstonus* in Thaumatol. Class. 10. c. 8. ex aliis.

At maximè mira est illa agilita, quæ, teste *Camerario* Cent. 1. c. 75. in rustico quodã inter pecora nato, apparuit in aula Principis Papebergensis. *Habebat ille Princeps in aula nanum quendam Martinettum, qui illum agilem hominem veluti equum conscendebat; quem deinde in gyrum ducebat, & hinc inde cursitationibus variis modis exercebat: verùm quando volebat, uno saltu sessorem suum, licet pertinaciter illius dorso inhærentem, absque omni difficultate excutiebat. Post quadrupes ille cum molossis & generosis canibus; inter quos erant ferocissimi, quos Angli Dokas vocant, certamen inibat, eosq; suo latratu & fremitu canino, pendulaq; comã consternatos, cubiculo exigebat. Mordicùs interdum comprehensis illis minoribus ex indagatorum genere. Exactis canibus & molossis, miris saltibus sursum & deorsum, quadrupes tamẽ, ferè omnes angulos sublimiores cubiculi permeabat; ut simia vix hoc perficere posset, quod tam rusticum & quadratum corpus, absque omni difficultate, ut videbatur, faciebat. Vidi semel atq; iterum, cùm apud Principem in prandio essem, postquam suum sessorem nanum excusserat, & canes suo ficto latratu è cubiculo exegerat, eum salientem à tergo super humeros unius ex convivis: inde in mensam, intactis poculis & vasis appositis; mox in sublimiora loca, tantâ celeritate, ut instar sciuri vel felis Indici volare videretur.*

Addit.

Digitized by Google

Addit, multos in ea fuisse opinione, præstigiis & fascinationibus oculos hominum præstrinxisse.

§. III. De dexteritate pedum quorundam.

Vide quæ dicimus libro 5 sequenti cap. 7. ubi de Monstris humanis sine manibus & brachiis agimus.

APPENDIX *Ad* LIBRUM TERTIUM,

DE MIRABILIBUS HOMINUM.

Mira omnia sunt in homine, utpote Microcosmo, & rerum omnium conditarum Compendio. Quantumvis ergo multa de illo dixeris, pauca dixeris, quia dici innumera possunt. Contentus tamen paucis sequentibus, abstineo à cæteris, ne Liber hic tertius in nimiam excrescat molem.

CAPUT I.

Mira de Hominibus subterraneis Historia.

Terraquei globi, quem incolimus, superficiem civitatibus, urbibus, pagis, villis, habitationibus aliis quà terra, quà mari refertissimam, notum est omnibus: infra Terræ superficiem in cryptis ac speluncis non unum tantùm aut alterum reperiri hominem, sed civitates ac populos penè integros, paucis notum, verissimum tamen ac indubitatum. Rem exemplis, quæ ex parte adducit *P. Athanasius Kircherus* in Mundo suo subterraneo lib 8. sect. 4. cap. 3. confirmabimus: quorum primum exoticum planè, & omni admiratione dignissimum, narrat *Guilielmus Neubrigensis* lib. 1. Revolution. Anglicar. cap. 27. de hominibus subterraneis in Anglia olim, anno 1140. sub Rege Stephano detectis. Eam ex Germanico traductam idiomate adducit Kircherus loco citato his verbis.

Pagus est in Occidentali Anglia quatuor aut quinque milliaribus à nobili Monasterio S. Edmundi Regis & Martyris distitus, juxta quem nonnulla antiquissima spelunca spectantur, quas vulgari linguâ Wulfputes, id est, luporum latibula vocitant,

Hominum subterraneorum historia mirabilis.

vocitant, à quibus & pagus suprà memoratus nomen suum obtinuit. Ex quarum specuum una, tempore æstivo quo rustici segetibus metendis operam dant, duo pueri, toto corpore viridi tincti colore, incognitâ adhuc vestium materiâ tecti, eruperunt. Cùm itaque hinc inde ex novi cœli intuitu veluti cæcutientes, per campos aberrant; tandem à messoribus capti in pagum, magno hominum ad tam inusitatæ rei spectaculum attonitorum confluxu, adducti sunt. Ubi ad nonnullos dies sine omni cibo vixerunt, neque ut ex iis cibis, quibus pagus vesci solebat, quidquam sumerent, induci potuerunt; adeo ut paulatim deficientes de vita, congrui nutrimenti defectu, periclitarentur. Contigit autem, ut eodem tempore quidam curru fabis onusto pertransiret. Quas simul ac viderunt, statim pleno impetu currum involantes, cum apertis scaphis nihil reperirent, suam miserabilem sortem copiosâ lacrymarum effusione unà ejulatui conjunctâ contestati sunt. Postquàm verò indigenæ fabas illos appetere cognoverunt, statim recentes fabas illis apposuerunt: quas magno gaudio, & veluti proprium ipsorum nutrimentum summâ aviditate comederunt; atque exinde nonnullis mensibus nullo alio, præterquam dicto, nutrimento usi sunt, usque dum paulatim panis esui assuescerent. Postquàm verò nostris cibis paulatim assueti essent; ecce viridis, quo imbuebantur, color sensim in cæterorum hominum colorem abire visus est. Deinde sacro baptismate initiati, idioma Anglicum didicerunt. Masculus, qui fœminâ junior credebatur, statim sacro suscepto lavacro extremum diem obiit; soror verò ejus, quæ in nullo quoad corporis proportionem à cæteris fœminis differebat, diu supervixit, &, uti fertur, juxta Lennam matrimonio copulata, non ita pridem adhuc vixisse dicitur. Cùm verò jam linguam Anglicam didicisset, & interrogata quanam & undenam esset; respondit, homines se se esse ex regione S. Martini, ubi maximus ejus cultus vigeret. Et cùm ultrà interrogaretur, ubinam illa terrarum regio existeret, & quomodo in hanc nostram regionem emersissent; respondit, nescire se; hoc tantùm recenti se memoriâ tenere, cùm quodam tempore patris eorum pecoribus pascendis invigilarent, percepisse se se sonitum quendam similem illi, qui in S. Albani templo hujus loci campanarum complosione datur; & cùm insolito hoc sono attoniti ulteriùs progrederentur, tandem se se in eo, quo capti fuerant, campo reperisse. Et cùm rursus interrogaretur, an in memorata regione in Christum crederent, & an Sol illis unquam alluceret; respondit ad primum, regionem esse Christianam, & templis instructam: ad secundum dixit, Solem nunquam nec orientem, nec occidentem ab iis videri, neque illis radiis solaribus illuminari, sed luce quadam dubiâ se frui, eo ferè modo, quo ante Solis ortum, aut post ejusdem occasum, crepusculorum tempore, nobis modò hic apparet: distare verò non procul inde regionem multò clariorem, à sua regione haud exigui fluminis latitudine disterminatam. Hæc & similia de præfata subterranea regione mulier, prout recordabatur, retulit. Unicuique suum de hac historia judicium relinquo. Certè hanc tam admirabilem historiam me conscripsisse non pœnitet. Contigit autem hic mirabilis

eventus

eventus sub Rege Stephano, anno 1140. Fateor, diu multumq; me de simili casu suspensum hæsisse, donec tot tamq; conspicuis hominum fide dignißimorum testimoniis convictus, ita rem se se habere, credidi, miratus illud, quod ratio minimè capere videbatur. Huc usq; Neubrissensis.

ANNOTATIO.

Multa, ut nemo non videt, continet historia hæc, quæ non solùm paradoxa, sed incredibilia quoq; atq; impoßibilia videntur. Præcipua examinat, & ad veritatis limam revocat P. Kircherus loc. citato.

Quærit igitur Primò, *quomodo & quâ occasione homines subterraneam illam regionem subierint, & ibidem habitare inceperint. Respondet, probabile esse id contigisse occasione immanis pestis, aut maximi tumultûs bellici, alteriusve persecutionis. Constat enim, homines in similibus occasionibus fugere cum uxoribus, liberis, pecoribus, totáq; suppellectile domestica, & abdere se se intra sylvas, aut specus subterraneas, aut montium cavitates, velut in tutum asylum, suo tempore, transacto periculo, denuò prodituri. Sic David, cùm fugeret iram Saulis ad necem se quærentis, fugit cum suis in speluncam Odollæ: Hebræi bello à Philistæis, aliisq; finitimis hostibus pressi, in cavernas terræ: S. Paulus primus Eremita, Tyrannis Ægyptios Christianos persequentibus, in antrum solitudinis: alii in alia subterranea loca. Contingit autem subinde, ut obstructo, quà ingreßi fuère, aditu vel studio ab hostibus, vel casu à ruina super impendentis terræ aut scopuli, vel errore devio inter cæcas tenebras, exitum reperire ampliùs nequeant, sed durâ neceßitate coacti ibidem perseverent, & quibus poßunt modis vitam traducant, ac familiam propagent, donec tandem vel ipsi exitum inveniant, vel ab aliis casu in ea loca delatis deprehendantur. Contigisse hoc scribunt Geographi aliquando Judæis intra montium Caspiorum receßus conclusis. Item nonnullis Hispaniæ incolis qui tempore Philippi III. Regis intra montes quosdam Hispaniæ reperti fuère, ubi multorum annorum centuriis vixerant sine ullo hominum aliorum commercio, linguâ ab Hispanica moderna multùm differente, donec à venatoribus detecti, omni vitæ morumq; cultu destituti, à Societatis nostræ Patribus ad meliorem frugem conversi, jam à cæteris nihil differunt. In Transylvania quoq; anno Christi 900. simile hominum genus è montium latebris erupisse, ac regionem nondum omni parte cultam incoluisse, scribunt Historici. Simili ergo casu Angli quidam olim cum rebus suis omnibus ad vitam sustentandam neceßariis, receßum illum subterraneum subiverint.*

Quærit secundò, *quomodo & unde dubia illa lux crepusculina similis oborta illis fuerit. Respondet, ex montium in superiori parte scissura vel apertura notabili, aut etiam ex rima quadam per montis dorsum exporrecta. Aliquid etiam lucis penetravit per hiatum è regione magni fluminis (aut maris fortaßis) quo mulier regionem suam obscuram ab alia lucida distermınari asserebat. Adde quòd qui diu loca subterranea inhabitant, vident ea quæ recèns ingreßi non vident.*

Quærit tertiò, *quænam ignota illa materia, quâ vestiti fuêre pueri. Respondet, fuisse vel pecudū pelles, vel aliam quampiā in subterraneo illo territorio provenientē materiam. Sagaces facit homines necessitas. Indiarum populi alii contexunt vestes ex plumis, alii ex arborum foliis, corticibus, filamētis radicum, musco parietibus innato, & similibus.*

Quærit quartò, *unde viriditas illa corporum provenerit. Respondet, ex viridi alimento quo utebantur, & ex nativa loci humiditate. Sunt enim, uti experientiâ constat, in abditis antris humidis plerumq; muri & cætera omnia imbuta colore viridi. Confirmatur inde, quòd alio cibo utentes, & extra antrum suum habitantes, viridem corporum colorem deperdiderunt. Omitto alia quæ discutit P. Kircherus.*

Cavitatis cujusdam subterraneæ maximæ in Anglia mentionē facit Henricus Hundingdonensis *lib. 1. Hist. Angl. eamq; numerat inter quatuor valdè mira in Anglia.* Tertium, *inquit*, est apud Chederole, ubi cavitas est sub terra, quam cùm multi sæpe ingressi sint, & ibi magna spatia terræ & flumina pertransierint, nunquam tamen ad finem evenire potuerunt. *Hæc, vel huic similis fuerit illa de qua est sermo in præcedenti historia.*

CAPUT II.

De Hominibus ac Pagis subterraneis Insularum Melitæ, & Gozi.

CUm anno 1637. Melitæ commoraretur P. Athanasius Kircherus, comitatus superiorum suorum jussu Serenissimum Cardinalem Principem Landgravium Darmstadianum, tunc juvenem recèns Romæ ad fidē Catholicam conversum; contigit ut quodam die cum Eminentissimo Ordinis Hierosolymitani Magno Magistro Joanne Lascari in villam quandam, amœnitate & deliciis refertam, quam *Boschettum*, id est, Sylvulam vocant, concederet animi relaxandi gratiâ. Ubi cùm de natura & proprietate Insulæ variis ratiociniis ultrò citroq; actum fuisset, dixit dictus Magnus Magister, esse in vicino colle habitationem subterraneam hominum sibi subditorum, seq; desiderare ut eam adiret, lustraretq; miram illorum in adornandis specubus suis, disponendisq; habitaculis industriam. Adjuncto itaq; duce viæ & cryptarū perito, adiit habitationē, quā Arabicâ lingua, Indigenis & Insulæ domesticâ ac familiari, *Ghear Kebir*, id est speluncam magnam vocant. Ingressus portam principalem longè lateq; patentem, reperit speluncam plenam utriusq; sexus hominibus, cum pueris ac puellis, rusticorū more vestitis. Et tametsi confusè inter se habitare primo in congressu viderentur, singulas tamen familias propria sibi receptacula seu recessus, arte aut naturâ factos, possidere deprehendit; intra quæ per alias aliasque cellulas, pulchrâ distributione factâ, alimentorum differentes species condere solebant. Hîc lectus intra rupem incisus, illic panibus, caseisq; collocandis apti loculi, alibi vaccarum, pecorū asinorumq; stabula, quin & gallinarū nidi comparebant. Non deerant vasa fictilia ad aquam cisternarū loco continendā satis capacia. Cæparū alliorumq; prælongæ catenæ, veluti corymbi quidam, parietes exornabant. Aderant & fornaces coquendis panibus

Subterranei homines Melitenses.

nibus opportunæ. His porrò ſubterraneis cryptis lumen Solis per rimas ſcopulorum ac foramina infundebatur, eâ induſtriâ facta, ut nec pluvia, nec ventus facilè iis nocere poſſet. Fornaces quoq; ſuos habebant caminos, ne accenſo igne, ſine camino fumo per cryptas diffuſo ſuffocarentur. Interdiu dum ruſtici extra cryptas laboribus exercebantur, & neceſſaria ad vitam ſuſtentandam procurabant, mulieres colo, caſeis faciendis, ſimilibusq; fœminis propriis laboribus diſtinebantur. Et quoniam lignis carebant, eorum loco excrementis jumentorum ad Solem exſiccatis ignem fovebant. Homines utriusq; ſexus prægrandi erant ſtatura, robuſti, & macrobii. Adeo autem cryptarum ſuarum deſiderio ejuscemodi homines teneri dicebantur, ut ſi quando eos vel vendendi res ſuas, vel comparandi alia neceſſaria Melitam, aut alias Inſulæ urbes vel pagos adeundi neceſſitas urgeret, ibidem tanquam exilio damnati, vix teneri poſſe viderentur, quin ſtatim expeditis negotiis cryptas ſuas repeterent, ac ne unicâ quidem nocte abeſſe vellent. Carnibus vaccarum, pecorum, gallinarum prorſus abſtinebant, utpote quas in lucrum tantùm venditione factum reſervabant, pane, caſeo, lacte, cæpis, allio, herbis contenti. Hujus rei ut experimentum caperet Kircherus, juſſit Magnus Magiſter menſam inſtrui, in qua ex una parte omnis generis carnes, & quidquid tandem ex opiparo & magnifico ſanè prandio ſuperfuerat cupediarum; ex altera caſeum, cæpas, allia, caules, pulmenta quos maccaronos vocant Siculâ linguâ, poni præcepit, vocatosq; Troglodytas ſuos quos ad culinæ ſerviendum ex cryptis accerſiri curârat, menſæ aſſidere juſſit: qui mox relictis carnium deliciis, ad cibos illos, quibus aſſueverant, quibusq; libenter veſcebantur, converſi, plenis pugnis, & caninâ quadâ aviditate illos devorabant. Hæc de Troglodytis Melitéſibus.

Eſt Melitæ Inſula vicina, Gaulos, vulgò Gozo nuncupata, Magno quoque Melitenſium Equitum Magiſtro ſubjecta, à qua & Principis titulum obtinet. In ea Inſula ſimilis prorſus crypta hominibus referta reperitur.

Utriusq; Inſulæ incolæ Chriſtiani ſunt, fidem amplexi ab eo tēpore, quò D. Paulus in Melitâ naufragio ejectus appulerat. Linguâ utuntur Arabicâ durâ, ſine ulla Italicæ alteriusve linguæ miſtura: quamvis multi quoq; Italicam calleant, unde utriusq; idiomatis Patres noſtræ Societatis peritos eſſe oportet, qui cum iis versâtur. Maronitæ, qui Romæ in Maronitarū Collegio, ſub Patrum ejusdem Societatis cura, ſtudia ſua abſolverunt, & Sacerdotio initiati fuerunt, dum in Montem Libanū unde venerant, revertūtur; primùm Siciliam ac Melitam petunt, ibiq; navigandi in Orientē opportunitatem operiūtur. Quo tēpore utriusq; Inſulæ Troglodytas adeūt, Chriſtianæ fidei præceptis imbuunt, Miſſam Arabicâ linguâ celebrant, & ad omnem pietatem inſtituunt: nec enim barbari ſunt, aut rudes in fide Catholica, ſed ſummâ devotione quotidie ſuas orationes peragunt, precatorios globulos ad DEIPARÆ honorē orando pervolvunt, miſſam in vicinioribus

Subterranei homines Inſulæ Gozi.

pagis diebus Dominicis ac festis audiunt, sacramenta frequentant. Habent quoque in cryptis suis Christi crucifixi, Deiparæ, ac Sanctorum imagines decenter expositas, easq; piè venerantur.

CAPUT III.

De Hetruriæ, aliorumque locorum Troglodytis.

Subterranei homines Hetruriæ. DUm citatus superiori capite Kircherus anno 1659. Hetruriam lustraret, à Magno regionis Duce evocatus; contigit, ut quodam tempore Agrum Viterbiensem examinaturus pratum quoddam transiret, in quo hinc & inde perpetui fumi exhalabant. Ratus itaq; fossas esse sulphureas, ex viarum comite intelligit, fumos esse qui per subterranearum habitationũ caminos in pratis illis exitum suum sortiantur. Mox ostium offendit, per quod in dictas cryptas aditus patebat. Ingreditur, & non secus ac in Melitensium Troglodytarũ cryptis omnia disposita reperit, cubiculis, sedilibus, loculis in vivo saxo excisis, multò Melitensium amplioribus; pagus namq; subterraneus erat, quem Meonianũ vocant, sub jurisdictione Excellentissimi Principis Camilli Pamphylii. Ecclesia extra cõspiciebatur. Indigenæ omnes agriculturæ dant operam. Fusiùs hæc explicabit citatus Auctor in Itinerario suo Hetrusco, quod brevi prodibit.

Subterranei homines variarum regionum. Aliis quoq; multis in regionibus similia subterranea loca ab hominibus habitata, fuisse olim, & nũc quoq; esse, patet ex Historicis. Troglodytarum, id est, in specubus ac cavernis habitantium frequens est mẽtio apud Plinium, Solinum, Pomponium Melam, Strabonem, & alios Historicos atque Geographos. *Plinius* lib. 4. Natur. Histor. cap. 12. inter Scytarum, Getarum, Sarmatarum populos collocat etiam Troglodytas, & mox ab illis Alanos ac Roxolanos. Idem lib. 5. cap. 5. meminit Troglodytarum Africæ. Et capite 8. de iisdem loquens, ait: *Troglodytæ specus excavant. Hæ illis domus, victus serpentum carnes, stridorq; non vox; adeo sermonis commercio caret.* De iisdem *Pomponius Mela* lib. 1. in descriptione Cyrenaicæ ait: *Troglodytæ nullarum opum domini, strident magis quàm loquuntur: specus subeunt: aluntur q; serpentibus.* Eadem habet *Solinus* in Polyhist. c. 44. *Troglodytæ,* inquit, *specus excavant; illis teguntur. Nullus ibi habendi amor: à divitiis se abdicârunt paupertate voluntariâ.* Meminit eorundem *Herodotus* in Melpomene. *Strabo* lib. 5. ex Ephoro refert, Cimmerios in subterraneis cavernis habitasse.

In Idalcanis regno Indiæ plerosque tum Brachmanes in monte Pagodum, tum plebeos in subterraneis meatibus habitare, Annuæ Societatis nostræ litteræ, & Historiæ docent.

In Africa ad montes Lunæ in intimis montium recessibus homines contra solaris æstus vim vitam degere, *P. Petrus Pays* in Historia sua narrat, teste Kirchero qui eam legit.

Caspio-

Caspiorum montium concava hominum habitationibus referta esse, testatur *Marcus Paulus Venetus* apud eundem Kircherum.

De subterraneis intra & extra Romam cryptis olim habitatis, præsertim à Christianis persecutionum tempore, res est notissima. Ipsemet unam lustravi, viis suis aptè distinctam, altaribus & imaginibus etiamnum ornatam.

Olaus Magnus lib. 7. Histor. Septentr. cap. 23. loquens de Islandia, ait: *Quòd autem cernuntur crypta & subterranea caverna pro usu habitationum humanarum, ac conservatione bestiarum, nemo miretur, cùm venti, quemadmodum superiùs lib. 2. dictum est, in tantum ibi saviant, præsertim Circius ex Occidentali ac Septentrionali commixtus, ut vix equitare aut ambulare concedatur viatori.*

Joannes Mariana lib. 7. Histor. Hispan. c. 2. refert, Pelagium Maurorum copias declinantem, cum mille selectis viris *in Ansena montis speluncam locis spatiosam* se condidisse, & multum commeatum, arma, telaq; eò comportasse, ad obsidionem tolerandam, & si casus ita ferret, ex eruptione cum hoste pugnandum.

CAPUT IV.

De Gigantibus, & miræ magnitudinis ossibus, quæ passim in locis subterraneis reperiuntur.

DE Gigantibus fusè tractavimus suprà hoc libro 3. cap. 8. ubi ex Scriptura sacra, variisq; exemplis antiquis ac recentibus probavimus, fuisse olim, & etiamnum variis in locis esse Gigantes, id est, extraordinariæ mensuræ homines. Inter alia exempla adduximus sequentia.

§. I. Exempla Gigantum miræ magnitudinis.

Gigantes miræ magnitudinis.

OG Gigantis & Regis Basan lectus erat longus	Cubit. 9.
Goliath Gethæus Palæstinus erat longus	Cubit. 6. Pal. 1.
Pusio & Secundilla Ped. 10. & amplius, id est	Cubit. $6\frac{2}{3}$.
Gabbara erat 9. Pedum, & 9 unciarum, id est,	Cubit. $6\frac{1}{2}$.
Orestis ossa impleverunt, teste Solino	Cubit. 9.
Teste verò Plinio	Cubit. 7.
Corpus in Creta repertum, teste Solino, erat	Cubit. 33.
Idem aut aliud ibidem repertum, teste Plinio	Cubit. 46.
Multi in India excedebant	Cubit. 5.
Multi in Æthiopia.	Cubit. 8.
Antæi cadaver in Mauritania repertum	Cubit. 70.
Ajacis cadaver repertum erat	Cubit. 11.
Hylli Herculis filii cadaver, novem jugerum	
Orestis corpus in Nemea, septem jugerum	

Ariadnis viri Æthiopis ſive Indi cadaver	Cubit. 30.
Gigantis cadaver in ſpelunca Segei montis repertum,	Cubit. 22.
Gigantis cadaver in Coo inſula repertum	Cubit. 12.
Proteſilaus, viginti annos natus erat	Cubit. 10.
Panormitani gigantis cadaver erat longum	Cubit. 18.
Carthaginenſis unius cadaver erat longum	Cubit. 23.
Carthaginenſis alterius	Cubit. 24.
Gigantis in Boſphoro Cimmerio reperti cadaver	Cubit. 24.
Scotici Gigantis cadaver.	Cubit. 9½.
Anglici gigantis cadaver	Cubit. 33½.
Hartbenus gigas Septentrionalis.	Cubit. 9.
Gigantis cadaver in Narbonenſi Gallia.	Cubit. 20.
Drepanitanus Gigas, ut dicitur, fuit	Cubit. 200.

§. II. Alia exempla miræ magnitudinis Gigantum.

OMitto alia multa Gigantum exempla quæ citato capite 8. libri 3. adduximus, & addo nova ibi omiſſa, quæ refert etiam *P. Kircherus* in Mundo Subterraneo lib. 8. ſect. 2. cap. 4.

Gigantum miræ magnitudinis exempla alia.

Excellentiſſimus & Eruditiſſimus *Dn. Carolus Kalà*, Dux Diani, & Cameræ Regiæ in regno Neapolitano præſes, in ſuo de Vita B. Joannis Kalà lib. fol. 202. & *P. Lucas Mandellus* Ord. Divi Auguſtini, in Epiſtola ad P. Kircherũ data Conſentiâ in Calabria, referunt, inventa non ita pridem fuiſſe in ſpeluncis juxta Conſentinam Urbem oſſa ingentis magnitudinis in quodam ſepulchro, quod prope urbis muros in quodam horto juxta templũ D. Petri erat. Hiſtoriam totam narrat teſtis oculatus Vir ætate gravis apud citatum Mandellum, his verbis: *Accidit paucis abhinc annis, ut quodam die tardiuſculè reverſus rure, portas civitatis obſeratas offenderim. Quapropter apud hortulanum mihi notum pernoctare ſum coactus. Is homo, ut erat mei ſtudioſiſſimus, retulit, ſe quoties in quadam horti parte terram excoleret, ſubterraneum percipere ſonitum, indubia concavitatis indicium. Cui ego (quem ſomnus fugerat) quin imus, dixi, & ſi quidpiam ibi ſit reconditum, perſcrutamur? Nec mora, opportunis arreptis inſtrumentis, ſervuloq; excitato, ad locum pergimus: nec multùm effoſſâ terrâ, fabricam ſubterraneam nacti, haſq; aliquantulum dirutâ, concameratum ædificium eſſe conſpeximus; idq; perſcrutantes nil aliud, præter rudera, invenimus quàm oſſa, humani cadaveris illa quidem, verùm tantæ longitudinis ac magnitudinis, ut Gigantis fuiſſe perſpicuum eſſet. Hinc aliam cameram effodientes (nam plures erat, invicemq; connexa) nil præter hujuſmodi oſſa, tibias, id eſt, crura, brachia, atq; coſtas ejuſdem molis eruimus. Tandem quidpiam rotundum lanci aromatariorum prægrandi non abſimile conſpicatus, idq; totis viribus bipalio perfringere conatus,*

ſummam

summam calvariæ partem ejusdem cadaveris esse animadverti. Quamobrem in Gigantis sepulchrum nos incidisse edocti, repositis ibidem ossibus, regestâq; terrâ solum æquantes, fatigati discessimus. Citatus Mandellus suspicatur ossa illa fuisse Marduchi Salernitani quondam Gigantis. *Legimus enim*, inquit, *in libro de rebus fortiter gestis à Joanne Kalà, Heduæ anno 1509. impresso, Authore Joanne Bonatio, ex relatione Martini Schener Angli, ejusdem Joannis Kalà discipuli, obsessâ hâc civitate ab exercitu Henrici VI. Cæsaris, extitisse hic quendam monstruosæ staturæ virum, quem indigitabant Marduchum, sive Salernitanum Gigantem. Hic auditâ fortitudinis famâ Joannis, illum provocavit, ad singulare certamen; in quo ab ipso Joanne occisus, consequenter hoc in loco humatus videtur.*

Fortunius Licetus apud Kircherum loc.cit. ait, nuper ad Juliam Cæsaream in Africa effossam esse calvam ambitu duodecim spithamarum. *Sed & post victoriam, quam sub Ludovico Rege ad Laudem Pompeiam obtinuit, Mediolanum profectus offendit in Nosocomio juvenem unum tantæ proceritatis, ut stare non posset: neq; enim poterat à natura satis alimenti ad crassitudinem roborisque proportionem suppeditari. Itaque jacebat, explebatque lectos duos simul junctos &c:*

Bocatius in Deorum Genealogia scribit, Gigantem illum Drepanensẽ, in Eryce monte inventũ (ut ex Fazello narravimus hoc lib. c. 8.) fuisse magnitudinis ducentorum cubitorum, vel ampliùs, juxta ratiocinium eorum qui totam hominis altitudinem ad mensuram cujusq; minimi ossis novêre. Sed hoc fabulosum sine dubio est, ut postea videbimus.

Beatus Odoricus Uticensis in secunda Itineris sui ad Indos descriptione testatur, vidisse se in Curia Magni Cham Gigantem altitudinis viginti pedũ.

Joannes & Olaus Magni in Historiis suis Septentrionalibus, maximè celebrant inter alios Gigantes Septentrionales, qui olim fuére in illis partibus, Kollonem & Starchaterum, procerissimæ staturæ, & robustissimarum virium. Lege Olai librum quintum.

Fortunius Licetus in suo de spontaneo rerum ortu libro apud Kircherũ scribit, Joannem Costæum, virum probitate ac doctrinâ summè spectabilem, Venetiis vidisse Lusitanum Gigantem vastissimum, adeo robustum, ut licèt alligatos utriq; brachio funes in oppositum duodecim bajuli, utrimq; sex, omni suo conatu traherent, diducta tamẽ brachia sensim ad pectus, invitis & contra nitentibus illis, traheret stans imotus, & poma quæ manibus gestabat, imperturbatus per notabile spatiũ temporis comederet, sudãtes bajulos, & illius manus ab ore divellere frustrà tentantes irridens.

Joannes Cysatus in sua de quatuor civitatibus principalibus Helvetiæ fusè tractat de cujusdam vastissimæ magnitudinis sceleto, cujus pictura in hunc usque diem spectanda exhibetur in Curia Lucernensi, cum hac epi-

Digitized by Google

epigraphe: *Delineatio sceleti Gigantis, cujus ossium portiones aliquot, veluti femoris, tibiæ, scapularum, vertebrarum, ossis sacri, coccygis navicularis, costarum, calvariæq; fragmenta, pollicis quoq; secundum os, atq; calx, mala item integra ferè (è quibus & tanquam illis quæ in hominibus longè aliter, quàm cæteris animantibus formata sunt, humani corporis hæc ossa fuisse, præcipuè indicium sumptum fuit) in ditione Lucernatum Helvetiæ, juxta vicum Reyden, quercu antiquâ dejectâ, sub illa inventa, Senatuiq; Lucernensi transmissa, & ad horum dimensionem, reliqua totius sceleti ossa, quæ aberant, à Felice Platero ordinario Basilleæ Physico, ad imitationem veri sceleti delineata, atq; à Joanne Bock pictore Basilensi depicta, Illustrißimo Senatui Lucernensi præsentata fuerunt, Anno Sal. 1584.* Fuit autem hoc sceleton inventum anno 1577. in Comitatu Willisau, Lucernensis Jurisdictionis, sub annosa quercu, ut dictum. Cysatus indicio Plateri, ex proportione membrorum, altitudinem hujus Gigantis dicit quadragies bis majorem fuisse hac sequenti lineâ.

Hæc linea quadragies bis sumpta, adæquat altitudinem Gigantis Lucernæ asservati.

EX quo patet, Gigantem hunc triplo & ampliùs superasse ordinariam benè proportionati viri magnitudinem. Idem sceleton describit etiam *Platerus* lib. 3. Observation.

Maximiliano Cæsari, teste *Surio*, anno 1511. giganteæ magnitudinis vir ex Polonia oriundus, oblatus fuit, qui & pro magnitudine corporis proportionato cibo singulis prandiis vitulum & ovem absumebat. Similis Ferdinando II. anno 1623. in Comitiis Ratisbonensibus exhibitus fuisse dicitur.

§. III. Reiicitur enormis magnitudo quibusdam Gigantibus attributa.

Gigantum quorundã magnitudo fabulosa est.

FUisse revera tum ante, tum post diluvium Gigantes, negari non potest, cùm ipsa sacra Scriptura id apertè doceat. Ex eadẽ cõstat, non omnes ejusdem fuisse magnitudinis, sed primis tẽporibus majores, deinde minores: nam lecto ferreo Gigantis Og tribuuntur novem cubiti, Goliatho verò, qui post Og fuit, cubiti sex & palmus. Itaq; aliquorum Gigantũ altitudinem excrevisse ad cubitos sex, aliorum ad septem, aut octo, aliorum etiam ad novem, vel fortassis etiam decem, libenter concedo: at aliquos excrevisse ad altitudinem cubitorum 20. 30. 40. 70. adduci ægrè possum ut credam. Minùs credo quod à Bocatio de Drepanitano scribitur, fuisse nimirum cubitorum 200, id est, pedum (tribuendo cubito uni pedem unum cum dimi-

dimidio) 300; nullæ enim ædes, nulla tentoria, cavernæ subterraneæ nullæ, aut vix ullæ, tantam molem stantem, & ambulantem capere potuissent. Non nego tamen quod probabile judicavi suprà c. 8. sæculis illis quibus gigantes plures visebantur eodem tempore, & regione, fuisse subinde gigantum gigantes, hoc est, qui ordinariam illorum temporum staturam gigantum superarent.

Gigantum ossa fictitia in Sicilia.

Decepti ergò fuêre qui tantam illis molem attribuerunt. Causa deceptionis prima fuit, quòd ex dente aliquo, aut osse quod giganteũ putârunt, falso ratiocinio totius corporis molem desumpserint. Altera, quòd ossa ingentia, quæ multis in locis reperta fuêre, & etiamnum subinde reperiuntur, non vera, sed fictitia ac fossilia fuerint ossa, intra terræ viscera ex materia lapidifica aut ossifica concreta, ut pulchrè & fusè probat *P. Kircherus* in Mundo Subterraneo lib. 8. sect. 2. cap. 4. ubi ait, se cùm Panormi in Sicilia esset, & visis quibusdam enormis magnitudinis dentibus ac ossibus sibi pro giganteis oblatis, de iisdem cum Illustrissimo ac Eruditissimo Domino Carolo de Vintimiglia, mihiq;, cùm inibi commorarer, intimo, contulisset; ductum se ab illo ad locum tribus ferè passuum millibus Panormò dissitum, quod mare dulce vocant, ob vicinum copiosissimum limpidissimæ ac dulcissimæ aquæ fontem. Est ibidem ingens montis promontorium, & è regione foramen prægrande, per quod in obscura immensi specus latibula patet aditus. In hunc specum introductus cum tædis accensis, vidit in pariete sinistro longè latèq; exporrectum mirum Naturæ opus, dentes nimirum lapideos innumeros, parvos, mediocres, maximos, veluti stirias dependentes, eâ serie, quâ Natura maxillis animalium inserere solet, tãta naturalium dentium similitudine, ut vix hos ab illis distinguere queas: suprà enim candorem pellustrem, inferiùs verò radices monstrabant acutas, omnes tamen in lapidem solidum conversi erant. Antrum ipse quoq; aliquando subivi; dentes fictitios, tum ibi, tum in Museo Kircheriano Romæ vidi, & multos, qui veros ac giganteos dentes esse credebant, novi. In eadem spelunca deprehendit Kircherus nescio quæ humanorum corporum lineamenta, ut tibiarum, vertebrarum, genuum, calvariarum, aliarumq; partium, nullo tamẽ ordinis nexu dispositas. Alia quoq; huic antro similia aliis in locis Siciliæ reperiuntur plena similibus humanorum membrorũ simulachris, quæ plebs imperita, & docti aliqui minùs cauti, hactenus pro gigantum membris suspexêre, cùm tamen non ut humana ossa intus cava seu fistulosa, sed per totum solida sint. Sunt tamen nonnulla fortassis elephantum ossa, qui ab Afris in Siciliam contra hostes olim introducti, ibidem mortui sunt.

Quomodo autem, & qua ex materia oriantur intra terræ viscera ejusmodi ossa, & qua ratione induant figuras dentium, manuũ, pedũ, tibiarũ, coxendicũ, craniorum; pulchrè explicat *P. Kircherus* loco citato in Mundo Subterraneo.

§. IV. Alia adhuc tolerabilis magnitudinis gigantum exempla.

Gigantum tolerabilis magnitudinis exempla.

FAbulosa ergo sunt, quæ de enormi quorundam magnitudine scribuntur; certa, aut verisimilia, quæ de mole temperata. Horum nonnulla alia addere placet exempla.

Platerus lib. 3. Observat. scribit, cùm aliquando per pagum Dirneu ditionis Basileensis iter faceret, anno 1565. ostensam sibi fuisse puellam quinque annorum: quam cùm inspexisset propiùs, & mensurasset, deprehendit, *coxas illius seu fæmora crassitie equi sui collum superare, suras q; hominis alicujus robusti & quadrati fæmora amplitudine aquare; cinguloq; quo lumbos cingebat, matris illius & patris corpora juncta potuisse comprehendi.* Narrârunt eidem Platero parentes puellæ, antequam anni spatium ætate complêsset, tantum ponderasse, quantum saccus tritici octo modiorum.

Tempore Salentini Electoris Coloniensis visus fuit, teste Brinckio apud *Deusingium* in Secundinis Fœtus Mussipont. in Germania Brabantinus quidam, satelles ipsius Electoris, tam proceræ staturæ, ut vel lõgissimus virorum vertice demum ad pectus illius assurgeret, nemo exporrectâ manu cum brachio ad illius erecti collum pertingeret. Insignis erat roboris, adeo ut sub utroq; simul brachio dolium liquore plenum contineret, ac portaret. Quo tamẽ molimine corrigit aliquando, ut alterum ipsi excideret, casuque ita vehementer crus ipsi læderet, ut ab eo tempore non nisi subalari fulcimento nixus incederet. Is tandem ad Ducem Brunsvicensem devenit, à quo ad vitæ extremũ fuit sustentatus. Sceleton illius in Anatomia Helmstadiana asservatum se vidisse anno 1615. memorat dictus Brinckius. Cranium crassitie transversum æquasse digitum, suturis carens, quarum loco duo foraminula adesse notârat magnitudinem grani piperis habentia.

Idem Brinckius ait, se anno 1607 in aula Regis Angliæ vidisse satellitem admodum proceræ staturæ, ac vastissimi roboris; qui aliquando Nanum, fortè in aula præsentem, pede à sua aure suspenderit, atq; ita se se stiterit Reginæ, quasi insigni inaure ornatus.

Petrus Gassendus in Vita Peireskii lib. 3. pag. 203. refert exemplum de gigante prodigiosæ molis; cujus ossa in Delphinatu sint reperta: quod exemplũ si verum est, ex eorum numero fuisse oportet, quos c. 8. gigantũ gigantes appellavi. Ferebant, inquit Gassendus, detectum fuisse in sabuloso quodam loco, non longè ab ipso confluente Rhodanum inter & Isaram, sepulchrum lateritium, triginta longum pedibus, latum duodecim, altũ octo, cum superposito lapide, in quo hæc inscriptio: TEUTOBOCHUS REX. Addebant, sepulchro aperto apparuisse intus sceleton humanum, longũ pedes viginti quinq; cum semisse, latũ ad humeros seu scapulas decem, profundũ ad thoracẽ quinq;. Craniũ observatũ fuisse pedum quinq; secundùm longitudinẽ, secundùm verò ambitũ decem. Spectatum prodigium per integrum

tegrum diem. Cætera quidem ossa abiisse in cineres; & superfuisse, quæ translata nemo non vidisset Parisiis, partem maxillæ inferioris, vertebras duas, portiones costæ humeri, fœmoris, alterum fœmur, tibiam, astragalum, calcaneum: præter non transmissa aliquot fragmenta, ac nominatim fœmoris, itemque duos dentes.

Idem *Gassendus* ibidem lib.4.pag. 358. meminit alterius gigantei cadaveris, Tuneti effossi, quod immensæ propè magnitudinis pronuntiat, ut Thomas Arcosius, vir multiscius, ex illa ora significaverat. Scripsit nempe Arcosius, referente Gassendo, cranium continere posse mellereolas Provinciales octo, hoc est, Parisiẽsem liquidorum modium (qui continet pintas ducentas octoginta) cum dodrante. Immanis sanè vastitas, inquit Gassendus, & ob quam Peirescкius Arcosium admonuerit, spectaret omnia propiùs, expenderetq; scrupulosiùs; posse certè molarem dẽtem, quem ad se transmiserat, aut prægrandis elephantis, aut balenæ cujuspiam esse.

CAPUT V.

De Pygmæis, an sint dæmones virunculorum montanorum specie.

Pygmæi septentrionales an dæmunculi subterranei.

DE Pygmæis egimus fusè suprà hoc libro 3.c.7. statuimusq; probabilibus, fuisse aliquando integras illorum nationes, idq; variis in locis. De Montanis virunculis egimus lib. 1.c.38.& in Appendice. *P. Kircherus* in Mundo Subterraneo lib.8.sect.4.cap.4 agens de dæmonibus Subterraneis, ait, tribus potissimùm in locis dæmones frequentiùs apparere solitos: primò in Septentrionalibus perpetuâ caligine damnatis regionibus: secundò in horridis solitudinibus: tertiò in subterraneis fodinarum metallicarum cuniculis. Et quoniam in dictis locis (saltem primo & tertio) plerũque apparent hominibus sub forma nanorũ cubitalium, putat hinc ortam fuisse opinionem de Pygmæis ad Riphæos montes, aliisq; in locis Septentrionalibus habitantibus, & cum gruibus pugnantibus. Nullos enim putat esse, aut unquam fuisse in regionibus illis Pygmæos, cùm totus ille tractus jam dudum ab Hollandis sit perlustratus, nec ullum tamen ullibi vestigiũ illorum repertum; nec unquam, quod sciatur, ex Lappia, Biarmia, Finlãdia, cæterisq; Sueciæ, Moscoviæ, Germaniæq; vicinis partibus fuerit ullus pygmæus adductus. Fabulosa igitur putat esse omnia, quæ Auctores de ejusmodi pygmæis scripsêre, decepti ab illarum regionum populis, qui subinde dæmunculos quosdam sub virunculorum specie & habitu viderunt, & famam de pygmæis in vulgus primùm, deinde etiam inter doctos sparserunt. Hæc Kircheri sententia est. Quid nos cum multis sentiamus, patet ex citato capite 7. hujus libri.

CAPUT VI.

Mirus ac luctuosissimus Comitis Nicolai à Zrinio casus.

INter Mirabilia Hominum numerari meritò possunt miri ac luctuosissimi quorundam hominum, famâ & factis illustrissimorum, casus. Horum pleni sunt libri, plenæ historiæ. Auget numerum

EXCELLENTISSIMUS AC ILLUSTRISSIMUS DOMINUS, DOMINUS

COMES NICOLAUS PERPETUUS à ZRINIO,

Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Ban seu Prorex; confiniorum ejusdem regni Sclavoniæ Colapianorum Supremus; nec non Præsidii Legrad, totiusque Insulæ Murackoez Hæreditarius Capitaneus; Comitatuum Saladiorum & Cimigyen Supremus Comes; Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis LEOPOLDI I. Consiliarius Intimus & Camerarius; Eques Velleris Aurei, & Agazonum Regalium per Hungariam Magister; nec non totius Gentis Hungariæ, ac Regni Apostolici Militiæ Dux.

HUjus tanti Herois recentissimus ac tristissimus casus, tametsi toti Europæ, ac fortassis Orbi universo notissimus jam sit, multorumque scriptis ad seram transmittendus posteritatem; hic tamen referre eum breviter volui, ut hac quoque viâ Viri vita, vitæ exitus, & occultissima providentissimi DEI judicia mortalibus innotescant.

Hic ergo tantus Dux, tam generosâ ac semper victrice familiâ oriundus; qui toties Ottomannicum Imperium terruit universum; qui tot Turcarum millia stravit, tot loca munitissima hosti eripuit; qui nunquam sine inimicorum terrore domo exivit, nunquam sine strage gladium strinxit, nunquam sine victoria domum rediit: qui velut alter Machabæus surrexit cum fratre suo PETRO à ZRINIO, *& prœliavit prœlium Israël* (Christianitatis) *cum lætitia; & dilatavit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in prœliis, & protegebat castra gladio suo: similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione; & persecutus est iniquos perscrutans eos; & qui conturbabant populum suum* (Christianos) *eos succendit flammis: & repulsi sunt inimici ejus præ timore:*

Digitized by Google

timore ejus,& omnes operarii iniquitatis conturbati sunt , & directa est salus in manu ejus;& exacerbavit reges multos, & latificavit Jacob (Christianos) *in operibus suis ; & in sæculum memoria ejus in benedictione : & perambulavit civitates Juda* (Ungariæ) *& perdidit impios ex eis,& avertit iram ab Israël (*à Romano Imperio:)*& nominatus est usq, ad novissimum terræ, & congregavit pereuntes.* Hic inquam tantus Dux ac Heros , quem tot Turcarum millia non dico prosternere,sed ne terrere quidem potuêre unquam , ab apro in venatione,prælio ludicro , prostratus fuit,in vitæ flore , in victoriarum cursu,in Auge gloriæ,expleto ætatis anno quadragesimo sexto,die XVIII. Decembris,elapsi proximè anni M.DC.LXIV.

Terruerat Turcarum imperium potentissimum,novo ædificato munimento ante Canisæ,eorundem Turcarum propugnaculi fortissimi , conspectum ; diripuerat Ungariæ Turcicæ loca munita non pauca ; invaserat Quinque Ecclesias , atque expilaverat ; exusserat Esseckianum pontem pontium miraculum ; obsidione cinxerat , ac pœnè ad deditionem coëgerat Canisam inexpugnabilem ; sed aut fortunæ instabilitate,aut aliorum æmulatione , aut meliùs divinâ providentiâ , obsidione solutâ , munimento Neozeriniano amisso,pace inter Romanum & Ottomannicum Imperium redintegratâ,in Insulam suam , Insulæque præsidium Zaccathurum se se receperat ; & ne à præliandi consuetudine desisteret , cùm acinacem in Turcas stringere non posset , venabulum in apros dirigere constituerat. Parantur omnia in sylva Muræ adjacente, & Zaccathuro proxima ; cogitur præda in angustias ; nunciatur Generosissimo Comiti ad mensam assidenti , aprum insolitæ magnitudinis , post læsum è venatoribus unum, fugatum militem,& occisum rusticum , per sylvam errare. Surgit protinus cum suis,sylvam cingi jubet,desilit ex equo , sylvam penetrat primus, aprum offendit solus,invadit,pugnat : sed ante suorum adventum sauciatur gravissimè in pede, in collo,in capite , in corpore reliquo ; prosternitur ; reperitur à famulo semianimis, & sanguini suo innatans ; concurritur ab aliis ; exoritur ejulatio & clamor. Erigit se nihilominus fortissimus Heros, consolatur suos,dicendo : Meliùs se res habebit ; mox meliùs erit. At cùm Nobilium unus , ob copiosissimum è tot vulneribus sanguinis fluxum , adverteret vires Comitem deficere, ac mortem præsentissimam instare,dixit : Excellentia Vestra commendet animam suam DEO, cum verâ peccatorum suorum contritione; moxque orando præivit. Quo audito,ter pectus percussit pius Heros , & inter suorum brachia invictissimum spiritum DEO reddidit.

Cecidit ergò,heu ! cecidit è victrice Domo Zeriniana maximus, domi piissimus,militiæ præstantissimus,Christianis ac Turcis notissimus,illis

Digitized by Google

ad solatium, his ad terrorem. Jacet; & cujus vitæ filum tot Turcarum acinaces abscindere nequiverunt, dens abscidit aprinus.

Innumera circumferuntur Epitaphia, Anagrammata, Chronographica, aliaque: seu doloris, seu laudis argumenta, à doctis, & Zeriniano nomini devotis totâ Christianitate concinnata. Ex omnibus refero solum quæ ex Eoo-Francico Parnasso, Herbipolensi inquam Collegio nostro prodiêre, & tacito Auctoris ac loci nomine ad varias urbes ac Provincias missa, cum plausu lecta, atque ad nos remissa cum approbatione summâ fuêre.

EPITAPHIUM SERINIANUM.

NICOLAUS COMES SERINIUS

Hic est,

Nicolaus, victor populorum.

Qui animos in pectore, victoriam in nomine,
Fulmen in manu, Serenitatem in vultu,
Prudentiam in consiliis, Felicitatem in armis,
Quàcunque gressus tulit, circumtulit.
Virtutis Comes, Dux Fortunæ.
Illam sociam semper habuit, Hanc ducem nunquam
passus est, ne cæcam sequeretur.
Unde belli tam serius in agendo fuit,
quàm domi in pace serenus,
Ubique Serinius;
Nunquam serus in negotiis.
Quam à fronte occupavit semper
Occasionem, calvam expertus est nunquam.
Prudentiam Fabii habuit sine cunctatione,
Fortunam Alexandri sine temeritate.
Eum experti sunt
Turcæ in igne Samsonem
Ad Quinq; Ecclesias, & Pontem Esseckianum,
Quæ flammis donavit:
Tartari in aquis Moysen,
Quos ad Neoscrinium in flumen egit.
Hujus illi vorticibus maluerunt perire,
Quàm illius fulmen acinacis experiri.

Canisam

Canisam virtute suâ terruit
Quam in fatis fuit non vinci.
(Plura hîc absorbet dolor.)
Virtus supra æmulationem fuit, non supra invidiam,
Cui etiam Fortuna aliquando invidit.
Animi robore securus,
Ne sui timerent, metum in hostes misit;
Ut sequerentur in pericula, præivit;
Ut vincerent, hostes suis antè consiliis impedivit:
Tantus terror hostium, quantus amor Suorum.
Ecclesia suum Machabæum credidit,
Redivivum Scanderbegum Ottomannus timuit.
Hunc Maximum sæculi nostri Heroëm
Aper ignobilis prostravit.
Sic rebus mortalibus illudit DEUS,
Ut Maximis Majorem se ostendat.
Ne dicas
Adonidis fato periisse, qui Hectoris bella gessit.
Confectâ pace obiit,
Ut meliùs in cœlis otia ageret, quàm in terris,
Ubi Dei & Ecclesiæ negotium semper egit.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS

De

MIRABILIBUS ENERGUMENORUM.

PROOEMIUM.

Mirabilia Energumenorum.

INter mira, quæ dæmones in hominum perniciem perpetrant in hoc Mundo, inter mala innumera, quæ odio atque invidiâ stimulante miseris mortalibus inferunt, non postremum est, quòd nonnullos *ἐνεργουμένως* ingrediuntur, & obsident, dirisque adeò modis divexant, ut non minorem commiserationem intuentibus, quàm admirationem pariant. Inter hominum quoque admiranda, quæ magno numero produximus in medium Superiori Libro, hoc vel maximum est, quòd à Dæmonibus subinde infessi adeò patrant mira, dum vel rustici atque illiterati alioquin homunciones linguis loquuntur peregrinis, dum debiles alioquin mulierculæ catenas dirumpunt fortissimas, atque è multorum ac robustissimorum virorum manibus elabuntur, dum vel cattorum aut stellionum in morem per glabros etiam reptant muros, vel avium instar è pavimento ad conclavium tholum evehuntur, ut luculentissimè pateat, non propriis illa viribus, sed Spiritus superioris auxilio perpetrari. Horum nos hominum, quos alii Obsessos à dæmone, alii Infessos, alii Dæmoniacos, alii Arreptitios, alii nobiscum Energumenos appellant, mirabilia hoc loco pandemus; postquam nimirum in præcedentibus copiosè de dæmonum ac hominum Admirandis disseruimus. Qui præter ea, quæ dabimus, plura volet, legat *Petrum Thyræum* Libro de Dæmoniacis, *Raphaëlem de La Torre* tract. de Potestate Eccl. *Georgium Stengelium* Libro de Monstris, *Gisbertum Voëtium* part. 1. Disput. Select. Disp. de Energumenis, & alios quos citabimus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT I.

Quid sint Energumeni.

Energumeni quid sint.

VOx *ἐνεργούμενος* occurrit apud *S. Dionysium Areopagitam* de Ecclesiast. Hierarchia, & significat *à dæmone vexatum*, seu *à dæmone correptum*, deducto vocabulo, ut benè cum aliis notat *Voëtius*, ab *ἐνεργεῖν*, quod agere, operari, ac etiam permovere significat: Unde diaboli hominem obsidentes, atque vexantes, *ἐνεργοῦντες* & *ἐνεργούμενοι* dicuntur (in sacra verò Scriptura *πνεύματα πονηρὰ* & *ἀκάθαρτα*) & vexatio dæmonum obsidentium *ἐνέργημα*. Apud Latinos Scriptores Ecclesiasticos & Scholasticos permanet usus vocis energumeni: pro quo tamen sæpe usurpant vocabulum *Dæmoniaci*, quasi à dæmone invasi atque obsessi; & *Arreptitii*, quasi à dæmone subitò invasi atque arrepti, non ad auferendum atque aliò transferendum, sed ad vexandum atque torquendum, aliasque varias in illo atque per illum operationes exercendum. *Obsessi* denique, *Insessi*, atque *Possessi* (à dæmone videlicet) dicuntur à Latinis, à Græcis verò *κατεχόμενοι*, qui tenentur, ac possidentur à dæmone; cujus vocabuli Synonymum est *δαιμόνιον ἔχων*, dæmonium habens, apud *D. Matthæum* cap. 8. v. 27.

Ἐνέργημα seu Energima duplex.

Ἐνέργημα, si in malam partem pro motione, & operatione dæmonis in hominem sumitur, duplex aliqui faciunt, spirituale, & corporale. *Spirituale* vocant, cùm diabolus possidet & implet mentes & corda hominum, in eaque & ipsos venit, atque in iis *ἐνεργεῖ* seu operatur. Sic *Luc. 22 v. 3.* dicitur Satanas intrasse in Judam Iscariotem, id est, ut *D. Joannis cap. 13. v. 1.* videtur interpretari, misisse in cor ejus per occultam suggestionem, ut JESUM traderet. *Corporale* duplex iterum faciunt, vel Mediatum per puras res naturales, applicando activa passivis, aut per artificia Magica; & de hoc lib. 1 egimus: vel Immediatum, quod ab ipso dæmone immediatè provenit. Hoc rursus vel est *ab extra*, & sic comprehendit omnes vexationes extrinsecùs à diabolo homini illatas, quarum multas loc. cit. attulimus; vel *ab intra*, quando dæmon invadendo hominem, cum vexat atque exagitat. Et de hoc Energimate (liceat ita loqui) nunc nobis erit sermo.

Energima quid sit.

Ἐνέργημα itaque (*Energima*) sive *Obsessio à diabolo, est vexatio homini illata à diabolo immediatè, localiter intra corpus ejus existente, & operante, illudque ad tempus subigente.* Itaque ut Energumenus, Obsessus, Insessus, Possessus, Arreptitius, Dæmoniacus quis dicatur, requiritur 1. ut in illo sit diabolus *αὐτοπροσώπως*, seu, ut ita dicam, personaliter, hoc est, in propria persona immediatè & localiter, eo videlicet modo, quo Spiritus rei alicui intimè præsens, dicitur ei esse localiter præsens. 2. ut corpus illud ad tem-

Energumenus ut quis dica-

 pus

tur, quid requiratur.

pus subigat, cum potestate in ipsum ac per ipsum operandi, non ut forma in subjectum, sed ut motor in mobile, ipsum movendo, torquendo, variasque operationes exercendo. Non itaque sufficit, ut Energumenus quis sit, in eo esse diabolum ut motorem ipsius, nec diabolum ad eum vexandum atq; exagitandum habere potestatem, uti accepit olim in D. Job, in D. Antonium, in S. Franciscum Xaverium, aliosque multos Sanctos: sed requiritur utrumque quod diximus. Addit *Voetius*, ita localiter intra corpus hominis existere debere diabolum, *ut non tantùm sit in corpore, sed intra corpus; quod fit, cùm operatur intra terminos quantitatis corporum.* Quibus quidem verbis exigere videtur, ita diaboli substantiam intra corporis terminos concludi atque coarctari debere, ut nihil sit extra. Quod tametsi plerumq; ita fiat, puto tamen id minimè necessarium esse; quia si diabolus obsidens ita se intra extensionis suæ sphæram dilataret, ut simul esset intra & extra corpus, adhuc verè diceretur homo obsessus.

Ex his patet, neque Christum Dominum, dum à diabolo supra pinnaculum templi in montem fuit translatus, *Matth. 4.* neque Jobum, dum ab eodem fuit tot modis exagitatus cum potestate in carnem Jobi; neq; maleficiatos, dum per Magorum incantationes ob maleficia diris morbis atque doloribus vexantur, dici posse ac debere Energumenos. Patet præterea, nec bruta, aut vegetabilia, aut cadavera defunctorum, per quæ & in quibus diabolus subinde aliqua operatur, dici energumena, quoniam energimatis subjectum proprium, ex hominum usu, est corpus humanum.

Explicatâ nominis etymologiâ, nunc varia de Energumenis sunt discutienda; ac primò quidem, tanquam cæterorum basis ac fundamentum, an sint revera aliqui Energumeni, quales descripsimus: & an verè malum, quod ἐνέργημα diximus, sit diabolicum malum, illatum homini à dæmone; an verò naturale sit, & vi alicujus morbi, alteriusvè causæ naturalis causatum.

CAPUT II.

An sint revera aliqui Energumeni, seu à Dæmonibus obsessi.

Energumeni revera sunt aliqui homines.

MAlum quod vocavimus ἐνέργημα, non dæmoniacum malum ab obsidentibus dæmonibus illatum, sed naturalem esse morbum, ab humorum discrasi, aut siderum influxu, aliavè causâ illatum; nec homines quos Energumenos appellant sacri profaniq; Scriptores, omniumque gentium lingua, à dæmonibus possideri, sed naturalibus tantùm morbis laborare, censent nonnulli aut impii athei, aut nimiùm nasuti philosophi. Alii haud

melioris

melioris conditionis, animas jam olim defunctorum Arreptitios invadere existimant. Utrorumq; error ex dicendis confutabitur. Solere enim persæpe homines quosdam à diabolo revera invadi, obsideri, moveri, torqueri, variisque molestiis affici, patet ex innumeris historiis quà sacris, quà profanis; docuitque semper & etiamnum docet quotidiana experientia apud omnes populos, & suadet nationum universarum sensus unanimis atque consensus. Pauca ex multis narro exempla.

§. I. Exempla Energumenorum à Christo sanatorum.

Energumenorum à Christo sanatorum exempla.

HIstoria Evangelica *Matthæi* cap. 8. v. 16. & *Marci* cap. 1. v. 32. refert, Christum Servatorem, cùm in domo D. Petri moraretur, ubi socrum ejus à febri liberaverat, vespere facto varios sanasse Dæmoniacos sibi oblatos *Vespere autem facto* (inquit D. Matthæus) *obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat Spiritus verbo.* D. Marcus habet: *Vespere autem facto, cùm occidisses Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes; & erat omnis civitas congregata ad januam. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus; & dæmonia multa ejiciebat.* Eodem antea citato D. *Mattheo* teste, cap. eodem v. 28. & seqq. *Cùm Christus venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, JESU FILI DEI? Venisti huc ante tempus torquere nos. Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: ite. At illi exeuntes abiverunt in porcos: & ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare, & mortui sunt in aquis.* Horum duorum dæmoniacorum unius tantùm (utique sævioris) mentionem facit *D. Marcus* cap. 5. v. 1. his verbis. *Et venerunt trans fretum in regionem Gerasenorum. Et exeunti ei de nave statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis: & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare, quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare: & semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens se lapidibus. Videns autem JESUM à longè, cucurrit, & adoravit eum, & clamans voce magnâ dixit: Quid mihi, & tibi, JESU FILI DEI altissimi? adjuro te per Deū, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogabat eū: quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomē est, quia multi sumus. Et deprecabatur eum multùm, ne se expelleret extra regionem. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, &c.* Similia de eodem narrat *D. Lucas* c. 8. v. 26. in hûc modum.

Digitized by Google

dum *Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. Et cùm egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Is ut vidit Jesum, procidit ante illum. & exclamans voce magnâ, dixit: Quid mihi & tibi est, Jesu Fili DEI Altissimi? obsecro te, ne me torqueas. Præcipiebat enim Spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis & compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum. Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum. &c.*

In eadem Evangelicâ Historiâ legimus, *Matth.* 9. v. 32. & c. 12. v. 22. & *Luc.* 11. v. 14. Christo adductum fuisse *hominem mutum*, *dæmonium habentem*, & *ejecto dæmonio, locutum esse mutum.* Quo viso, dixerunt Pharisæi, eum non ejicere dæmones nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum. Quam tamen calumniam repulit à se Dominus. Unde patet, persuasissimum Judæis fuisse, dæmones & insidere homines & ab iisdem expelli.

De viro alio narrat *D. Matthæus* cap. 17. v. 14. *D. Marcus* cap. 9. v. 17. *D. Lucas* cap. 9. v. 38. qui provolutus ad genua JESU, obtulit ei Filium suum lunaticum simul & à dæmone obsessum, rogavitque ut à maligno illo hospite liberaret, quandoquidem discipuli ejus, quibus ante oblatus fuerat, id facere nequiverant. *Domine*, inquit apud D. Matth. *miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam, &c. Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa horâ.* Apud *D.* verò Marcum ait: *Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum, qui ubicunque eum apprehenderit, allidit eum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, &c. Et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans. Et interrogavit Patrem ejus: Quantum temporis est, ex quo ei accidit? At ille ait: Ab infantia: & frequenter eum in ignem & in aquas misit, ut eum perderet, &c. Et cùm videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum. Et exclamans & multùm discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.* Eadem habet *D. Lucas.*

Cùm in Synagoga apud Capharnaitas doceret Jesus, *erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo: & exclamavit dicens: Quid nobis, & tibi JESU Nazarene? venisti perdere nos: scio qui sis, Sanctus DEI. Et comminatus est ei JESUS, dicens: obmutesce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magnâ, exiit ab eo.* Ita narrat *D. Marcus* cap. 1. v. 23. & *D. Lucas* cap. 4. v. 33. Idem Dominus dum *iter faciebat per civitates & castella, prædicans, & evangelizans regnum Dei*, sequebantur ipsũ duodecim Discipuli; & *mulieres*

Digitized by Google

mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis &, infirmitatibus Maria quoque quæ vocatur Magdalena, de qua septem dæmonia ex erant. Omitto alia testimonia Evangelistarum de dæmonibus à Christo ejectis; nempe è filia Chananææ, quæ à dæmonio malè vexabatur. *Matth.c.15.v.22* & *Marci* cap.7.v.25. Item à muliere habente spiritum infirmitatis decem & octo annis, *Luca* cap.13.v.11.& alia.

§. II. Exempla Energumenorum ab Apostolis Christi sanatorum.

Christum dedisse Apostolis, aliisque Discipulis suis, potestatem ejiciendi dæmonia, illosq; sæpe usos eâ potestate, constat ex Evangelio & ex Actis Apostolorum à D. Luca conscriptis *Reversi sunt autem* (inquit D. Lucas c 10.v.17.) *septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Quibus Christus: *Nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in Cœlis.* De D Petro narrat D. Lucas *Act. Apost.* cap. 5. vers 16. *Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis; qui curabantur omnes.* De Philippo Diacono narratur ibidem cap. 8. v. 7. *Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magnâ exibant.* Cùm D. Paulus Philippis in Macedonia baptizasset Lydiam purpurariam, cum tota familia, introissetque domum ejus; obviam habuit puellam quandam habentem spiritum pythonem, *quæ quæstu magnum præstabat dominis suis divinando. Hæc subsecuta Paulum*, & socios, *clamabat dicens: isti homines servi DEI excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conversus, spiritui dixit. Præcipio tibi in nomine JESU Christi exire ab ea. Et exiit eâdem horâ.*

Energumenorum ab Apostolis sanatorum exempla.

Omitto alia Scripturę Sacræ testimonia, quibus confirmatur, malos etiam in nomine Christi dæmones ejecisse.

§. III. Homines subindè verè à dæmone obsidentur.

Quod ex Sacra Scriptura probatum hactenus fuit, dæmones invadere subindè ac verè obsidere homines, confirmari potest innumeris aliis exemplis, quæ varii Scriptores afferunt, tam illustria, ut humanitatem omnem exuisse oporteat eum, qui fidem omnibus derogare volet. Accedit consensus Patrum, Conciliorum, Theologorum, aliorumq; illustrium Scriptorum, qui Tractatus integros de hoc argumento conscripserunt.

Obsidentur subindè verè homines à dæmone.

Quotquot autem in hanc veritatem consentiunt, fatentur (quod et-

Digitized by Google

Opinio secunda falsa circa energumenismum.

Secundo, alii ejusdem mali causam tribuunt influentiæ astrorum, quos notat *D. Hieronymus* in Matth. cap. 4. Ita quoque sentit *Petrus Pomponatius* lib. de Incantation cap. 10. in supposit. sexta, dicens: *Quod veluti reperiuntur homines qui astrorum peritiam, auguriorum omnium, somniorum, & reliquorum hujusmodi generis habent ex scientia librorum, experimento, doctrina, vel alique hujusmodi; sic aliquando reperiuntur, qui munere deorum, & corporum cœlestium, absque exercitio & labore talem cognitionem habent, & mirabilia faciunt; quare vulgares, & qui rerum causas non cognoscunt, credunt homines tales esse dæmoniacos, vel sanctos sic natos ex materno utero, vel extra uterum maternum: ut verum, dicant, tales homines hoc habere munere deorum, verùm mediantibus corporibus cœlestibus.* Idem repetit cap. 12. loquens de vatibus, Sybillis, & dæmoniacis.

Opinio tertia falsa circa energumenismum.

Tertio, Andreas Cattanius Imolensis Tract. de causis mirabil. effectuum, apud *Hieronymum Magium* lib. 4. Miscellan. cap. 12. cùm atra bili ad tot tantaque mirabilia, quæ quotidie in his, qui vulgò Dæmoniaci seu Fanatici vocantur, quæque Aristoteles in Problemat. melancholiæ succo adscribit, teste eodem Magio, animadvertuntur, patranda non sit satis; ea rejicit in Intellectum agentem abstractorum infimum, in Intelligentias abstractasque Mentes cœlestes, quæ homini jungantur, & succum corporis cœlesti dispositioni (verba sunt Cattanii) ac stellis quibusdam respondentem.

Opinio quarta falsa circa energumenismum.

Quartò, sunt qui dicunt, animas defunctorum intrare & possidere corpora illorum quos energumenos vocamus. Rationes pro hac opinione affert Voëtius ex aliis apud *Raphaelem La Torre* sequentes. *Primò*, quia ipsi energumeni sæpe id dicunt. *Secundò*, quia animæ separatæ habent hanc potestatem mediante virtute motivâ, quâ & se & corpora de loco in locum movere possunt. *Tertio*, quia faciunt operationes artificiales, quas defuncti facere solebant, & non alii. *Quartò*, quia revelant multa secreta, quæ soli homines, quorum animas se profitentur, nosse poterant. *Quinto*, quia multa utilia & sancta monent esse facienda, suffragia petunt, ut ab his aut illis malis liberentur, restitutionem ablatorum suadent; at illa non sunt à diabolo; ergo ab animabus separatis. Hanc opinionem *Rhodigin.* lib. 2. cap. 13. vocat vulgarem. Et *Voëtius* ait, hac afflatos fuisse non tantùm Judæos, teste *Josepho* lib. 7. de Bello Judaico cap 33. sed & Christianos, citatque Athenagoram, statuentem gigantum (de quibus Gen. 6. v. 1.) defunctorum animas in dæmones esse transformatas. Citat præterea *Justinum Martyr.* Apolog. 2 dicentem, οἱ γὰρ ψυχαῖς ἀποθανόντων λαμβανόμενοι καὶ ῥιπτούμενοι ἄνθρωποι, ὡς δαιμονολήπτους καὶ μαινομένους καλοῦσι. Plura ibidem testimonia, quibus confirmat, apud Gentiles vulgatam fuisse opinionem, animas hominum,

minum, qui malè vixerant, huc illuc vagari, & in dæmones transformari. Sed an hæc ad rem, de qua agitur, faciant, alii judicent.

Quosdam in Italia tempore Cardani malè de energumenismo sensisse, deducere nititur *Voëtius* ex ipsomet Cardano, propter verba quæ subnectit lib. 14. de Variet. rerum cap. 76. historiæ septuaginta puellarum in orphanotrophio Romano. Cardani relatio hæc est. *Annis abhinc duobus contigit, ut in orphanotrophio Romæ omnes puellæ (erant autem, ut audio, circiter septuaginta) nocte unâ factæ sint dæmoniacæ: nec ulla usque nunc, cùm jam exacti sint duo anni, curari potuit. Causa igitur ex halitu loci provenire potest, aut ex aqua: aqua enim pilos & humores mutat: potest & esse dolus. Agnosco nunc virum, qui puer per sex & ampliùs annos dæmonem se videre simulavit, tum ut liberiùs viveret, tum ut homines in sui admirationem traheret, atque etiam sic effreni voluptati operam daret. Multa contingunt in hominibus. Sed si quis obfirmato animo secum reputet talia omnia esse vana, & dolis plena, facilè subolebit fucos. At dæmone corripi, seu insanire, quis vanum non esse dubitat? utinam esset. Si ergo hoc absque fuco contigit, futurorum temporum, & antistitum improbitatem declarat, &c.* Ex postremis hisce verbis, *sed si quis*, &c. colligit Voëtius, quosdam in Italia vanum putasse, à dæmone corripi. Fateor, verba Cardani esse obscura. Puto tamen, ea solùm afficere verba immediatè præcedentia, *Multa contingunt in hominibus. Sed si quis, &c.* Fortassis etiam redundat particula *non*, in verbis illis, *quis vanum non esse dubitat*; alioquin quod sequitur votum, *utinam esset*, non cohæret cum præcedentibus verbis. Sed nolo Cardani ea in re causam suscipere defendendam, quem scio perplexum ubique se ostendere circa dæmonum existentiam.

Opinio quinta falsa circa energumenismum.

Quintò, sunt alii, teste *Raphaële la Torre*, qui vel naturalibus causis, vel astrorum influentiis, vel hominum deceptionibus, vel aliis quibuscunque causis omnia illa attribuunt, quæ in energumenis videmus, pernegantq; à dæmonibus esse obsessos. Rationes has afferunt. *Primò*, quia diaboli non possunt intus adesse simulacris seu idolis Gentilium, ut patet ex *Habac.* cap. 2. v. 20. ubi de sculptili ex ligno & lapide dicitur: *& omnis spiritus non est in visceribus ejus. Secundò*, quia anima rationalis est tota in corpore, & tota in qualibet parte; ergo non est ibidem dæmon, tum quia non potest esse simul in eodem loco cum anima, tum quia operationes ejus cum animæ operationibus non possunt ibi consistere simul, alioquin confunderentur. *Tertiò*, ingredi corpora, in illis esse, & inde ejici, nihil aliud notat in Scriptura, quàm sic illic operari, & accipere potestatem illic operandi, & ab operatione cessare; alioquin etiam Angelis bonis dum nos custodiunt, & diabolis dum nos tentant, obsessio esset tribuenda. *Quartò*, quia dæmones non possunt illabi animabus hominum, nec intra eas esse, cùm hoc solius DEI sit; ergo nec possunt esse intra corpora, aut in ea illabi.

epigraphe: *Delineatio sceleti Gigantis, cujus ossium portiones aliquot, veluti fœmoris, tibiæ, scapularum, vertebrarum, ossis sacri, coccygis navicularis, costarum, calvariæq; fragmenta, pollicis quoq; secundum os, atq; calx, mala item integra ferè (è quibus & tanquam illis quæ in hominibus longè aliter, quàm cæteris animantibus formata sunt, humani corporis hæc ossa fuisse, præcipuè indicium sumptum fuit) in ditione Lucernatum Helvetiæ, juxta vicum Reyden, quercu antiquâ dejectâ, sub illa inventa, Senatuiq; Lucernensi transmissa, & ad horum dimensionem, reliqua totius sceleti ossa, quæ aberant, à Felice Platero ordinario Basilleæ Physico, ad imitationem veri sceleti delineata, atq; à Joanne Bock pictore Basilensi depicta, Illustrissimo Senatui Lucernensi præsentata fuerunt, Anno Sal. 1584.* Fuit autem hoc sceleton inventum anno 1577. in Comitatu Willisau, Lucernensis Jurisdictionis, sub annosa quercu, ut dictum. Cysatus indicio Plateri, ex proportione membrorum, altitudinem hujus Gigantis dicit quadragies bis majorem fuisse hac sequenti lineâ.

Hæc linea quadragies bis sumpta, adæquat altitudinem Gigantis Lucernæ asservati.

Ex quo patet, Gigantem hunc triplo & ampliùs superasse ordinariam benè proportionati viri magnitudinem. Idem sceleton describit etiam *Platerus* lib. 3. Observation.

Maximiliano Cæsari, teste *Surio*, anno 1511. giganteæ magnitudinis vir ex Polonia oriundus, oblatus fuit, qui & pro magnitudine corporis proportionato cibo singulis prandiis vitulum & ovem absumebat. Similis Ferdinando II. anno 1623. in Comitiis Ratisbonensibus exhibitus fuisse dicitur.

§. III. Reiicitur enormis magnitudo quibusdam Gigantibus attributa.

Gigantum quorundã magnitudo fabulosa est.

Fuisse revera tum ante, tum post diluvium Gigantes, negari non potest, cùm ipsa sacra Scriptura id apertè doceat. Ex eadẽ cõstat, non omnes ejusdem fuisse magnitudinis, sed primis tẽporibus majores, deinde minores: nam lecto ferreo Gigantis Og tribuuntur novem cubiti, Goliatho verò, qui post Og fuit, cubiti sex & palmus. Itaq; aliquorum Gigantũ altitudinem excrevisse ad cubitos sex, aliorum ad septem, aut octo, aliorum etiam ad novem, vel fortassis etiam decem, libenter concedo: at aliquos excrevisse ad altitudinem cubitorum 20. 30. 40. 70. adduci ægrè possum ut credam. Minùs credo quod à Bocatio de Drepanitano scribitur, fuisse nimirum cubitorum 200, id est, pedum (tribuendo cubito uni pedem unum cum dimi-

dimidio) 300; nullæ enim ædes, nulla tentoria, cavernæ ſubterraneæ nullæ, aut vix ullæ, tantam molem ſtantem, & ambulantem capere potuiſſent. Non nego tamen quod probabile judicavi ſuprà c. 8. ſæculis illis quibus gigantes plures viſebantur eodem tempore, & regione, fuiſſe ſubinde gigantum gigantes, hoc eſt, qui ordinariam illorum temporum ſtaturam gigantum ſuperarent.

Decepti ergò fuêre qui tantam illis molem attribuerunt. Cauſa deceptionis prima fuit, quòd ex dente aliquo, aut oſſe quod giganteũ putârunt, falſo ratiocinio totius corporis molem deſumpſerint. Altera, quòd oſſa ingentia, quæ multis in locis reperta fuêre, & etiamnum ſubinde reperiuntur, non vera, ſed fictitia ac foſſilia fuerint oſſa, intra terræ viſcera ex materia lapidifica aut oſſifica concreta, ut pulchrè & fusè probat *P. Kircherus* in Mundo Subterraneo lib. 8. ſect. 2. cap. 4. ubi ait, ſe eùm Panormi in Sicilia eſſet, & viſis quibuſdam enormis magnitudinis dentibus ac oſſibus ſibi pro giganteis oblatis, de iiſdem cum Illuſtriſſimo ac Eruditiſſimo Domino Carolo de Vintimiglia, mihiq; , cùm inibi commorarer, intimo, contuliſſet; ductum ſe ab illo ad locum tribus ferè paſſuum millibus Panormo diſſitum, quod mare dulce vocant, ob vicinum copioſiſſimum limpidiſſimæ ac dulciſſimæ aquæ fontem. Eſt ibidem ingens montis promontorium, & è regione foramen prægrande, per quod in obſcura immenſi ſpecus latibula patet aditus. In hunc ſpecum introductus cum tædis accenſis, vidit in pariete ſiniſtro longè lateq; exporrectum mirum Naturæ opus, dentes nimirum lapideos innumeros, parvos, mediocres, maximos, veluti ſtirias dependentes, eâ ſerie, quâ Natura maxillis animalium inſerere ſolet, tãta naturalium dentium ſimilitudine, ut vix hos ab illis diſtinguere queas: ſuprà enim candorem pelluſtrem, inferiùs verò radices monſtrabant acutas, omnes tamen in lapidem ſolidum converſi erant. Antrum ipſe quoq; aliquando ſubivi, dentes fictitios, tum ibi, tum in Muſeo Kircheriano Romæ vidi, & multos, qui veros ac giganteos dentes eſſe credebant, novi. In eadem ſpelunca deprehendit Kircherus neſcio quæ humanorum corporum lineamenta, ut tibiarum, vertebrarum, genuum, calvariarum, aliarumq; partium, nullo tamẽ ordinis nexu diſpoſitas. Alia quoq; huic antro ſimilia aliis in locis Siciliæ reperiuntur plena ſimilibus humanorum membrorũ ſimulachris, quæ plebs imperita, & docti aliqui minùs cauti, hactenus pro gigantum membris ſuſpexêre, cùm tamen non ut humana oſſa intus cava ſeu fiſtuloſa, ſed per totum ſolida ſint. Sunt tamen nonnulla fortaſſis elephantum oſſa, qui ab Afris in Siciliam contra hoſtes olim introducti, ibidem mortui ſunt.

Gigantum oſſa fictitia in Sicilia.

Quomodo autem, & qua ex materia oriantur intra terræ viſcera eiuſmodi oſſa, & qua ratione induant figuras dentium, manuũ, pedũ, tibiarũ, coxendicũ, craniorum; pulchrè explicat *P. Kircherus* loco citato in Mundo Subterraneo.

§. IV. Alia adhuc tolerabilis magnitudinis gigantum exempla.

Gigantum tolerabilis magnitudinis exempla.

FAbulosa ergo sunt, quæ de enormi quorundam magnitudine scribuntur; certa, aut verisimilia, quæ de mole temperata. Horum nonnulla alia addere placet exempla.

Platerus lib. 3. Observat. scribit, cùm aliquando per pagum Dirneu ditionis Basileensis iter faceret, anno 1565. ostensam sibi fuisse puellam quinque annorum: quam cùm inspexisset propiùs, & mensurasset, deprehendit, *coxas illius seu fœmora crassitie equi sui collum superare, suras q; hominis alicujus robusti & quadrati fœmora amplitudine æquare; cinguloq; quo lumbos cingebat, matris illius & patris corpora juncta potuisse comprehendi.* Narrârunt eidem Platero parentes puellæ, antequam anni spatium ætate complêsset, tantum ponderasse, quantum saccus tritici octo modiorum.

Tempore Salentini Electoris Coloniensis visus fuit, teste Brinckio apud *Deusingium* in Secundinis Fœtus Mussipont. in Germania Brabantinus quidam, satelles ipsius Electoris, tam proceræ staturæ, ut vel lôgissimus virorum vertice demum ad pectus illius assurgeret, nemo exporrectâ manu cum brachio ad illius erecti collum pertingeret. Insignis erat roboris, adeo ut sub utroq; simul brachio dolium liquore plenum contineret, ac portaret. Quo tamê molimine côtigit aliquando, ut alterum ipsi excideret, casuque ita vehementer crus ipsi læderet, ut ab eo tempore non nisi subalari fulcimento nixus incederet. Is tandem ad Ducem Brunsvicensem devenit, à quo ad vitæ extremû fuit sustentatus. Sceleton illius in Anatomia Helmstadiana asservatum se vidisse anno 1615. memorat dictus Brinckius. Cranium crassitie transversum æquasse digitum, suturis carens, quarum loco duo foraminula adesse notârat magnitudinem grani piperis habentia.

Idem Brinckius ait, se anno 1607 in aula Regis Angliæ vidisse satellitem admodum proceræ staturæ, ac vastissimi roboris; qui aliquando Nanum, fortè in aula præsentem, pede à sua aure suspenderit, atq; ita se se stiterit Reginæ, quasi insigni inaure ornatus.

Petrus Gassendus in Vita Peiresckii lib. 3. pag. 203. refert exemplum de gigante prodigiosæ molis, cujus ossa in Delphinatu sint reperta: quod exemplû si verum est, ex eorum numero fuisse oportet, quos c. 8. gigantû gigantes appellavi. Ferebant, inquit Gassendus, detectum fuisse in sabuloso quodam loco, non longè ab ipso confluente Rhodanum inter & Isaram, sepulchrum lateritium, triginta longum pedibus, latum duodecim, altû octo, cum superposito lapide, in quo hæc inscriptio: TEUTOBOCHUS REX. Addebant, sepulchro aperto apparuisse intus sceleton humanum, longû pedes viginti quinq; cum semisse, latû ad humeros seu scapulas decem, profundû ad thoracê quinq;. Craniû observatû fuisse pedum quinq; secundùm longitudinê, secundùm verò ambitû decem. Spectatum prodigium per integrum

tegrum diem. Cætera quidem ossa abiisse in cineres; & superfuisse, quæ translata nemo non vidisset Parisiis, partem maxillæ inferioris, vertebras duas, portiones costæ humeri, fœmoris, alterum fœmur, tibiam, astragalum, calcaneum: præter non transmissa aliquot fragmenta, ac nominatim fœmoris, itemque duos dentes.

Idem *Gassendus* ibidem lib.4.pag. 358. meminit alterius gigantei cadaveris, Tuneti effossi, quod immensæ propè magnitudinis pronuntiat, ut Thomas Arcosius, vir multiscius, ex illa ora significaverat. Scripsit nempe Arcosius, referente Gassendo, cranium continere posse mellereolas Provinciales octo, hoc est, Parisiẽsem liquidorum modium (qui continet pintas ducentas octoginta) cum dodrante. Immanis sanè vastitas, inquit Gassendus, & ob quam Peiresckius Arcosium admonuerit, spectaret omnia propiùs, expenderetq́; scrupulosiùs; posse certè molarem dẽtem, quem ad se transmiserat, aut prægrandis elephantis, aut balenæ cujuspiam esse.

CAPUT V.

De Pygmæis, an sint dæmones virunculorum montanorum specie.

DE Pygmæis egimus fusè suprà hoc libro 3.c.7. statuimusq; probabilibus, fuisse aliquando integras illorum nationes, idq́; variis in locis. De Montanis virunculis egimus lib. 1.c.38.& in Appendice. *P. Kircherus* in MundoSubterraneo lib.8.sect.4.cap.4 agens de dæmonibusSubterraneis, ait, tribus potissimùm in locis dæmones frequentiùs apparere solitos: primò in Septentrionalibus perpetuâ caligine damnatis regionibus: secundò In horridis solitudinibus: tertiò in subterraneis fodinarum metallicarum cuniculis. Et quoniam in dictis locis (saltem primo & tertio) plerũque apparent hominibus sub forma nanorũ cubitalium, putat hinc ortam fuisse opinionem de Pygmæis ad Riphæos montes, aliisq; in locis Septentrionalibus habitantibus, & cum gruibus pugnantibus. Nullos enim putat esse, aut unquam fuisse in regionibus illis Pygmæos, cùm totus ille tractus jam dudum ab Hollandis sit perlustratus, nec ullum tamen ullibi vestigiũ illorum repertum; nec unquam, quod sciatur, ex Lappia, Biarmia, Finlãdia, cæterisq́; Sueciæ, Moscoviæ, Germaniæq́; vicinis partibus fuerit ullus pygmæus adductus. Fabulosa igitur putat esse omnia, quæ Auctores de ejusmodi pygmæis scripsère, decepti ab illarum regionum populis, qui subinde dæmunculos quosdam sub virunculorum specie & habitu viderunt, & famam de pygmæis in vulgus primùm, deinde etiam inter doctos sparserunt. Hæc Kircheri sententia est. Quid nos cum multis sentiamus, patet ex citato capite 7. hujus libri.

Pygmæi septentrionales an dæmunculi subterranei.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Mirus ac luctuosissimus Comitis Nicolai à Zrinio casus.

INter Mirabilia Hominum numerari meritò possunt miri ac luctuosissimi quorundam hominum, famâ & factis illustrissimorum, casus. Horum pleni sunt libri, plenæ historiæ. Auget numerum

EXCELLENTISSIMUS AC ILLUSTRISSIMUS DOMINUS, DOMINUS

COMES NICOLAUS PERPETUUS à ZRINIO,

Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Ban seu Prorex; confiniorum ejusdem regni Sclavoniæ Colapianorum Supremus; nec non Præsidii Legrad, totiusque Insulæ Murackoez Hæreditarius Capitaneus; Comitatuum Saladiorum & Cimigyen Supremus Comes; Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis LEOPOLDI I. Consiliarius Intimus & Camerarius; Eques Velleris Aurei, & Agazonum Regalium per Hungariam Magister; nec non totius Gentis Hungariæ, ac Regni Apostolici Militiæ Dux.

HUjus tanti Herois recentissimus ac tristissimus casus, tametsi toti Europæ, ac fortassis Orbi universo notissimus jam sit, multorumque scriptis ad seram transmittendus posteritatem; hîc tamen referre eum breviter volui, ut hac quoque viâ Viri vita, vitæ exitus, & occultissima providentissimi DEI judicia mortalibus innotescant.

Hic ergo tantus Dux, tam generosâ ac semper victrice familiâ oriundus; qui toties Ottomannicum Imperium terruit universum; qui tot Turcarum millia stravit, tot loca munitissima hosti eripuit; qui nunquam sine inimicorum terrore domo exivit, nunquam sine strage gladium strinxit, nunquam sine victoria domum rediit: qui velut alter Machabæus surrexit cum fratre suo PETRO à ZRINIO, *& præliavit prælium Israël* (Christianitatis) *cum lætitia; & dilatavit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in præliis, & protegebat castra gladio suo: similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione; & persecutus est iniquos perscrutans eos; & qui conturbabant populum suum* (Christianos) *eos succendit flammis: & repulsi sunt inimici ejus præ timore:*

Digitized by Google

timore ejus,& omnes operarii iniquitatis conturbati sunt , & directa est salus in manu ejus;& exacerbavit reges multos, & lætificavit Jacob (Christianos) *in operibus suis ; & in sæculum memoria ejus in benedictione : & perambulavit civitates Juda* (Ungariæ) *& perdidit impios ex eis,& avertit iram ab Israël (* à Romano Imperio:) *& nominatus est usq; ad novissimum terræ , & congregavit pereuntes.* Hic inquam tantus Dux ac Heros , quem tot Turcarum millia non dico prosternere,sed ne terrere quidem potuêre unquam , ab apro in venatione,prælio ludicro , prostratus fuit,in vitæ flore , in victoriarum cursu,in Auge gloriæ,expleto ætatis anno quadragesimo sexto,die XVIII. Decembris,elapsi proximè anni M.DC.LXIV.

Terruerat Turcarum imperium potentissimum,novo ædificato munimento ante Canisæ,eorundem Turcarum propugnaculi fortissimi , conspectum ; diripuerat Ungariæ Turcicæ loca munita non pauca ; invaserat Quinque Ecclesias , atque expilaverat ; exusserat Esseckianum pontem pontium miraculum ; obsidione cinxerat, ac pœnè ad deditionem coëgerat Canisam inexpugnabilem ; sed aut fortunæ instabilitate,aut aliorum æmulatione , aut meliùs divinâ providentiâ , obsidione solutâ , munimento Neozeriniano amisso,pace inter Romanum & Ottomannicum Imperium redintegratâ,in Insulam suam , Insulæque præsidium Zaccathurum se se receperat ; & ne à præliandi consuetudine desisteret , cùm acinacem in Turcas stringere non posset , venabulum in apros dirigere constituerat. Parantur omnia in sylva Muræ adjacente, & Zaccathuro proxima ; cogitur præda in angustias ; nunciatur Generosissimo Comiti ad mensam assidenti , aprum insolitæ magnitudinis , post læsum è venatoribus unum, fugatum militem,& occisum rusticum , per sylvam errare. Surgit protinus cum suis,sylvam cingi jubet,desilit ex equo , sylvam penetrat primus, aprum offendit solus,invadit,pugnat : sed ante suorum adventum sauciatur gravissimè in pede, in collo,in capite , in corpore reliquo ; prosternitur; reperitur à famulo semianimis , & sanguini suo innatans ; concurritur ab aliis ; exoritur ejulatio & clamor. Erigit se nihilominus fortissimus Heros , consolatur suos,dicendo : Meliùs se res habebit ; mox meliùs erit, At cùm Nobilium unus , ob copiosissimum è tot vulneribus sanguinis fluxum , adverteret vires Comitem deficere, ac mortem præsentissimam instare,dixit : Excellentia Vestra commendet animam suam DEO , cum verâ peccatorum suorum contritione; moxque orando præivit. Quo audito,ter pectus percussit pius Heros , & inter suorum brachia invictissimum spiritum DEO reddidit.

Cecidit ergò,heu ! cecidit è victrice Domo Zeriniana maximus, domi piissimus,militiæ præstantissimus,Christianis ac Turcis notissimus,illis

ad solatium, his ad terrorem jacet; & cujus vitæ filum tot Turcarum acinaces abscindere nequiverunt, dens abscidit aprinus.

Innumera circumferuntur Epitaphia, Anagrammata, Chronographica, aliaque seu doloris, seu laudis argumenta, à doctis, & Zeriniano nomini devotis totâ Christianitate concinnata. Ex omnibus refero solùm quæ ex Eoo-Francico Parnasso, Herbipolensi inquam Collegio nostro prodiêre, & tacito Auctoris ac loci nomine ad varias urbes ac Provincias missa, cum plausu lecta, atque ad nos remissa cum approbatione summâ fuêre.

EPITAPHIUM SERINIANUM.

NICOLAUS COMES SERINIUS.

Hic est,

Nicolaus, victor populorum.

Qui animos in pectore, victoriam in nomine,
Fulmen in manu, Serenitatem in vultu,
Prudentiam in consiliis, Felicitatem in armis,
Quàcunque gressus tulit, circumtulit.
Virtutis Comes, Dux Fortunæ.
Illam sociam semper habuit, Hanc ducem nunquam
passus est, ne cæcam sequeretur.
Unde belli tam serius in agendo fuit,
quàm domi in pace serenus,
Ubique Serinius;
Nunquam serus in negotiis.
Quam à fronte occupavit semper
Occasionem, calvam expertus est nunquam.
Prudentiam Fabii habuit sine cunctatione,
Fortunam Alexandri sine temeritate.
Eum experti sunt
Turcæ in igne Samsonem
Ad Quinq; Ecclesias, & Pontem Esseckianum,
Quæ flammis donavit:
Tartari in aquis Moysen,
Quos ad Neoserinium in flumen egit.
Hujus illi vorticibus maluerunt perire,
Quàm illius fulmen acinacis experiri.

Canisam

Canisam virtute suâ terruit
Quam in fatis fuit non vinci.
(Plura hîc absorbet dolor.)
Virtus supra æmulationem fuit, non supra invidiam,
Cui etiam Fortuna aliquando invidit.
Animi robore securus,
Ne sui timerent, metum in hostes misit;
Ut sequerentur in pericula, prævivit;
Ut vincerent, hostes suis antè consiliis impedivit:
Tantus terror hostium, quantus amor Suorum.
Ecclesia suum Machabæum credidit,
Redivivum Scanderbegum Ottomannus timuit.
Hunc Maximum sæculi nostri Heroëm
Aper ignobilis prostravit.
Sic rebus mortalibus illudit DEUS,
Ut Maximis Majorem se ostendat.
Ne dicas
Adonidis fato periisse, qui Hectoris bella gessit.
Confectâ pace obiit,
Ut meliùs in cœlis otia ageret, quàm in terris,
Ubi Dei & Ecclesiæ negotium semper egit.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS

De

MIRABILIBUS ENERGUMENORUM.

PROOEMIUM.

Mirabilia Energumenorum.

INter mira, quæ dæmones in hominum perniciem perpetrant in hoc Mundo, inter mala innumera, quæ odio atque invidiâ stimulante miseris mortalibus inferunt, non postremum est, quòd nonnullos ἐνεργουμένους ingrediuntur, & obsident, dirisque adeò modis divexant, ut non minorem commiserationem intuentibus, quàm admirationem pariant. Inter hominum quoque admiranda, quæ magno numero produximus in medium Superiori Libro, hoc vel maximum est, quòd à Dæmonibus subinde infessi adeò patrant mira, dum vel rustici atque illiterati alioquin homunciones linguis loquuntur peregrinis, dum debiles alioquin mulierculæ catenas dirumpunt fortissimas, atque è multorum ac robustissimorum virorum manibus elabuntur, dum vel cattorum aut stellionum in morem per glabros etiam reptant muros, vel avium instar è pavimento ad conclavium tholum evehuntur, ut luculentissimè pateat; non propriis illa viribus, sed Spiritus superioris auxilio perpetrari. Horum nos hominum, quos alii Obsessos à dæmone, alii Infessos, alii Dæmoniacos, alii Arreptitios, alii nobiscum Energumenos appellant, mirabilia hoc loco pandemus; postquam nimirum in præcedentibus copiosè de dæmonum ac hominum Admirandis disseruimus. Qui præter ea, quæ dabimus, plura volet, legat *Petrum Thyraeum* Libro de Dæmoniacis, *Raphaëlem de La Torre* tract. de Potestate Eccl. *Georgium Stengelium* Libro de Monstris, *Gisbertum Voëtium* part. 1. Disput. Select. Disp. de Energumenis, & alios quos citabimus.

CAPUT

CAPUT I.

Quid sint Energumeni.

VOx ἐνεργούμενος occurrit apud *S. Dionysium Areopagitam* de Ecclesiast. Hierarchia, & significat *à dæmone vexatum*, seu *à dæmone correptum*, deducto vocabulo, ut benè cum aliis notat *Voëtius*, ab ἐνεργεῖν, quod agere, operari, ac etiam permovere significat: Unde diaboli hominem obsidentes, atque vexantes, ἐνεργοῦντες & ἐνεργούμενοι dicuntur (in sacra verò Scriptura πνεύματα πονηρὰ & ἀκάθαρτα) & vexatio dæmonum obsidentium ἐνέργημα. Apud Latinos Scriptores Ecclesiasticos & Scholasticos permanfit usus vocis energumeni: pro quo tamen sæpe usurpant vocabulum *Dæmoniaci*, quasi à dæmone invasi atque obsessi; & *Arreptitii*, quasi à dæmone subitò invasi atque arrepti, non ad auferendum atque aliò transferendum, sed ad vexandum atque torquendum, aliasque varias in illo atque per illum operationes exercendum. *Obsessi* denique, *Insessi*, atque *Possessi* (à dæmone videlicet) dicuntur à Latinis, à Græcis verò κατεχόμενοι, qui tenentur, ac possidentur à dæmone; cujus vocabuli Synonymum est δαιμόνιον ἔχων, dæmonium habens, apud *D. Matthæum* cap. 8. v. 27.

Energumeni quid sint.

Ἐνέργημα, si in malam partem pro motione, & operatione dæmonis in hominem sumitur, duplex aliqui faciunt, spirituale, & corporale. *Spirituale* vocant, cùm diabolus possidet & implet mentes & corda hominum, in easque & ipsos venit, atque in iis ἐνεργεῖ seu operatur. Sic *Luc. 22. v. 3.* dicitur Satanas intrasse in Judam Iscariotem, id est, ut *D. Joannes cap. 13. v. 2.* videtur interpretari, misisse in cor ejus per occultam suggestionem, ut JESUM traderet. *Corporale* duplex iterum faciunt, vel Mediatum per puras res naturales, applicando activa passivis, aut per artificia Magica; & de hoc lib. 1. egimus: vel Immediatum, quod ab ipso dæmone immediatè provenit. Hoc rursus vel est *ab extra*, & sic comprehendit omnes vexationes extrinsecùs à diabolo homini illatas, quarum multas loc. cit. attulimus; vel *ab intra*, quando dæmon invadendo hominem, eum vexat atque exagitat. Et de hoc Energimate (liceat ita loqui) nunc nobis erit sermo.

Ἐνέργημα seu Energima duplex.

Ἐνέργημα itaque (*Energima*) sive *Obsessio à diabolo, est vexatio homini illata à diabolo immediatè, localiter intra corpus ejus existente, & operante, illudque ad tempus subigente.* Itaque ut Energumenus, Obsessus, Insessus, Possessus, Arreptitius, Dæmoniacus quis dicatur, requiritur 1. ut in illo sit diabolus αὐτοπροσώπως, seu, ut ita dicam, personaliter, hoc est, in propria persona immediatè & localiter, eo videlicet modo, quo Spiritus rei alicui intimè præsens, dicitur ei esse localiter præsens. 2. ut corpus illud ad tem-

Energima quid sit.

Energumenus ut quis dica-

Digitized by Google

tur, quid requiratur.

pus subigat, cum potestate in ipsum ac per ipsum operandi, non ut forma in subjectum, sed ut motor in mobile, ipsum movendo, torquendo, variasque operationes exercendo. Non itaque sufficit, ut Energumenus quis sit, in eo esse diabolum ut motorem ipsius, nec diabolum ad eum vexandum atq; exagitandum habere potestatem, uti accepit olim in D. Job, in D. Antonium, in S. Franciscum Xaverium, aliosque multos Sanctos: sed requiritur utrumque quod diximus. Addit *Voëtius*, ita localiter intra corpus hominis existere debere diabolum, *ut non tantùm sit in corpore, sed intra corpus; quod fit, cùm operatur intra terminos quantitatis corporum.* Quibus quidem verbis exigere videtur, ita diaboli substantiam intra corporis terminos concludi atque coarctari debere, ut nihil sit extra. Quod tametsi plerumq; ita fiat, puto tamen id minimè necessarium esse; quia si diabolus obsidens ita se intra extensionis suæ sphæram dilataret, ut simul esset intra & extra corpus, adhuc verè diceretur homo obsessus.

Ex his patet, neque Christum Dominum, dum à diabolo supra pinnaculum templi in montem fuit translatus, *Matth. 4.* neque Jobum, dum ab eodem fuit tot modis exagitatus cum potestate in carnem Jobi; neq; maleficiatos, dum per Magorum incantationes ob maleficia diris morbis atque doloribus vexantur, dici posse ac debere Energumenos. Patet præterea, nec bruta, aut vegetabilia, aut cadavera defunctorum, per quæ & in quibus diabolus subinde aliqua operatur, dici energumena, quoniam energimatis subjectum proprium, ex hominum usu, est corpus humanum.

Explicatâ nominis etymologiâ, nunc varia de Energumenis sunt discutienda; ac primò quidem, tanquam cæterorum basis ac fundamentum, an sint revera aliqui Energumeni, quales descripsimus: & an verè malum, quod ἐνέργημα diximus, sit diabolicum malum, illatum homini à dæmone; an verò naturale sit, & vi alicujus morbi, alteriusvè causæ naturalis causatum.

CAPUT II.

An sint revera aliqui Energumeni, seu à Dæmonibus obsessi.

Energumeni revera sunt aliqui homines.

MAlum quod vocavimus ἐνέργημα, non dæmoniacum malum ab obsidentibus dæmonibus illatum, sed naturalem esse morbum, ab humorum discrasi, aut siderum influxu, aliavè causâ illatum; nec homines quos Energumenos appellant sacri profaniq; Scriptores, omniumque gentium lingua, à dæmonibus possideri, sed naturalibus tantùm morbis laborare, censent nonnulli aut impii athei, aut nimiùm nasuti philosophi. Alii haud

melioris

melioris conditionis, animas jam olim defunctorum Arreptitios invadere existimant. Utrorumq; error ex dicendis confutabitur. Solere enim persæpe homines quosdam à diabolo revera invadi, obsideri, moveri, torqueri, variisque molestiis affici, patet ex innumeris historiis quà sacris, quà profanis; docuitque semper & etiamnum docet quotidiana experientia apud omnes populos, & suadet nationum universarum sensus unanimis atque consensus. Pauca ex multis narro exempla.

§. I. Exempla Energumenorum à Christo sanatorum.

Energumenorum à Christo sanatorum exempla.

Historia Evangelica *Matthæi* cap. 8. v. 16. & *Marci* cap. 1. v. 32. refert, Christum Servatorem, cùm in domo D. Petri moraretur, ubi socrum ejus à febri liberaverat, vespere facto varios sanasse Dæmoniacos sibi oblatos *Vespere autem facto* (inquit D. Matthæus) *obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat Spiritus verbo.* D. Marcus habet; *Vespere autem facto, cùm occidisset Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes; & erat omnis civitas congregata ad januam. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus; & dæmonia multa ejiciebat.* Eodem antea citato *D. Matthæo* teste, cap. eodem v. 28. & seqq. *Cùm Christus venisset transfretum in regionem Gerasenorum, occurrunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, JESU FILI DEI? Venisti huc ante tempus torquere nos. Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: ite. At illi exeuntes abierunt in porcos: & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.* Horum duorum dæmoniacorum unius tantùm (utique sævioris) mentionem facit *D. Marcus* cap. 5. v. 1. his verbis. *Et venerunt transfretum in regionem Gerasenorum. Et exeunti ei de navi statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis: & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare, quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare: & semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens se lapidibus. Videns autem JESUM à longè, cucurrit, & adoravit eum, & clamans voce magnâ dixit: Quid mihi, & tibi, JESU FILI DEI altissimi? adjuro te per Deũ, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogabat eũ: quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomẽ est, quia multi sumus. Et deprecabatur eum multùm, ne se expelleret extra regionem. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, &c.* Similia de eodem narrat *D. Lucas* c. 8. v. 26. in hũc modum.

Digitized by Google

dum *Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. Et cùm egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Is ut vidit Jesum, procidit ante illum, & exclamans voce magnâ, dixit: Quid mihi & tibi est, Jesu Fili DEI Altissimi? obsecro te, ne me torqueas. Præcipiebat enim Spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis & compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum. Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum. &c.*

In eadem Evangelicâ Historiâ legimus, *Matth.* 9. v. 32. & c. 12. v. 22. & *Luc.* 11. v. 14. Christo adductum fuisse *hominem mutum, dæmonium habentem, & ejecto dæmonio, locutum esse mutum.* Quo viso, dixerunt Pharisæi, eum non ejicere dæmones nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum. Quam tamen calumniam repulit à se Dominus. Unde patet, persuasissimum Judæis fuisse, dæmones & insidere homines & ab iisdem expelli.

De viro alio narrat *D. Matthæus* cap. 17. v. 14. *D. Marcus* cap. 9. v. 17. *D. Lucas* cap. 9. v. 38. qui provolutus ad genua JESU, obtulit ei Filium suum lunaticum simul & à dæmone obsessum, rogavitque ut à maligno illo hospite liberaret, quandoquidem discipuli ejus, quibus ante oblatus fuerat, id facere nequiverant. *Domine*, inquit apud D. Matth *miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam, &c. Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa horâ.* Apud *D.* verò Marcum ait: *Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum, qui ubicunque eum apprehenderit, allidit eum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, &c. Et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans. Et interrogavit Patrem ejus: Quantum temporis est, ex quo ei accidit? At ille ait: Ab infantia: & frequenter eum in ignem & in aquas misit, ut eum perderet, &c. Et cùm videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum. Et exclamans & multùm discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.* Eadem habet *D. Lucas.*

Cùm in Synagoga apud Capharnaitas doceret Jesus, *erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo: & exclamavit dicens: Quid nobis, & tibi JESU Nazarene? venisti perdere nos: scio qui sis, Sanctus DEI. Et comminatus est ei JESUS, dicens: obmutesce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magnâ, exiit ab eo.* Ita narrat *D. Marcus* cap. 1. v. 23. & *D. Lucas* cap. 4. v. 33. Idem Dominus dum *iter faciebat per civitates & castella, prædicans, & evangelizans regnum Dei,* sequebantur ipsũ duodecim Discipuli; *& mulieres*

Digitized by Google

mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus Maria quoque quæ vocatur Magdalena, de qua septem dæmonia exierant. Omitto alia testimonia Evangelistarum de dæmonibus à Christo ejectis; nempe è filia Chananææ, quæ à dæmonio malè vexabatur. *Matth.c.15.v.22 & Marci cap.7.v.25.* Item à muliere habente spiritum infirmitatis decem & octo annis, *Luca* cap.13.v.11.& alia.

§. II. Exempla Energumenorum ab Apostolis Christi sanatorum.

CHristum dedisse Apostolis, aliisque Discipulis suis, potestatem ejiciendi dæmonia, illosq; sæpe usos eâ potestate, constat ex Evangelio & ex Actis Apostolorum à D. Luca conscriptis *Reversi sunt autem* (inquit D. Lucas c.10.v.17.) *septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Quibus Christus: *Nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in Cœlis.* De D Petro narrat D. Lucas *Act. Apost.* cap. 5. vers 16. *Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes.* De Philippo Diacono narratur ibidem cap. 8. v. 7. *Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant.* Cùm D. Paulus Philippis in Macedonia baptizasset Lydiam purpurariam, cum tota familia, introissetque domum ejus; obviam habuit puellam quandam habentem spiritum pythonem, *quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. Hæc subsecuta Paulum*, & socios, *clamabat dicens: isti homines servi DEI excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conversus spiritui dixit. Præcipio tibi in nomine JESU Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora.*

Energumenorum ab Apostolis sanatorum exempla.

Omitto alia Scripturæ Sacræ testimonia, quibus confirmatur, malos etiam in nomine Christi dæmones ejecisse,

§. III. Homines subindè verè à dæmone obsidentur.

QUod ex Sacra Scriptura probatum hactenus fuit, dæmones invadere subindè ac verè obsidere homines, confirmari potest innumeris aliis exemplis, quæ varii Scriptores afferunt, tam illustria, ut humanitatem omnem exuisse oporteat eum, qui fidem omnibus derogare volet. Accedit consensus Patrum, Conciliorum, Theologorum, aliorumq; illustrium Scriptorum, qui Tractatus integros de hoc argumento conscripserunt.

Obsidentur subindè verè homines à dæmone.

Quotquot autem in hanc veritatem consentiunt, fatentur (quod et-

Digitized by Google

iam ex citatis Scripturæ Sacræ locis patet manifestè) dæmones sic possidere energumenos, ut eorum corpora ipsimet subeant, moveant, & vexent. Secus sensit olim B. Ildegardis, quæ, teste *Theodorico Abbate* lib. 3. ejus Vitæ cap. 20. scribit in suis Revelationibus de quadam energumena, se in visione vidisse, *quòd ipsa permissione D E I quadam nigredine & fumo diabolicæ conglobositatis obsessa erat, & obumbrata; quæ totam sensualitatem rationalis animæ illius opprimebat, nec eam elevato intellectu suspirare permittebat: velut umbra hominis, aut alterius rei, vel fumus; opposita obtegit & perfundit: unde hæc rectos sensus & actus perdebat, & inconvenienter sæpius clamabat, & faciebat. Et me cogitante, & scire volente, quomodo diabolica forma hominem intraret; vidi & responsum habui, quòd diabolus in sua forma, ut est, hominem non intraret; sed eum umbra & fumo suæ nigredinis obumbrat, & integit. Si enim forma illius hominem intraret, citiùs membra illius solverentur, quàm stipula à vento dispergatur. Quapropter DEUS non permittit, ut hominem in sua forma intret; sed supradictis perfundens, ad insaniam & inconvenientiam evertit, & per eum quasi per fenestram vociferatur, & membra illius exteriùs movet, cùm tamen in eis in forma sua interiùs non sit: animâ interim quasi sopitâ, & ignorante quid caro corporis faciat.* Hæc illa. Quæ cùm dissonent allatis hactenus divinis oraculis, utique falsa sunt. Verissimum enim est dictum Theologorum (ut benè notat *Delrius* lib 3. Disquisit. Magicar. par. 1. q. 4. sect. 7.) sæpe eos, qui assuevêre multis revelationibus, etiam veris, putare se habere per revelationem, quod habuêre per discursum, aut opinionem. Suspicor tamen, personam illam de qua B. Ildegardis loquitur, non fuisse obsessam à dæmone; sed morbo aliquo naturali affectam, simulque à dæmone occasione illius morbi exagitatam; Sanctam autem putasse, verè obsessam esse, modumque, quo exagitabatur à dæmone, per revelationem intellexisse; quem modum deinde vel ipsa, vel Scriptor Vitæ ad energumenos ac verè obsessos à dæmone extendit.

B. Ildegardis opinio de energumenis.

Ex dictis hactenus concluditur, dari veros energumenos, dæmonemque verè aliquos obsidere. *Probatur 1.* ex testimoniis Sacræ Scripturæ allatis §. 1. & 2. *Probatur 2.* quia Christus potestatem dedit discipulis dæmones ab obsessis ejiciendi, & energumenos liberandi, ut ex iisdem Scripturæ Sacræ testimoniis constat. *Probatur 3.* quia in eo consentiunt SS. Patres, Concilia, Theologi, & omnium sæculorum Scriptores. *Probatur 4.* quia quos energumenos dicimus, tales sæpenumero effectus edunt, qui non nisi ad dæmones in illis existentes atque agentes reduci possunt, cujusmodi sunt sermo linguæ antea planè ignotæ, revelatio rerum antea incognitarũ, etiam absentium & occultarum, motio & translatio magnorũ ponderũ, reptatio per muros, elevatio in aëre usq; ad fornicem cubiculi, & alii similes; qui effectus cùm viribus hominũ, aut humanæ indu-

Digitized by Google

industriæ & arti adſcribi non poſſint, neceſſariò referendi ſunt in cauſam altiorem ac ſupra humanam; quæ quidem non eſt DEUS, nec Angeli boni, cùm ſæpe effectibus illis admiſceantur blaſphemiæ in DEUM, mendacia, & contumeliæ in homines; ergo ſunt dæmones.

CAPUT III.

Falſæ circa energumenos opiniones referuntur, ac refutantur.

ATHei omnes, qui DEUM & Angelos è rerum natura eliminare conantur, cum nonnullis nimiùm philoſophis, negare non dubitant verum energumeniſmum, illumque non dæmoni obſidenti, ſed variis aliis cauſis attribuunt. Nonnullas refero opiniones.

Energumeniſmus quid ſit ſecundùm atheos, & aliquos alios.

§. I. Opiniones variæ circa energumeniſmum.

PRimò ergo ſunt, qui hujus mali cauſam adſcribunt naturali diſpoſitioni, vel potiùs indiſpoſitioni corporis, quaſi totum illud malum melancholia ſit, aut furor inde promanans; unde dæmoniacos cum maniacis ac furioſis confundunt. Ita *Levinus Lemnius* de occult. Nat. Mirac. lib. 2. cap. 2. ubi contendit, humores atroces & violentos extorquere melancholicis, maniacis, & phreneticis peregrinas linguas. Addit, mentem hominis imbutam eſſe artibus ante illarum uſum, & noſtrum ſcire nihil aliud eſſe quàm reminiſci. Idem ſenſiſſe videntur medici quidam antiqui: nam *Photius* in Epitome Philoſtorgii lib. 8. c. 10. (referente Voëtio) laudat medicum Poſidonium ſub Valente; ſed quem eo nomine reprehendit, quòd diceret, homines non dæmonum vi furore debacchari, ſed humorum quorundam Cacochymiam hunc effectum operari; nullam quippe dæmonum vim eſſe, quæ naturam hominum damno afficiat. In hanc opinionem *Voëtius* Diſputat. cit. de Energum. Problem. 2. trahit Ariſtotelem, dicens eum omnia effecta energumenica ex naturalibus cauſis explicare in Problematis ſect. 11. Probl. 27 ſed nihil eorum apud Ariſtotelem invenio: quærit enim cit. Probl. 27. *Cur pueri nonnulli ante quàm ætas veniat, quâ vocabula ſuo tempore explanare poſſint, fari incipiant, & ubi aliquid expreſſe dixerint, rurſus obmuteſcant, atque ut priùs degant, quouſque ſolitum tempus loquendi accedat.* In eandem ſententiam idem *Voëtius* pertrahere nititur *Serarium, Delrium* & *Burgenſem*, dicens eos velle, ingreſſum & egreſſum dæmonis ἐνεργοῦντος pendere à diſpoſitionibus corporalibus. Sed quo ſenſu dicti, aliique Auctores qui idem habent, id afferant, infrà dicetur cap. 15.

Opinio prima falſa circa energumeniſmum.

Opinio secunda falsa circa energumenismum.

Secundo, alii ejusdem mali causam tribuunt influentiæ astrorum, quos notat *D. Hieronymus* in Matth. cap. 4. Ita quoque sentit *Petrus Pomponatius* lib. de Incantation cap. 10. in supposit. sexta, dicens: *Quod veluti reperiuntur homines qui astrorum peritiam, auguriorum omnium, somniorum, & reliquorum hujusmodi generis habent ex scientia librorum, experimento, doctrina, vel aliquo hujusmodi; sic aliquando reperiuntur, qui munere deorum, & corporum cœlestium, absque exercitio & labore talem cognitionem habent, & mirabilia faciunt; quare vulgares, & qui rerum causas non cognoscunt, credunt homines tales esse dæmoniacos, vel sanctos sic natos ex materno utero, vel extra uterum maternum: ut verum, dicant, tales homines hoc habere munere deorum, verùm mediantibus corporibus cœlestibus.* Idem repetit cap. 12. loquens de vatibus, Sybillis, & dæmoniacis.

Opinio tertia falsa circa energumenismum.

Tertio, Andreas Cattanius Imolensis Tract. de causis mirabil. effectuum, apud *Hieronymum Magium* lib. 4. Miscellan. cap. 12. cùm atra bili ad tot tantaque mirabilia, quæ quotidie in his, qui vulgò Dæmoniaci seu Fanatici vocantur, quæque Aristoteles in Problemat. melancholiæ succo adscribit, teste eodem Magio, animadvertuntur, patranda non sit satis; ea rejicit in Intellectum agentem abstractorum infimum, in Intelligentias abstractasque Mentes cœlestes, quæ homini jungantur, & succum corporis cœlesti dispositioni (verba sunt Cattanii) ac stellis quibusdam respondentem.

Opinio quarta falsa circa energumenismum.

Quartò, sunt qui dicunt, animas defunctorum intrare & possidere corpora illorum quos energumenos vocamus. Rationes pro hac opinione affert Voëtius ex aliis apud *Raphaelem La Torre* sequentes. *Primo*, quia ipsi energumeni sæpe id dicunt. *Secundò*, quia animæ separatæ habent hanc potestatem mediante virtute motivâ, quâ & se & corpora de loco in locum movere possunt. *Tertio*, quia faciunt operationes artificiales, quas defuncti facere solebant, & non alii. *Quartò*, quia revelant multa secreta, quæ soli homines, quorum animas se profitentur, nosse poterant. *Quinto*, quia multa utilia & sancta monent esse facienda, suffragia petunt, ut ab his aut illis malis liberentur, restitutionem ablatorum suadent; at illa non sunt à diabolo; ergo ab animabus separatis. Hanc opinionem *Rhodigin.* lib. 2. cap. 13. vocat vulgarem. Et *Voëtius* ait, hac afflatos fuisse non tantùm Judæos, teste *Josepho* lib. 7. de Bello Judaico cap 33. sed & Christianos, citatque Athenagoram, statuentem gigantum (de quibus Gen. 6. v. 1.) defunctorum animas in dæmones esse transformatas. Citat præterea *Justinum Martyr.* Apolog. 2 dicentem, οἱ γὰρ ψυχαῖς ἀποθανόντων λαμβανόμενοι καὶ [illegible] μενοι ἄνθρωποι, οὓς δαιμονολήπτους καὶ μαινομένους καλοῦσι. Plura addit testimonia, quibus confirmat, apud Gentiles vulgatam fuisse opinionem, animas hominum,

minum, qui malè vixerant, huc illuc vagari, & in dæmones transformari. Sed an hæc ad rem, de qua agitur, faciant, alii judicent.

Quosdam in Italia tempore Cardani malè de energumenismo sensisse, deducere nititur *Voëtius* ex ipsomet Cardano, propter verba quæ subnectit lib. 14. de Variet. rerum cap. 76. historiæ septuaginta puellarum in orphanotrophio Romano. Cardani relatio hæc est. *Annis abhinc duobus contigit, ut in orphanotrophio Romæ omnes puellæ (erant autem, ut audio, circiter septuaginta) nocte unâ factæ sint dæmoniacæ: nec ulla usque nunc, cùm jam exacti sint duo anni, curari potuit. Causa igitur ex halitu loci provenire potest, aut ex aqua: aqua enim pilos & humores mutat: potest & esse dolus. Agnosco nunc virum, qui puer per sex & ampliùs annos dæmonem se videre simulavit, tum ut liberiùs viveret, tum ut homines in sui admirationem traheret, atque etiam sic effrenè voluptati operam daret. Multa contingunt in hominibus. Sed si quis obfirmato animo secum reputet talia omnia esse vana, & dolis plena, facilè subolebit fucos. At dæmone corripi, seu insanire, quis vanum non esse dubitat? utinam esset. Si ergo hoc absq; fuco contigit, futurorum temporum, & antistitum improbitatem declarat, &c.* Ex postremis hisce verbis, *sed si quis*, &c. colligit Voëtius, quosdam in Italia vanum putasse, à dæmone corripi. Fateor, verba Cardani esse obscura. Puto tamen, ea solùm afficere verba immediatè præcedentia, *Multa contingunt in hominibus. Sed si quis, &c.* Fortassis etiam redundat particula *non*, in verbis illis, *quis vanum non esse dubitat*; alioquin quod sequitur votum, *utinam esset*, non cohæret cum præcedentibus verbis. Sed nolo Cardani ea in re causam suscipere defendendam, quem scio perplexum ubique se ostendere circa dæmonum existentiam.

Opinio quinta falsa circa energumenismum.

Quintò, sunt alii, teste *Raphaële la Torre*, qui vel naturalibus causis, vel astrorum influentiis, vel hominum deceptionibus, vel aliis quibuscunque causis omnia illa attribuunt, quæ in energumenis videmus, pernegantq; à dæmonibus esse obsessos. Rationes has afferunt. *Primò*, quia diaboli non possunt intus adesse simulacris seu idolis Gentilium, ut patet ex *Habac.* cap. 2. v. 20. ubi de sculptili ex ligno & lapide dicitur: *& omnis spiritus non est in visceribus ejus. Secundò*, quia anima rationalis est tota in corpore, & tota in qualibet parte; ergo non est ibidem dæmon, tum quia non potest esse simul in eodem loco cum anima, tum quia operationes ejus cum animæ operationibus non possunt ibi consistere simul, alioquin confunderentur. *Tertiò*, ingredi corpora, in illis esse, & inde ejici, nihil aliud notat in Scriptura, quàm sic illic operari, & accipere potestatem illic operandi, & ab operatione cessare; alioquin etiam Angelis bonis dùm nos custodiunt, & diabolis dum nos tentant, obsessio esset tribuenda. *Quartò*, quia dæmones non possunt illabi animabus hominum, nec intra eas esse, cùm hoc solius DEI sit; ergo nec possunt esse intra corpora, aut in ea il-

 labi.

labi. *Quintò*, animæ ſeparatæ defunctorum non poſſunt corpora viventium intrare, & poſſidere; ergò nec dæmones.

§. II. Refutantur prædictæ opiniones.

Opinionum prædictarum refutatio.

OMnes hactenus relatæ opiniones refutantur efficaciſſimè iisdem argumentis, quibus capite præcedenti probatum fuit, dari verè energumenos, & à dæmone infeſſos.

Tametſi igitur ultrò concederetur Lemnio, & Pomponatio, melancholiam & aſtrorum influxus vim habere cauſandi in aliquibus hominibus affectus & Symptomata aliqua, iis ſimilia, quibus verè energumeni afficiuntur; dici tamen non poteſt, nullos eſſe verè dæmoniacos. propter argumenta citato capite allata Falſum tamen eſt, cauſas naturales, quæcunque illæ ſint, efficere poſſe, ut homines linguis peregrinis, quas nunquam didicerunt, loquantur, & futura aut abſentia cognoſcant atq; prædicant, cùm falſum ſit, ſcire noſtrum eſſe reminiſci, & nihil ſit in mente quod non fuerit in ſenſu, nihil in lingua, quod in mente non fuerit. Deniq; Pomponatius non alia de cauſa delapſus eſt in abſurdam illá opinionem de aſtrorum influxu, quàm ut Ariſtotelem defendat (ut ipſemet fatetur cit. loc.) quem putat dæmones non admiſiſſe, nec alios Angelos, præter Intelligentias cœlorũ motrices, & tamen non ignoraverit opera mirabilia, quæ ſæpe & ubiq; in iis videmus, quos energumenos vocamus. Sed de hac re iterũ ſermo erit infrà.

Andreas Cattanius, qui præter intellectum agentem, & ſuccum corporis cœleſti diſpoſitioni reſpondentem, admittit Intelligentias Menteſque cœleſtes abſtractas, ſi per has intelligat Angelos bonos atque beatos, impiè ſentit, cùm energumeni ſæpe abſurdiſſima faciant & dicant, quæ talibus Mentibus adſcribi ſine blaſphemia non poſſunt. Si autem malos Angelos intelligit, jam non negat veros energumenos, quamvis non veram undequaque cauſam proferat.

Ad quartam opinionem de animabus defunctorum quod attinet, non eſt admittenda. Vel enim eſſent beatæ, vel damnatæ, vel in ſtatu medio. Non beatæ, quia indignum & impium eſt, adſcribere illis actiones omnes energumenorum, utpote ſæpe impias, aut abſurdas: non damnatæ, quia nec tantam virtutem, nec tantam ſcientiam habent, ut illa præſtent omnia, quæ in energumenis ſæpe videmus: non in ſtatu medio exiſtentes, tum propter causá proximè dictá, tum quia hæ non interſunt hominibus ut torqueant, ſed ut auxiliũ obtineant. Dæmones ergo ſunt. Nec refert 1. quòd id ipſi ſpiritus, qui energumenos inſident, fateantur; nam decipiunt: nec 2. quòd faciant operationes artificiales, quas defuncti facere ſolebant, aut ſecreta revelent quæ ſoli defuncti ſciebant; quia & dæmones id poſſunt; nec 3. quòd multa utilia moneant; quia & diaboli talia ſubinde præſtant, non ut proſint, ſed ut decipiant, ac perdant. Voëtius putat, hac

ultimâ responsione profligari spirituum apparitionem se animas actunctorum dicentium. Non, mi homo. Fateris, non omnes qui energumeni apparent, esse verè energumenos, sed sæpe intervenire fraudes ac deceptiones; nec tamen eliminas verum energumenismum. Non diffiteris, dæmonem sub Christi & Sanctorum larva subinde comparere; non tamen è medio tollis omnes veras apparitiones Christi & Sanctorum.

Quintæ & ultimæ sententiæ argumenta, cùm prorsus straminea sint, ut Voëtius quoque fatetur, responsione non indigent. Fortassis à nullo unquam fuerunt seriò proposita, sed solùm, ut in scholis fieri assolet, exercitii causâ.

CAPUT IV.

An homines fieri possint ac soleant energumeni ope aliorum hominum.

Energumeni an aliorum hominum ope fieri possint.

ANtequam ulteriùs progrediamur, quæstionem propositam enodare lubet. Quærimus igitur, an malefici, aliivè homines, possint ac soleant alios homines devovere dæmoni, illique quasi mancipare ita, ut illos verè ingrediatur, ac possideat, energumenosq; reddat.

Posse ac solere id fieri, constare videtur & hominum, & dæmonum confessione. Fassi enim sæpe sunt malefici, se dæmones in hominum corpora immisisse: & ipsi dæmones, cùm exorcizantur, prætexere solent se ab aliis immissos. Scio dæmonem patrem esse mendacii; quin tamen verum subinde dicat, nihil vetat. Illustre exemplum narrat S. *Hieronymus* in vita S. Hilarionis, his verbis: *Gazensis emporii oppido Virginem DEI vicinus juvenis deperibat. Qui cùm frequenter tactu, jocis, nutibus, sibilis, & cæteris hujusmodi, quæ solent moritura Virginitatis esse principia, nihil profecisset; perrexit Memphim, ut confesso vulnere suo, magicis artibus rediret armatus ad Virginem. Igitur post annum doctus ab Æsculapii Vatibus, subter limen domus puellæ tormenta quædam verborum, & portentosas figuras, sculptas in æris Cyprii lamina, defodit. Illicò insanire Virgo, & amictu capitis abjecto rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis. Magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Perducta à parentibus ad Monasterium seni* (Hilarioni) *traditur, ululante statim, & confitente dæmone: vim sustinui; invitus sum adductus. Quàm benè Memphis, somniis homines deludebam? O cruces! ó tormenta quæ patior! Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit. Tunc senex, Grandis, ait, fortitudo tua, qui lino & laminâ strictus teneris. Dic, quare ausus es ingredi puellam DEI? Ut servarem inquit, eam Virginem. Tu servares, proditor castitatis? Cur non potiùs in eum, qui mittebat, es ingressus? Ut quid, respondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum, amoris dæmonem? Noluit autē Sanctus jubere signa perquiri,*

Energumeni variis ope aliorum à dæmone obsessi.

nè aut solutis incantationibus dæmon recessisse videretur, aut ipse sermoni ejus accommodasse fidem, asserens fallaces esse dæmones, & ad simulandum callidos. Severè autem, redditâ serenitate, increpuit Virginem, cur fecisset talia, per quæ dæmon intrare potuisset.

Anastasius Nicænus quæst. 23. in Sacram Scriptur. de Simone Mago refert, *multos tentantes eum dicere præstigiatorem, cùm eos esset allocutus, & deinde convivii prætextu bovem sacrificasset, & eos convivio excepisset; variis morbis, & dæmonibus eos subjecit.*

Claudius Charon lib. de Antichristo revelato, Nota 1. narrat, Anno 1581. in Vinaresiæ oppido Annonajo fuisse maleficam, nomine Boyaronam, quæ variis plures dæmones non uno modo immiserit, quibus gravissimè divexati fuêre. In his filius & filia illius fuerunt, quos nucibus alteri paratis, sed more puerili abliguritis ab ipsis qui deferebant, singulos tribus dæmonibus possidendos mancipavit. Similia factitabat, eodem teste, strix alia, de la Gochonne; ita ut illis tum partibus cuncta plena fuerint per maleficia votiva energumenis, quorum multos vidit dictus Auctor.

Joannes Bodinus lib. 3. Dæmonomaniæ cap. 6. ait, Anno 1556. Amsterodami triginta pueros dæmoniacos compertos fuisse, à quibus nullo exorcismo dæmones potuerint expelli: id autem sortibus & maleficiis contigisse judicatum fuisse, quòd ferramenta, vitrea fragmenta, capillos, acus, pannos, & similia excreverint. Idem ibidem ait, Romæ Anno 1554. puellas dæmoniacas & mulieres octoginta fuisse à Benedictino Monacho, quem Cardinalis Gondius Parisiensis Episcopus eò duxerat, exorcizatas, eique percontanti à satana, cur miseras istas puellas occupasset, respondisse *se fuisse à Judæis missum, indignè ferentibus quòd istæ, quarum pars maxima ad Judæam gentem pertinebat, fuerint baptizatæ.* Eodem referente Bodino loc. cit. *in Kendorpiensi Monasterio ad Marchiam Germaniæ, ubi Moniales maligni spiritus Anno 1552. mirificis tormentis cruciarunt, interrogati magi & Moniales saga, responderunt, fuisse istud ab Elisabetha Kama coqua Monasterii procuratum, quæ sagam se agnovit esse, satanam rogavisse, & sortilegia ad hanc rem exercuisse &c. Similiter in Monasterio Nazâreth Coloniensis diœcesis, operâ adolescentis cujusdam sagæ, Gertrudis nomine, Moniales omnes à spiritibus malignis fuerunt obsessæ.* In Flandria, eodem teste, Antonio Suqueto Equiti Ordinis aurei Velleris, filius erat nothus, qui antequàm uxorem duceret, familiaritatem cum altera, quæ saga credebatur esse, coluerat. Hæc puellæ nobili, quæ amatori postea nupserat, invidens, egit cum satana ut novam nuptam incesseret. Factum itaque ut à maligno spiritu incesseretur, in maxima frequentia vexaretur, quamvis obnitentibus viris in altum attolleretur, & huc illuc projiceretur.

Alia exempla affert *Remigius* lib. 2. & *Fernelius* lib. 2. de Abditis rerum causis.

Ex his patet, quid sentiendum, nempe posse ac solere maleficos immittere aliis hominibus dæmones. Hæc autem immissio quomodo intelligenda sit, patet ex dictis lib. 1. cap. 37. §. 5. Non enim provenit à facultate cogendi, quam Magi ac malefici habeant in dæmones, cùm nullam talem facultatem habeant; sed vel ad imperium, vel potiùs petitionem maleficorum, dæmones superiores cogunt inferiores, ut, si DEUS permittat, destinatum hominem invadant; vel dæmones ipsi, potestate sibi à DEO factâ, sponte accurrunt, & ex pacto hominem invadunt, fingentes se obtemperare, imò & cogi. Propter quas porrò causas, & præcipuè propter quæ peccata DEUS permittat id fieri, dicemus infrà suo loco. Patet hinc responsio ad contrariæ opinionis argumentum, quòd par in parem, inferior in superiorem, homo videlicet in dæmonem, potestatem nullam habeat: non enim ad hominis imperium hominem invadit dæmon, sed vel ad superioris ac potentioris dæmonis imperium, vel sponte suâ ob pactum initum. Nobiscum sentit *Petrus Thyræus* lib. de Dæmoniacis cap. 16. *Voëtius* Disput. de Energum. *Bodinus Remigius*, & alii quos citavimus. Reclamat tamen *Wierus* lib. 4. de præstigiis dæmon. cap. 18. sed nihil probat, nisi quòd homo non possit imprecando immittere dæmonem sine DEI permissione; quod & nos asserimus.

Dæmones quomodo à Magis immittantur in homines.

CAPUT V.

Qui dæmones, quos obsideant homines; & quam in illos habeant potestatem.

AD verum energumenismum, ut suprà cap. 1. vidimus, requiruntur dæmones obsidentes, homines obsessi, & illorum in hos potestas. Quærimus igitur meritò, qui dæmones, quos obsideant homines; & quam in illos habeant potestatem.

Dæmones quinam obsideant homines.

§. I. Omnium ordinum dæmones obsident homines.

AD primum quod attinet, licèt inter dæmones sit Reipublicæ forma, & variè illorum sint classes, ut lib. 1. vidimus, sintq; alii aliis superiores, ac potentiores; probabile tamen est, ex omnibus classibus atque ordinibus hominum corpora ingredi, si DEUS permittat, cùm omnium æqua sit malitia, æquum in homines odium, æquus nocendi ardor. Ita *Thyræus* lib. de Dæmoniac. cap. 12. ubi ex variis Scripturæ locis id deducere conatur. Nec unus semper unum invadit hominem, sed sæpe duo, aut plures, etiam ad legionem usque, ut ex *D. Luca* cap. 8. constat: & apud eundem

Dæmones plures aliquando invadunt unum hominem.

Digitized by Google

cap. 11 mentio fit septem dæmoniorum unum hominem subeuntium. Vide *Thyraum* loc.cit.cap.13. Nec dubium est, quin plures magis crucient, quàm unus; sive omnes idem malum inferant, sive singuli proprium atq; distinctum; quod citatus Auctor cap. 14. discutit.

§. II. Omnis generis homines à dæmonibus obsidentur.

Homines omnis generis obsidentur à dæmone.

AD secundum quod attinet, invadit dæmon homines cujuscunque sexus, ætatis, conditionis, etiam infantes, pueros, puellas, doctos & indoctos, justos & injustos, Judæos, Gentiles, Christianos. Exempla subministrat Scriptura Sacra, Scriptores Ecclesiastici & Profani, quotidianaque experientia. De infantibus testatur *D. Marcus* cap. 9. v. 21. ubi quis παιδιόθεν, id est, ab infantia dicitur fuisse dæmoniacus; & *D. Hieronymus* Epist. ad Paulam de dormitione Blesillæ; de pueris ac puellis exempla attulimus capite præcedenti ex Cardano, & Bodino; de aliis alia extant exempla apud Scriptores varios.

§. III. Potestatem in corpora hominum possessorum habent potissimùm dæmones.

Potestas dæmonum in energumenos quænam.

AD tertium quod attinet, ajo cum *Thyræo* c. 4. in corpora potissimùm potestatem esse dæmonibus obsidentibus, in animam verò aut nullam, aut valde exiguam. Quæ autem mala corporibus inferant, dicemus capite sequenti. Animas non possunt quidem privare viribus suis naturalibus, possunt tamen earum expeditum usum impedire, obfuscare intellectum, inclinare ad malum voluntatem, confundere memoriam, libertatis usum indirectè hebetare, habituum intellectualium ac moralium exercitium retardare, aliaque similia mala inferre. Non possunt tamen privare animas fide, spe, & charitate; nec virtutibus reliquis infusis, sive in voluntate sedes habeant, sive in intellectu. Nequeunt etiam renitentes animarum vires ad operandum impellere, alioquin ad peccatum etiam invitos pertraherent.

Non omnem tamen, quam habent, potestatem in homines exercere possunt, sed certam tantùm ac finitam, quantam nimirum DEUS permittit, nè hominem penitus pessumdent; quod utiq; possent, *cùm non sit potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeat,* Job. 41.

CAPUT

CAPUT VI.

Quæ mala energumenis inferant dæmones.

Plurima mala dæmones inferunt energumenis, uti patet partim ex dictis suprà cap. 2. partim patebit ex hîc dicendis. Nam *primò* aliquos variis & occultis morbis cruciant, adeò ut medicorum omnium artem ac remedia eludant. Ita quidam, quem spiritum infirmitatis appellat Christus, afflixit per annos octodecim mulierem illam apud *D. Lucam* cap. 13. de qua loc. cit. Ita quoque alius afflixit cujusdam Principis filiam, cujus in vita Theodori Archimandritæ fit mentio, annis viginti, morbo gravissimo; cujus tamen auctor ignorabatur, donec puellâ ad Sanctum Virum adductâ, ipse se prodere coactus fuit. Alius etiam cruciavit Petrum quendam, cauponis filium, qui gravissima cordis patiebatur tormenta; nec tamen sciebatur à dæmone morbum infligi, donec à dicto Sancto agnitum id fuit, & dæmon abactus. *Joannes Fernelius* lib. 2. de Abditis rerum causis tradit, juvenem quendam equestris familiæ in Gallia ævo suo corporis concussione & quasi convulsione ex temporum intervallis laborasse, quæ nunc solùm sinistrum brachium, nunc dexterum, interdum etiam digitum unicum, aliàs crus alterum, aliàs utrumque, aliàs corporis truncū tantâ celeritate exagitavit, ut vix à ministris quatuor decumbens cohiberetur. Caput autem inconcussum jacebat, lingua & locutio libera, mens sana, omnesque sensus integri, vel in convulsionis ferocia. Decies ut minimùm quotidie corripiebatur; in intervallis sanus, sed labore confractus. Vera epilepsia judicari poterat, si mentis sensuumque læsio accessisset. Peritissimi quique adhibiti medici convulsionem epilepsiæ finitimam à maligno venenatoque vapore, spinæ dorsi impacto, censuerunt, è quo vapor in eos nervos emanaret, qui à spina in artus quoquoversū, non autem in cerebrum disseminantur. Hæc credita causa ut submoveretur, clysteres imperãtur frequentes, purgationes generis omnis & validæ, cucurbitulæ infiguntur nervorum initiis, fotus, unctiones, emplastra, primùm quæ discuterent, dein quæ roborarent, venenatamque malignitatē obtererent. His parum proficientibus, sudores proliciuntur balneis, æstuariis, & Guajacinæ ebeni decocto; quæ nihilo magis profuerunt, quoniam omnes longè (inquit) aberamus à cognitione veri. Nam mense tertio primùm depræhensus dæmon quidam totius mali auctor, voce insuetisque verbis ac sententiis tum Latinis, tum Græcis (quanquam ignarus linguæ Græcæ laborans esset) se prodens. Is multa medicorum secreta detegebat, ridens quòd eos magno periculo circumvenisset, quòdque irritis pharmacis corpus hoc penè jugulassent. Quoties laborantem pater invisebat, is procul à conspectu clamabat: Appetentem hunc arcete,

Energumenis quæ mala inferant dæmones.

Mala gravissima & plurima energumenis inferunt dæmones.

arcete, & ab ingressione propulsate, aut torquem è cervice detrahite(ex hoc enim, ut Gallorum torquatis equitibus in more est, D. Michaëlis imago propendebat.)Hæc ex Fernelio; quæ etiam habet *Majolus* in Canicularibus tom. 2. Colloq. 3. de Sagis.

Secundò, nonnullos sensibus, seu sensuum usu privant.Patet id in exemplo suprà cap. 2.allato ex D. Luca cap. XI. de dæmonio muto,& surdo, quod postquàm Christus ejecisset,locutus est mutus:neq;enim dæmonium erat mutum ac surdum, sed dæmoniacus, quem surdum ac mutum reddiderat spiritus obsidens. Sic alius sexennio usu linguæ privavit mulierem quandam apud *Palladium* in vita Possidonii Sect. 71. Alios non quidem sensibus omninò privant, variis tamen præstigiis ac ludificationibus ita fascinant, ut credant se percipere quæ revera non percipiunt. Id contigisse nonnulli putant Nabuchodonosori Regi, qui in bovem se conversum existimavit; de qua re libro præcedenti. Idem sine dubio contigit Abbati Moysi apud *Cassianum* Collat. 7. cap. 27. qui traditus dæmoni ingerebat ori suo egestiones humanas.

Tertiò, naturalem hominis formam in quibusdam ita deturpant ac destruunt, ut bestiis ac monstris similiores quàm hominibus appareant. Mulierem illam, de qua paulò antè ex D. Luca, ita spiritus infirmitatis destruxerat, ut inclinata instar testudinis aut bestiæ incederet, nec sursum omnino respicere posset. Aliam mulierem dæmon, quem S. Bernardus ejecit, non solùm auditu, & visu, & loquelâ privârat, sed ejusdem linguam sæpe in modum proboscidis elephantinæ protruserat, & adeo faciem deformarat, ut non pro homine, sed pro teterrimo monstro haberetur, teste *Wilhelmo Abbate* lib. 2. c. 3. Vitæ S. Bernardi. Alia, quam B. Laurentius Justinianus sanavit, Cerberi instar aconita vomebat, ore contorto spumabat, dentibusque in morem irritatæ tigridis frendebat, ut auctor est *Bernardus Justinianus* in vita dicti Sancti cap. 8. Repetantur exempla capitum præcedentium.

Quartò, multis aliis modis affligit atque excruciat malus iste inhabitator quos semel invasit. Nam aliquorum vires ita depopulatur, ut se loco movere nequeant, ut patet in puella, cujus meminit *Fortunatus* in Vita S. Germani Episc. Parisiens. cap. 27. quam stygius ergastularius ita debilitaverat, ut templum ingredi non posset. Alios cõtrahit in globũ, distrahit in lineam, torquet in omnes partes, ut experientia quotidiana docet, comprobatque exemplo suo Eutychius miserrimè distortus ac volutatus, de quo *Georgius Presbyter* in Vita Theodori Archimandritæ. Alios sursum attollit, ut mulierem à S. Bernardo Mediolani curatam, ut legitur in ejus vita lib. 2. cap 4. Alios humi affligit, ut filiam Principis, de qua suprà. Quosdam in ignem, quosdam in aquam præcipitat, quosdam agit in solitudinem,

tudinem, ut vidimus cap. 2. ex Evangelio. Quorundam imaginationem & phantasiam ita occupant, turbant, evertunt isti spiritus, ut obsessi non modò seipsos pro monstris habeant, aut sibi persuadeant, se in hostes suos incidisse, belluas cruentas videre, larvas cernere, mortem præsentem habere; sed etiam ut se ipsos in belluas conversos arbitrentur, ut suprà diximus, ideoque in obvios involent, sæviant, eos lacerent, & occidant. Talis fuit, quem gladio infesto per urbis plateas ruentem, & quoscunque obvios petentem, integritati restituit Arsacius, teste *Sozomeno* lib. 4. cap. 15. Linguâ etiam energumenorum non raro abutuntur dæmones, eâq; evomunt horrendas blasphemias, calumnias, convicia, detractiones, ac diffamationes. Abutuntur & gutture, per quod voces trudunt inconditas & belluinas, sibilant ut serpentes, rugiunt ut leones, mugiunt ut tauri. Abutuntur tandem & stomacho, quem subinde monstrosæ voracitatis ingluvie vexant. Fuit teste *Theodoreto* in Historia SS. Patrum. Sect. 13. obsessus, qui tametsi uno die triginta gallinas absumeret, famem tamen satiare non poterat. Alium fuisse refert *Palladius* in vita Abbatis Macarii Sect. 17. qui trium modiorum panes unâ vice devorare solebat, & eosdem mox eructans resolvebat in vaporem: & si panes deerant, sua ipse excrementa comedebat, & ebibebat lotium. Omitto innumera alia mala, quæ inferunt teterrimi hospites energumenis. Quibus id modis efficiant, patet ex dictis lib. 1.

Non tamen ita cruciant dæmones obsessos suos, quin à cruciatu aliquando desistant, ut quotidiana docet experientia. Quin multis aliquando annis obsident nonnullos, nec ullum tamen cruciatum inferunt, imò nec signum præsentiæ suæ edunt. Confirmat hoc Obsessus, cujus in Vita S. Parthenii fit mentio apud *Metaphrasten* die 7. Febr. Hic quamvis multis annis dæmonium habuisset, de illo tamen nihil vel ipse, vel alii suspicati sunt; donec præteriens S. Parthenium, se prodidit dæmon. Puella quoque illa, cujus apud Fortunatum fit mentio, quamvis multis annis obsessa fuisset, nullam tamen molestiam sustinuerat à spiritu, nisi quòd à templi ingressu fuisset impedita. Ad tempus etiam aliquando discedere ab obsessis dæmones, ac deinde reverti, confirmat exemplis *Thyræus* lib. de Dæmoniacis par. 1. cap. 8.

Energumeni non semper cruciantur à dæmonibus obsidentibus.

CAPUT VII.

De variis operationibus, quas dæmones in energumenis exercent, præsertim de locutione.

DUplices operationes exercere solent dæmones in energumenis, per corpora velut instrumenta alias, alias sine corporibus. Posterioris

Energumenorum operationes variæ

rioris generis sunt, velle, intelligere, & aliæ actiones spiritibus propriæ, quæ sub nullum sensum cadunt. Prioris generis, præter enumeratas præcedenti capite, sunt locutio, vinculorum disruptio, onerum ingentium translatio, velocissima progressio, aliæque similes, quæ vires humanas superare videntur. Præter has actiones, quarum primæ sunt propriæ dæmonum, secundæ communes homini & dæmoni, sunt aliæ hominis possessi propriæ, ut est visio, auditio, locutio ut plurimùm, progressio naturalis, & alia similia. Vulneratio propria aut aliorum, membrorum distractio & compressio, organorum sensitivorum corruptio, virium debilitatio &c. fiunt quidem mediante corpore energumenorum, at cùm hi tantùm passivè ad eas se habeant, dici debent dæmonum propriæ actiones.

Energumenorum locutio.

Dubium non est obsessos multa per se loqui, non concurrente, nec impellente dæmone obsidente. Sæpissimè tamen fit, ut tota locutio solorum dæmonum sit, tum maximè, quando Obsessi terribiles rugitus, & inconditos clamores excitant; quando futura, aut absentia, aliaque similia incognita manifestant, quæ ab hominibus tunc scire non possunt; quando linguis peregrinis, quas nunquam didicerunt, loquuntur; quando de rebus altissimis sermonem habent; quando in potestate Obsessorum non est ut taceant; si postquam cessant abripi, & sibi restituuntur, nesciunt respondere de iis rebus altis, aut incognitis, de quibus sermonem habuerunt. Affert hæc signa *Alphonsus Tostatus* in cap. 8. D. Matthæi q. 114. & ex ipso *Thyræus* lib. de Dæmoniac. cap. 17.

Expeditiùs verò loquuntur dæmones in obsessorum corporibus, quàm in formatis ex aëre, in cadaveribus, in corporibus brutorum, quoniam in iis aptiora inveniunt organa, quàm in his. Eò etiam promptiùs loquuntur per obsessos, quò expeditiora habent organa, adeò ut cum impeditis linguâ impeditiùs loquantur. Fassus id fuit ipse diabolus, qui cùm per obsessam mulierem latinè loqueretur, & ob solœcismum commissum à circumstantibus irrideretur, respondit, minimè mirum esse quòd erraret, mirum potiùs quòd loqueretur, cùm linguam mulieris grossissimam difficulter ad loquendum, nedum ad expeditè & correctè loquendum, movere posset.

Ex his sequitur, dum obsessi, per quos dæmon explicato modo loquitur, blasphemant, pejerant, secreta contra justitiam revelant, circumstantes diffamant, aliaque similia perpetrant, immunes à peccatis esse, quoniam non tam agunt, quàm aguntur.

De locutione dæmonum per energumenos plura dicemus infrà cap. 11. & 12.

CAPUT

CAPUT VIII.

Quâ formâ dæmones invadant energumenos, spectabili, nec nè.

Dæmones qua formâ invadant energumenos.

Ratio dubitandi est, quòd tametsi spiritus sint dæmones, & corpora nulla habeant, nè tenuissima quidem, ut vidimus lib. 1. possunt tamen illa assumere, quando, & qualis formæ, præsertim bestiarum, libuerit, ut ibidem, & lib. 2. probavimus: nec rarò sub muscarum, araneorum, formicarum, similiumque animalculorum specie in obsessorum ore fuêre conspecti: sæpe etiam in energumenorum corporibus tubera apparent, ac de loco in locum migrant, indicioque sunt dæmones sub corporea mole intra corpora latitare, atque transcurrere. Nec desunt exempla.

Georgius Presbyter in vita B. Theodori Archimandritæ testatur, cùm Beatus ille ex quodam cauponis filio spiritum immundum ejiceret, illum magno clamore edito, & in specie *nigræ formicæ* ex ore Obsessi prodeuntis, egressum suum prodidisse.

Fortunatus quoque Pictavorum Antistes in vita S. Germani Parisiensis Episcopi cap. 27. scribit, quòd cùm Sanctus ille obsessæ mulieri manum imponeret, & crucis signum imprimeret, dæmon per nares in *specie muscæ* cum sanguine sit egressus.

Idem S. Germanus aliàs ab infestante dæmone diaconum quendam liberavit, qui ab eo visus est discedere in specie *parvulæ avis*, teste eodem Fortunato loc. cit. cap. 52.

Narrat Fincelius lib. 3. de Miraculis, Anno 1559. non procul à Joachimicis Vallibus dæmonem invasisse fabri cujusdam filiam in haustu cerevisiæ, sub specie *muscæ*, cùm antea per integrum biennium fuisset ei insidiatus.

Novi ego, cùm Mænis in Sicilia degerem, matronam nobilem ac piam, quæ & ipsa fatebatur cum lacrymis, & ab aliis passim credebatur ac dicebatur, habere dæmonem in corpore, qui identidem pectus in tuber inflaret, ac paulatim per guttúr ad os ac linguam ascenderet. Hoc tamen ut crederet, adduci non poterat Collegii nostri Rector, Vir solidè doctus ac pius, donec vocatus die quodam ad templum nostrum à dicta matrona, petitura pro malo suo aut remedium, aut consilium, vidit inter loquendum intumescere pectus, ac tuber serpere per guttur ad linguam, fœminæque vultum & oculos mirè deformari, & linguam in miram ac humanâ majorem loquacitatem dissolvi.

Ex his videri queat, dæmonem obsidere homines sub forma corporea. Ego sequentia statuo.

Digitized by Google

Primò. Dæmones obſidentes non aſſumunt neceſſariò corpora, quia ſine illis poſſunt invadere homines, illosque affligere (qui ſcopus illorum eſt) uti ex dictis lib. 1. & 2. patet. *Secundò*. Poſſunt tamen, ſi velint, ſimilia animalculorum corpora aſſumere, ſub illorum ſpecie homines invadere, intra illos latere, huc atque illuc diſcurrere. Patet ex iisdem duobus præcedentibus libris. *Tertiò*. Utrum, dum ſub dictorum animalculorum ſpecie intra obſeſſos latuerunt, corpora illorum aſſumpſerint, incertum eſt, quia poſſunt illis extrinſecè tantùm aſſiſtendo facere, quæ in dictis exemplis feciſſe narrantur. *Quartò*. Ut tubera in obſeſſorum corporibus excitent dæmones, non eſt neceſſarium, ut ſub ſpecie corporea intus lateant, quia virtute ſibi inditâ, absque corporis ſubſidio, id poſſunt efficere, ut ex lib. 1. patet.

Addit *Thyræus*, putare ſe, muſcas, araneos, aliaque ſimilia animalcula vilia & ſordida, nec ſponte à dæmonibus fieri, nec ipſos niſi invitos & coactos iisdem vel aſſiſtere, vel ineſſe, coactos ſcilicet à DEO, ut ipſi dæmones confundantur, hominesque intelligant quàm ſit miſerum illorum ſubeſſe imperio, qui non niſi cum muſcis aut araneis poſſunt eſſe moleſti.

CAPUT IX.

De ſignis ad diſcernendos veros energumenos à falſis.

Energumenos veros à falſis diſcernendi ſigna.

CErtum eſt I. Nec omnes qui baptiſmatis ſacramento initiati non ſunt, nec omnes Sagas & Maleficos, nec Divinatores omnes, nec denique omnes Hæreticos, & à Chriſtiana religione Apoſtatas, eſſe Energumenos ſeu à dæmone poſſeſſos. Contrà ſentientium argumenta, eorumque ſolutionem, vide apud *Thyræum* lib. de Dæmoniacis cap. 18. & ſeqq.

Energumenos aliqui ſe fingunt.

Certum eſt II. Non omnes illos, qui ſibi perſuadent ſe à dæmone obſeſſos, idque fatentur palàm, & remedia experiunt, eſſe tales. Docet id quotidiana ferè experientia. Novi ego virum doctum ac religioſum Panormi in Sicilia, qui vocatus ad exorcizandam mulierem, quæ energumenam ſe diu & multis ſignis atque clamoribus oſtenderat, clavem ferream clam aliis velo involutam protulit in medium, experimentum facturus an verè à diabolo inſeſſa foret. Hîc mulier, quoniam S. Roſaliæ, cujus ſacrum corpus non multò antè in Ercta monte, magnâ DEI providentiâ, repertum fuerat, ſacra lipſana ſibi oſtentari perſuadebat, horrendùm clamare, meditari fugam, vim ſibi à Sancta inferri teſtata. Ex quo mulieris illuſio patuit. Alium novi in eadem Sicilia, qui cùm Erycino in monte & urbe prope Drepanum ad pium & honeſtum Sacerdotem diver-tiſſet,

tiffet, reperit eum vehementer afflictum ob ſororem à dæmone, ut ajebat, obſeſſam; rogantemque enixè, ut ſi quam poſſet, afferret opem. Accedit ſororem hoſpes, alloquitur, examinat, & in ſuſpicionem fraudis ac ſimulationis venit. Amotis igitur arbitris, perſuadet fœminæ cauſam ut aperiat, cur energumenam ſe fingat, promittitque obtenturum à fratre, quidquid eâ fictione extorquere niteretur. Tum mulier, diu ſcait, ſed fruſtra, à fratre petiviſſe, ſericum ut ſibi pallium coëmeret, quali honeſtiores uti ſolerent matronæ. Hanc ſimulationis cauſam eſſe. Aliud tamen nihil à fratre ſacerdote, poſtquàm id reſcivit, quàm lumbifragium obtinuit; quo & ad mentem rediit. Similia exempla frequenter quibusvis locis occurrunt, unum ſuprà cap. 3. ex Cardano retulimus.

Certum eſt III. Nec vitam improbam, nec feros atque agreſtes mores, nec gravem ac diuturnum ſomnum, nec morbos nullâ medicorum arte curabiles, ſigna eſſe certa & indubitata latentium in hominibus dæmonum. Ratio eſt, quia illa omnia alias poſſunt ac ſolent habere cauſas. Omitto alia ſigna falſa, quæ *Thyræus* loc. cit. cap. 22. congerit.

§. I. Signa nonnulla ad dignoſcendos Dæmoniacos.

His ſtatutis, Ajo I. Occultorum revelationem, quæ hominum ea revelantium ſcientiam naturalem ſuperant, probabile ſignum eſſe latentis in homine dæmonis obſidentis, ſi aliunde prudenter præſumi non poteſt, à DEO, aut ab Angelo bono eſſe. Ratio eſt, quia cùm revelationem illam à mente ſeu ſpiritu aliquo ſuggeri neceſſe ſit, nec tamen à privato hominis ſpiritu ſit, cùm ſuperet ejus ſcientiam naturalem; nec à DEO, aut ſpiritu bono, ut prudenter ſupponitur; neceſſe omnino eſt à malo ſpiritu proficiſci. Dixi, probabile ſignum eſſe latentis in homine dæmonis obſidentis: non enim id certum eſt, cùm & à dæmonibus non obſidentibus ea revelatio fieri queat, ut conſtat ex variis hiſtoriis, & quotidianâ ferè experientiâ. Si tamen alia adſint ſigna, probabile eſt revelationem in prædictis circumſtantiis à dæmone obſidente eſſe. Exempla vide apud Thyræum cap. 23.

Revelatio occultorũ ſignum probabile energumeni.

Ajo II. Linguarum peregrinarum peritiam & locutionem, quas loquens nunquam didicit, latentis quoque dæmonis in homine ſignum eſſe probabile, ſi aliunde præſumi prudenter non poteſt, eſſe à DEO, aut Angelo bono. Ratio eſt, quia fieri naturaliter non poteſt, ut quam quis ignorat linguam, illâ loquatur, cùm peregrina idiomata non niſi magno ſtudio addiſcamus. Cùm ergo opus mentis ſit, idioma ignotum loqui; nec tamen à DEO, aut Angelo bono eſſe cenſeri poſſit; meritò à dæmone eſſe præſumi poteſt; inhabitante quidem, ſi alia adſint ſigna, lo-

Locutio peregrino idiomate probabile ſignum energumeni.

Digitized by Google

quentem esse energumenum. Idem intelligendum est de scientia legendi, scribendi, cantandi, deque aliarum scientiarum notitia, si eas nunquam didicit. Hallucinatur ergo *Levinus Lemnius* lib. 2. deOccultis Naturæ cap. 2. docens melancholicos & phreneticos ex frequentissima humorum ebullitione, & vehementi spirituum agitatione, posse variis linguis loqui, quamvis antea earum nullam nôrint. Hoc signo passim olim & nostris temporibus deprehensi fuêre dæmones obsidentes. Sic deprehensus olim ille, qui candidatum quendam Constantii Imperatoris possedit; qui candidatus tametsi Francam tantùm & Latinam nosset linguam, tamen B. Hilarioni respondebat idiomate Syro, & quidem ita perfectò, teste *D. Hieronymo* in vita Hilarionis, ut non stridor, non aspiratio, non idioma aliquod Palæstini deesset eloquii. Sic deprehensus & ille, qui in muliere Mediolanensi, ad S. Bernardum adducta, latebat, quæ nunc Italicâ, nunc Iberâ loquebatur linguâ, ut habetur *lib. 2. cap. 4.* Vitæ S. Bernardi. *D. Norberto* Præmonstratensi apud Ningellam verbum DEI prædicante, & puellam dæmoniacam ad se adductam exorcizante, dæmon irridens Cantica Canticorum à principio usque ad finem per os puellæ recitavit, & ad verbum in Romana primùm, deinde in Teutonica lingua interpretatus est, teste *Sigeberto* in Chron. circa annum Christi 1122. Mulierem dæmoniacam Melanchthon apud *Majolum* tom. 2. Colloq. 3. & alios scribit, à se in Saxonia visam, nescientem legere & scribere, quæ Græcè tamen & Latinè loquebatur, & sævum illud Saxoniæ bellum prædixit his verbis: ἔςαι ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τύτῳ. *Fernelius* quoque lib. de Abditis rerum causis testatur, puerum se vidisse dæmoniacum, qui Græcè loquebatur, cùm tamen literas nesciret. Similia quotidie occurrunt.

Energumenorum alia signa.

Ajo III. Præter signa præcedentia satis probabilia ac certa, esse alia, minùs tamen certa, latentium in hominibus dæmonum. Hujusmodi sunt, barbaræ & inconditæ voces, clamoresque & ululatus belluini; horribilis & truculentus vultus; membrorum stupor, & functionum ferè omnium vitalium privatio, atque perpetua quædam somnolentia; summa inquietudo; vires in corpore humano non ordinariæ, ita ut rumpant vincula & catenas, onera gestent ad quæ hominum robur non sufficit, reptent per muros, summâ agilitate currant; voracitas atque bibacitas prorsus exotica; aliaque similia. Ratio est, quia qui verè energumeni fuerunt, hæc signa sæpe exhibuerunt; & sæpe dæmones his se signis prodiderunt in obsessis. Nam ex latratu deprehensi sunt multi utriusque sexus esse obsessi Alexandriæ, teste *Sigeberto* in Chron. circa Annum Domini 517. De obsessis truculentissimum ac mirè deformatum vultum habentibus mentionem fecimus c. 6. Inquietiorum, & nullo loco consistentium, sed

tim, sed solitudines ac sepulchra petentium, exemplum habemus apud *D. Matth.* cap. 8. ut vidimus suprà cap. 2. Mulier Mediolanensis vetula obsessa, ad S. Bernardum adducta, scamnum in quo ille sedebat, transilit, & quoscunque equos se cursu æquare posse asseruit. Voracitatis exempla dedimus cap. 6.

Hæc tamen signa, ut dicebam, non sunt certa, quoniam aliis quoq; ex causis, & sæpe naturalibus, evenire possunt. In Maximino Imperatore, qui Alexandro Mammeæ filio successit, tantum virium fuit, ut equum pugno percussum nudaret dentibus, & majusculas arbores divideret manibus. Cajus Junius tanti fuit roboris, ut carpenta prætervecta unâ manu obnixus teneret, jumentis etiam contrà nitentibus. Celeritatis summæ fuit puer novem annorum Romæ, Consulibus Fonteio & Vipsano, adeò ut à meridie ad vesperam perpetuo cursu conficeret octoginta millia passuum. Romæ sub Cæsaribus inter spectacula populo exhibita productus est, qui per adversum parietem felis modo reptando scanderet. Maximinus jam nominatus uno die esitabat quadraginta libras carnis (alii LX. scribunt) potabatque vini amphoram, adeò ubertim sudante corpore, ut calice sudor colligeretur, impleretque uno die tres sextarios. Narrat hæc *Sabellicus* tom.4. Exemplor.lib.2.c.9.& 10. Quidam Buscoducensis nondum depositâ cacodæmonis larvâ, quam in fabula paulò antè assumpserat, uxorem suam cognovit; quæ gravida effecta, talem postea partum edidit, qualem ipsa maritum personatum conspexerat, ut refert *Vairus* de Incantat.lib.1.cap.12.De Cippo quodam rege narrat *Petrus Mess.* par. 2. Variar. lect. cap. 7. quòd inter dormiendum è fronte nata sint illi cornua, cùm commissos interdiu tauros somnians altiùs animo agitasset. His similia multa alia retulimus partim libro superiori, partim referemus libro sequenti de Mirabilibus monstrorum.

Ajo IV. Probabile etiam signum inhabitantis dæmonis in hominibus esse, si obsessi renuant proferre nomen JESU, invocare DEUM, recitare Psalmum *Miserere mei DEUS*, aut *Qui habitat*, aut alias pias orationes; item si ad prolationem nominis JESU, aut Sanctorum aliquorum, ad præsentiam rerum sacrarum, ad signum Sanctæ Crucis, ad insusurrationem in aurem horum verborum, *DEUM qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui*, ad exorcismos intentatos, aliaq; similia, exhorrescunt, terrentur, concutiuntur, impatientes redduntur, blasphemant, fugiunt &c. Ratio est, quia experientiâ frequentissimâ constat, verè obsessos sæpe talibus signis cognitos fuisse: constat præterea eâdem experientiâ, dæmones similia horrere, & ab obsessis discedere, ut fusè ab aliis probatur.

§. II. Alia

Google

§. II. Alia Dæmoniacorum signa.

Energumenorum adhuc alia signa.

VOëtius Disput. de Energum. part. 1. rejectis signis quæ alii afferunt, enumerat sequentia, desumpta, ut ipse ait, ex Scriptura & experientia. 1. Occultorum, præteritorum, præsentium, futurorum revelatio, & quidem absque ulla honesta causa, plerumque ad DEI contumeliam, & proximi injuriam. 2. Peregrinarum linguarum, adhæc canendi, scribendi, legendi, rerum & disciplinarum nullo studio comparata scientia. 3. Onerum quæ humanum omne robur superant, gestatio; velox & valida corporum agitatio aut dimotio; sic tamen plerumque, ut crura aliaque ossa, aut systema frangatur. 4. Corporis energumenici admirabile pondus, ejusdemque rigor, & inflexibilitas. 5. Voces boum, porcorum, ursorum. 6. Gravis vexatio intus in visceribus & partibus corporis. 7. Afflictio immediatè ante depulsionem seu egressum dæmonis. 8. Afflictio frequens à diabolo. 9. Cessatio sensuum tam internorum, quàm externorum, & locomotivæ. 10. Quòd projiciantur in aquam, in ignem, & ipsi se studeant, aut potiùs diabolus studeat ipsos interficere, & nonnunquam interficiat. 11. Quod accedunt aliquando terribiles apparitiones. 12. Subita ventris aut aliarum partium intumescentia. 13. Deformatio, seu desiguratio vultus. 14. Loquela, quæ fiat aperto ore absque organis sermonis. Hæc Voetius. Videat lector, an hæc certiora sint, quàm quæ Thyræus, aliique Pontificii (sic illos appellat) dant.

§. III. Adhuc alia Dæmoniacorum signa.

ZAcharias Vicecomes in Complem. Exorcistæ par. 1. quàm plurima signa Dæmoniacorum, partim eadem cum præcedentibus, partim distincta, proponit, quæ in Lectorum gratiam exscribere placet.

Energumenorum iterum alia signa.

1. Linguam nigram (inquit) *& tumidam Dæmoniacus de ore multoties contra naturam profert; inflatur guttur, vel distringitur angustè, ita ut videatur velle strangulari; sed tamen in suum pristinum statum redit. 2. Plorant nescientes quid plorent. 3. Cum ira & contentione respondent interrogantibus. 4. Quandoq; etiam coacti ut loquantur, nolunt loqui. 5. Claudunt dentes, & nolunt comedere. 6. Homines odio prosequuntur. 7. Multa dicunt, ex quibus minime dignoscitur, quid velint innuere. 8. Opprimuntur sopore gravi. 9. Remanent tanquam sensibus destituti. 10. Seipsos pugnis percutiunt, & vestes lacerant, & capillos. 11. Terribiles habent oculos. 12. Terrore repentino afficiuntur, & confestim terror ille recedit. 13. Diversorum animalium voces imitantur, & sic audiuntur rugitus leonum, balatus ovium, boum mugitus, latratus canum, porcorum grunnitus, & similium. 14. Strident dentibus, & spumant, & signa alia ostendunt, tanquam canes ra-*

canes rabidi. 15. Multoties exponunt se præcipitiis. 16. Discurrit aliquando per eorum corpora igneus vel glacialis vapor. 17. Sentiunt per corpus signa tanquam formicas discurrentes, ranas saltantes, viperas serpentes, pisces natantes, muscas volantes, & similia. 18. Varia præter naturam vident, & audiunt. 19. Sentiunt sub manu sacra capiti superposita, vel ex sacra lectione, quid frigidissimum, vel calidissimum, vel grave. 20. Clamant, cùm aliquas Sanctorum reliquias capiti superponis, etiã occultè, & dicunt, auferte istas à me, quoniam malè olent, vel sunt nimis graves: aut efflant, aut circumvolvunt caput, aut ipsas reliquias projicere student, aut contra Ministrum & adstantes se iratos ostendunt, & similia. 21. Omnia spiritualia odio habent; à facie Sacerdotum, & præcipuè Exorcistarum fugiunt; in Ecclesiam ingredi nolunt, & si ingrediantur, ab ea statim fugere procurant; vel corona, vel spiritualium librorum tædet: Cuncta benedicta, Sanctorumque imagines, & maximè Crucifixi nolunt inspicere, nec deosculari, imò projiciunt, & in hac omnia conspuunt. 22. Sacra verba proferre negligunt, qualia sunt Miserere mei DEUS; Qui habitat in adjutorio altissimi; Magnificat anima mea Dominum; In principio erat verbum; *& similia. Et si ea pronuntiaverint, balbutire student, vel verba corrumpunt, tædium grave demonstrant, tandem ea perficere non possunt. 23. Sentiunt in alia sui corporis parte dolorem; & si super eum signum Sanctæ crucis feceris, statim per corporis membra fugiet. 24. Cùm super ipsos Evangelia, Passionem JESU Christi, Conjurationes, & similia legeris, conturbabuntur, sensus occupabunt, intolerabiles etiam in illis anxietates, ac inflationes, vel guttas sudoris defluentes conspicies. Insuper stridores usque ad cœlum mittent, prosternent se, ac similia facient. 25. Cùm audieris idiotas, & ignaros litterarum interpretari difficilia, aliorum manifestare secreta, pulsare, vel musicaliter canere aliqua prædicere, loqui variis linguis, & (ut verbo concludam) supernaturalia* (intellige, supra vires naturæ humanæ) *facere; absque dubio signum erit diabolicæ præsentiæ.*

Hæc Vicecomes; quæ tamē, ut ex dictis constat, nec evidentia atq; infallibilia, nec semper probabilia verorum energumenorum signa, quoniam multa eorun. exhibent etiam ficti energumeni, & maleficiati, & aliis naturalibus morbis affecti, maximè atrabilarii.

De signis ad dignoscendum, an dæmonum possessio sit maleficio inducta, plurima colligit *Codronchus* Medicus lib. 3. de Morb. Venefic. cap. 13. & alibi, quæ apud eum legat qui volet.

CAPUT X.

An lycanthropi, & lunatici sint energumeni.

VArii sunt morbi, quibus si corripiantur homines, talia edunt signa, & talia symptomata produnt, ut energumeni videantur. Ex horum morborum numero sunt, lycanthropia, apoplexia sive sideratio,

Digitized by Google

paralysis, carus, syncope, catalepsis seu κατοχὴ, lethargus, hysterica passio, seu suffocatio uterina, delirium melancholicum, mania, phrenitis, paraphrenitis, hydrophobia, choribantiasmus ex morsu tarantulæ, quam choream S. Viti aliqui appellant, aliiq; multi, qui propterea ab imprudentibus cum energemate dæmoniaco sæpe confunduntur, inquit Voëtius Disput. de Energum. par. 1. Nonnullos ad limam vocabimus.

§. I. De Lycanthropis.

Lycāthropi an sint energumeni.

DE Lycanthropis fusè egimus lib. 1. cap. 26. ubi varios adsignavimus modos, quibus lycanthropia, cynanthropia, aliæq; in alias bestias conversiones contingere solent. Hîc de illa tantùm lycanthropiæ specie agimus, de qua *Paulus Ægineta* lib. 3. cap. 16. ibidem citato, hæc scribit in alia versione. *Qui lycanthropiâ detinentur, noctu domo egressi, lupos in omnibus imitantur, & donec dies illucescat, circa defunctorum monumenta plerumque vagantur. Hæ comites ipsorum notæ: facies pallida, oculi ad videndum imbecilles, & sicci, lingua aridissima, nulla in ore saliva, sitis immodica, tibiæ, quòd frequenter impingant, exulceratæ, adeo ut sanari nequeant. Tales quidem sunt notæ. Speciem verò melancholiæ lycanthropiam esse existimare convenit.* Hæc Ægineta. Hunc morbum *Avicenna* lib. 3. Tract. 5. c. 20. vocat *cutubut*, & à bile adusta & melancholia provenire scribit, ac inter cætera hæc habet. *Species melancholiæ, plurimùm eveniens in Februario, quæ facit ut homo diligat fugere ab hominibus vivis, & cupiat appropinquare mortuis & sepultis &c.* Hoc morbo correptum se vidisse ait *Hieronymus Magius* lib. 4. Miscel. Anglare Antonium Donchium, qui sæpe ab Augustinianis aliisque æditui in sepulchris dormiens inveniebatur, & qui mortuorum ossibus domum suam planè compleverat. De his ergo lycanthropis dubitatur, an energumeni seu dæmoniaci sint. Et dubitandi ratio est, quia duo illi dæmoniaci apud *D. Matth.* & *D. Lucam* c. 8. de quibus suprà cap. 2. egimus, alii non fuisse videntur quàm lycanthropi, quia in monumentis, ac sepulchris habitabant. Fatetur hoc *Franciscus Vallesius* in sacra Philosoph. cap. 28. loquens de illo, quem D. Lucas cit. cap. 8. describit, his verbis: *Ex hac narratione facilè constabit cuivis, qui vel summis labiis degustaverit medicinam, hunc hominem laborâsse eâ maniæ specie, quæ vocatur à Medicis lycanthropia, seu lupina insania: his enim præcipuè accidentibus definitur is morbus, quòd ita affecti, domi contineri non possunt, sed circa sepulchra frequenter vagantur.*

Lycāthropia qualis morbus sit.

Lycanthropi exemplum.

Lycanthropi aliqui sunt dæmoniaci, aliqui non.

Dicendum censeo, ut non omnes energumeni sunt lycanthropi, ut experientiâ constat, ita nec omnes lycanthropos esse energumenos; contingere tamen subinde, ut energumeni sint simul lycanthropi, sive quòd antecedenter ad energumenismum morbo illo laborarint, & à dæmone occasionem illam arripiente invasi fuerint; sive quod jam possessi à dæmone,

Digitized by Google

dæmone,fuerint lycanthropiâ correpti,ob atram bilem commotam,&humores alios ita agitatos atque commistos, ut morbi illius symptomata sequerentur.Et tales sine dubio fuêre illi, de quibus DD. Matthæus & Lucas locis citatis.Vide Interpretes horum Evangelii locorum.

Itaque qui lycanthropiæ morbo laborant, nisi alia energumenorum signa adsint,non debent pro dæmoniacis reputari atq; curari; neq; omnes qui morbi illius signa habent, debent ab energumenorum numero excludi sine prævio maturo examine.

§. II. De Lunaticis & Epilepticis.

Lunaticorum duo sunt genera.

QUod de lycanthropis,idem dici debet de lunaticis, nec omnes nimirum energumenos esse lunaticos, nec omnes lunaticos esse à dæmone obsessos. Duo enim sunt lunaticorum genera. Alii naturali morbo laborant,quem epilepsiam, morbum comitialem, caducum, sacrum, Herculeum,magnum,affectum puerilem Medici appellant. Et hi iidem sunt cum epilepticis, & maniacis. Cur autem lunatici dicantur, causam esse dicunt, vel quòd Lunâ crescente ac decrescente, morbus eorum crescat ac decrescat;vel quòd epilepsia cerebri morbus sit,cerebro autem, utpote tumido,Luna dominetur. Alii verò lunatici sunt, qui cùm à dæmone sint obsessi,lunaticorum pathematis sunt subjecti,hoc est; qui cum energu[illegible]mo diabolico conjunctum habent malum maniacum aut epilepticum; sive id contingat quòd diabolus possessor malum illud inferat, humores scilicet corporis ac cerebri præcipuè concitando,turbando, miscendo, ac corrumpendo; sive quòd morbum illum in corpore inveniens occasionem inde sumat hominem invadendi: utitur enim sæpe diabolus corporis dispositione velut occasione,ut postea dicemus. Talis lunaticus fuit ille,cujus (ut vidimus suprà cap.2.) meminit *D.Matthæus* cap. 17.à v.14.his verbis: *Et cùm venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum,dicens: Domine,miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam &c. Et increpavit illum Jesus,& exiit ab eo dæmonium, & curatus est &c.* Dæmonium ergo habuit lunaticus ille; quod etiam declarat *S.Lucas* cap.9. v. 39. & *S.Marcus* cap.9.v.17.vocat dæmonium mutum, & vers.25. surdum. Unde sequitur,non fuisse, ut nonnulli apud Voëtium putant, morbum illum merè ac purè naturalem,sed vel à dæmone obsidente invectum,vel ab obsessuro priùs in homine inventum. Quam verò ob rem dæmon lunaticos quosdã efficiat,multas diversi Auctores afferunt causas. *Origenes* tract. 1. in Matthæum, *D. Chrysostomus* Homil. 58. *D. Hieronymus* Comment. in cap.4. Matthæi v. 24. asserunt, diabolum id facere, ut Lunam DEI creaturam infamet, quasi morborum causa sit. Quod non tam mirabile est (inquit

Lunaticos cur faciat aliquos dæmon.

Digitized by Google

Maldonatus Comment. in cap. 17. Matthæi) quàm quidam putat: experientia enim docet, quanto studio persuadere dæmones conentur, nonnullas creaturas plùs, quàm illis Natura concessit, habere virtutis.

CAPUT XI.

An Pythones ac Pythonissæ sint energumeni.

Pythones quid sint.

PYthonis (Πύθωνος græcè) vocabulum sumitur & pro spiritu divinatore qui per homines vaticinia edit, & pro homine ipso, qui per talem spiritum & per quem talis spiritus vaticinia edit. Horum autem hominum alii habent spiritus πάρεδρους seu familiares, annulis, vitris, cistis, aliisvè rebus inclusos, quos consulunt, & responsa ab illis accipiunt; de quibus fusè egimus lib. 1. c. 37. Alii extrinsecùs accedentem subinde & sibi assistentem habent spiritum, cujus afflatu aut suggestione divinant. Alii denique intra se habitantem, & per os, aut per pudenda loquentem, ac responsa sibi aliisvè dantem habent dæmonem. Talis erat puella illa, de qua Actor. cap. 16. v. 16. dicitur, quòd πνεῦμα Πύθωνος, *spiritum Pythonis* habebat; sive ut Syrus vertit, quòd in ea erat spiritus divinationis. Talis & mulier illa *1. Reg.* cap. 28. *pythonem* habens, quam consuluit Saul. Tales denique & Pythiæ fœminæ Sacerdotes Apollinis apud Delphos, quæ consulentibus oracula reddebant, de quibus suprà in Appendice ad Librum I.

De Pythonibus in hac ultima acceptione sumptis sermo hic est, & quæritur, an sint reverà energumeni, seu à dæmone obsessi. Quod ut definiamus, videndum qua ratione dæmones per dictos Pythones responsa dabant, & cur tam spiritus divinatores, quàm homines per ipsos divinantes, dicantur Pythones.

Pythones quomodo responsa dabant ope dæmonis.

Apollo divinandi summus artifex, Pythius cognominatus est, vel à dracone Pythone, quem in insula Delo confodit, vel ab homine quodam sceleratissimo, Pythone dicto, quē similiter interemit, ut vulgò apud antiquos tradebatur. Quoniam verò Delphicus Apollo nonnullos vel viros, vel mulieres, in tripode sedentes, aut divaricatis cruribus stantes, divinandi spiritu afflabat; appellabantur & hi Pythii seu Pythones, & Pythiæ seu Pythonissæ. Afflabat verò istas Apollo, teste *Plutarcho* lib. de Defectu oracul. *Strabone* lib. 1. *Cicerone* de Divinat. dum aura quædam ex antro per angustissimum os prodiret, ipsorumque ventres tanquam vasa & utres quosdam impleret. Unde, ut dixi, tripodi cuidam insidebant, aut instabant, &, ut ait *Oecumenius* in cap. 16. Actor. Apostol. cruribus divaricatis auram illam excipiebant. Unde *Origenes* lib. 3. contra Celsum scribit. *Ori Pythii specus insidens, quam vocabant Prophetidem, per muliebria recepit spiritum Apollinis fatidicum, nullo convestitum terreno corpore.* Et lib. 7. *Certè*

Certè de Pythia, quo non aliud manteum est celebrius, narratur, vatem illam Apollinis desidere super foramen specus Castalii, & ascendentem inde spiritum per muliebre gremium recipere; quo raptata, profert illa præclara, & divina, ut putant, oracula. Considera nunc, an non hoc ipso intelligatur spiritus illius impuritas qui &c.

Postquam autem mulier quæpiam (nam hæ maximè ab infernali dracone afflabantur) in tripode Apollinis sedens, aut stans, per genitalia admisisset spiritum impurum, obsidebat is ventrem, ac futuram vatem tanto furore complebat, ut soluto crine, ore spumans, ac debacchans, verba proferret insana, & sic demum de rebus occultis responderet. Unde *Seneca* in Oedip. Act. 2.

> *Incipit Lethæa vates spargere horrentes comas,*
> *Et pati commota Phœbum: contigit nondum specum,*
> *Eminet vasto fragore major humano sonus.*

Qua de causa spiritus isti Pythii hebraicè vocantur אבות *oboth*, id est, utres, græcè verò à Septuaginta Interpretibus ἐγγαστρίμυθοι, id est, *ventriloqui*, quia per ventrem quasi per utrem loquebantur, & dabant sæpe obscuras, stridulas, hiulcas, confusas, ambiguas, & perplexas voces. Qua de causa *Isaia* cap. 8. dicuntur stridere, vel, ut in hebraico textu est, mussitare, & submurmurare, ut notat *Cornelius à Lapide* in dictum locum; addens, enthusiastas illas sæpe à dæmone quasi furiis actas, aut quasi phreneticas, stridere ac spumare solitas; & dæmonem ipsam cum stridore & violentia coactam vocem per os vel ventrem earum expressisse.

Cœlius Rhodiginus lib. 8. cap. 10. refert, vidisse se Pythonissam, è cujus pudendis vox prodibat. Pythonissa quoque fortassis fuit mulier illa, de qua *Cardanus* lib. 15. de Variet. Rerum cap. 84. quæ dæmonem socium se habere ajebat, à quo si responsum quispiam volebat, ingressa cubiculum, jubebat ut illum vocaret, & interrogaret, ipsa verò condebat caput in sinu, & interrogabat dæmonem suum; qui tandem respondebat non prope ipsam mulierem (ut videbatur) sed procul, quasi vox è muri foramine prodiret. Porrò vox illa, ut Cardanus refert, verba nulla formabat, nec quidquam significabat, sed exilis, tenuis, ac stridula; ipsa verò mulier interpretabatur quæ audierat.

His præmissis, respondeo ad quæstionem initio propositam, illos solùm Pythones (seu viri sint, seu fœminæ) esse obsessos à dæmone, ac verè energumenos, qui modo explicato exceperunt spiritum Pythonicum, hoc est, dæmonem, ac per illum vaticinantur; reliqui verò, qui per dæmonem solùm extrinsecùs assistentem, aut quomodolibet aliter afflantem, oracula fundunt, & futura prædicunt, minimè dicendi sunt obsessi.

Pythones aliqui sunt energumeni.

Ratio ex dictis cap. 1. patet. Puellam illam, quæ *Actor.* cap. 16. v. 16. dicitur habuisse spiritum Pythonem, fuisse à dæmone obsessam, plures ex Interpretibus existimant, quoniam S. Paulus præcepit Spiritui ut exiret, & statim exivit. Historiam describit *D. Lucas* loc. cit. D. Pauli socius, his verbis: *Factum est autem, euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum Pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis, divinando. Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines, servi DEI excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conversus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine JESU Christi exire ab ea. Et exiit eâdem horâ.* An verò mulier quoq; illa Pythonissa, quæ *1. Reg cap. 28.* evocavit Sauli Samuelem, obsessa à dæmone fuerit, non ita certò constat; nam sæpe in Scriptura Sacra generali appellatione Pythonum seu Pythonicorum, omnes divini comprehenduntur, ut colligitur ex *Deuteron.* cap. 18. v. 11. & *Levit.* cap. 20. v. 27. & *lib. Reg.* 4. cap. 21. v. 6. & *Isaiæ* c. 8. v. 19. & c. 19. v. 3. & c. 29. v. 4. Hoc tamen inter Pythones, aliosque energumenos discrimen est, quòd illi sint voluntariè obsessi, alii minimè. De Pythonibus plura dicemus alibi.

CAPUT XII.

An ex energumenorum operibus evidenter probetur dari dæmones.

Energumenorum opera an probent evidenter dari dæmones.

ENergumenos vocavimus toto hoc libro illos, qui insidentur à dæmone, illos vexante, & mira opera intra ac per illos operante. Dari tales energumenos, ac consequenter dæmones, probavimus capite 1. ac 20. totoque passim libro, idque argumentis vel ex fide divina, vel experientiâ desumptis. Priora tametsi rem certam, non tamen evidentem reddunt, ut per se constat. Experientiam sumpsimus ex miris energumenorum operationibus, cujusmodi sunt locutio peregrinis idiomatibus quæ nunquam didicerunt antea, discursus de rebus altissimis, revelatio secretorum, cognitio futurorum & absentium, sublevatio magnorum ponderum, ingens robur in rumpendis vinculis, magna voracitas, summa celeritas & agilitas in currendo & saltando, aliaque similia multa. His experimentis asserunt multi, probari evidenter, dari in iis, per quos fiunt, dæmones; alii negant. Quid sentiamus, infrà statuemus.

§. I. Sen-

Digitized by Google

§. I. Sententia affirmans proponitur.

Affirmantem sententiam tenent quàm plurimi Theologi, ac Philosophi. Ex Theologis princeps est Doctor Angelicus *D. Thomas* Quæst. 6. de Potentia art. 10. quem ex recentioribus sequuntur *Molina* in part. 1. q. 50. art. 1. *Vasquez* in 1. part. Disp. 178. c. 1. *Victoria* in Relect. de Magia num. 10. & 11. *Delrius* lib. 4. Disquisit. Magic. cap. 2. q. 6. Sect. 1. *Thyraus* lib de Dæmoniac. cap. 23. & 24. *Stephanus Bubalus* de Angelis q. 50. art. 1. quæsito 2. & alii plurimi ac præstantissimi. Ex Philosophis id tenent *Plato* & *Platonici*, quos citavimus lib. 1. cap. 1. præsertim *Porphyrius* in Epist. ad Anebuntem apud S. August. lib. 10. Civit. cap. 11. aliique multi. Hi omnes putant, evidenter constare, prædictos effectus non posse referri nisi in dæmones, hoc est, in substantias aliquas spirituales & intellectuales, homine superiores, Deo autem inferiores.

Affirmans sententia, ejusque argumenta.

§. II. Operationes miræ Energumenorum non possunt Deo adscribi.

Nec potest infringi hæc sententia, dicendo effectus illos referri ad primam causam, Deum. Nam arreptitii sæpe juvatur ac sanantur potionibus, aliisque humanis remediis, itemque adjurationibus per Ecclesiæ ministros, quibus increpatur, torquetur, ac sæpe etiam fugatur inquilinus arreptitiorum, ut experientiâ constat, & nemo negare sine impudentiæ nota audet; ergó non est DEUS, qui effectus illos perpetrat in illis, ac per illos. Sæpe etiam impia sunt, quæ dicunt & faciunt energumeni, ut dum secreta revelant cum rubore & damno aliorum, dum adstantes infamant, dum blasphemias evomunt in Deum, Sanctos, & Ecclesiæ ministros, dum ad curiosas & impias quæstiones respondent &c. quæ sine piaculo in Deum auctorem referri non possunt. Quod rectè vel ipse *Porphyrius* agnovit apud *Theodoretum* lib. 3. contra Græcos post medium, & apud *S. Augustinum* lib. 10. Civit. c. 11. ac *Eusebium* lib. 4. Præparat. Evang. c. 11. ubi præter cætera habet hæc ex Porphyrio. *Seducti non possunt perspicere, nec Deum bonitati nocere, nec pravitatem juvare unquam posse: nam ut non potest caliditas, ut Plato ait, frigiditatem inducere, nec frigiditas caliditatem; sic nec justitia nocere potest; justissimus autem omnium est Deus; non esset enim Deus, nisi esset justus. Quare alia quadam est virtus bonorum dæmonum, alia malorum.* Hæc Porphyrius, & rectè: si enim ab inhabitante quodam hospite fiunt, quæ cum impietate conjuncta sunt, non potest is esse DEUS, sed spiritus nequam, qui longè alius sit à Deo.

Deus non est auctor operum Energumenorum.

§. III. Energumenorum operationes miræ non possunt attribui morbo.

Morbus non est causa operationum Energumenorum.

RESpondent primò aliqui, prædictos effectus energumenorum prodire à melancholia, à concitatis humoribus, & à complexione vitiata. Ita sentit *Levinus Lemnius* Medicus, ut suprà vidimus. Nam licet lib. 2. cap. 1. de Occultis Naturæ miracul. rectè doceat, spiritus aëreos ac dæmones in hominum corporibus solere se humori melancholico, sicut & in aëre ipsis tempestatibus, immiscere; tamen cap. 2. negat eos, quos energumenos seu arreptitios appellamus, teneri à dæmone, aut spiritu, qui alienam linguam, & ipsi energumeno ignotam loquatur, aliaque opera initio hujus capitis recensita faciat. Excitari enim ait animi notiones, quas ex Platone ingenitas esse autumat, dum vi morbi melancholici anima concutitur, spiritusque effervescunt: quo fit (inquit) ut recordentur multarum rerum, atque ita voces inauditas sermonemq; antea prorsus ignotum effundant, de rebus altissimis discurrant, secreta ac futura agnoscant, ac prædicant &c. Idem sentit *Petrus de Apono* in Comment. ad Section. 30. Problematum Aristotelis in Problem. 1. ubi testatur, se multos vidisse, qui atrâ bile seu melancholiâ purgatâ, cùm antea peregrinis linguis loquerentur, & mira supra vires Naturæ præstarent, & sine dubio pro dæmoniacis haberentur, curati fuêre, & sanæ menti restituti. Confirmat id exemplo mulieris Patavinæ illiteratissimæ, quæ dum melancholicâ ægritudine detineretur, Latino sermone quàm decentissimè loquebatur, postmodum verò expurgato vitioso illo humore sanitati restituta, nè verbum quidem Latini sermonis proferre noverat. *Petrus Pomponatius* quoque, qui lib. de Incantation. præter Intelligentias cœlorum motrices omnes reliquos Angelos ac Dæmones cũ Aristotele & Peripateticis (ut ipse illos interpretatur) negat, ait se vidisse Mantuæ mulierem quandam sutoris uxorem, secundùm diversa idiomata loquentem, cùm tamen vix aliquando pedem ex urbe extulisset; quæ tamen à Medico quodam sanitati fuit restituta, eo ipso quòd melancholiam curavit. Hisce Philosophis adhæret *Sirenius* lib. 9. de Fato cap. damnans propè stoliditatis eos, qui prædictos effectus semper adscribunt spiritui latenti. Addit, novisse se juvenculam illiteratissimam, dum ægrotaret, per dies quindecim linguâ Hetruscâ bellè admodum locutam. Item Italum quendam phrenesi laborantem, cùm primùm hausto pharmaco benè multis vermibus corpus exonerasset, facultatem Theutonicè loquendi, quâ per morbum præditus fuerat, amisisse, testatur *Erasmus* Orat. de laudibus Medic. & ex ipso *Cardanus* in Encomio Medicinæ. Denique S. *Augustinus* lib. 12 de Genesi ad litt. c. 17. phreneticum quendam refert, futuram mortem cujusdam mulieris tunc valentis ac sanæ, modumq; elationis ad sepulchrum prænun-

prænunciasse. Eadem responsio videtur insinuari (ut volunt aliqui) ab *Aristotele* in Problem. Sect. 30. Problem. 1.

Hæc tamen responsio ac sententia latè & optimè refutatur à *Fernelio* lib 2. de Abditis rerum causis cap. 16. *Carpentario* Digressio. 3. in Alcinoum, *Loyero* lib. 2. de spectris cap. 8 *Fazello* Decade 1. Rerum Sicular. lib. 10. *Psello* lib. de Dæmonibus circa medium, quos citat & sequitur *Theophilus Raynaudus* in Theol. Natur. Distinct. 2. q. 1 art. 1. num. 8. *Bubalus* loc. cit. suprà, & alii passim. Nam *primò*, Aponensis ac Pomponatius ii sunt (inquit Raynaudus loc. cit.) quibus injuratis testibus, aut sine præde, fidem adhibere non cogamur. *Deinde*, admissâ etiam exemplorum ab illis relatorum veritate, responderi nihilominùs potest, effectus illos à nidulante in corporibus illis spiritu ortum habuisse, qui purgato humore abscesserit, idque vel, ut homines non sibi, sed naturalibus causis effectus à se præstitos adscriberent, vel alia de causâ, de qua infrà suo loco.

Morbus non potest efficere, ut quis idiomate peregrino loquatur.

Tertiò, quia, ut doctè differunt Raynaudus & Bubalus, tametsi aliquis per febrem humores exsiccantem, & adjunctam illi audaciam, ac metus expoliationem, possit meliùs & expeditiùs efferre quæ jam antea noverat, quàm sanus posset; tamen non potest febris, vel atra bilis, vel ulla alia humoris cujusvis corporei affectio, conferre promptam, ordinatam, ac stabilem durante morbo facultatem loquendi idiomate, quod æger priùs non noverat; ita videlicet, ut non unum aut alterum duntaxat verbum (quod casu posset fieri) sed multa, & ordine debito proferat, perinde ac si idioma, quod novit, usurparet. Neque enim febrilis ardor, vel novas ad hoc species conferre potest, vel præexistentes ita conjungere, ut effectus ille sequatur. Constat autem ex dictis passim toto hoc libro, arreptitios quosdam promptè, constanter, ordinateque loqui alienis linguis, ad interrogata respondere, aliaque in eo genere præstare, quæ integræ & minimè perturbatæ mentis sint indicium. Quod confirmat exemplum à *Carpentario* Digress. 4. in Alcinoum, relatum de muliere quadam energumena in agro Landunensi, quæ per multos menses *multa loquebatur, & faciebat, quæ ad nostra religionis confirmationem valdè pertinebant.* Item alterum à *Fernelio* lib. 2. de Abditis rerum causis cap. 16. relatum de nobili quodam Gallo, qui insueta verba, & sententias tum Latinas, tum Græcas (quanquam ignorans linguæ Græcæ) proferebat, & multa assidentium, maximèque Medicorum, secreta detegebat, patrem ad se accedentem arceri jubebat, aut torquem, ex quo D. Michaelis imago dependebat, è collo detrahi &c. *Cùm intermissio erat ferociæ, laborans in quiete meminerat omnium eorum, quæ invitum se protulisse fatebatur, & dolebat.* Cùm ergo ordinatè loqui, & sententiis uti, & proferre quæ ad nostræ religionis mysteria valde pertinent, prærequirat in intellectu species ordinatas, atque in

 imagi-

imaginatione phantaſmata (eſt enim ſermo eorum , quæ ſunt in animo, nota, ut docet *Ariſtoteles* lib. 1. Peri herm. cap. 1.) neceſſe profectò eſt, præfuiſſe in illis hominibus cauſam diſponentem ſpecies, atque ordinantem ſimulacra illa: non enim eſt ordinata locutio, ſi rerum imagines perturbentur in animo, ut manifeſtum eſt in amentibus, & in iis qui memoriter aliquid recitant, ſi confundantur imagines res dicendarum. Hæc autem cauſa non poteſt eſſe naturalis & neceſſaria, determinata ad unum, ſed debet eſſe intelligens ac libera, quia ordinare ac diſponere non niſi intelligentis eſt, cùm ſit actus rationis ad prudentiam ſpectans, ex *Ariſtotele* lib. 6. Ethic. Cauſam autem intelligentem ac liberam in caſu præſenti non eſſe arreptitios illos, qui ignotis loquuntur linguis, patet ex eo, quòd eorum verborum, quæ nunquam noverant antea, non poſſunt habere ordinatas ac diſpoſitas in intellectu ſpecies. Nam ut ordine diſponantur in intellectu ſpecies rerum ac verborum, priùs debent eorundem ſimulacra ordinari in imaginatione, quoniam experientiâ conſtat, quorum imaginatio perturbata eſt, eorum intellectum nil ordinatè concipere, ut in amentibus patet. Non potuerunt autem ſimulacra verborum alieni idiomatis ordinari in imaginatione illorum arreptitiorum, quoniam, ut ſupponimus, nunquam antea audiverunt, aut legerunt, aut pronuntiarunt ejusmodi verba. Ergo ab alia cauſa intelligente ac libera, quæ illorum verborum notitiam habet, eſt illa locutio, non à morbo, aut quavis alia cauſa naturali neceſſaria ac determinata ad unum.

Levini Lemnii opinio de energumenis refutatur.

Levinus Lemnius cùm olfeciſſet fortaſſis vim hujus argumenti, neſciretque explicare, quo pacto peregrini idiomatis ignarus ex improviſo loqui illo poſſet promptè ac ordinatè, ſecutus ſententiam Platonis de rerum notionibus nobis congenitis, dixit, humore melancholico excitari notiones rerum. Sed error Platonis de reminiſcentia jamdudum confutatus à *Tertulliano* lib. de Anima cap. 14. *Arnobio* lib. 2. contra Gentes, S. *Irenæo* lib. 2. cap. 59. & 60. S. *Auguſtino* lib. 12. Civit. cap. 15. *Mirandulano* lib. 11. Everſionis ſingular. Certam. *Piccolomineo* Gradu 5. Moral. à cap. 24. exulat omnino à Scholis Chriſtianorum, ut mirum ſit Philoſophum ac Medicum Chriſtianum ad hanc anchoram confugere auſum. Deinde demus, rerum notiones eſſe nobis congenitas, & certis occaſionibus excitari; ridiculum ſanè atque abſurdum eſt dicere, excitationem illam fieri melancholiæ aut alterius morbi concuſſione, alioquin & omnes arreptitii, & multi alii aliis morbis laborantes loquerentur peregrinis linguis; quod eſt contra omnem experientiam. Præterea, cùm rerum ſpecies ac notiones in mente hominis exiſtentes, debeant ordinatæ eſſe, ut quis ordinatè de rebus illis loquatur; quis dicat, melancholiam, aliumvè morbum, illas ordinare, cùm potiùs illas perturbent, ut quotidiana docet experientia?

Acce-

Accedit & illud ad hujus opinionis confutationem, quod *Carpentarius* cit. Digress. 4. in Alcino. notat, si Energumeni à morbosa qualitate corporea excitarentur ad loquendum peregrino idiomate, non aliter loquerentur quàm interventu motus naturalium vocis organorum, quæ sunt os, lingua, palatum, dentes, guttur &c. At constat, multos energumenos illos præsertim, quos Pythones præcedenti capite appellavimus, loqui non modò linguâ immotâ, sed ore omnino clauso, peregrino etiam idiomate; quos inde dictos ventriloquos docuit *Galenus* in expositione vocum Hippocratis, verbo *ἐγγαστρίμυθοι*.

Adhæc quæro ego, si vi morbi loquuntur energumeni alieno idiomate, quâ vi locutus fuerit serpens in paradiso qui Evam decepit? Quâ vi olim statuæ idolorum? Quâ simulacrum Fortunæ, quod erat in via Latina ad quartum milliare ab urbe Roma, eo tempore cum æde sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio Urbis maternæ preces averterunt? Refert enim *Valerius Maximus* lib. 1. cap. 8. *non semel, sed bis locutum his verbis: Ritè me, matronæ, vidistis; ritè dedicastis.* Idem quæro de locutione quorundam animalium, quorum locutio cùm impia fuerit, aut facta ob malum finem, à DEO immediatè fieri non potuit. Hujusmodi fuit canis Simonis Magi, quem *Nicephorus* lib. 2. cap. 27. humanâ voce locutum, & pro foribus adstantem arcuisse quos Simon ingredi nollet, alios verò admisisse, commemorat. Talis & alius canis, quem suo tempore articulatè loquutum commemorat *Grillandus* tract. de Sortileg. cap. 7. num. 23. Talis corvus Austriacus, quem *Sybillanus* Decad. 3. cap. 5. q. 1. refert locutum & operatum extraordinaria.

Animalium articulatè loquentium exempla.

§. IV. Luna & astra non sunt causa mirabilium operationum in Energumenis.

AD sententiam §. 1. relatam respondent secundò alii, effectus illos à Luna & astris proficisci. Sic enim Lunaticos à Luna juxta *Nonnum* in Dionysiacis dictos existimant. Quos verò in solidum occupavit furor ille, quem arreptitiis passim tribuunt, eos à signo Virginis id pati tradit *Julius Firmicus* lib. 8. Astronomicon cap. 24. Videtur huic responsioni favere, quòd certis Lunæ periodis plùs vexantur energumeni.

Astra non sunt causa operationum mirabilium Energumenorum.

Sed hæc responsio indigna est refutatione, ut benè dicit *Raynaudus* loc. cit. suprà, num. 11. eamque jam olim à quibusdam Medicis traditam contrivit *Origenes* tract. 4. in Matthæ. Adde quòd non omnes energumeni sunt Lunatici, ut diximus cap. 10. §. 2. Quòd autem energumenorum quorundam furor crescit in certis Lunæ periodis, inde est, quòd vel simul Lunatici sunt, Lunaticorum verò malum crescit crescente Lunâ; vel quòd diaboli ope id fiat ideo, ut credāt homines à creaturis DEI esse, quod à

Digitized by Google

diabolo est, ut cit. loc. notavimus ex *Origene* & *D. Hieronymo*, monetque *Chrysologus* serm. 51. Demum omnia ferè, quæ contra priorem responsionem attulimus, contra hanc quoque accommodari possunt.

§. V. Operationes miræ energumenorum, stando in solo Naturæ lumine, non probant evidenter dari dæmones, sed probabiliter tantùm.

Energumenorum operationes non probant evidenter dari dæmones.

Iam diximus initio hujus capitis, dæmonum nomine nos intelligere substantias completas, purè intellectuales, incorporeas; quales esse diximus lib. 1. omnes Angelos, tam bonos, quàm malos. Præterea inter operationes miras energumenorum recensuimus locutionem peregrino idiomate, discursum de rebus altissimis supra loquentium captum, revelationem secretorum, cognitionem futurorum & absentium, sublevationem magnorum ponderum, ingens robur, magnam voracitatem, summam agilitatem ac celeritatem &c. Statuimus nunc, hæc omnia, & similia quævis opera ab energumenis edita, tametsi revera à dæmone fiant, ut certò ac firmiter cum communi omnium penè rectè sentientium Scriptorum consensu teneo, non tamen evidenter id probare, adeò ut intellectum convincant omnino, cogantq; ad judicandum, principium illarum operationum intra energumenos latens, esse naturam purè intellectualem, & completam substantiam. Ita sentit *Theophilus Raynaudus* in Theolog. Natur. Distinct. 2. q. 1. art. 1. num. 12.

Rationem cum ipso hanc adsigno. Quia posset aliquis dicere, affectus illos oriri ab anima separata, una vel pluribus, intra energumeni corpus existentibus. Ita sensisse videtur *Justinus* in Apologet. ad Antoninum: nam ut persuadeat, animam nostram esse immortalem, ita loquitur. *Credite vel necromanticis vestris, & puerorum nondum Venerem expertorum visionibus, evocationibusque Manium, & his quos Magi spiritus familiares vocant, immissoresque somniorum, peritisque talium artium, animas humanas etiam post mortem sensu esse præditas asserentibus. Credite idem confirmantibus, qui agitantur à defunctorum Spiritibus, quos arreptitios & furiosos vulgus vocat &c.* Hæc Justinus. Ex quibus apparet, eum sensisse, energumenos seu arreptitios agitari ab animabus separatis, illisque attribui debere illorum operationes miras. Idem sensit *Plotinus*, teste *S. Augustino* lib. 9. Civit. c. 11. & *S. Thoma* Quæst. 16. de Malo art. 1.

Opponit *Abulensis* Quæst. 124. in Cap. 8. D. Matthæi, non posse animam separatam loqui idiomatibus peregrinis, nec ingentes moles movere, nec secreta revelare, cùm id non potuerit in corpore. Sed responderi potest, si anima, dum in corpore erat, noverat peregrina idiomata, posse illis loqui si corpus invadat. Deinde potest dici, esse plures animas separatas

paratas in uno homine, quarũ una uno, alia alio loquatur idiomate; & quæ omnes simul concurrant ad magna pondera movenda, si una nõ sufficit. Ad secreta illa quę energumeni detegunt ope dęm[illegible]nis obsidentis, ex cõmuni & vera sententia dici potest, sufficere naturalem perspicaciam intellectus creati animarum separatarũ, quia non sunt planè secreta, quæ omnem intellectus creati facultatem superent, alioquin nec dæmones ea revelare possent, ut patet ex dictis lib. 1. c. 5. Eadem est ratio de prædictione futurorum. Absentia possent manifestare illæ animæ separatæ, quæ recenter ex locis, ubi contingunt, advenientes hominem invadunt.

Opponunt alii cum *Alalensi* loc. cit. *Victoria* Relect. de Magia, q. 4. *Conrado Bruno* lib. de Imag. cap. 15. *Pererio* lib. de Magia cap. 11. *Loyero* lib. 7. de Spectris cap. 6. & lib. 6 cap. 14. *Mengo* in Fuste Dæmon. c. 3. post *Athanasium* q. 11. ad Antiochenos, animas damnatas (quibus solis possent tribui effectus energumenorum, utpote sæpe turpes, vani, crudeles) nunquàm redire ad nos. Sed respondetur, quòd nunquam ad nos redeant, nec naturali lumine probari potest, nec ex revelatione suaderi, cùm sint urgentes experientiæ in contrarium, ut vidimus lib. 2. cap. 22. Unde illarum animarum reditum subinde ad nos admittunt *Thyræus* lib. de Apparit. Spirituum cap. 11. & 13. & lib. de Locis infestis cap. 86. *Sanchez* lib. 2. in Decalog. cap. 38. *Maldonatus* Comment. in cap. 16. D. Lucæ, *Bellarminus* lib. 2. de Purgat. cap. 8. & favet *Pamelius* in Tertullia. Paradoxo 10. Deinde ex contrariæ sententiæ Auctoribus concedunt *Brunus*, *Loyerus*, & alii, quandoque ex singulari dispensatione DEI animas damnatorum redire ad nos; quod satis est ad probandum, non esse evidens, opera energumenorum esse à dæmonibus.

Animæ damnatorum aliquando ad nos redeant.

Posse præterea energumenorum robur, voracitatem, celeritatem motus corporis, aliaque hujusmodi, provenire naturaliter ab ipsis energumenis, sine dæmonum & animarum separatarum auxilio, patet ex iis quæ diximus lib. præced. de quorundam hominum extraordinario robore, voracitate, celeritate &c. & confirmant exempla varia apud *Alexandrum* ab *Alexandro* lib. 2. Genial. cap. 21. & *Justum Lipsium* Centur. 3. Epist. 59.

CAPUT XIII.

An saltem ex aliquibus Magorum operationibus efficaciter ac evidenter probetur, dari dæmones.

De miris quibusdam Magorum operibus fusè egimus lib. 1. cap. 16. & 17. totoque reliquo libro passim. Adjiciam nunc alia quædam ope

Digitized by Google

Catoptromantiæ patrari solita, ac deinde propositam quæstionem discutiam: quæ tametsi ad librum primum propriè spectet, quia tamen ibi omissa fuit, huic loco opportunè interseritur.

§. I. Referuntur miri quidam Catoptromantiæ effectus.

Catoptromantiæ miri effectus.

OMnes effectus Magorum miri atque inusitati, aut veri sunt, aut præstigiatorii seu apparentes tantùm, aut ex utroque genere mixti, ut diximus lib. 1. cap. 18. Horum omnium plurima Exempla, præter ea quæ dicto libro retulimus, ex probatissimis Auctoribus desumpta narrat passim toto libro de Divinatione *Janus Jacobus Boissardus*, ex quo sequens desumpsit *Bubalus* Comment. de Angelis q. 50. art. 1. quæsito 2. Difficult. 2. §. 3.

Narrat itaque dictus Auctor lib. cit. cap. 5. non multis annis antè quàm id scriberet, dæmonem cuidam amico suo, viro inprimis nobili ac litterato (cujus nomen ait se reticere ob Viri auctoritatem & reverentiam) per quendam Magum illusisse egregiè arte Catoptromantiæ, in hunc modum. Exulabat vir ille nobilis ob cædem patratam à patria, relictâ domi uxore, quam ardenter amabat, & thorum illibatum conservaturam omnino confidebat. Utque exilii incommoda Virorum doctorum familiaritate & colloquiis leniret, in Academiis vitam degere instituit. Post aliquot menses, cùm illum sciendi, quid ejus carissima uxor ageret, cupido incessisset, celebrem ibi Magum, non tam quòd ei fidem adhibendam putaret, quàm ut ejus vanas artes exploraret, consulit. Ab eo igitur sciscitatur, an in speculo monstrare sibi posset, qua in re uxor sua, tametsi longissimè (decem dierum itinere aberat) distans occuparetur. Promittit viro Magus se effecturum omnia, quæ vellet; præscribitur dies; conveniunt viri aliquot honesti, qui eventorum testes adessent. Accersitur puella octo annorum, *Cui* (inquit Boissardus) *solvuntur comæ, & aquâ lustrali cũ invocatione & susurratis exorcismis tinguntur: circulo incantato, & circumcirca magicis characteribus insignito media statuitur, & ut attentè contemplaretur in speculũ, jubetur.* Postquàm autem ter interrogata esset à Mago, quid cerneret, postque validas totius corporis contorsiones, perturbato vultu, terrificis oculis, tremente atque interruptâ voce tandem respondit. *Video, video, video. Quid? inquit Magus. Video hypocaustum amplum, ornatum picturis diversis, & fornace excellentis ædificii. Video in baco vasa argentea, deaurata, candelabrum è laqueari dependens, scamna stromatibus ac pulvinis strata, super mensam pallium cum galero & gladio.* Et post pauca, videre se ait canem album cubantem prope fornacem, & nihil præterea. Mox ex improviso exclamat puella *Ecce mulier formosa, pileo tecta holoserico &c. Veste amicta est viridi &c. ne[...] quid nigricans in vola manus sinistra continet, quod pollice dextero salivâ tincto explanat,*

Speculi magici exemplum.

planat, & lenji videns. Conspicio juvenem flavâ cæsarie cincinnatum, qui ponè fornacem stat femoralibus in genua demissis. Quibus auditis, vir ille expalluit, & obmutuit: noverat enim illa omnia suæ domus esse solita ornamenta, uxoris domesticum habitum &c. Sed illum adeò torsit ejus juvenis aspectus, ut uxorem læsæ pudicitiæ suspectam cogitaverit de medio tollere. Itaque celerem equum conscendit, in patriam properat, urbem tamen ingredi non audet, in vicum proximum secedit, à rustica quadam muliere de uxore sciscitatur, de ea omnia castè narrari audit. Tandem per eam rusticam epistolium, in quo inclusus erat annulus conjugii index, ad uxorem mittit. Uxor lætitiâ gestiens, rus ad maritum advolat. Ille in proximam sylvam Uxorem seducit, ut eam jugularet. Tandem uxoris emollitus blanditiis, & formâ, quærit ab ea, quid egerit illo certo die; utrumnè tali loco, tali habitu &c. fuerit. Quæ illa ingenuè fassa est omnino, ut viderat in speculo puella. *Sed quid*, inquit vir, *in vela leniebas salivâ madidum? quis fornaci adstabat juvenis, femoralibus in genua demissis? Illa rei novitatem admirata se parasse emplastrum respondit Friderico fratri suo, ulcere in coxendice laboranti; atque ille mihi rei testis futurus est.* Tandem vir exhilarato animo uxorem magnâ benevolentiæ significatione complexus &c. rediit in exilium, execratus magicas fraudes, & diaboli illusiones, quæ illum in uxorem castissimam incenderant.

Huc spectat etiam, quod narrat *Natalis Comes* lib 9. Mythologiæ paulò pòst initium, fuisse apud Achivos speculum, pertenui filo suspensum, & ad aquam fontis ibi existentis demissum, *in quo ægri, peractis priùs Sacrificiis de more ejus loci, vel certam sanitatem, vel certissimam mortem ex offerentibus sese imaginibus intuebantur.* Hoc est speculum illud, cujus meminimus 4. par. Magiæ lib. 6. Syntagm. 1. c. 2. §. 4.

Speculorum magicorum exempla alia.

Ibidem mentionem fecimus speculi Pythagoræ, in quo sanguine dicitur scripsisse quæ volebat significare, & eo ad Lunam obverso commonstrasse res exaratas stanti à tergo in disco Lunæ.

Paracelsus quoque lib. 5. de Speculi constitutione, apud Bubalum loc. cit. §. 5. ait, tria esse genera Speculorum, quæ res absentes referant oculis, ac si in conspectu positæ essent. *Nam in uno spectantur*, inquit, *omnes imagines hominum, ut furum, inimicorum, & aliorum. Similiter & forma seu figura pecudum, armorum, pugnarum, obsidionum. Præterea omnia quæ homines patrant, faciunt, vel fecerunt; & sive dies sive nox sit, in hoc speculo spectantur. In altero spectantur omnes scripti & dicti sermones, verba, consilia; ubi, & à quo ea dicta, & instituta sint, cum illis omnibus quæ in consiliis illis decreta & conclusa sint, cum causis illorum omnibus. Sed hæc jam facta, & præterita esse oportet. In tertio spectantur omnia scripta, in litteris, scriptis, & quidquid calamo consignatum est, utcunque secretissimum & abditissimum sit.* Addit Paracelsus, nihil ab iis, pro quibus specula

Speculorum magicorum tria genera apud Paracelsum.

confecta

à causa quæ sit homine superior, & à DEO distincta, atque adeò ab Angelo.

Existimo II. Nec recensita, nec ulla alia Magorum opera, probare efficaciter, dari dæmones, intelligendo nomine dæmonum naturas spirituales completas. Ratio est, quia tametsi demus, opera illa nec à DEO esse, nec ab animabus separatis, nec ab homine, nec ab ulla natura inferiori homine, sed esse à dæmonibus; non tamen est evidens, dæmones esse naturas purè spirituales & completas, quales hic inquirimus: nam ut vidimus lib. 1. cap. 2. plurimi ex antiquis Patribus Theologis, & Philosophis putarunt, angelos esse corporeos, spiritus nimirum aëreis, aliisvè subtilissimis, & humano obtutui non visibilibus corporibus alligatos. Quæ quidem sententia, tametsi posterioribus temporibus usque ad hæc nostra à plerisque sit rejecta, nec tamen hæretica est, nec evidenter falsa, nec contraria aliis, quàm probabilibus tantùm argumentis suffulta, ut citato etiam cap. 2. lib. 1. diximus.

Existimo III. Esse nihilominùs certissimum, dari infra DEUM, & supra hominem, naturas spirituales completas, prædictorum effectuum, aliorumque similium auctores. Probant id omnia illa, quæ citato lib. 1. de Mirabilibus Angelorum ac Dæmonum, & lib. 2. de Mirabilibus Spectrorum, & hoc ipso libro de Mirabilibus Energumenorum adduximus.

CAPUT XIV.

An, & quæ peccata hominum sint causa, cur à dæmone obsideantur.

AIo I. Certum videri, frequenter accidere ut homines propter peccata sua propria à dæmone obsideantur, ac torqueantur. Nam D. Paulus Satanæ tradidit quendam Corinthium propter incestum commissum, *1. Corinth. cap. 5. v. 4. & 5.* Item Hymenæum & Alexandrum propter blasphemiam, *1. Tim. cap. 1. v. ult.* Ex Maria Magdalena Christus ejecit septem dæmonia, *Marc. cap. ult. vers. 9.* quæ utique propter peccata eam obsederant, ut Interpretes volunt. *S. Hieronymus* & *Epiphanius* existimant, Nabuchodonosorem Regem Assyriorum fuisse à dæmone obsessum. Quod si verum est, utique propter ejus superbiam contigit. Regem quoque Saulem plerique tradunt fuisse obsessum à maligno Spiritu, quando furebat in Davidem citharam pulsantem, *1. Reg. cap. 15.* quod sine dubio ob ejus peccata fuit factum. Suprà cap. 4. ex S. Hieronymo in Vita Hilarion. vidimus, virginem Gazensem obsessam à dæmone, Mago cooperante, fuisse increpitam ab Hilarione, quòd talia fecisset, ob quæ dæmon intrare potuisset. In Vita S. Kiliani, Urbis nostræ Episcopi ac Patroni, Franconiæque

Energumeni cur à dæmone obsideantur.

Peccata sunt causa, cur homines à dæmonibus obsideantur.

niæque Apostoli (quòd & Sigebertus tradit in Chronico, & indubitatâ traditione apud nos constat) habetur, Gailanam Franconiæ ducis uxorem illegitimam (fratris quippe Ducis erat uxor) à dæmone correptam, quòd S. Kilianum (cum duobus sociis, Colonato & Tornano) qui Duci persuaserat, ut mœcham dimitteret, interfici curasset. Eandem pœnam luerunt duo, qui Gailanæ jussu scelus perpetrarant. Hoc quoque modo correptus fuit latro quidam Longobardus, ob furtum quod commiserat, & quòd S. Mennæ piis admonitionibus non acquieverat; & Gundericus Wandalorum Rex, quod templum ad spoliandum ingressus fuerat. Innumera alia similia exempla extant. Verè ergo *S. Augustinus* lib. 10. Civit. cap. 22. asserit, Potestatem inimicam Diaboli vincere aut subjugare neminem, nisi societate peccati, saltem ut plurimùm.

Ajo II. Non tantùm ob peccata gravia & mortalia, sed etiam ob levia & venialia, subinde dæmon homines invadit. Confirmat hoc quod narrat *Cassianus* Collat. 7. cap. 27. de Abbate Moyse; & S *Gregorius* lib. 2. Dialogor. cap. 1. de quadam Virgine Moniali; quorum ille possessus fuit propter impatientiam & durius prolatum verbum, hæc ob levem gulam. Item quod narratur in *Vita S. Bernardi* lib. 2 cap. 1. de quodam, qui quod in oratione distractus esset, fuit à dæmone obsessus.

Ajo III. Tametsi ob quælibet peccata, tam mortalia, quàm venialia, dæmon invadere queat hominem, si DEUS permittat; quædam tamen peculiaria potiùs hac pœnâ puniri, quàm alia, ex multis historiis colligit *Thyræus* lib. de Dæmoniacis cap. 30. Hymenæus & Alexander, de quibus paulò antè, ob blasphemiam fuerunt traditi Satanæ; Corinthius ille ob luxuriam, Saul ob superbiam, Gailana ob cædem virorum sanctorum injustam, alii ob alia peccata. Nihil tamen certi potest statui.

Homines aliquando absq; culpa sua actuali, à dæmone obsidentur.

Ajo IV. Aliquando homines absque ulla actuali culpa sua à dæmonibus possidentur. Unde *S. Hieronymus* Epist. ad Paulam de dormitione Blesillæ ait, inscrutabili judicio DEI relinquendum esse, quòd *bimuli, trimulivè, & ubera materna lactantes* à dæmonio corripiantur. Et *S. Chrysostomus* in lib. de Providentia, etiam in hoc agnoscit divinam providentiã, quòd sanctiores quidam homines à dęmone possideantur, qui dum in vitiis volutabantur, sine molestia erant. Omitto alia exempla. Dictum ergo *D. Augustini* Assertione I. allati limitandum est ad id, quod fieri plerumque solet, ut ibi etiam notavi.

Aliquando etiam

Ajo V. Aliquando etiam ob aliena peccata aliquĩ possidentur à dæmone. Docent hoc exempla eorum filiorum, quos ob parentum malam

malam imprecationem diabolus invasit, ut vidimus suprà cap. 3. & confirmat id, quod legimus in vita Zenonis Martyris apud *Surium* die 25. Maji, ubi mater, cùm febrienti filio poculum aliquoties præbuisset, nec filius petere desisteret, impatientiâ victa, eidem poculum iterum offerendo imprecatur dæmonium; moxque obsessus, ac malè fuit vexatus.

ob peccata aliena.

Ajo VI. Sive ob culpam, sive sine culpa homines obsideantur à dæmone, DEUS ob varios fines id permittit. Nam, præter cæteros fines, 1. hinc discimus, præter corpora & animas nostras, esse alios spiritus; quod Saducæi olim, & nunc Athei negant. 2. discimus, quàm miserum sit, dæmonis servituti se per peccatum subjicere; & quam is tyrannidem in homines exercebit in inferno, qui tam miris modis eos vexat in hac vita. Omitto alia.

Obsideri homines à dæmone cur permittat Deus.

CAPUT XV.

An dæmones rebus corporeis pellantur, maximè ex Energumenis.

Nonnulla quæ huc spectant, expedivimus suprà lib. 2. cap. 40. dum quæreremus; an spectra pellantur odore, fumo, herbis, lapidibus, aliisque rebus sensibilibus. Hîc ad dæmones arctamus quæstionem, illos maximè qui Energumenos divexant.

Posse autem ac solere dæmones fugari, ac pelli, tum ex Energumenis, tum aliis ex locis, constat ex historiis sacris & profanis, & quotidianâ confirmatur experientiâ, nec indiget probatione. Solùm quæstio est, quomodo id fiat. Quod hîc quærimus, est, an rebus corporeis seu sensibilibus pellantur.

§. I. Affirmantis sententiæ argumentum primum proponitur.

Multis argumentis sententia affirmans probari potest. Primum est: Dæmones rebus corporeis ac sensibilibus alliciuntur; ergo iisdẽ etiam pelli possunt. Antecedens patet *primò*, quia gaudent nidoribꝰ sacrificiorum Gentilium, iisq; attracti advolant. Probat id *Eugubinus* lib. 8. Perenn. Philosophiæ cap. 30. ex variis Auctoribus antiquis, & *Julius Firmicus* lib. de Error. profan. cap. 14. & 27. ex Porphyrio, & innuit *Nicephorus Gregoras* ad

Dæmones fugari rebus corporeis aliqui putant. Primum

hujus sententiæ argumentum.

ras ad Synesium de Insomniis. Nec mirum Philosophos & Auctores profanos id sensisse, cùm idem multi ex antiquis Patribus ac Theologis senserint, ut constat de *Justino Martyre* Apologet. 2. *Athenagora* in Legatione pro Christian. *Clemente Alexandrino* lib. 7. Stromat. *Origene* lib. 3. contra Celsum, aliisque apud *Dionysium Petav.um* tom. 3. Theologic. Dogmat. lib. 3. de Angelis cap. 1.

Secundò. Delectantur aliqui dæmonum locis humentibus, alii locis desertis ac sylvis, aliis aliis: unde origo Nereidum, Faunorum, Satyrorum, aliorumque dæmonum sylvanorum.

Tertiò. Communis opinio est doctorum etiam virorum, inter quos est *Conradus Wimpina* lib. 2. de Superstit. cap. 10. 11. 12. *Franciscus Vallesius* in sacra Philosophia cap. 15. & 18. multique alii, quibus & nos passim hoc libro consensimus, frequenter ac libenter à dæmonibus invadi eos, in quibus bilis atræ major est copia; ergo succo isto & humore attrahuntur.

Quartò. Magi certis verbis, signis, & ceremoniis dæmones vocant, alliciunt, & cogunt accedere ad se, vel ad alios, ad responsum dandum, vel auxilium ferendum. Multi etiam spiritus paredrios seu familiares includunt vitris, annulisve, aut aliis rebus, per certas incantationes, ut fusè probavimus multis exemplis lib. 1. cap. 37. qui & certo ritu coli debent, ut dominis suis se sistant, & responsa dent. Sancti etiam viri non rarò dæmones certis rebus vel inclusêre, vel adstrinxêre: ut S. Conon, de quo in Menæis Græcorum 5. Martii apud *Matthæum* Raderum scribitur, quòd *tantam vim & potestatem in dæmones accepit, ut aliis agros committeret, & frugum custodes poneret; alios autem tectis obsignatis inclusos, in ædis suæ ædificandæ fundamentum defoderet*. Item S. Lupus Senonen. dæmonem, qui ipsum siti affligebat, & aquæ frigidæ, quam adferri præceperat, se inserebat, inclusit vasculo ejulantem, & se quis esset prodentem, ut scribit *vetustus Scriptor* ejus vitæ apud Surium Mense Septemb. inclusit autem, ut ibi dicitur, cùm signatum cruce pulvinar strictim ad os vasculi applicasset. Sic Raphaël quoque Archangelus ligavit Asmodæum in deserto, *Tob. 8. v. 2.* Sic apud *D. Hieronymum* in Hilarione, ut suprà vidimus, queritur dæmon se licio & laminâ constrictum teneri à Mago, aut juvene illo Gazensi. Hermes apud *Delrium* lib. 2. Disquisit. Magic. q. 30. sect. 3. docet, suffumigatione ex ligno aloës, vel ceti spermate dæmones congregari. Omitto alia multa, quæ huc congeri possent. Ex his omnibus constat, dæmones allici, attrahi, cogi, ligari ad manendum, rebus corporeis ac sensibilibus; cur ergo iisdem non possunt fugari?

§. II. Alia

Digitized by Google

§. II. Alia argumenta affirmantis sententiæ proponuntur.

Secundum ejusdem sententiæ argumentum.

SEcundum argumentum affirmantis sententiæ est, quia Salomon scivit artem pellendi dæmones ex obsessis certâ radice; quam artem & alii Judæorum sciverunt, & exercuerunt, teste *Josepho* lib. 8. Antiquit. cap. 2. ubi sic loquitur. *Præstitit autem DEUS, ut etiam contra dæmones artem, ad utilitatem hominum, & eorum curas edisceret: & incantationes instituit, quibus ægritudines soleant mitigari. Modos autem conjurationum, quibus obstricti dæmones, ne denuò redeant, effugantur, invenit. Et hæc cura hactenus apud nos multùm prævalere dignoscitur. Vidi etenim quendam Eleazarum de gente nostra, præsente Vespasiano, & ejus filiis, & tribunis, alioq; simul exercitu, curantem eos, qui à dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit hujusmodi. Intulit naribus ejus, qui à dæmone vexabatur, annulum habentem subter signaculum radicem à Salomone monstratam: & deinde dæmonium per nares odorantis abstraxit, & repentè cecidit homo. Postea conjuravit eum, juramentum objiciens Salomonis, ne ad eum denuò remearet, id est, cantica quæ ille composuit, edicens super eum. Volens autem satisfacere, atque probare præsentibus Eleazarus, hanc se habere virtutem, ponebat ante eos aut calicem aquâ plenum, aut pelvim; & dæmonio imperabat, ut egressus ab homine, hæc everteret, & videntibus præberet indicium, quòd hominem reliquisset.* Hæc Josephus. Addit *Thyræus* lib. de Dæmoniac. cap. 34. Judæos non his tantùm à Salomone acceptis artibus usos ad profligandos dæmones, verùm etiam ad eandem rem abhibuisse nomen DEI Tetragrammaton: testatur enim *Epiphanius*, agens adversus Ebionæos, cuicunque illud nomen scire & enuntiare licuisset, eum facultatem adversus dæmones assecutum fuisse.

Tertium argumentum ejusdem sententiæ.

Tertium argumentum est, quia multæ herbæ ac radices vim habent ad dæmones arcendos, aut pellendos, etiam ex Energumenis. De radice *Babras* dicta, in Magia nostra Sympathica ex Josepho lib. 7. Belli Judaici c. 25, hęc retulimus. *Vallis autem, qua civitas* (Macherus) *à parte Septentrionali cingitur, quidam locus Babras dicitur, ubi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem similis est colore, circa vesperam verò veluti jubare fulgurans. Accedentibus, eamq; evellere cupientibus, facilis non est; sed tam diu refugit, nec priùs manet, quàm si quis urinam muliebrem, vel menstruum sanguinem super eam fuderit. Quin etiam tunc si quis eam tetigerit, mors certa est; nisi fortè illam ipsam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo sine periculo, qui talis est. Totam eam circumfodiunt, ita ut minimum ex radice terrâ sit conditum. Deinde ab ea religant canem, illoq; sequi eum, à quo religatus est, cupiente, radix quidem facilè evellitur, canis verò continuò moritur, tanquam ejus vice, à quo herba tollenda erat, traditus. Nullus enim postea accipientibus metus est. Tantis autem periculis propter unam*

vim capi eam operæ pretium est. Namque vocantur dæmonia pessimorum hominum spiritus, vivis immersa, eosq; necantia, quibus subventum non fuerit. Hac citò, etiamsi tantummodò offeratur ægrotantibus, abigit. Hactenus Josephus.

Ingentem similium rerum ad dæmones fugandos farraginem apud varios Auctores, antiquos & recentiores, invenies. *Plinius* lib.28. Natural. Histor. cap. 8. ait, hyenæ sanguinem inunctum impedire omnes Magorum, & consequenter Dæmonum artes: & lib. 30. cap. 10. fel canis nigræ amuletum esse domus totius, eo suffitæ, contra cuncta maleficia: & lib. 20. cap. 9. eandem vim tribuit amiantho lapidi: & lib. 28. cap. 7. menstruo sanguini, si postes eo perlinantur: & cap. 10. atri canis sanguini, si parietes eo respergantur, ejusque genitale sub limine januæ defodiatur: & lib. 25. mandragoræ effossioni. *Pictorius* in Epitome de Magia cap. 26. & 27. contra visibiles & invisibiles hostes (quos inter sunt utique dæmones) commendat cicorii radicem, die S. Joannis Baptistæ paulò antè auroram cum auro & argento flexis genibus contactam, & ferro, per gladium Judæ Machabæi exorcizatam, multis ceremoniis ex terra erutam, & secum portatam. Alii contra eosdem hostes, crines pectinando evulsos, non nisi ter consputos abjiciunt; & si ova comederint, eorum testas non nisi ter cultro perfossas in catinum projiciunt. Alii Sammonici Sereni *Abracadrabra* dietim ordine retrogrado minuentes de collo suspendunt, vel alia Hebræorum, ex *Rabbi Hama* lib. Speculat. Alii putant, sic dæmoni odio esse salem profanum, ut ob ejus aspersionem maleficium cogatur solvere. Alii cum *Crinito* lib. 7. de Honest. Discipl. & *Lamberto Hortensio* in Virgilii Æneid. docent, ut lib. 2. cap. 40. vidimus, contra spectra etiam diabolica prodesse canes, equos, gladii vibrationem, galli gallinacei cantum.

Amatus Lusitanus in Dioscor. lib. 4. scribit, dæmones & veneficia (quorum dæmon est auctor primarius) arceri à Thapsia, *Plinius* lib. 25. cap. 4. à Pæonia nigra, *Dioscorides* lib. 1. cap. 110. à Rhammi ramo ad valvas & fenestras posito, *Apuleius* Botanographus lib. de Virtut. herbar. cap. 71. à Verbasco, *Ovidius* lib. 6. Fastor. à spina alba, *Plinius* loc. citat. cum aliis à Ruta agresti, *Dioscorides* lib. 2. cap. 168. à Scylla in limine januæ suspensa. Alii apud *Codronchum* in lib. de morb. venef. plures alias herbas laudant, ut Hyporicon, quod ideo vocant fugam dæmonum; Verbenam, quam ideo herbam sanctam Veteres dixerunt; Antirrhinin seu Lychnin agriam ad collum appensam; Artemisiam, Abrotanum, Mythridaticum, Scorditen, Centauriam, Sabinam, Palmam Christi, Asterallicum, Aristolochiam, Tussilaginem, Salviam, Anethum, Marrubium, Fœniculum, Chamæpytim, Cyclamium, Allium, Rutam caprariam, Cupressum, & alias multas herbas ac radices.

Multis

Digitized by Google

Multis etiam lapidibus vim tribuunt dæmones pellendi. In Nilo flumine lapillum inveniri, qui quàm primùm Energumeni naribus apponitur, dæmonem extrahat, ex Thrasyllo scribit *Stobæus*. Ut dæmon compareat, & expetenti responsum det, jubet *Zoroaster* sacrificari lapidem μνιζουρὶν priùs incantatum. Verba Zoroastris in Oraculis sunt, Ἡνίκα δ' ἐρχόμενον δαίμονα πρόσγειον ἀθρήσῃς, Θῦε λίθον μνιζουρὶν ἐπάδων. *Quando conspexeris dæmonem terrestrem accedere, incantans sacrifica lapidem Mnizurim.* In quem locum *Psellus* in Scholiis ita scribit: *Dæmones circa terram volitantes naturâ sua sunt mendaces. Quòd si ex his verum aliquem sermonem audire cupias, aram appara, & sacrifica lapidem Mnizurim. Habet enim hic lapis vim advocandi majorem dæmonem, qui occultâ ratione materiali Genio applicatus, rerum inquisitarum veritatem insusurrat, quam ille porrò homini interroganti profert. Indicat enim nomen ipsum, quo in advocatione utendum est unà cum lapidis sacrificatione.* Similia habet Nicephorus ad Librum Synesii de Insomniis.

Suffitibus dæmones expelli de corporibus, censuêre Judæi, & Gentiles, teste *Justino Martyre* contra Triphon. & *Thargum Chaldaic.* Cant. 4. v.6. De Hyperici suffitu testatur id *Raymundus Lullus* lib. 1. de quinta essent. & *Matthiolus* in Dioscorid. Suffitu quoque utuntur Exorcistæ aliqui, teste *Mengo* in Flagel. dæmon. Ex. 3.4. & 6. Tobias quoque, instructore Raphaële, suffitu seu fumo jecinoris & cordis piscis fugavit dæmonem è Saræ sponsæ ædibus, ut habetur *Tob. cap. 8.* Innumera alia omitto.

§. III. Negans sententia adstruitur.

Ajo I. Nullam rem sensibilem atque corpoream, atque adeò neque herbas, radices, lapides, odores, suffitus, aliasque quascunque res corporeas, habere vim physicam ac naturalem, directè & per se dæmonem cogendi ut appareat, accedat, fugiat, aliquid faciat, vel facere desinat. Ita expresè sentiunt omnes, quos suprà lib. 2. cap. 40. adduxi. Ratio est quam ibidem adsignavi, quia nimirum potestas inferior ac minor, qualis est omnium rerum corporearum Angelis ac Dæmonibus comparatarum, non potest naturaliter, directè, ac physicè cogere, ac sibi subjicere potestatem superiorem ac majorem, qualis est dæmonum; præsertim cùm tanta sit inter corporeas res ac spirituales completas substantias improportio. Vide ibi dicta.

Dæmones non pelluntur directè rebus corporeis.

Nullum itaque duobus præcedentibus §§. recensitorum remediorum vim habet naturalem directam, alliciendi aut fugandi dæmones, sive ex humanis corporibus, sive ex aliis locis.

Ajo II. Res quasdam corporeas ac sensibiles habere vim naturalem alliciendi, arcendi, & pellendi indirectè dæmones, hominê aut alia infestantes. Explico & probo eodem modo, quo id probavi loc. cit. Sicut enim dæmones observant hominum complexionem ac temperiê, tam naturalem, quàm adsciti-

Dæmones possunt indirectè pelli rebus corporeis.

adſcititiam ex ciborum aliorumque rerum uſu aut abſtinentia, ex humorum extraordinaria commotione, præſertim ex atræ bilis, & ſanguinis abundantia provenientem, & ſtante tali temperie aut intemperie hominem tentant, ceſſante ceſſant tentare; ita etiam eâdem occaſione aliquos αὐτοπροσώπως accedunt, divexant, ac penitus invadunt, ceſſante verò occaſione illâ ceſſant accedere, divexare, atque inhabitare, uti experientiâ conſtat. Cùm igitur multæ res corporeæ, præſertim herbæ, radices, odores, ſuffitus, ac ſimilia, humores hominum variè cieant ac temperent; faciunt quoque, ut dæmones accedant aut recedant; quod eſt, illas res habere vim naturalem indirectè alliciendi ac pellendi dæmones. Ita ſentiunt expreſsè Auctores illi, quos citato loco attulimus.

Itaque non dicimus, neque ullus citatorum Auctorum dicit, res corporeas habere vim naturalem cogendi etiam indirectè dæmones, ut accedant vel abeant. Non enim coguntur dæmones, nec cogi poſſunt, aut dictis rebus, aut diſpoſitionibus per res corporeas inductis, ad accedendum aut fugiendum, ſed ſponte id faciunt. Quia tamen ſtantibus certis diſpoſitionibus, per res corporeas inductis, potiùs id faciunt, quàm iis abſentibus; dicimus, res corporeas habere vim alliciendi aut pellendi dæmones indirectè. Quæ quidem vis naturalis eſt, quia naturaliter corpora & loca diſponunt. Malè ergo *Voetius* Diſp. de Dæmonibus, ait, de quibuſdam ex citatis Auctoribus, eos tribuere rebus corporeis vim cogendi dæmones ut accedant aut fugiant. Id tribuit citatus Auctor inter alios *Delrio*, qui tamen lib. 2. Disquiſit. Magic. q. 30. ſect. 3. & iterum lib. 6. c. 2. q. 3. ſect. 2. planè contrarium docet.

§. IV. Reſpondetur argumentis contrariæ ſententiæ §. 1. allatis.

Argumenta ſententium, dæmones pelli rebus corporeis, ſolvuntur.

AD *primum* reſpondeo eodem modo, quo citato cap. 40. libri 1. nimirum omnes Auctores allatos tribuere dæmonibus corpora, tametſi ſubtiliſſima, ideoque mirum non eſſe quòd exiſtiment, dæmones nidoribus ſacrificiorum, aliiſque ſuffitibus delectari. Revera autem dæmones, cùm ſpiritus ſint incorporei, non delectantur iis rebus delectatione ſenſus corporei, ut citati Auctores volebant, ſed ſolùm delectatione animi; vel, ut S. *Auguſtinus* lib. 20. Civit. cap. 22. & lib. 21. cap. 6. ait, delectantur non ut animalia cibis, ſed ut ſpiritus ſignis, quæ nimirum cedunt in injuriam DEI, in honorem ipſorum dæmonum, & in detrimentum hominum. Itaq; revera peccatum amant, non nidorem.

Dæmones quo ſenſu delecten-

Ad *ſecundum* ajo, dæmonem dici, etiam in Sacris Scripturis, delectari locis humentibus & aquoſis, non ad litteram, ſed myſticè intellectis, quatenus molles, & cœnoſas, ac voluptatum humore diffluentes animas inha-

inhabitat, ut *Glossa* annotavit in cap. 4. Job. & ibidem *Cajetanus* ad illud de Behemoth: *Sub umbra dormit, in secreto calamo, & in locis humentibus.* Et *Euthymius* ad illud Psal. 67. *increpa feras arundinis.* Quòd si reipsâ comperti sunt dæmones habitare frequenter & libenter in locis paludosis & humidis, ut docent quædam exempla relata suprà lib. 2. cap. 8. faciunt id, vel quòd signa sint eorum actuum nefariorum, quibus delectantur, nempe luxuriæ & spurcitiarum, quorum vel solis signis afficiuntur; vel quòd à DEO ad illa loca sint damnati usque ad diem judicii extremi, quando omnes simul demergentur in abyssum, sine potestate & spe exitus. Hac eâdem de causa alii habitant in desertis & solitudinibus, alii in locis subterraneis, alii alibi, ut constat ex dictis lib. 1. cap. 12.

tur rebus corporeis, & locis humentibus.

Quod additur de Tritonibus, Nereidibus, Faunis, Satyris, aliisque similibus, qua ex parte verum corpus, & solidam substantiam habent, non sunt dæmones, sed monstra marina, ac sylvestria, ut latè confirmavimus lib. 3. ab initio per varia capita. Quibus adde, quod ex Platone scribit *Philoponus* lib. posterior. part. 2. cap. 15. jam olim Nereidis cadaver repertum. Item quod scribit *Hector Boethus* in Scotiæ descriptione, apparere interdum corpora humano vultu, cucullata Monachorum instar, ac umbilico tenus aquis extantia. Similis piscis speciem ac figuram dedimus lib. præced. cap. 3. ex Rondeletio, & aliis; uti & piscis Episcopi specie: qui *Rondeletius* part. 1. cap. 22. de Piscibus, adducit oculatum testem visarum in Pomerania suo tempore Nereidum. *Damianus Goës* in Descript. Urbis Olyssippon. non multùm ab initio, multa in hanc rem recentia exempla refert, illudq; præter cætera de quodam, *qui pisces hamo captans, prædam in aridum scopuli anfractum projiceb it, interdum verò nudum adolescentē imberbemq; inibi conspicatus, ratus aliquem esse ex incolis, quos ibi frequenter natare solitos non ignorabat, tandem advertit pisces ab eo manu captos & ori admotos esitari. Itaq; accurrens injuriam ulturus, delusus est ab cachinnante, & se non terrestrem, qualis putabatur, hominem prodente.* Ita *Raynaudus* ex dicto Auctore. Alia exempla de Tritonibus & Nereidibus dabit *Scaliger* Exercit. 226. n. 12. *Serarius* in cap. 16. Judicum q. 23. & planè insigne Historia Societatis nostræ part. 2. lib. 4. n. 276. Quid de hujusmodi monstris censeamus, diximus l. c. nec enim veri homines sunt, nec dæmones, sed monstra. Dæmon autem, ut benè advertit *Raynaudus* ex Porphyrio apud *Eusebium* lib. 4. Præparat. Evang. cap. 11. hujusmodi monstrorum operationibus se immiscens, vel etiam quandoque eorum speciem simulans, olim quidem vigente idololatriâ Deorum & Dearum maritimarum fabulis locum præbuit, apud eos verò qui minùs desiperent, dæmonum corporationis inde suadendæ occasionem captavit. Idem quod hactenus de Nereidibus & Tritonibus dixi, intelligendum etiam est de Faunis & Satyris. Vide dicta lib. præcedenti cap. 2.

Marinorum hominum monstra.

Nereidum varia exempla.

Digitized by Google

Atrabilarii cur invadantur à dæmone.

Ad *tertium* patet responsio ex dictis §. præcedenti: frequenter enim ac libenter à dæmonibus invaduntur illi, in quibus atræ bilis major est copia, quia, ut benè notat *Delrius*, succus & humor iste cumprimis idoneus est, ut homines in furorem & insaniam vertantur, & energumenorum propria symptomata patiantur; qua occasione utitur dæmon, si à DEO permittatur.

Dæmones à Magis non coguntur.

Ad *quartum* jam alibi respondimus cum *Tostato*, Magos verbis, signis, & ceremoniis illis quibus dæmones evocant, non cogere illos accedere, aut respondere, aut aliquid facere, sed dæmones simulare se cogi, ut persuadeant hominibus, quòd possint illos cogere, & quando volunt, ad se allicere. Cujus rei signum est, quod iisdem verbis, signis, & ceremoniis allecti, aliquibus compareant, aliis verò minimè, vel quia non volunt, vel quia DEO aut Angelo bono prohibente non possunt. Novi ego magnum Principem, qui cùm puer esset, & similes dæmonem alliciendi ceremonias ab aliis didicisset, curiositate & studio discendi à dæmone stimulatus, frequenter solus interdiu & noctu ad campos & loca solitaria se conferebat, dæmonemque ardentissimè vocabat; nunquam tamen obtinere potuit, ut compareret, utique DEO aut Angelo tutelari id prohibente. Cur dæmones se permittant includi vitris, annulis & aliis similibus cavitatibus, diximus lib. 1. cap. 37. Sancti illos incluserunt non virtute naturali verborum, aliarumve rerum adhibitarum, sed supernaturali. Archangelus Raphaël Asmodæum ligavit in deserto, id est, coëgit ibi manere, utpote fortior spiritus debiliorem. Cur suffumigationibus quibusdam congregentur dæmones, ex dictis patet: non enim coactè, sed sponte accurrunt.

§. V. Respondetur argumentis §. II. allatis

Salomonis exorcismus & radix.

AD radicem Salomonis ajo, non ipsam solam virtute naturali abegisse dæmones, sed adhibitam cum adjurationibus seu exorcismis, quæ DEI auctoritate instituerat Salomon, si vera sunt, quæ Josephus cit. loc. narrat. An verò Eleazarus ille virtute exorcismi Salomonici ejecerit dæmones, dubium videri posset alicui, quandoquidem id post Christi adventum, & Evangelium per Judæam promulgatum contigit. Certè *Delrius* lib. 2. Disq. Magic. q. 30. sect. 2. credit, Eleazarum illum fuisse Magum, & per signum pacti operatum; idque colligit ex circumstantiis, quæ apud Josephum loc. cit. apponuntur. Fortassis etiam verum non est, adjurationes & radicē illam, quibus tunc Judæi utebantur in dæmonibus pellendis, fuisse à Salomone institutas, sed à superstitiosis Rabbinis. Quidquid tamen sit, certum est ex dictis, radicem illam non habuisse vim naturalem

lem pellendi dæmones. Si ad nominis DEI tetragrammati enuntiationem ejecti fuêre dæmones, ſupernaturaliter id contigit, ſicuti nunc ad enuntiationem nominis JESU ſubinde contingit.

Quæ de radice Babras dicuntur, vel fabuloſa ſunt, vel ſuperſtitioſa, ut ſatis colligitur ex ſuperſtitioſo modo illam effodiendi.

Ad id, quod de variis herbis, radicibus, lapidibus, animalium membris & partibus, aliisque quibuscunque rebus corporeis dicitur, reſpondeo ut antea, res illas directè & immediatè nihil operari in dæmones, ſi illos arcent, aut abigunt; indirectè tamen & mediatè juvare poſſe, ſaltem aliquas, contra ejus conatus maleficos, & multò magis contra invaſionem & obſeſſionem, quatenus impediunt vel auferunt diſpoſitiones illas, quibus tanquam occaſionibus ad hominem vexandum, aut invadendum uti ſolent dæmones.

Qua ratione ſuffitus ſeu fumus cordis ac jecoris piſcis à Tobia excitati expulerit dæmonem, fusè diſcuſſimus lib. 1. cap. ſæpe citato.

Multa alia hic examinanda forent circa poteſtatem variam, & varios modos pellendi dæmones ex Energumenis, eorumque efficacitate, præſertim per Exorciſmos in Eccleſia uſitatos, per invocationem nominis JESU, per uſum ſacrorum lipſanorum, per impreſſionem ſigni ſanctæ crucis, &c. Sed quoniam virtus, quæ his ſimilibusque rebus tribuitur, non naturalis, ſed ſupernaturalis eſt; ne extra Phyſicæ limites exorbitemus, calamum cohibemus.

LIBER QUINTUS

De

MIRABILIBUS MONSTRORUM.

PROOEMIUM.

Monstrum quid sit.

Monstra dabimus hoc libro,& sola monstra. Itaque non cum Grammaticis , ac Etymologis, & plerisque Physiologis monstrum à monstrando derivamus , ac omne id monstrum appellamus,quod aut monstrando significat, aut ob raritatẽ dignum est monstrari(quo pacto si sumatur,per omnia entium genera vagatur,& tam inanimatis,quàm animatis,tam supralunaribus , quàm sublunaribus rebus,quæ admirabilitatis aliquid adjunctum habent,convenit)sed ad animantia duntaxat coarctamus,& id solum monstri appellatione dignamur , quod inter animantia (seu homines sint,seu bruta) deviat à consueta secundùm speciem dispositione ; sive deinde ex parte degeneret , ut cùm homo nascitur membris belluinis,aut bellua membris hominis, alteriusvè extra suam speciem animalis ; sive ex toto,ut cùm fœtus qualiscunque in effigiem & formam à generante prorsus alienam declinat , veluti si bos agnum pariat,aut canem mulier. Hæc igitur monstra hoc libro dabimus, eorumque causas inquiremus, nec alia intermiscebimus , ne liber in monstrosam excrescat molem. Ad duo igitur capita revocabimus omnia,ad monstrorum historiam,& ad eorundem causas.

PARS I.

MONSTRORUM HISTORIA.

Varii varias adsignant monstrorum, seu in larga illa aliorum, seu in stricta nostra acceptione sumptorum , differentias , ac veluti species,

Digitized by Google

species, prout cuiq; aut libitum est, aut commodum. Nobis omnium facillima ac distinctissima visa est partitio, quæ sequitur; quam magna etiam ex parte servat Ulysses Aldrovandus *in sua Monstrorum Historia, & ante ipsum* Schenckius *loco mox citando. De monstris (si quis plura præter hæc nostra desiderat) scripsêre inter alios* Joannes Georgius Schenckius *in Opusculo de Monstris*, Fortunius Licetus *in Monstrorum Historia*, Ulysses Aldrovandus *jam citatus in Monstrorum quoque Historia*, Conradus Lycosthenes *in Opere de Prodigiis*, Arnoldus Sorbinus *de Monstris, quæ à temporibus Constantini ad sua usque tempora ortum habuerunt*, Martinus Weinreichius *de ortu Monstrorum*, Laurentius Stengelius *in libro de Monstris & monstrosis. Multa etiam de Monstris habet Alcoranus Turcicus* Schvveickeri *Norimbergici*, Cornelius Gemma *in Cosmocrit.* Laurentius Bayerlinck *in Theatro vitæ hum. Ver. Monstrum, & alii.*

Monstrorum Scriptores.

CAPUT I.

De Monstris humanis acephalis.

NAtura dum à recto & consueto generationis tramite deviat, ac monstra efformat, generato fœtui nullum aliquando caput in utero, aliquando plura addit, tam in hominibus, quàm bestiis: interdum caput dissimile ac prorsus alterius speciei addit; interdum verò simile quidem, sed ita alteratum ac fœdatum, ut monstrum meritò constituat. Singulorum dabimus exempla in hoc & sequentibus aliquot capitibus.

Monstra acephala.

Ctesias Gnidius in Persicis, apud Photium in Biblioth. refert, Roxanem Cambysis Regis Persarum Uxorem peperisse puerum capite carentem, eumque à Magis prodigii loco habitum, ut qui, ob defectum capitis, neminem ex familia illa post Cambysem regnaturum significaret. *Accidit deinde* (verba sunt Photii) *ut sacris operante Cambyse, cùm victima jugularentur, sanguis non flueret. Quæ sanè ex re animo concidere cœpit: & Magi renunciarunt, nullum ab eo regni successorem relictum iri, hisce monstris portendi.*

Anno Domini 1554. *Lycosthene* referente, *in Misnia infans natus est absque capite, oculorum effigie in pectore expressa*, de quo scribit etiam *Jobus Fincelius* in Miraculis. Ex eodem Lycosthene refert *Aldrovandus* cap. 3. Monstr. Hist. Wittenbergæ anno 1525. puerum absque capite in lucem exivisse; quod ego tamen in toto Lycosthenis Opere reperire non potui.

Anno 1562. die 5. Novemb. Villæ Francæ in Vasconia, natam esse pu-

 ellam

Digitized by Google

ellam ſine capite, refert *Aldrovandus* loc. cit. ubi & iconem adpingit, communicatam Pareo à Fontano Agenſi, qui ſe monſtrum vidiſſe affirmat. Circa regionem colli eminebat tuber, & aures ſupra ſcapulas conſpiciebantur; in dorſo oculi, & roſtrum inſtar proboſcidis apparebant; quæ omnia ſimul collata, oculorum, naſi, & quodammodo faciei rudimentum repræſentabant: cætera muliebre corpus affabrè compactum, niſi quòd umbilicus paulò longiùs propendebat.

Similia monſtra humana acephala Bononiæ viſa fuiſſe, teſtatur *Aldrovandus* loc. cit. *Nam Anno Domini trigeſimo primo ſupra milleſimum, & quadringenteſimum, penes portam viæ majoris, in viculo* Torlione *nuncupato, quædam mulier enixa eſt maſculum omnibus ſuis membris integratum, mox fœmellam ſine capite, brachiis, & cruribus, & in regione colli parvum veluti orificium apparebat. Rurſus anno decimo quinto ſupra milleſimum & ſexcenteſimum mulier olim fœcunda, quæ poſteà per ſpatium quindecim annorum non conceperat, tandem concipiens peperit puellum ſatis grandem ſine capite, & ubi collum reſidere ſolet, os cum dentibus viſebatur, & in parte oppoſita membrana æmulans meninges cerebri cernebatur. Hunc fœtum obſtetrix aliquo motu præditum, & ab utero exceptum nobis monſtravit. Rurſus anno vigeſimo quarto ſupra milleſimum & ſexcenteſimum, menſe Auguſto, in territorio Bononienſi natum eſt monſtrum fœmineæ, cujus collum oculos, naſum, & in ſummitate colli mollior caro inſtar pyramidis eminebat; deinde linguâ, larynge, œſophago, & pulmonibus carebat, quorum loco quædam carunculæ coſtis utrimque adhærebant, cum cæteræ partes rectè eſſent conſtitutæ.* Hactenus Aldrovandus.

Fœtus acephali hucusque recenſiti ſine dubio monſtroſi ſunt, quia à conſueta ſecundùm ſpeciem humanam diſpoſitione & conformatione corporis deviant. Quòd ſi olim fuit, aut etiam nunc eſt alicubi genus hominum acephalon (de quo quid ſentiamus, lege quæ diximus libro 3. præced. cap 11. §. 4.) erunt & illi reſpectu aliorum hominum monſtroſi, quamvis ad ſe invicem comparati, minimè tales habendi ſint. Cauſam cur aliqui infantes ſine capite naſcantur, indagabimus infrà ſuo loco.

CAPUT II.

De Monſtris humanis polycephalis.

NOn per defectum tantùm, ſed per exceſſum quoq; capitum Natura non rarò aberrat: aliis enim bina, aliis trina, aliis plura affingit capita.

§. I. Monſtra humana bicipitia.

Monſtra humana bicipitia.

JUlius Obſequens refert, puellam bicipitem natam C. Lælio, & L. Domitio Conſulibus; *Oroſius* verò, puellum bicipitem in agro Vejenti, C. Fetilio,

tilio, & C. Valerio Consulibus; quod Lycosthenes refert ad Annum ante Christum 171. Romæ quoque, eodem *Orosio* teste, mulier abortiens bicipitem fœtum enixa est, qui jussu Auspicum in Tyberim fuit projectus. Et *Rabbi Moyses* testatur Aphor. 25. mulieres Siculas quodam anno fœtus deformes & potissimùm bicipites peperisse.

Ambrosius Pareus puellæ bicipitis effigiem exhibet omnium reliquorum membrorum venustate conspicuam: aitque capita idem bibendi, edendi, dormiendi, & loquendi desiderium habuisse; victum ostiatim quæsivisse: sed tandem Bavariâ, jussu Dynastarum excessisse, timentium, ne mulieres gravidæ frequenti ejus conspectu similem fœtibus deformitatem imprimerent.

Cardanus lib. 14. de Variet. cap. 77. ait: *Anno M. D. XLIV. mense Jan. nata est puella biceps; reliqua autem omnia unum corpus referebant: nam bina crura, bina brachia, vulva una. Sed tamen cùm amicus noster Gabriel Cuneus chirurgus, discipulusque meus, eam me absente dissecuisset; primò quidem gulam interiorem (sunt qui meri vocant) ac cum ea ventriculum invenit geminatum, sed tamen in fundo coibant: ibi pylorus unus, attamen ex eo intestina gemina exoriebantur, ut uterque ordo duplicatus esset illorum, præterquam in recto; nam in illo rursus in unum coibant, sicq; ad unum finiebantur. Erant autem fæces in ambobus; pulmones gemini visebantur, atque hi nulla ex parte in unum coibant. Cor paulò altiùs quàm in aliis esse solet, ypsilon literam græcam referens, bifidum scilicet, sed tamen in una sede. An uterque ventriculus superior in eo esset, haud exploravit. Jecur crassum, valde oblongum, sed absque penulu, seu additamentis, atque ideo informe. Spina dorsi duplicata, distabatq; una ab altera digiti magnitudine, unaquaq; suo inserviens capiti, & usque ad crus quod sibi in directo erat, ferebatur. Dentes inferiores anteriores quatuor, superiores autem duos tantùm, sed magnos, verùm inferioribus duriores, ac paulò solidiores; sed tamen qui nec ipsi dentis exquisitam præferrent duritiem, habuit. Renes duplicati, uterus & vesica minimè. Orta est mense nono, & absoluta, ac etiam corpulenta. Verùm in ipso ortu ob errorem obtorto collo unius ab obstetrice, idem dies eademque hora fuit qua tenebras mortis & vitæ hujus lucem experta est. Manifestum est igitur, idem in his contingere, quod in fructibus. Duas tentavit Natura creare proles: in ipso exortu principalium membrorum collisa atq; constricta sunt omnia, præter caput: omnia igitur principalia, præter cerebrum, in unum coiverunt.*

Lycosthenes multa hujus generis monstra in Opere suo de Prodigiis profert. Nam præter illud de quo jam ex Orosio, Anno 125. ante Christum natum, *Frusinone ex ancilla puer biceps natus est.* Et Anno Domini 595. Constantinopoli alter. Et anno 601. in suburbanis vicis ibidem alter. Anno 1044. Henrici III. Imp. anno 5. *in confinio Normanniæ & Britanniæ, portentum visum est in una vel potiùs duabus mulieribus. Duo erant capita, & quatuor brachia, cætera gemina usque ad umbilicum, inferiùs singula omnia. Comedebat,*

bat, ridebat, loquebatur una; flebat, esuriebat, tacebat altera: ore gemino manducabatur, sed uno meatu per ventrem ejiciebat: unâ defunctâ, supervixit altera penè triennio mortuam portans, donec & pondere molis, & nidore cadaveris defecit. Anno 1118. *Monstrum quoddam Namuti natum est, biceps videlicet infantulus, tam sexu duplex, quàm cæteris, simplex autem compage corporis.* Anno 1487. *biceps infans Patavii natus est, in quo præter naturæ luxuriem nihil alioquin fœdum aspectu.* Alius biceps *per eosdem dies Venetiis editus est, ore plurifariam scisso, &c.*

Anno 1494. *in oppido Germaniæ Rotvvil, ad Hirciniam sylvam sito, infans duobus capitibus, quatuor manibus, duobus pedibus natus est.* Anno verò 1498. *in ditione Werdenberga monstrum fœminei sexus natum est, capitibus duobus, brachiis quatuor, pectore & ventre uno, pedibus duobus.* Ejusdem meminit *Cornelius Gemma* lib. 1. Cosmocrit. cap. 6. sed conjicit in Annum 1489. utique per errorem; quem & Aldrovandus exscripsit.

Anno 1514. *in Sarzano, quinto Idus Martii, nobili quondam Italiæ vico, inusitatæ magnitudinis monstrum visum est, quod copiosè* Cœlius Rhodiginus *in lectionum antiquarum lib. 24. cap. 3. describit. Fuit autem infans biceps, in quo multa mira conspiciebantur. Primum quadrimestris magnitudo, membra omnia cum proceritate responsum habentia, absoluta, amussitataq. Facies utraque similitudinis propè indiscreta. In capitibus crines aliquantò longiores, ac nigricantes. Inter utrumque caput ex collimitio humerorum tertia porrigebatur manus, sed quæ aures longitudine non excederet, nec integra visebatur omnino. Reliquum corpus prorsus benè compactum, ac citra ullam maculæ fœditatem. Postridie allatus Rhodiginum est, &c.*

Anno 1531 *in Helvetia quodam pago, quem patriâ linguâ Gossavv vocant, propè Groningam, natus est monstrosus infans, ad 29. Augusti diem, duobus scilicet capitibus, ternis brachiis, totidemq. pedibus.*

Anno 1536. *in agro Tigurino natus est infans, ei planè similis, qui in Helvetia etiam in pago Gossavv ante sexennium natus est, uno scilicet corpore, duobus capitibus, tribus manibus, totidemq. pedibus.*

Anno 1538. *natus est quidam, & ad perfectam viri staturam excrevit, capite & humeris tantùm geminus, ita ut caput alterum antè, alterum retrò esset, mirâ inter se similitudine: barbis etiam & oculis sese referebant mutuò: idem erat cibi appetitus, fames eadem, vox simillima, idem uxoris quam habebat, & excernendi utriusque capitibus erat desiderium. Annum excedebat trigesimum, quando hunc videre contigit.* Hunc eundem vidisse se fatetur, trigesimum annum excedentem, *Jacobus Rufus* lib. 2. de Concept. hum. cap. 3.

Simile quoque monstrum in Bavaria anno 1541. conspeximus: erat autem mulier viginti sex annorum, duobus capitibus; quorum tamen unum satis deforme erat. Hæc dum mendici habitu ostiatim victum quæreret, propter gravidas, dato viatico abire

abire ex finibus jussa est. Idem ergo hoc monstrum est cum illo, quod suprà ex Pareo retulimus.

Anno 1540. *fœtum vidit Hassia, editum quinto Idus Januarii, geminis capitibus reflexis in dorsum, quorum sese facies obversæ invicem minaci aspexerunt vultu.*

Anno 1544. *Mediolani mense Januario nata est puella biceps*, illa nimirum, quam suprà ex Cardano descripsimus.

Anno 1552. *in Hassia Wutzenhausia, tertia post festum trium Regum die, infans masculus biceps, collo duplici, duobus capitibus, ac corpore optimè cum reliquis membris compacto natus est.* Eodem anno, ut recitat Rufus, in Anglia, non procul ab Oxonio, fœtus biceps natus est, reliquo corpore non benè compacto: nam illi quatuor brachia, & tres pedes malè formati erant.

Anno 1553. *decimo tertio Calendas Sextilis, in Misnia pago quodam Zichest, non procul à Pirnavv, natus est infans duobus capitibus, membris omnibus absolutis.* Hactenus ex Lycosthene.

In Chronicis *Tritbemii* legitur, anno 1236. in villa Gebrab puellum masculum bicipitem natum, vixisse sex menses, & totidem dies.

Cornelius Gemma lib. 1. Cosmocrit. cap. 6. ait, vidisse patrem suum Lovanii, Anno 1536. *gemellos ita commissos, ut capite distincti, brachiis manibusq; quatuor, ventre & sterno pectoris copularentur. Inventum illo præsente per anatomen cor commune, cerebrum suum cuique secretum. Neq; vulgaris quæstio, an pro uno homine, an pro duobus foret genus hoc monstri philosophis appellandum. Orta est contentio varia, aliis sedem τῆς ἐντελεχείας in corde, aliis in cerebro collocantibus. Mihi quidem (salvo semper meliori judicio) forma humana dignitas ex rationis domicilio potiùs æstimanda censebitur, quanquam in corde sit fons caloris vitalis, ac facultatum animalium & naturalium præcipuus nodus: hoc enim ad vitam & totam animalis compositionem potiùs, quàm ad differentiam spectat, &c.* Eodem Anno 1536. teste *Aldrovando*, natus est *in agro Tigurino infans unico corpore, & duobus capitibus.*

Anno 1555. die 27. Septembris in pago Freywerck, non procul ab oppido Adorsio Voitlandiæ, *Aldrovando* narrante, biceps infans editus est ab uxore fabri ferrarii, qui inter femora, ubi proditus sexus, umbilicum habebat, sed præter duo capita, habebat quatuor manus, & quatuor pedes.

Anno 1575. natus est alius infans biceps, teste Pareo apud Aldrovandum, qui dextro carebat brachio.

Anno 1593. die 6. Octobris, ut recitat *Schenckius* apud Aldrovandum, in ditione Monasterii Wolmerstalt, uxor cujusdam cauponis puellam bicipitem peperit; quam mortuam Valentinus Wager vivis coloribus delineavit.

Anno 1597. die 29. Maji, teste eodem Schenckio, in vico Lustnau Ducatus Wirtenbergensis, distante non procul Tubingâ, à parentibus plebeis, nimirum patre Jacobo Hang vinitore, & matre Agnete, partus monstrosus mortuus editus est in lucem post sexdecim septimanas à conceptione, qui utriusque sexus genitalia habebat, geminis capitibus, & binis collis, quorum utrumque caput binas aures, oculos binos, os unum, & unum nasum obtinebat. Erat hoc monstrum intuentibus formidandum & horribile. Capita à craniis defunctorum hominum non multum distabant, quorum singulæ frontes in medio non aliter divisæ apparebant, ac si essent discissæ. Crura bina, unà cum parvulis manibus, & pedibus macris, in angustum contractis, erant, ut solent in hujusmodi abortibus conspici. Fuit idem monstrum Tubingæ à Medicis lege anatomicâ diligenter examinatum, inventumque cor duplex, pulmo item & jecur duplex, in ventre inferiori stomachus simplex, & simplicia intestina.

Anno 1598. die 26. Octobris, in oppido inter Angeriam & Tortonam sito, ex congressu consobrini & consobrinæ natum fuisse perhibetur, Aldrovando referente, monstrum humanum biceps cum cauda, duobus pedibus, & quatuor brachiis; quorum duo ritu humano proprium locum occupabant, alia duo juxta dorsum ex medio utriusque capitis ortum trahebant: caudà supra podicem spatio duorum digitorum erat, longitudine palmi, & excrementorum exitum tegebat, velut in quadrupedibus caudatis observatur; quæ quidem juxta initium erat latitudinis digiti auricularis, & deinceps in acutum desinebat. Nulla forma genitalis virilis & scroti apparebat, ideo fœminei sexus esse fuit creditum.

Anno 1599. mense Augusti, ut recitat *Schenckius*, in vico Zeitern, distante mille passuum spatio à Bruxelle Episcopatus Spirensis, uxor Prætoris bicipitem & admirandum partum enixa est. Hæc, absoluto gestationis uteri cursu, rure domum veniens, gravibus partus doloribus vexata, in terram cadens, extemplò epilepsiâ correpta est, & nocte adventante, fœtum edidit, animamque eadem nocte, post novem horarum paroxismum comitialis morbi, efflàvit. Infans autem fuit horrendi aspectus; nam duo capita simiarum facies æmulabantur; reliqua pars corporis puello benè constituto similis erat, præter brachia, quæ aliqua ex parte manca videbantur; pedes formam potiùs pedum simiarum, quàm hominis referebant; & denique circa clunes rudimentum caudæ vulpinæ cernebatur.

§. II. Monstrum humanum biceps, capite uno in ventre posito.

Icon. VII. Fig. I.

HActenus de monstris humanis bicipitibus, quorum capita in proprio loco sunt posita: nunc mirabilius occurrit, cujus unum caput in loco proprio,

Digitized by Google

Iconismus VII. Ponatur è regione pag 579.



Fig. I. Monstrum biceps cum altero capite in ventre.



Fig. II. Monstrum septiceps.

Digitized by Google

proprio, alterum in alieno, nempe in ventre fuit collocatum, & ad justam ætatem excrevit. *Lycosthenes* ex *Jacobo Ruffo* libel. de hum. concept. refert id ad Annum Domini 1516. his verbis: *In Germania visus est justæ ætatis vir, cui aliud caput ex umbilico exereret, quod pro more alterius quoque cibum caperet. Hujus meminit Jacobus Ruffus in libello de hominis conceptu, ex quo eam, quam vides, imaginem mutuavimus.* Ejusdem meminit *Pareus*, & addit, fuisse membris optimè constitutum, ac peregrinando magnam à curiosis stipem collegisse.

Monstrum humanum biceps, capite uno in ventre posito.

Occasione hujus monstri meminit *Aldrovandus* cujusdam casus, qui tunc recenter Parmæ contigerat, ubi juvenis sexdecim circiter annorum inciderat in tumorem circa mendoras costas, *qui suppuratoriis medicaminibus ad intus, tandem suppurationem indicabat, quando ab excellentissimo Chirurgo Taliaferro apertus, copiam saniei effudit, & deinceps singulis diebus, ex dilatato apostematis foramine, unà cum pure, mandibulæ, & multa ossis cranii humani frusta exierunt. Itaque tumore depresso, & ulcere ad cicatricem perducto, patiens pristinæ sanitati fuit restitutus. Illa igitur ossa, quæ à tumore exierant, simul diligenter juncta, integrum hominis cranium constituebant.* Qua de causâ putat Aldrovandus; Naturam in parte intima prædicti juvenis à primordio generationis monstrosum caput produxisse, quemadmodum in parte extima ventris præcedentis monstri produxerat aliud caput; quod caput internum quia deinde vel à contusione, vel aliâ causâ præmortuum, natura per apostema illius expulsionem procuraverit.

Capitis humani ossa ex apostemate extracta.

§. III. Monstra humana trium, & septem capitum.

PHilostratus in vita Apollonii lib. 3. cap. 4. tradit, eo tempore, quo Apollonius Syracusas venit, quandam mulierem non ignobilem peperisse puellum tricipitem, cujus reliquum corpus rectè compactum & constitutum fuerit.

Monstra humana tricipitia.

Aldrovandus ait, se legisse quondam, in regione Novarensi ex muliere vetula egressum esse monstrum, cruribus & pedibus bubulis, reliquo corpore humano, cum septem brachiis, & totidem capitibus uni thoraci affixis; sed caput inter alia medium unico oculo, & auribus hircinis fuisse præditum, prout in apposito Schemate apparet. Addit Aldrovandus, alios prodidisse, hoc monstrum heptacephalon instar hydræ, mense Januario Anni 1587. Eusigi in regione Pedemontana natum esse.

Monstra humana heptacephala. Iconismi VII. Fig. II.

Idem testatur, Anno 1625. Bononiæ apud Nicolaum Tebaldinum impressam fuisse quandam historiam monstri septicipitis, nati ex muliere habitante in oppido Fori Julii *perdonne* appellato.

CAPUT III.

De monstris belluinis polycephalis.

Monstra belluina polycephala.

QUæ in hoc genere occurrunt, primùm ex *Lycosthene*, servato annorum ordine, à mundi origine ad nostra ferè usque tempora, deinde ex aliis quoque Auctoribus delibabimus.

Porcus biceps. Icon. VIII. Fig. III. Agnus biceps. Icon. VIII. Fig. IV. Vitulus biceps. Bos biceps. Vitulus biceps, & septipes. Icon. VIII. Fig. V. Anser biceps.

Anno igitur Mundi 3760. ante Christum 204. ex Lycosthenis calculo, *Cere porcus biceps natus est*, ejus formæ, quam oppositum refert Schema. Et Anno Mundi 3768. *Sinuessæ agnus cum duobus capitibus natus.* Et Anno sequenti 3769. *Asculi agnus biceps cum quinque pedibus natus*; prout in apposita figura patet. Et Anno 3841. *Saturæ Vitulus biceps natus.* Et Anno 3843. alius quoque *vitulus biceps natus.* Et Anno 3870. *agnus biceps.*

Anno post Christum natum 573. *in eo bello, quod Romani contra Persas gesserunt, plurima prodigia, Romanorum futuras clades portendentia, tum visa sunt*: inter alia *bos recens natus in initio belli conspectus est, ex cujus vertice duo capita eminebant.* Anno Domini 1269. *Calissæ intra octavum diem natalis Christi natus est vitulus cum duobus caninis capitibus atque dentibus, & septem pedibus vitulinis. Capitum autem majus quidem in loco suo, minus verò ad caudam situm erat. Ab ejus cadavere canes atque volucres abhorruère.* Anno 1496. *in pago quodam, qui ad Argentinensem spectat Episcopatum, cui Sugenheim nomen est, duobus ab Argentina milliaribus, anser monstrosæ planè formæ in ovo inventus, duobus capitibus, totidemq; linguis, collo unico, quatuor pedibus, quorum duo eum locum occupabant, ubi in aliis alæ emergunt; reliqui verò circa podicem (ubi duplex etiam ad ejicienda Naturæ excrementa exitus erat) apparebant: alæ verò duæ circa collum expansæ.* Anno

Vituli bicipites alii.

1499. *Vitulus prodigiosus, duobus capitibus, antè & pòst, Cracoviæ natus.*

Anno 1540. *Mediolani Vitulus biceps natus est. Habebat autem capita perfecta duo: unumquodque habuit suam linguam, ac dentes, nares, oculos, aures; sed juncta erant capita in occipitio, quorum unum masculi rotundum, alterum fœminæ oblongum, speciem diversi sexus præferebant. Animal vitula erat exenteratum, ac ex matre excisum occisa, quòd diutiùs partum traheret, quàm ut servari posset. Supervixit, ut referebant, fœtus dimidio horæ, & erat in caupona cancri.* Anno 1541. *in Sardinia Insula, eâ ipsâ nocte, quâ Carolus V. Romanorum Imperator in Mauritaniam solutum venerat, Vitulus duobus capitibus in oppido Lagara natus est.* Anno 1551. *Vitulus biceps nascitur mense Decembri in Schinna pago, quem Longum nominant, proximè Fribergum.*

Agnus monstrosissimus. Icon. VIII. Fig. VI.

Anno 1555. *Halberstadii 18. Februarii accidit, ut agnus natus esset prorsus rotundo capite, tribus oculis, trigemino ore, gemino naso, auribus in tergo pendulis instar caninarum: sed quod maximi prodigii loco habendum est, in tertio ore magnum oculum habuit, majorem aliis, ibiq; linguam prolixam exeruit. Vixit unum diem*

conti-

Digitized by Google

Iconismus VIII. Ponatur è regione pag. 580.




Fig. III. Sus biceps.

Fig. V Vitulus bicor. por capitibus caninis.

Fig. IV. Agnus biceps.

Fig VI. Agnus ore trigemino.

Fig. VII. Vitulus bi. ceps quatuor oculis.

Digitized by Google

continuo clamore. Eodem Anno 1555. *dum comitia Imperialia Augustæ Vindelicorum à Serenissima Romanorum Regia Majestate Ferdinando celebrantur, septem milliaribus ab Augusta urbe nascitur vitulus Maji vigesimo primo die, in pago quodam Leder nomine, habens duas facies, oculos quatuor, duos quidem in fronte anteriori, in lateribus verò alteros, per omnia alioquin in membris quidem singulis vero vitulo persimilis: qui insuper quamprimùm in lucem editus est, animam aflutum exhalavit.* Hæc scribit Marcus Frytschius in Meteorologicis.

Vitulus monstrosissimus.

Hactenus ex Lycosthene; nunc ex aliis Auctoribus. *Aldrovandus* in Histor. Monstror. cap. 2. pag. 416. edit. Bonon. refert, Anno 1506. Bononiæ ovem quandam Illustrissimi Thomæ Cospii agnum enixam esse nigerrimum, duobus capitibus, totidemque caudis conspicuum, pedibus veró quinque, quorum quintus dorso adhæserit. Idem ibidem testatur, excellentissimum Joannem Antonium Godium servare domi suæ exuvias agni bicipitis, cum duobus tantùm pedibus.

Agnus biceps, & monstrosus.

Ambrosius Pareus apud eundem Aldrovandum narrat, Anno Domini 1577. in pago Blandio, tribus milliaribus à Meloduno distante, natum esse agnum tricipitem, & medium caput reliquis crassius fuisse; & balante uno reliqua pariter balasse.

Agnus triceps.

Schenckio referente apud eundem Aldrovandum, in agro Patavino natus est vitulus duobus capitibus, unico tantùm corpore, posterioribus & anterioribus cruribus duplicatis. Et hoc monstrum quidam ad quæstum circumferebant.

Vitulus biceps.

Anno 1506. teste *Aldrovando*, quædam vacca Domini Francisci Buccaferrei Bononiæ vitulum bicipitem enixa est, cujus duo capita in occipite juncta erant. Eodem teste, paucis annis antequàm id scriberet, Morenzani prope Venetias ortus est vitulus biceps, duplici rictu, quatuor oculis, & ternis auribus; quarum una in medio utriusque capitis erat, sed aliæ duæ in fronte amborum capitum. Alium bicipitem vitulum, duplici quidem rictu, sed quatuor oculis, & binis tantùm auribus, ait sex ante annos, quàm scriberet, Arimini fuisse natum. Addit præterea, sibi à Polono quodam narratum, in Polonia natum fuisse vitulum septicipitem, qui duabus tantùm horis vixerit, & ex singulis capitibus singulas linguas exeruerit.

Icon. VIII. Fig. VII.

Vitulus septiceps.

Omitto hîc aves, serpentes, & pisces bicephalos, ac subinde polycephalos, quorum nonnulla exempla cum iconibus affert *Aldrovandus* loc. cit. Causam multiplicationis capitum, tam in humanis, quàm belluinis monstris, adsignabimus infrà suo loco.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De monstris humanis cum capite non humano.

Monstra humana cum capite non humano.

DE hominibus Cynocephalis seu Canicipitibus multa adduximus exempla libro præcedenti cap. 6.

Lycosthenes ad Annum Mundi 3757. refert, puerum cum elephanti capite natum Sinuessæ. Hoc idem recitari ait Aldrovandus à Polydoro Virgilio; & addit ex relatione virorum fide dignorum, Anno Domini 1565. in Hungaria mulierem enixam esse puellum capite elephantis, reliquo corpore bene constituto, prout in apposita apparet figura.

Puer cum capite elephanti. Icon. IX. Fig. VIII.

Eodem *Lycosthene* referente, Anno Domini 1544. *quinto Calend. Septemb. Argentinæ nobili Alsatiæ metropoli, Infans fœminei sexus, horrendo, monstroso, atque in superiori parte aperto planè capite, lato ore, bovinis oculis, naribus aquilinis, natus est.* Præterea Anno 1551. *in Marchia villa Dammevvalde prope Wistock, coloni cujusdam conjux monstrum, quod describit Fincelius, edidit. Infans toto corpore fuit spadiceo colore, capite cornuto, oculis crassis, prominentibus, absque naso, patulo ore, quod longitudine spitamæ distentum fuit, in cujus medio lingua candida eminuit, & quadrata, colli expers (caput enim scapulis accrevit) corpus totum inflatum, & rugosum, brachia in lumbis hæserunt, pedes longè tenuissimi. Ab umbilico autem species laxi intestini longè dependit ad pedes.* Anno 1555. *Februarii 15. in pago Pfeffelbach ad Vinariam, ut* Fincelius *narrat, tale monstrum natum est à conjuge pastoris pecudum. Puellus fuit sine facie humana; loco ejus habuit carnem glabram, nisi quòd duos oculos grossos & dissimiles extantes habuit, non collocatos in cavitatibus, tetro aspectu. In loco frontis, cuspis carnea prominens, erecta stetit. Mentum habuit pendulum, exiguum foramen loco oris, quo omnes videntes conterriti sunt, nec fuit baptizatus, sed statim sepultus.* Iterum Anno 1566. *Basileæ Rauracorum puellus natus est crudeli aspectu, corpore quidem satis bene compacto, sed capite hirsuto, canem aut cattum magis, vel simiam, quàm hominem referente. Vixit autem circiter horam dimidiam.* Hactenus ex Lycosthene.

Icon. IX. Fig. IX.

Monstra humana cum canino capite.

In Fasciculo temporum *Werneri* legitur, Anno 914. mulierem edidisse partum, corpore quidem humano, sed capite canino. *Vincentius* quoque in speculo Natur. lib. 31. cap. 26. narrat, ætate suâ monstrosum hominem, canino scilicet capite, ad Ludovicum Galliarum Regem fuisse delatum. *Aldrovandus* ait, se meminisse, legisse, uxorem Cornelii Gallicani Romæ infantem capite Anubis, id est, canino peperisse; erat enim Anubis Ægyptiorum Deus, canino capite effigiatus, ut patet passim in Ægyptiorum Hieroglyphicis.

Anno 1626. mense Martii, Perusii prodiit in lucem puellus membris

Iconismus IX Ponatur è regione pag. 582.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Iconismus X. Ponatur è regione pag. 583.



Fig. X. Puellus facie ranæ.



Fig. XI. Pullus equinus mancus.

Digitized by Google

bris rectè constitutis formatus, præter faciem, quâ, propter hirtam frontem, effigies bubonis repræsentabatur, lingua ab ore exertâ.

Monstrum humanum cum facie ranæ. Iconis. X. Fig. X.

Anno 1517. ex parentibus infimæ sortis, nimirum ex Amadeo Perneo, & Magdalena Sarbucata, in Breia sylva, parœcia Bosci Regis, via ad fontem Bellæ aquæ, mulier febre vexata, consilio mulieris cujusdam clinicæ, ranam vivam palmæ manus alligari jussit, tamdiu ibi detinendam, donec exspiraret. Eo habitu in viri congressum veniens, fœtum peperit facie ranæ, cujus effigiem hic damus.

CAPUT V.

De Monstris belluinis cum capite alienæ speciei.

Monstra belluina cum capite alienæ speciei.

DE Hippocentauris & Onocentauris, de Satyris, Tritonibus, Nereidibus, ac Sirenibus, aliisque similibus bestiis humanam faciem habentibus, fusè disputavimus in libro 3. præcedenti. Nunc alias belluas capita alienæ speciei habentes producemus, primùm ex Lycosthene, deinde ex aliis. De Harpyis agemus infrà suo loco.

Lycosthene igitur narrante, Anno Mundi 3756. *Tarquiniis porcus cum ore & capite humano genitus est.* Et anno Mundi 3766. *Frusione agnus cum suillo capite.* Et eodem anno *Sinuessæ porcus cum capite humano.* Et Anno 3768. alius *Sinuessæ porcus cum humano capite.* Anno 3861. *in Lucanis duo agni equinis pedibus nati, alter fœminino capite.*

Anno verò Domini 1011. *porca enixa fœtum humanâ facie edidit.* Anno item 1018. *Sus fœta, porcellum humanâ facie enixa.* Alia item Anno 1055. circa finem Imperii Henrici III. Rom. Imp. *enixa est porcellum humano capite.* Anno item 1109. *in parochia Legiensi porca enixa est porcellum habentem faciem hominis.* Et alia Anno 1118. in Gallia. Anno verò 1254. *cùm ad montem Atticum collatis Florentinorum & Pisanorum signis decertatum est, monstrum in agro Veronensi editum ex equa quadrupes, fœdum humano capite. Ad cujus murmur, vagitum, & confusum humanæ vocis sonitum accurrens ruris illius accola, & novo attonitus spectaculo, exerto ingenti gladio monstrum occidit. Quam ob causam ad judicium tractus, & de monstrosi partus origine, & de occidendi causis interrogatus, horrore atque abominatione rei tantùm se fecisse respondit. Quo audito, suspicionem omnem ademerunt.* Meminit quoque hujus monstri *Pareus*, *Schenckius*, *Aldrovandus*, & alii, cum *Mussato* lib. 7. de Gest. Ital.

Anno 1290. *in agro Constantiensi mulier humano capite leonem peperit.* Anno 1494. Gracoviæ mulier *in suburbana villa, cui Nigra nomen est, ad duodecimum Calend. Novemb. monstrum edidit, cætera quidem humanâ figurâ, sed collo & auri-*

bus

Digitized by Google

bus leporinis, & uno grandiore intestino totum ventrem occupante, diducto rictu spirans. Anno 1547. *ad oppidum Bitterfeld vitulus in agro repertus, oculis, naribus, & auribus humanis, vertice tonso & miniato, rictu & pectore vitulino, cruribus anterioribus vitulinis, posterioribus humanis, & brevibus admodum, sed utriq; desinentibus partim in ungulas vitulinas, partim in humanos digitos, qui ungulis suberant, & separatim propendebant. Hoc monstrum describit* Caspar Peucerus *lib. de Teratoscopia. Sic apud* Cœlium Rhodiginum *legimus, apud Sybarim olim pastorem nomine Crathin, ex frequentioribus cum capra congressibus (quod turpe fœdumq; dictu est) capram quidem humano capite patris simillimo, corpore verò caprino matrem referente, genuisse. Quem postea ductor caprarius ac antesignanus hircus, zelotypiâ laborans, oblatâ occasione humi pro more dormientem, maximo impetu cornibus invasit, ac corrivalem crebrioribus ictibus vulneratum interfecit.* Ita *Cœlius Rhodig.* lib. 14. cap. 62. lectionum antiq. & nos suprà lib. 3. cap. 1. §. 2. ex *Plinio* lib. 7. cap. 3.

Icon. X. Fig. XI.

Anno 1554. *in villa Pomerania Reckovv, vicina Rugio ad ostium Viadri, equi pullus natus est capite horrendo; in cujus loco oculorum macula erant subrufa; aures pendula, quales sunt canum sagacium, infimis auriculis cuti adcretis. Os quoque erat monstrosum, labris inflexis, quemadmodum dua tudicula composita, ut lactari non posset. Collum erat tortum, & sinuosum, distinctum coloribus tanquam catenis variatum. Juba erat impexa, plena plegmatibus. Quando hinniebat, putabatur hinnire ingens caballus: ac si qui fortè ex nobilibus accederent, toto corpore movebatur, terramque pulsabat, tanquam in rabiem versus, & quasi impetum in ipsos facturus. Erectus stabat, hinnitu terribilis. Cives & colonos ferre poterat, quibus accessum liberum permittebat. Cutis erat asperior, & vestis villosa. Loco cauda alta crista erigebatur, etiam mortuo pullo. Pes imus anterior unus erat humanus, alter nullus erat, sed tantùm tibia manca. Pedes posteriores erant equini. Triduum vivebat, deinde extinctus in trivio sepeliebatur. Hac scribit* Jobus Fincelius *de Miraculis.*

Anno 1555. *mense Decembri, in Pomerania villa Rossovv, qua unum tantùm milliare à Palevvalck sita est, ex fœmina monstrum natum est horrendum. Corpus autem erat vitulinum, caput glabrum, ac rotundum instar globi, ad simia similitudinem, mentum hirsutum, prominens lingua. Pedes autem anteriores erant sine ungulis, solu globulis rotundis; posteriores verò bovini, cauda verò erat absque nodis, ossea, ac planè per omnia immobilis.*

Anno 1556. *vicesimo quarto Julii, deforme monstrum vacca enixa est in pago Cleudorff, distante tria milliaria à Pabenberga; quod Ficelius quoque descripsit. Pedes habuit quatuor vitulinos, caput humanum virile, atra barbâ, geminis auribus humanis, & modicis capillis, pectus item humanum & mammosum. Natum est monstrum in pradio vidua nobilis. Sic* Volaterranus *scribit, olim ex cane & muliere natum infantem formâ humanâ superiore parte, inferiore verò caninâ; atque expiationis*

Digitized by Google

tionis causâ ad Pontificem delatum. Cujus rei Cardanus meminit lib. 14. de Varięt. Rer. cap. 64.

Hactenus ex Lycosthene. *Ambrosius Pareus* narrat, Anno 1564. Bruxelæ suem peperisse sex nefrendes, quorum primus erat monstrosus: nam capite, & anterioribus pedibus, & Ommoplatis, hominem repræsentabat, reliquo verò corpore toto suem, imò genitàlia suis fœminæ habebat, & aliorum nefrendum more ubera sugebat, sed die secundo post ortum, à plebe monstri horrore concitata, unà cum matre hic fœtus confossus est.

Anno 1569. aûctore *Schenckio*, sus humano capite in Cypro natus est die 12. Decemb. Erat totum corpus veri porci, nudum & sine pilis ac setis; capite effigiem humanam referebat, ex cujus fronte crista, imitans cristam galli Indici, oriebatur; quæ partem oculorum, & partem nasi tegebat. Aures humanis erant similes. Monstrum ex porca, unà cum quatuor aliis porcellis matri similibus, ortum esse retulerunt.

Cornelius Gemma lib. 1. Cosmocrit. refert, suâ ætate natum canem capite accipitrino, & spectandum populo à quodam circumlatum.

CAPUT VI.

De monstris humanis fœdam capitis constitutionem habentibus.

Monstra humana fœdam capitis constitutionem habentia.

MOnstra humana acephala, dycephala, & polycephala hactenus exhibuimus, uti & illa, quæ capite non humano sunt deturpata; nunc dabimus alia, quæ licet capita exhibeant humana, insigni tamen aliqua nota turpitudinis sunt fœdata. Referemus primò quæ Lycosthenes collegit, deinde quæ alii. Spectant huc quoque quæ libro præcedenti diximus de fœminis ac pueris barbatis, infantibus dentatis & similibus.

Anno igitur Mundi 3772. *Lycosthene* narrante, *pueri ingenui Arimini sine oculis & naso nati* sunt.

Cornutus infans.

Anno verò Domini 308. *apud Daphnem, amœnum illud & ambitiosum Antiochiæ suburbium, visu relatuq; horrendum natum est Constantii Imperatoris temporibus monstrum, infans scilicet ore gemino, dentibus binis, & barbâ, quatuor oculis, brevissimis duabus auriculis.* Anno 1233. *in Rathstadio oppido in Alpibus Noricis, quas Taurum incolæ vocant, infans cornutus natus est. Vagitus atque ploratus ejus quatuordecim ante dies, quàm ederetur, auditus.* Huc etiam spectat monstrum natum anno 1494. in villa suburbana Cracoviæ, de quo capite præcedenti. Anno 1503. *in Hassia infans bene distinctis membris natus est, nisi quòd auribus, oculis, at naribus, in universum careret, ac in facie solum os haberet.*

Infans crucifixi imaginem referens.

Anno 1542. *in Bilsen Bohemiæ oppido, ut* Peucerus *de Teratoscop. memoriæ tradidit, natus est infans similis imagini crucifixi, aut pendentis è cruce, qui collum tortum & in latum inflexum habuit, quemadmodum pingitur imago Filii DEI de cruce ablati, ut difficulter ipsius ori, propter obliquitatem, cibus inferri potuerit. Crura etiam transversa & inflexa habuit; quæ etsi aliquoties sejungerentur, suâ sponte tamen ad priorem figuram relapsa sunt. Vixit aliquamdiu Viennæ Austriæ.*

Infans cum capite oblongo.

Huc spectat monstrum Anno 1544. Argentinæ natum, de quo capite 4. præcedenti. Anno 1545. *in Saxonia mense Februario infans natus est horrendo aspectu, corpore quidem integro, & bene compacto, sed contusis, laceratis, atque luxatis membris omnibus, excepto capite oblongo, ac quasi Turcico pileo insignito.* Anno 1550. *Friberga infans natus est obscœno vultu, qui in fronte & occipite massam carnosam, duram, & prominentem habuit.*

Infans monstrosus Stetini natus. Iconif. XI. Fig. XII.

Anno 1554. *in die trium Regum Stetini monstrum in suburbio natum est tali formâ. Capitis loco massa informis erat, mobilis ut exta ovilla. Loco unius auriculæ, brachium stabat: loco faciei, cincinnus similis pilis felinis, & lupi piscis ova, per quæ inferiùs lucebant ocelli vitrei & renidentes. Os contractissimo erat foramine sine labiis: nasus quoque minutissimus erat, absque collo: Alterum brachium è latere prominebat, sed neque pectoris, neque dorsi effigies aderat, præterquàm quòd lineola notabatur rachi. Nullus erat sexus, nec androgynus. Cæteras monstrum, brachia & longi pedes, continuo osse rigebant, sine juncturis, cubitis, & poplitibus. Manus, & imi pedes, erant molles, & penduli tanquam bis fracti, similes unguibus curvis & aduncis lutræ. Mortuus editus est infans, quanquam viveret in alvo materna antequam ederetur in hanc lucem. Hoc monstrum describit* Jobus Fincelius *de Miraculis.*

Iconif. XI. Fig. XIII.

Anno 1554. *Stetini accidit, ut infans in lucem editus noctu baptizaretur, qui diro modo, corporis gyratione, vociferationibus, & gestibus variis adversatus est Pastori baptizaturo, ut terrorem omnibus adstantibus incuteret. Tandem Pastor factis ad DEUM ardentibus votis, infantem baptizavit. Habuit ille in vertice massam carnis, imaginem præbens testudinis rufæ. In cervice caudam carnosam habuit instar muris, sed albescentem, qualis erat cutis sine pilis. Caput erat Thersiticos, oculis extantibus. De quo scribit etiam* Jobus Fincelius *in Miraculis.*

Iconif. XI. Fig. XIV. Monstrum Genevense.

Anno 1555. *Genevæ apud Allobroges monstrum, quale hîc subjectum vides, ex Galla quadam muliere, Genevæ tunc habitante, natum est, quod materiæ redundantis indicium fuit. Id monstrum binas habuit facies, hoc est, bifrons erat, qualem Janum pinxit antiquitas. Quod utrimque pendet inflatum, intestina sunt ex dorso prodeuntia. Quod autem ex ventris inferiore parte pendet, id jecur est, ex fœmina vulva prolapsum. Monstrum hoc utrumque habet sexum, ad dexteram mas est, ad lævam fœmina. Crura, quæ jacere separatim vides, sic discerpta evulsaque ex ipsa matre, dum eniteretur, fuerunt. Ad vivum expressit Caspar Masenius pictor, qui tum ibidem cum multis aliis aderat.*

Digitized by Google

Iconismus XI. *Ponatur è regione pag.* 586.




Fig. XII. Infans brachio transposito.

Fig. XIII. Infans capite thersitico.

Fig. XIV. Monstrum bifrons

Digitized by Google

Anno 1556. *quarto Decembris, Basileæ infans natus est virilis sexus, carens auribus, quarum loco habuit duo tantum foramina, quæ tamen ita clausa erant, ut nihil inde audire potuerit. Vixit autem puellus valetudinarius usque mensem Augustum, in cujus principio multis doloribus obiit.* Eodem anno, *Basileæ circa pachatis festum, infans adeò scissis atque apertis naribus natus est, ut inde ejus cerebrum facillimè sit conspectum.* Eodem anno, *septimo Idus Augusti apud nos Basileæ masculus natus est, corpore satis quidem bene compacto, sed sine collo, monstrosâ planè facie, oculis insolitæ magnitudinis quasi in fronte sitis, ac superior capitis pars omnino deerat; in occipitio autem habebat foramen justæ magnitudinis, ex quo sanguis aliquantulùm fluebat, unde statim postquàm in lucem editus esset, diem suum obiit.*

Infans sine auribus.

Infans cũ naribus apertis.

Infans sine collo.

Hactenus ex Lycosthene. *Aldrovandus* mentionem facit pueri, nati Venetiis Anno 1487. qui membrum genitale vertici adnatum habuit; quem propterea parentes, obscœnitate rei deterriti, non ausi fuerunt in propatulum deferre. Idem mentionem facit pueri suâ ætate orti in agro Mutinensi, cum testibus & scroto urinâ pleno occipiti adnatis: ad quam deformitatem abscindendam cùm statim orchitomus fuisset accersitus, truncavit quidem illam magnâ dexteritate, sed illicò suppressâ urinâ puer interiit: unde colligit, partes illas superfluas cum aliis partibus genitalibus, & cum vesica, consensum habuisse. Idem præterea meminit pueri nati Bononiæ Anno 1630. in via S. Felicis, mense Aprilis, cum massa carnis in fronte instar cornu. Orbita oculorum una tantùm cum magno oculo conspiciebatur in facie, sine naso: oris foramen rotundum, & adeò angustum fuit, ut ubera nutricis apprehendere non posset, sed nutritionis gratiâ lac per fistulam parvo orificio aptatum instillabatur.

Infans monoculus, & brachystomus.

Anno 1512. eodem *Aldrovando* narrante, in Germania, in villa Elcesselbach cognominata, ex conjuge rustici natus est infans oris foramine angustissimo, cujus etiam tota facies massam carnis æmulabatur, & in medio simulachrum pugionis ex eadem carne formatum residebat, & sub ea carnis massa oculi magni ac dissimiles erant locati. Ob hanc tantam deformitatem non fuit aquâ baptismi lustratus, sed vivus sepultus.

Præterea anno 1624. Firmi Italiæ civitate nata fuit puella pefectis membris omnibus integrata, præter caput, quod aspectu erat horrificum, cum fronte rugosa, sub qua orbitæ quædam absque oculis cernebantur, & loco nasi frustum carnis pyriforme mediam faciem occupabat: sub hac massa carnis, pellis rubra figuræ quadrangularis erat, quæ utrimque oculos veluti gallinæ repræsentabat: oculus unus obscurus in occipite, alter clarus & humanus supra suturam coronalem visebatur, sed sine palpebris & ciliis, quorum vicem capilli capitis gerebant. Infantem quoq; fœminam, oculis prorsus & naribus carentem, memorat

Infans sine naso.

Cornelius Gemma in Cosmocrit. Die 10. Maij anni 1514. delata fuit puella ignoti cujusdam civis Bononiensis, ad D. Petri templum, ut baptismi sacramento renasceretur, quæ & naso & ejus foraminibus caruit.

Infantes cum quatuor oculis.

Initio hujus capitis retulimus ex Lycosthene monstrum Antiochiæ natum cum quatuor oculis, quod & Marcellinus refert. Romæ quoque anno post Christum natum 123. puerum cum quatuor oculis natum, adstruit *Aldrovandus.* Anconæ quoque, teste *Lusitano*, mulier tertio graviditatis mense edidit corpusculum quatuor habens oculos, cum labiis adeò deformibus, ut cunctis aspicientibus esset admirationi. Mense Januario anni 1514. Bononiæ conjux Dominici de Malatordis, teste Aldrovando, peperit puellam cum duobus orificiis in facie, & quatuor oculis; quam Cardinalis de Grassis tunc Bononiæ Episcopus, cœlesti lavacro expiavit, & Mariam appellavit; sed vitam ad quartum tantùm diem protraxit.

Infans bifrons mirè monstrosus.

Aldrovandus meminit cujusdam monstri bifrontis, quod in utraque parte faciei, loco nasi, gerebat membrum virile, cum testibus loco menti; & in fine prodigiosi nasi conspiciebantur gemini oculi. Incertus fuit hujus monstri sexus: sed tradunt fuisse natum, antequam Rex Galliæ superiori sæculo cum copiis in Italiam se contulisset. *Non dissimilis obscœnitas* (addit Aldrov.) *nuper observata fuit Parmæ, in partu monstroso conjugis cujusdam Olitoris, nato mense Septembris anni octuagesimi quarti supra sesquimillesimum. Hic puer vixit duas horas; naso carebat, sed in fronte duos testes, cum portione carnis mentulam amulante gerebat. Deinde utraque infantis manus sex digitis erat referta: & pars anterior sexum maris, & posterior sexum fœmina repræsentabat.* Ex historiis Indicis constat, uno milliari à Piratininga ortam aliquando fuisse puellam, quæ nasum extensum usque ad mentum gerebat, & os sub mento habebat; fuitque viva à patre tumulata.

Infans cum aure leporina; & alius cum asinina.

Anno 1593. teste *Schenckio*, ortus est Königsbergæ infans masculus aure leporinâ, cum portione carnis instar pilei. Item Eussgii in terra nova juxta ripas Danubii, monstrum humanâ facie, & auribus asininis visum est. De monstro cum auribus leporinis jam suprà ex Lycosthene locuti sumus.

Infantes cornuti.

Amatus Lusitanus Centuria 1. Cur. 17. meminit pueri cum corniculo in capite nati, quod cum puero crescente crescebat. Anno 1577. mense Januarii in Chero regione pedemontana, natus est puer cum quinque cornibus in capite; è cujus occipite massa quædam carnis dependebat. Alia monstra cornuta retulimus paulò antè ex Lycosthene. Aldrovandus ait, aliquandò ex Gallia in Italiam delatum monstrum humanum, quod carebat fronte, & collo, & maxilla inferior sterno adnectebatur; caput erat auritum, & cornutum, sed cornua figuram cornuum arietis referebant.

Geor-

Digitized by Google

Georgius Schenckius Medicus Hagenoënsis meminit pueri nati Hagenoæ Alsatiæ, anno 1608. mense Septemb. qui toto corpore absolutus, & undequaque perfectus erat, nisi quòd circa superioris labri & nasi interstitium monstrosa caro, veluti quædam proboscis erat adnata, & referebat figuram oris ovini, exertâ linguâ tanquam balantis, & hæc monstrosa caro spatium nasi non excedebat, reliquo superiori labro ad utrumque latus fisso. Quapropter puellus ejulans, diducto ore, & hiantibus alis superioris labri, admirandum vultum spectantibus exhibebat. Præterea nasus huic carunculæ prorsus connatus, impervius, & depressus fuit; ideoque ad aërem attrahendum nullâ vi illi patebat; quemadmodum etiam ad hauriendum alimentum non parum erat impedimento. Puer fuit vocatus Joannes Jacobus; & diu vixit.

Infans valde monstrosus Hagenoæ natus.

CAPUT VII.

De monstris humanis sine brachiis; & de mira manuum ac brachiorum compensatione.

Circa manus, pedes, brachia, crura, non minùs mirabilem se exhibet natura in humanis fœtibus, idque vel per defectum, vel excessum. Proponemus primò exempla fœtuum sine manibus, aut brachiis; deinde cum brachiis mutilis, aut transpositis; tertiò cum brachiis multiplicatis; tandem cum manibus aut pedibus monstrosis.

Monstra humana sine brachiis.

Anno igitur Mundi, ex *Lycosthenis* enumeratione, 3772. *in Piceno infans absque manibus ac pedibus natus est.* Et anno 3803. *Priverni puella sine manu.*

Anno verò Domini 601. *in Thracia mulier puerum genuit monstrosum prorsus, Naturaque ipsius piaculum: oculis namque, palpebris, & superciliis caruit, neque reliquâ corporis constitutione formam & effigiem justam habuit; quippe cui neque manus, neque brachia essent, & cui ad coxendices cauda piscis illis innata dependeret.* De hoc *Theophylactus Simocatta* lib. 6. cap. 1. & 2. Histor. Mauritianæ (Mauritii enim Tiberii tempore contigit) sic scribit. *Satellitibus ad ejus tabernaculū, pro eo ac decebat, excubias ducentibus; una muliercula partus cruciata doloribus, clarisonas voces iterum ac sæpius effudit. Egreditur de excubitoribus, qui fœminam tam absono clamore prohibeat. Ubi domunculam intravit, causamque vociferationis exquisivit; illa partu solvitur. Is Naturæ piaculum erat: puer nempe sine oculis, sine palpebris, sine superciliis, sine manibus, sine brachiis; peregrinum quiddam, & informe. Ad coxendices præterea caudá piscis agnata visebatur &c.*

Infans cum cauda piscis.

Anno 1497. *in pago Dinkelorff, sexto die Decembris, qui Divo Nicolao Episcopo sacratus est, natus est puellus corpore quidem bene compacto, cui tamen brachia*

 pedes,

pedesque ob Naturæ defectum non conveniebant. Dextra enim manus cùm omnino deesset, eo loco quo pollex esse solet, carnosus tumor instar verticuli aut nucis parvæ eminebat: sinistræ autem manus pars dimidia in tres tantùm digitos, sed planè conjunctos, ut quoque pedes in totidem digitos, desinebant. Educatus autem, non tantùm cibum potumque monstrosis manibus capere, sed numerare pecuniam, subducere rationes, easdemque elegantissimis litterarum characteribus rationum libro adsignare potuit; quemadmodum alia omnia, quæ aliàs manuum auxilio ab hominibus fieri solent. Vivebat adhuc anno 1557. natus tunc annos 60. vividus adhuc, & obeso corpore senex.

Compensatio manuum ac brachiorum in hominibus sine manibus & brachiis.

Anno 1528. *natus est infans qui brachiis in universum careret, reliquâ corporis formâ rectissimè habens. Pedes hujus, cùm ad vigesimum ætatis annum pervenisset, manuum officio fungi vidimus, accipiendo, secando, nec non etiam aleâ & chartis ludendo. Quod & alter quidam ore & mento præstare potuit.*

Anno 1537. *in villa Nepritz, non procul ab oppido Wurtzensi sito ad Muldam, natus est infans sine pedibus.*

Anno 1548. *decimo octavo Calend. Maij, inter sextam & septimam, Assena natus infans diviso in fronte cranio, unico crure, sine labiis, oris loco exiguum habens foramen, reliquo truncatus corpore.*

Anno 1552. *Widensbachi, quod distat milliare unum à Schleusinga, monstrum natum est ex muliere imagine infantis, absque pedibus, quorum loco habuit cuspidem demissam; à femoribus etiam cuspides prominentes habuit. Cujus meminit* Jobus Fincelius *de Miraculis.*

Anno 1556. *mulier Francfordiæ ad Mœnum visa est, quæ manibus omnino carens, arrepto pede calamo, litteras non tantùm elegantissimè pingere, sed trahere colum, nere, numerare pecuniam, ac subtilissima quæq; pedum digitis conficere potuit.*

Pedum mira dexteritas.

Hæc ex Lycosthene. *Schenckius* lib. 5. observat. multa adducit exempla eorum, qui sine brachiis in lucem prodierunt. *Dion* in vita Augusti, inter munera ab Indis Augusto missa numerat adolescentulum sine brachiis, qui pedibus obibat functiones manuum, & arcum intendens sagittas ejaculabatur; quin & tubas inflabat. *Georgius Pictorius* lib. 4. serm. convi. ait, se novisse Hispanum sine brachiis natum, & pedibus admodum celerem, qui nebat, & acu expeditiùs pingebat, quàm mulier citissima ambabus manibus: imò arma bellica ita affabrè pertractabat, ut nullus miles majori agilitate illis uti posset. *Gyraldus* lib. 2. Itiner. testatur, se nosse hominem sine brachiis natum, qui adultus, loco manuum pedibus utebatur, mirâ dexteritate accipiendo, rejiciendo, secando, & ludendo. *Nicolaus Rodreus* narrat lib. de cur. morb. cap. 32. vidisse se mulierem sine brachiis anno Domini 1540. in castro Amandino Allifera, quæ pedibus, vice manuum, cyathum apprehendebat; & more belligerantium, arreptis baculis, tympanum pulsabat. *Pareus* quoque Lutetiæ mulierem

Digitized by Google

rem sine brachiis multa operantem se observasse memorat. *Cardanus* lib. 17. de subtil. testatur, se vidisse quendam ambobus brachiis carentem, qui dextro pede hastam vibrabat, vestem suebat, edebat, scribebat, & in acum filum immittebat. *Scaliger* in Exercit. 334. addit, se hunc eundem virum, Antonium nomine. & Neapoli ortum, vidisse in Allobrogum provincia; eumque, præter operationes à Cardano relatas, clavum in asserem penitus malleo adegisse, ac deinde mirâ celeritate, conversis mallei auriculis, illum extraxisse; multaque alia peragendo, omnibus miraculo fuisse.

Compensationis manuum mira exempla.

Pareus lib. 24. c. 6. testatur, visum fuisse Lutetiæ hominem quadragenariû, quadrato corpore, brachiis carentem, qui omnia munia, quæ manibus perfici solent, feliciter obibat; & inter alia trunco, humeris, capite, & collo adjutus, securim in oppositum palum vibrabat majori ictu, quàm quàm quilibet alius manu id præstaret. Flagellum quoque aurigarum tantâ vi distringebat, ut magnum strepitum, aëre percusso, ederet. Præterea pedibus edebat, bibebat, talis & aleis ludebat. Tandem latro & sicarius deprehensus, ac comprehensus, latâ ultimi supplicii sententiâ, strangulatus, & rotæ impositus fuit.

Jo. Schenckius quoque, sive eundem, sive alium, ejusdem ætatis, & constitutionis corporis, brachiis carentem, qui se Helvetum dicebat, vidit Hagenoæ; ubi præter alia à Pareo narrata, ramum fagi crassitudinis brachii, mento & humeris apprehenso, & evaginato gladio, unico ictu dissecabat. Et simili modo bipennem in designatum locum in tabula parieti adhærente exactè impingebat.

Joannes Georgius Schenckius meminit alterius utroque brachio carentis, qui conspectus fuit Halæ Suevorum anno 1586. & Thomas Schweicken appellabatur. Hic quoque ingeniosissima opera, quæ alii manibus peragunt, pedibus perficiebat. Et Schenckius testatur, se vidisse scripturam pedibus ab hoc homine exaratam, tam eleganter delineatam, emblematibusque variis circa margines exornatam, ut procul dubio peritissimos, qui in civitatibus munus publicum scribendi exercent, potuerit superare. Hunc eundem vidit Comburgi Camerarius pedibus apprehendentem cultrum, ac panem aliosque cibos scindentem, poculum ori admoventem, calamos ad scribendum cultello aptantem, elegantissimè scribentem germanicè ac latinè. Digiti pedum erant ita longi, & ad res apprehendendas idonei, ut procul apparentibus apparerent manus. Jussus quoque fuit exhibere se Cæsari Maximiliano II. cùm Halam ad comitia Spirensia transiret, & Electoribus Palatinatus atque Saxoniæ; qui eum cum admiratione conspexêre.

Aldrovandus testatur, anno 1628. Bononiam transivisse juvenem bra-

brachiis carentem, qui coram populo operationes hactenus enarratas optimè peragebat, & præterea tormentum manuarium dexterrimè explodebat. *Keckermannus* lib. 1. Phys. cap. 4. mentionem facit cujusdam studiosi, qui uno tantùm digito, & quidem minimo, in utraque manu præditus, pedibus sine ullis digitis formam triangularem referentibus. Hic tamen majori robore pollebat unico digito, quàm alius quinque. Eleganter satis, satisque celeriter scribebat; pedibus tam firmus, ut rariùs quàm cæteri in lubricis laberetur locis.

Dexteritas mira hominis carentis brachiis.

Mirandum maximè est, simul ac jucundissimum lectu, exemplum quod oculis suis vidit Ingolstadii Anno 1628. *P. Laurentius Stengelius*, idque refert in lib. de Monstris cap. 16. §. 9. his verbis. *Anno Christi 1628, Ingolstadii, in Collegio Ignatiano, multis Perillustribus, Generosisque Dominis, ac nobilissima Studiosorum corona, præsentibus, sederamus exspectatione novi alicujus spectaculi intenti; cùm ecce mediocris statura vir in conclave ingreditur, magnificis passibus, pallio in humerum contorto involutus; atque ante mensam, theatri loco, appositam, reverentiam spectatoribus exhibet, ignaris quid spectaturi essent. Præmisso hoc cærimoniarum honore, pallium ore mordicùs apprehendit, & à se expeditissimè super mensam projicit. Quo amoto, evolutus ipse adstat statua instar truncatæ, ab humero deorsum planus, tanquam trabs quadam vestibus induta, aut trophæum cui arma appenduntur. Carebat enim ambabus manibus, & utroque brachio erat destitutus. Mox in mensam insiliit, & excussis calceis, paulò plùs quàm primores pedum digitos ostendit; quos habebat haud multò, quàm nos, longiores. Illis tamen omnia faciebat, quæ alii manibus solent. Nam inprimis musicum Organum scitissimè pulsabat; & si, qui folles attollens ponè adstabat, negligentiorem se ostendisset, plano pede alapam illi excussissimam dabat. Tum panem, carnes, aliaque, iisdem pedum digitis cultrum tenens, scindebat. Quin & vitrum levabat uno pede, alteroq; cantharum, sibique ipse infundebat, & nunc vitrum, nunc cantharum ori admotum exhauriebat. Postea & chartis pictis cum socio ludebat, eas miscens, distribuens, tenens, atque in mensam cum sonitu projiciens, non secus atque alius omnibus membris integer homo. Denique calamum arripiebat, pulcherrimos characteres scribebat: quodque magis mirandum, & acum sumebat, quam filo trajiciens, quovis sartore citiùs nebat, & suebat. Itaque quicunque eum videbat operantem, manus dicebat ei, non officia manuum defuisse; aut certè manus ipsas in locum pedum demigrasse.* Hoc Stengelius. Pronum est credere, hunc eundem fuisse cum eo, de quo Aldrovandus.

Olaus Wormius in Museo Wormiano lib. 4. cap. 12. testatur, fuisse Hasniæ Danorum (Coppenhagen vocamus) fœminam quandam Anglam, brachiis destitutam, quæ calamo scriptorio ore apprehenso, se vidente, his litteris nomen suum in charta expressit: ELISABETH SIMSON, Anno 1620. Ore præterea nevisse eleganter, filum linguâ acui intrusisse, aliaque multa ore præstitisse, quæ alii manibus solent. CA-

Fig. XV. Fœtus quater- nis brachijs, et pedibus.



Fig. XVII. Infans aperto ventre.



Fig. XVI. Pusio digitis diminutis.



Hæc figura debet esse inversa ut dextera sint sinistra etc

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De monstris humanis cum brachiis mutilatis, aut transpositis.

§. I. Monstra cum brachiis mutilatis.

Lycosthenes scribit, Anno Mundi 3819. Amiterni puerum tribus quidem pedibus, at unâ tantùm manu fuisse natum. Anno verò Christi 1497. eodem referente, *in pago Dirlüdorff, sexto die Decembris, natus est puer ille, de quo capite praecedenti, cui dextra manus deerat.* Anno 1640. teste *Aldrovando*, vivebat adhuc Bononiæ adolescens annorum sexdecim, Thomas Bug Anellus nomine, cui brachium dexterum in cubito terminabatur, ubi rudimenta quædam digitorum & unguium apparebant. Eodem anno, teste eodem, eodemque in loco, die 28. Junii, uxor cujusdam fabri lignarii enixa est puellum integris omnibus membris, præter sinistrum brachium, quod in cubitum desinebat, ubi similiter rudimenta confusa digitorum & unguium conspiciebantur.

Monstra humana cum brachiis mutilatis.

§. II. Monstra cum brachiis transpositis.

Anno 1514. in Sarzano, qui locus est in agris Rhodiginis, natus est puer ille biceps, de quo suprà c. 2. ex *Cælio Rhodig.* lib. 24. cap. 3. in cujus collimitio humerorum inter utrumque caput surrigebatur tertia manus, aures longitudine non excedens, nec omnino integra. Anno verò 1554. natum est Stetini monstrum illud, de quo cap. 6. ex *Lycosthene*, in cujus loco auriculæ unius stabat brachium unum, alterum verò è latere prominebat.

Monstra humana cum brachiis träspositis.

CAPUT IX.

De monstris humanis cum brachiis multiplicatis.

Hujusmodi multa occurrunt. Nam, ut suprà cap. 2. ex *Lycosthene* retulimus, Anno Christi 1531. in pago Gossavv Helvetiæ, natus est infans ternis brachiis, totidemque pedibus. Et Anno 1536. in agro Tigurino alius priori prorsus similis. *Julius Obsequens* etiam refert, P. Crasso, & M. Juventio Consulibus, fœtum cum tribus brachiis ex muliere natum. Venafri quoque, referente *Lycosthene*, anno Mundi 3870. & *Jacobo Rufo* in Opusc. de concept. & generat. hom. puer cum tribus brachiis, totidemq; manibus est ortus.

Monstra humana cum brachiis multiplicatis.

Anno Mundi 3801. *Lycosthene* referente, *Theatri Sidicini* (Theani volebat dicere) *puer cum quatuor manibus, & totidem pedibus natus* est. Et Anno

Iconis XII Fig. XV.

Digitized by Google

3803. *Cera pueri quadrupedes & quadrumanes nati* sunt. Et Anno 3830, *puer ex ancilla quatuor pedibus, manibus, oculis, auribus, & duplici obscœno natus.*

Anno Christi 1389. eo ipso die, quo pax inter Venetos ac Genuenses firmata fuit, *infans natus est crura brachiaq; quaterna habens, vixitq; quoad fuit ex sacro baptismi fonte sublatus.*

Anno 1413. *puella biceps in Boiaria Aquilonari, inter Danubium atque Alemanum amnes, in Sandersdorff, nono Cal. Apr. nata est in mola pagi, quæ & quaterna brachia, totidemque manus & pedes habuit.*

Anno 1529. *prope Esslingam Neccari monstrum natum est, infans videlicet uno capite, quatuor aures, quatuor brachia, quatuor item crura pedesq; habens.* Anno 1556. *non procul à Lipsia, biceps infans, quatuor manibus, totidemq; pedibus, uno autem corpore, natus est.* Anno 1555. *vigesimâ septimâ die Decembris, qui Divo Stephano sacratus est, in pago Freyvverck, non procul ab Adorffio Voitlandiæ oppido, biceps infans, quatuor manibus, ac pedibus totidem, absq; secreto sexum prodente, (cujus tamen loco umbilicum habebat) à fabri cujusdam ferrarii uxore, natus est.* Eandem historiam retulimus suprà capite 2. §. 1. Eodem anno, teste *Jacobo Rufo* apud Aldrovandum, natus est in Anglia, non procul Oxonio, puellus biceps, cum quatuor brachiis. *Aldrovandus* testatur, intellexisse se à viris fide dignis, Anno 1579. in agro Ferrariensi, die 24. Julii, vespertino crepusculo ingruente, monstrum natum cum quatuor brachiis, habens in singulis manibus sex digitos.

CAPUT X.

De monstris humanis cum manibus vitiatis, aut truncatis, aut cum superfluis digitis.

§. I. Exempla manuum truncatarum.

Monstra humana cum manibus truncatis.

ANno Mundi 3792. ex Lycosthenis computo, natus est Sinuessæ *puer unimanus.* Et anno 3872. Romæ ancilla *puerum unimanum* peperit. *Julius Obsequens* meminit puellæ sine manu, natæ Privini. *Jacobus Rufus* lib. 5. de concept. & generat. hom. cap. 6. testatur, se vidisse infantem manibus mutilatis à nativitate, cùm tamen reliqua corporis forma esset perfecta. *Levinus Lemnius* quoque lib. 4. de occult. Nat. mirac. cap. 7. vidisse se testatur puellam aliam manu truncam, cum quodam tamen tumore, unde manus prodire debebat; & contactu deprehendit, in tumore illo articulos, qui Naturæ munere erant erupturi, convolutos, atque in se retortos, ita ut nonnullum digitorum rudimentum præ se ferrent.

§. II. Ex-

§. II. Exempla manuum multiplicatarum.

SÆpe etiam visa sunt monstra duplicatas manus habentia in utroque brachio; & alia habentia duplicatos digitos, in manibus, aut pedibus, aut utrisque. Puellum geminatis manibus, ac pedum digitis, cæteris membris rectè constitutis, describit *Jacobus Rufus* loc. cit. Bimanorum ac quadrimanorum mentionem quoque fecimus capite præcedenti.

Monstra humana cum manibus multiplicatis.

§. III. Exempla manuum & digitorum vitiatorum.

BOnoniæ anno 1446. die ultima Decembris, horâ noctis octavâ, teste *Aldrovando*, natus est infans imperforatus, cum dentibus, & labiis fissis, sed manibus & pedibus contortis. Monstri distortis manibus ac pedibus meminit *Pareus*. Historiam manus hamatæ, in materna alvo conformatæ occasione gammarorum, narrat *Schenckius* lib. 5. Observ. recognitarum. *Aldrovandus* testatur, anno 1640. mense Maij venisse Bononiam quendam medicum ætatis annorum viginti, natum in agro Ariminensi, nomine Antonium, qui manum alteram valde monstrosam, alteram verò integram ac ritè formatam, ab utero materno retulerat. In monstrosa manu tres tantummodò digiti usque ad secundum articulum, quamvis retorti, & diminuti eruperant, reliqui verò digitorum articuli inter pellem tuberosæ manus simul concreti tactu deprehendebantur. Effigiem vide apud citatum Aldrovandum. Huc spectat quod habet *Lycosthenes* Anno Christi 1274. natum infantem in Germania, prope Laufenburgum oppidum in finibus Helvetiæ ad Rhenum, manibus ac pedibus anserinis, horrendo capite.

Monstra humana cum manibus viciatis.

Puer cum manibus & pedibus anserinis.

Joannes Georgius Schenckius habet iconem monstrosæ manus, quatuor tantùm digitos habentis, cujus pollex inusitatam longitudinem refert. *Aldrovandus* meminit viri sexagenarii, tres tantùm digitos habentis. Alterius item Medicinæ studiosi Bononiæ anno 1614. quatuor tantùm digitos, eosque malè formatos & contortos in utraque manu habentis. *Pareus* lib. 24. c. 5. ait, se vidisse Parisiis An. 1573. puerum, in pago Parpanillæ natũ ex patre Renando, & matre Margaretha, cui duo tantùm digiti in sinistra manu erant, brachio usq; ad cubitũ rectè, inde verò usq; ad digitos invenustè formato. Deinde cruribus carebat, & à nate sinistra figura pedis imperfecta, quatuor tantùm digitis distincta, proferebatur, & ex medio dextræ natis duo digiti erumpebant, quorum unus genitali virili erat admodum similis. En effigiem!

Iconis. XII Fig. XVI.

§. IV. Exempla digitorum superfluorum.

ALdrovandus ait, vidisse se Bononiæ hominem infimæ sortis, senis digitis in utraque manu; & sextum quidem locatum fuisse inter annularem

Monstra humana

cum digitis superfluis.

larem & auricularem, mobilem tamẽ, & ad usum; Et manum fuisse insignis latitudinis. *Paulus Ægineta* apud eundem scribit, hujusmodi digitos superfluos quandoque totos carnosos, & malè formatos, aliquando etiam immobiles fuisse. *Hali Rodoham* apud eundem ait in Comment. ad artem medic. Galeni, se multoties sextum in aliquibus digitum additum vidisse. Certè *Plinio* teste lib. 11. cap. 43. sex digiti erant in manibus filiarum M. Coriacii; qua de causa & sedigitæ appellabantur. Eadem de causa Poëtam celeberrimum Volcatium appellant sedigitum. *Schenckius* Observ. 32. meminit honestæ matronæ senos in utraque manu & pede digitos habentis; quæ et filiam sedigitam peperit. *Lycosthenes* anno Christi 1556. refert, se vidisse Basileæ Rauracorum agricolam, in utraque manu sex digitos justæ magnitudinis ac aptæ proportionis habentem. *Valeriola* apud Aldrovandum testatur, se adolescentem annorum quindecim Arelatæ cognovisse Anno 1561. qui utramque manum senis, & utrumque pedem septenis digitis deformem habebat. *Schenckius* novit juvenem, qui indicem manus sinistræ in tres acies distinctum habebat, quæ tres digitos affabrè repræsentabant.

Digitorum sex, aut plurium, exempla.

CAPUT XI.

De monstris humanis cum prava ventris, & genitalium constitutione.

Monstra humana cum prava ventris constitutione Icon. XII. Fig. XVII.

ANno Mundi 3858. *Lycosthene* teste, Nursiæ gemini ex muliere ingenua nati: puella integris omnibus membris; puer à parte priore alvo apertâ, ita ut nudum intestinum conspiceretur. Idem posteriore natura solidus erat. Anno Christi 1547. eodem *Lycosthene* teste, *in Ploa Voitlandiæ oppido infans natus est monstrosus: in eo enim neque dorsum, neque venter apparuit; præterquàm quòd intestina circa pectus ex aperto corpore longè dependerent; pedes versus caput inclinavit; umbilicum in mola sinistra tibia habuit; capite fuit acuminato ad similitudinem cidaris aut tiaræ.* En figuram. Huic non multum absimile fuit monstrum illud bifrons instar Jani, de quo suprà cap. 6. natum Genevæ ex muliere Galla, ex cujus dorso intestina prodibant, & circa partem inferiorem ventris jecur pendebat.

Puer foramen in ventre habens à nativitate.

Anno 1606. *Joannes Georgius Schenckius*, Hagenoënsis Poliater, observavit Hagenoæ in Alsatia cadaver infantis primo statim die mortui, qui à prima in utero materno conformatione, umbilico tenus foramen rotundum, ac patulum, ad intima ventris viscera, apertâ via, penetrans, quasi pugione confossum habebat; per quod & alimenta, & excrementa statim effluxerant. Cadavere aperto, cæteris partibus integris, corpus vesicâ destitutum, & anus imperforatus fuit inventus. Causam monstri formati in utero indagans, deprehendit, prægnantem fœminam à marito territam

Digitized by Google

ritam stricto gladio fugisse, & ad evitandum ejus impetum abscondisse se in angulum domus: hæc enim corporis in angulo contractio & compressio videtur occasionem præbuisse defectui vesicæ, & imperforationi; timor verò gladii foramen velut notam ensis in ventre.

Bononiæ visus fuit peregrinus triginta annorum Anno 1640. Mense Martio, teste Aldrovando, miræ ventris deformationis; & cùm in Xenodochio D. Francisci fuisset receptus, fuit à multis doctissimis Medicis ac Philosophis eò vocatis inspectus, & contrectatus; deprehensumque, omnia in illo reperiri, quæ in litteris patentibus Doctorum Medicorum universitatis Aquensis, quas ostendebat, enarrabantur. Litteræ erant sequentis tenoris. *Nos percelebris Universitatis Aquensis Doctores Medici, & Professores Regii, singulis, ad quos hæ nostræ pervenerint inscriptiones, fidem facimus, nobis obvium Stephanum Veanneis, Diœcesis Bituricensis, accuratâ mentis & oculorum acie lubenter in schola medica lustrasse, cujus ventris, & obscœnarum maximè partium monstrosa planè extat conformatio: siquidem, præterquàm quòd nullis est interstincta umbilici rugis totius abdominis protensa moles, in extrema imi ventris parte non deligati, sed velut cicatrice obducti umbilici vestigium cernitur, tanquam ossi pubis adhærens è regione vesicæ; & ventri infixa conspicitur caro fungosa, exquisitioris tamen sensus, saturatæ rubedinis, cæcis spiraculis pervia, per quæ continuò, & sensim sine sensu stillat indesinenter urina; quæ num à prominente, & extra abdomen protrusa carnosiore cervice vesicæ, aut ejusdem musculi janitoris vicem gerente oriatur, vel formatricis errore, & seminalis materiæ agitatione ex inversis & in orbem flexis cavis illis mentulam efficientibus corporibus, & ad glandem mox coëuntibus promanet, ut solidus existat adnatus fungus, stabilire est difficillimum. Verùm desuper carni huic irriguæ, grandioris nucis magnitudinem vix excedenti, succedit altera subterlocata, nentiquam perforata, speciem glandis referens; quæ digitis pressa indolet, nec spiritibus impletur, nec distenditur, nec rubet, sed flaccida, corrupta, & pallida visitur. Præputium vinculo alligatum subtus demittitur: ad latera versus inguina non forâs obducti, neque penduli, sed intra, & satis profundè latentes utrimque tractantur testes orbicularis, & paulò oblongioris figuræ, vaginâ & involucro solâ lineâ discreta in scroti locum contecti. Ex quibus nostram inde mentem promimus, prædictum Stephanum, licèt ab ortu ad annum usque decimum octavum, ex ipsius relatione, fœminei sexus fuerit creditus, virum tamen revera existere, quoniam viriles intus & extrà, licèt malignâ conformatione præditas, sortiatur partes.* Hactenus Medici Aquenses apud Aldrovandum; qui addit, eundem se etiam imperforatum simulasse, quia foramen podicis non in loco consueto, sed in perinæo versus sedem genitalium occultabatur.

CAPUT XII.

De monstris humanis sine cruribus, aut pedibus.

Monstra humana sine cruribus, aut pedibus.

VT, in brachiis ac manibus, ita in pedibus ac cruribus fœtuũ humanorum conformandis in utero, quandoque aut nimis parca est, aut nimis liberalis Natura. Nam ut omittam infantem illum, qui tempore Mauritii Imperatoris Anno Christi 601. ex *Lycosthenis* calculo, natus, desinebat in caudam piscis; & alterius, qui teste *Nicolao Rocheo* apud Aldrovandum, Anno Domini 1541, die 8. Febr. in castro D. Amandi Alliferi in solo Borbonico natus, à capite ad umbilicum usque imaginem hominis referebat, & deinceps loco crurum ac pedum in caudam Sirenum desinebat; *Haly Rodoham* in comment. ad Artem Medic. Galeni testatur, vidisse se hominem sine pedibus.

Puer in caudam piscis desinens. Puer in caudam Sirenum desinens.

Et Anno Mundi 3772. in Piceno natus est infans absque manibus & pedibus, teste *Lycosthene.* Anno verò Christi 1537. ut suprà etiam retulimus *in villa Nepritz, non procul ab oppido Wurtzensi sita ad Moldam, natus est infans sine pedibus.* Et anno 1548. *decimo octavo Cal. Maij, Mysena natus est infans diviso in fronte cranio, unico crure, sine labiis &c.* Anno 1552. *VVidensbachi, quod distat milliare unum à Schleusinga, monstrum natum est ex muliere imagine infantis absque pedibus, quorum loco habuit cuspidem demissam; à fœmoribus etiam cuspides prominentes habuit.* Hæc omnia ex Lycosthene.

Huic ultimo non multùm dissimile monstrum addit Aldrovandus, *quod uxor figuli peperit anno salutis suprà sesquimillesimum quinquagesimo sexto. Hoc à vertice ad hypochondria figuram humanam repræsentabat, ore tamen prominente, & facie torvâ: ab umbilico autem, relictâ hominis figurâ, in formam pyramidalem terminabatur, referens in cuspide similitudinem caudæ suis inflexæ: Præterea circa spinam dorsi, umbilici effigies alia conspiciebatur, & nullum prorsus sexum exhibebat.* Idem *Aldrovandus* testatur, Bononiam vidisse, & admiratam fuisse anno 1594. Gallam quandam nomine Catharinam Mazzinam, natam in urbe Bison territorii Avenionensis, venustæ formæ, & altitudinis trium dodrantum, palmo ampliùs, sed tamen cruribus, consequenterque pedibus carentem. Addit brachia fuisse perfectè constituta, pectore & trunco longiora; partem verò corporis inferiorem quodammodò bifidam apparuisse, imum lyræ æmulantem. Loquebatur, canebat, citharam pulsabat, tripudiabat manibus, & ad concentum lyræ gestus imperfecti corporis ita componebat, ut pedibus saltare videretur. Erat insuper androgyna, prævalente tamen fœmineo sexu.

Puer in pyramidem desinens.

Androgyna sine cruribus saltans.

Similia monstra occurrunt etiam inter bruta: nati enim non rarò sunt vituli, canes, equi, boves, oves &c. bipedes, aut tripedes, quorum exempla invenies apud Lycosthenem, Aldrovandum, & alios.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De monstris humanis tripedibus & quadrupedibus.

Monstra humana cum tribus aut quatuor pedibus.

HUjus rei nonnulla exempla retulimus in cap. 11. præcedenti, ubi de monstris humanis plura brachia habentibus egimus. Præter quæ, *Julius Obsequens* narrat, olim P. Africano, & Lælio Consulibus, Amiterni natum esse puerum cum tribus pedibus, & unico brachio: & alium ibidem cum tribus pedibus, sed reliquis corporis partibus rectè constitutis, Appio Claudio, & P. Metello Consulibus. Meminit quoque *Lycosthenes* puellæ cum quatuor pedibus, natæ anno ante Christi nativitatem 131. Romæ. Omitto alia exempla.

In belluis quoque subinde pedes multiplicati conspiciuntur; nam visus est aliquando equus cum quinque pedibus, alius cum octo: item vitulus cum sex pedibus, & alius cum septem, & vacca cum octo. Similia monstra reperta sunt inter canes, porcos, feles. Exempla vide apud Lycosthenem & Aldrovandum. Taceo aves polypedes, quarum multa exempla iidem subministrant.

CAPUT XIV.

De monstris humanis ac belluinis maligna pedum constitutione.

Monstra malignæ constitutionis pedum.

PRomiscuè dabo exempla hominum ac belluarum, habentium malignam, ac subinde admodum horrendam pedum constitutionem. Igitur teste *Lycosthene*, Anno Mundi 3803. *Caræporcus humanis manibus & pedibus natus* est. Et anno 3860. circiter, *in Lucania duo agni equinis pedibus.* Et anno 3905. *C. Julius Cæsar cum Lusitaniæ præesset, equus insignis fissis unguibus anteriorum pedum, & propemodum digitorum humanorum, natus est, ferox admodum atque elatus.*

Puer semicanis natus Romæ.

Anno verò Christi 1274. ut suprà etiam retuli, *in Germania prope Lauffenburgum, oppidum in finibus Helvetiorum ad Rhenum fluvium situm, natus est infans manibus ac pedibus anserinis.* Et anno 1493. Romæ *puella Virgo filium semicanem peperit*, parte nimirum superiore hominis, inferiore canis cum cauda speciem referentem. Et anno 1496. in pago quodam Episcopatus Argentinensis, cui Sugenheim nomen, *porcus sex pedibus, anserinis ferè similibus natus est.* An. 1554. Basileæ cattus Lycostheni domesticus, cùm quatuor uno partu catulos edidisset, inventus est unus *pedibus horrendis, & quasi in spiram variis reflexibus conversis.* Anno eodem, in villa Pomeraniæ Rekonn, natus est pullus equinus ille, de quò suprà, cujus pes unus anterior

rior erat humanus, alter nullus. Sic etiam, ut *Volaterranus* ſcribit, & refert *Cardanus* lib. 14. de Variet. rer. cap. 77. & ex ipſo *Lycoſthenes* loc. cit. natus aliquando ex cane & muliere dicitur infans formâ humanâ in ſuperiori parte, inferiori verò caninâ; atque expiationis causâ ad Pontificem delatus. Hoc tamen monſtrum nequaquam fuit humanum, ut conſtat ex dictis lib. præced. cap. 5. & fortaſſis illud idem eſt de quo paulò antè.

Refert *S. Auguſtinus* lib. 16. de civit. Dei cap. 8. apud Hipponem Africæ natos olim homines lunatis pedum plantis, cum duobus digitis in utroque pede. *Schenckius* ſcribit, anno 1597. natum eſſe Coloniæ in Germania infantem, qui bene compacta habebat corporis membra, niſi quod femora pedesq; ab imo ventre usque ad extremitatem pedum coaluerant, digitis pedis ſiniſtri omnino deficientibus, quorum loco regioni calcis ejusdem pedis ſiniſtri maſſa quædam carnis adhærebat. Huc ſpectat, quod multi ſcribunt de antiquiſſimo Mari in Italia, qui supernâ corporis parte hominis, infernâ equi ſpeciem retuliſſe perhibetur. *Magius* in Miſcellaneis tradit, anno 1545. Avenione natum ex muliere fœtum partibus ſupernis humanis, & infernis caninis; & ob id matrem cum fœtu juſſu Franciſci Galliarum Regis crematam. Hiſtoriam pueri nati cum pedibus anſerinis, retulimus capite præcedenti.

Jacobus Rufus narrat lib. 5. de concept. hum. cap. 3. equam in Gallia à cervo ſubactam, enixam eſſe pullum poſterioribus cruribus & pedibus cervinis; & aliam apud Helvetios à tauro compreſſam, peperiſſe fœtum pedibus equinis, reliquo corpore tauro non abſimili. Romæ cùm eſſem anno 1654. vidi mirabile monſtrum vitulino ferè corpore, & pedibus cervinis, ortum Græcii in Germania è vacca; quod circumforaneus quidam magno pretio comparatum circumferebat per diverſas Europæ regiones, & lucri gratiâ oſtendebat. Anno 1629. in Patavina ditione, referente *Liceto*, viſus eſt cattus cum humanis cruribus, quæ animal parti poſticæ adhærentia trahebat; quod monſtrum uxor cujusdam bubulci poſt partum puelli optimè conſtituti enixa fuerat. Omitto alia exempla.

CAPUT XV.

De monſtris humanis ratione cutis variè affecta.

Monſtra humana cum cute variè affecta.

Aliquando ex parentibus albis naſcuntur proles cum cute nigra inſtar æthiopum, qualis fuit, quam princeps quædam mulier alba ex marito albo ſuſcepit, teſte Hippocrate. Aliquando è contrario ex nigris parentibus albæ naſcuntur proles, qualis fuit filia Perſinæ Æthiopiæ reginæ, quam ex Hiduſte marito pariter Æthiope ſuſcepit, teſte Heliodoro.

Piloſi homines.

Non rarò viſi ſunt homines piloſi, quorum nonnulla exempla retulimus

limus libro 3.præced.cap.11. Horum è numero fuit etiam Esau, *Genes. cap. 27.* & puella quædam oblongis villis toto corpore tecta in oppido Petra Sancta agri Pisani, ex muliere glabra genita, teste *Majolo* in colloquiis. *In Martini IV. Papæ Pontificatu* (inquit Lycosthenes anno Christi 1282.) *ex illustri quadam fœmina, Pontificis necessaria, natus est puer villosus, & in speciem ursi ungulis armatus. Quo monstrifico partu permotus Pontifex, omnes ursorum imagines, quæ fortè in ejus domo fuerunt, jussit deleri; manifesto argumento, receptæ ab ea imaginationis in conceptu.* Apud citatum Lycosthenem anno 1549. *simiarum aspectu & ursinis obsitos villis toto dorso, partus se vidisse* Peucerus *testatur. Præterea* Realdus Columbus *lib. 13. de re Anatom. cap. 2. fatetur, se vidisse quendam Hispanum pilis oblongis obsitum in omni corporis parte, præterquàm in manibus, & in facie.* Scaliger *Exercit. 114. mentionem facit Hispani pueri, quem ex India advectum alii, alii parentibus Indicis in Hispania natum putabant. Is candidis pilis totus tectus fuit. Idcirco Barbet à Gallis dictus; quo nomine villosum vocant canem, quem Flandri Watterkund.* Henricus Galliarum Rex, auctore *Boscio* apud Aldrovandum, Lutetiæ Parisiorum curavit instrui litteris humanioribus adolescentem non minùs cane villosum.

Sæpe etiam nascuntur proles cum variis cutis appendicibus, aut eminentiis. Sic *Levino Lemnio* teste nati sunt infantes cum vitta quadam membranacea cucullum Monachorum referente. Anno 1555. *Bremopyrgi Marchia urbe, annotante* Lycosthene ex Fincelio, *infans natus est ita in corpore circumflua & laxa carnis mole, ut indutus sago militari Germanico crederetur.*

Infans cū cute circumflua natus.

Alii cum aliis appendicibus aut eminentiis carneis nascuntur subinde. Nam *Schenckius* meminit infantis venusti & elegantis, qui supra podicem adnatam habebat appendicem instar farciminis. Idem memorat, pusionem natum Coloniæ anno 1597. aspectu pulcherrimum, nisi quòd in cervice duas continuas appendices carnis, instar duorum ovorum, ex utero matris retulerat. *Pareo* teste, apud Subalpinos in Quiero oppido, duobus milliaribus distante à Taurino, anno 1578. die 17. Januarii, honesta mulier edidit fœtum cum quinque cornibus arietinis; qui præterea à summa fronte ad occiput, & totum ferè dorsum, oblongam carnis appendicem, capitium muliebre æmulantem gestabat: deinde circa collum alia substantia carnosa tanquam collare subuculæ volvebatur; præterquàm quòd digiti manuum erant unci, & poplites à genibus occupabantur, crus cum pede dextro rubescebat, cùm reliquum corpus colore bætico esset. Infantis in lucem editi Stetini anno 1554. habentis in vertice massam carnis, quæ testudinem referebat, & in cervice caudam carnosam albescentem, sed instar muris, meminimus suprà cap. 6.

Homines cum variis appendicibus carneis nati.

Infans cum quinque cornibus arietinis.

Anno 1592. visus fuit Bononiæ ab Aldrovando homuncio quidam Indicus staturâ senum dodrantum, qui inter os & aurem dexteram habe-

Digitized by Google

bat propendentem ad pectus duplicem carnosam molem, quarum or proximior erat alterâ brevior,& auri adhærebat. Similis caro laxa in humerum devolvebatur, & villis quibusdam erat tecta,sicuti & aliæ. Sub mento,& circa initium thoracis alia maxima moles carnosa, & primò humerum tegens deorsum pendebat per totum ferè ventrem extensa; deinde à mamilla ad axillam dilatabatur. Crassitudo molis carneæ erat semidigiti,manibusque sursum attolli poterat, quia cuti non nisi in exortu suo adhærebat.

Infans armati specie natus.

Anno 1638. Aldrovando teste, Olyssipone ex parentibus honestis natus est infans armati similitudinem referens: nam variæ carnis & cutis appendices ac figuræ,habitum illum repræsentabant. Ex eadem materia & galeatus,& ocreatus erat.Omitto alia exempla, quæ apud Aldrovandum & alios reperies.

CAPUT XVI.

De humanis & belluinis fœtibus cum cute vulnerata, aut discissa.

Monstra cum cute discissa.

ANno Christi 1556. *Lycosthene* teste, *Basilea circa Paschatis festum infans adeò scissis ac apertis naribus natus est,ut inde ejus cerebrum facillimè sit conspectum.* Anno verò 1557.ibidem,eodẽ teste, *masculus natus est, corpore satis quidem bene compacto,sed sine collo,monstrosà planè facie, oculis insolitæ magnitudinis quasi in fronte sitis, ac superior capitis pars omnino deerat* (ut suprà etiam retuli cap.6.) *in occipitio autem habebat foramen justæ magnitudinis,ex quo sanguis aliquantulùm fluebat: unde statim postquàm in lucem editus est, diem suum obiit.* Anno 1606. natus est infans ille,de quo ex Schenckio diximus,habuisse supra umbilicum foramen patulum & rotundum, ad intimas ventris partes penetrans,quasi pugione factum. Pusionis nati Venetiis ore plurifariam scisso,mentionem fecimus suprà ex Lycosthene. Alterius anno 1548.nati Mysenæ,diviso in fronte cranio,meminimus capite 7. ex eodem. Historiam monstri bifrontis, cujus intestina è dorso tanquam ex vulnere prodibant,invenies in cap.6. Infantis verò historiam cum ventre adeò aperto, ut omnia viscera apparerent, nati Ploæ in Voitlandia, habes cap.11.

Anno 1545. *in Saxonia,mense Februario, infans natus est horrendo aspectu, corpore quidem integro & bene compacto,sed contusis,laceratis, atq; laxatis membris omnibus,excepto capite oblongo,ac quasi Turcico pileo insignito*, ut Lycosthenes refert dicto anno,& nos suprà ex ipso.

Equus cum cute lacerata natus. Iconis. XIII.Fig. XVIII.

A.1555.ut ex *Fincelio* refert citatus autor,*in Marchiâ non procul à Regiomonte,monstrosus equus natus est,undiq; laceratâ cute, caligis dependentibus, & thorace scisso indutus*,uti in apposita figura apparet. Ridiculus sanè habitus, & magnum Naturæ prodigium,si vera est historia.

CAPUT



Fig XVIII Equus cute lacerâ.



Fig XIX. Monstrum bicorpor unico capite valde monstroso.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De monstroso fœtu lapidoso.

Lapidosus fœtus.

JOannes Georgius Schenckius mirabilem narrat historiam, quæ Angendici Senonum accidit, de fœtu lapidoso è matris utero præ doloribus extinctæ exsecto, in hunc sensum. Mulier Senonensis nomine Columba Chatry, Ludovico homuncioni, quadrato tamen, & bene constituto sartori, nupserat. Hæc multis annis postquàm nupsisset, cùm nunquam antea uterum gestasset, certissima habuit inchoati fœtus indicia. Nam quæ statis periodis erumpere solebant purgamenta, statim suppressa sunt; Picâ primis mensibus laboravit; tempestivum fœtus motum, & frequentem sensit; tumorem lumborum, & mammarum incurrit; & tandem lapso gestationis uteri curriculo, graves puerperii dolores sentire cœpit, suppressâ aliquot diebus urinâ; quę tandem magnâ vi erupit, profuso etiam illo liquore, qui parituras præcedere solet; mammæ conciderunt, motus infantis cessavit, & dolores facti sunt mitiores. Quibus omnibus attonitæ fuerunt obstetrices, quæ certissimum puerperium exspectabant. Patiens ludibrio hujus fœturæ oppressa, triennium decubuit, assiduè conquerens de tumore, de duritie, & de torminibus alvi; nec non de gravi pondere, quod ob varium motum modò in hanc, modò in illam partem incumbebat. Postquàm defuncta fuit, accersiti Medici & Chirurgi, aperto mulieris abdomine, Scirrhosum tumorem invenire putabant: Sed novaculâ secando, portentosam & gypseam molem invenêre; siquidem fœtus, quem utero gestaverat, in lapidem conversus fuerat.

Situs hujus fœtus lapidei in utero, erat penè sphæricus, facie ad thoracem fixâ, sublatis ad nates genibus, quæ ideo patulæ, retusæ, & resimæ conspectę sunt. Ossa capitis tenuia, & firma, nec non instar cornu nitentia; cutis capitis multis in locis pilosa; caput in sinistrum brachium ita procumbebat, ut à protuberante humero auris & os occipitis impellerentur, quia ea in parte cavata cernebantur. Cubitus ad summum humerum reflectebatur, porrectâ solâ manu, quæ in pugnam erat contracta; & summi digiti ita palmæ adhærebant, ut licèt apparerent inter se distincti, nihilominùs in unum & idem lapideum corpus concreverint. Dextrû brachium ad umbilicum extendebat manum: femur, genu, tibia sinistra, dextris incumbebant; quibus tamen ita erant implicita, ut indissolubili nexu colligarentur. Utrumque crùs in ventrem & pectus reflectebantur, & certissimam fœminei sexus notam tegebant. Tibia utraque ad nates intorquebatur, pedibus & pedum digitis inter se compactis, & lapidefactis. Diceres, sculptorem aut cælatorem ex marmorę absolutissimam

Digitized by Google

fœtus iconem expressisse. Præterea partes internæ, ut cor, hepar, & viscera omnia, uti & cerebrum, erant naturaliter constituta; præterquàm quòd nimiam duritiem erant adepta, minorem tamen quàm externa. Dum hæc Schenckius scribebat; corpusculum à putredine & teredine adhuc intactum servabatur.

Causa hujus lapidescentis fœtus fuit eadem, quæ lapillorum subinde in humano corpore crescentium. Hæc autem duplex est, nimirum materia crassa & densa, & præterea calor aut frigiditas excedens: tam enim calor, quàm frigiditas dissolvit partes tenuiores, & crassiores cogit in duritiem. Quia igitur materia generationi destinata in hoc casu nostro fuit crassa, viscida, ac terrestris, & uteri intemperies justo vel calidior, vel frigidior, partes tenuiores dissipavit; ideò reliquæ crassiores in dictam lapidosam massam coaluerunt.

CAPUT XVIII.

De monstris humanis infernè bicorporibus, supernè simplicibus.

Monstra humana infernè bicorpora, supernè simplicia.

VAria occurrunt humana monstra bicorpora: aliqua enim sunt in superiori parte simplicia, in inferiori duplicia; alia è contrario in superiori duplicia, simplicia inferiori; alia adglutinata sibi habent aliud corpus humanum, idq; variis modis. Omnium exempla afferemus; ac primò priorum.

Anno igitur Christi 1472. *Lycosthene* narrante, *Bernæ in Italia puella nata est uno capite, duabus posterioribus corporis partibus, totidemque pudendis*. Apud Aldrovandum *Petrus Aponensis* in comment. ad Probl. Arist. meminit monstri in Italia observati, fœminei sexus, quod à vertice ad cavitatem ventris usque erat unicum & continuum, deinceps verò geminatum. *Valeriola* quoque lib. 1. Locor. comm. cap. 18. apud eundem Aldrov. refert, monstrum quoddam Avenione conspectum infra cervicem bicorpor. *Imperatus* præterea apud citatum Aldrov. testatur, natum esse Neapoli monstrum ex meretrice morbo Indico laborante, quod duo corpora unico tantùm capite habebat; caput autem fuisse maximum, & una parte effigiem vultus, alterâ unicam aurem exhibuisse; & cadavere dissecto, duo corda cum unico ventriculo reperta fuisse. Anno 1547. *Lovanii septimo Idus Aprilis gemelli nati, distinctis corporibus uni adhærentibus capiti*, ut refert Lycosthenes ex Peucero.

Monstrum humanum mirabile.

Anno 1569. *Aldrovando* referente, natus est fœtus ex quadam muliere Turonensi, quæ peperit duos gemellos mutuò se complectentes unico capite. Et anno 1579. in Insula obscuri lacus ditionis Ferrariensis, natum est mon-

monstrum unico capite, duplici linguâ, unico collo, & reliquo corpore geminato, fœminei sexus. Anno 1590. mense Octob. in pago Piceni, diœcesis Asinensis, ex agricolis conjugibus, *Aldrovando* referente, natum est tale monstrum. *Caput ei erat unicum magnum, oculis prominentibus instar oculorum bufonis, naribus sursum repandis, ore patulo, & ad aures usque diducto, more ranarum; fibris carnosis instar capillamentorum ex mento pendulis, crispis, & infernè sursum nonnihil contortis, ideoque appendices carnosæ barbam Satyrorum quodammodo æmulabantur. Et unicus thorax, venter, & umbilicus erat, sed brachia quaterna, & crura totidem habebat, nec non mammas tumentes; Brachia postica erant adeò brevia, ut eorum digiti cubitos brachiorum anteriorum vix attingerent. Cætera membra inferiora cùm essent duplicata, sibi invicem per diametrum erant opposita: quocirca nates, & podices ad latera monstri erant locati, distincto sexu fœmineo, ita ut fœmina duplex ab hoc monstro repræsentaretur: nam partes ab umbilico inferiores ita à natura erant optimè conformatæ, ut admirationem intuentibus afferrent. In cadavere dissecto, viscera geminata, præter cor, fuerunt inventa.* En iconem monstri.

Iconis. XIII. Fig. XIX.

CAPUT XIX.

De monstris humanis supernè bicorporibus, infernè simplicibus.

S. *Augustinus* lib. 16. de Civit. cap. 8. refert, puerum umbilico tenus simplicem infernè, partibus superioribus geminatis, nempe quatuor brachiis, totidemque manibus, & duobus capitibus, natum in oppido Emaus, imperante Theodosio. *Paulus Diaconus* scribit, post obitum Theodosii similem partum infernè umbilico tenus simplicem ac perfectum, & deinceps in parte suprema geminatum, fuisse natum; additque, altero capite dormiente alterum vigilasse, & vicissim; aliasque plerumque contrarias operationes utrumque peregisse. *Albertus Magnus* lib. 2. Physic. meminit cujusdam monstri bicorporis modo prædicto. Et *Cardanus* in comment. ad Hippocrat. refert, monstrum in Ægypto ad quartum usque annum vixisse, quod à capite umbilico tenus erat geminatum, cùm partes inferiores unum tantùm puellum repræsentarent.

Monstra humana supernè bicorpora, infernè simplicia.

Georgius Buchananus lib. 13. Histor. Scot. apud Camerarium refert, natum aliquando in Scotia monstrum, quod infra umbilicum speciem maris referens, à communi hominum effigie non discrepabat, sed supra umbilicum membra omnia erant geminata. In quo illud mirabile erat, quod duo capita sæpe rixabantur inter se: & partibus inferioribus læsis, utrumque corpus dolore afficiebatur; læsâ verò unâ superiorum partium, sensus doloris alteri corpori non communicabatur;

Puer supernè geminatus.

quod manifestum signum erat, partes supremas monstri fuisse inter se distinctas, atque disjunctas, infernas verò utrique corpori superiori communes. Monstrum hoc Rex Scotiæ educandum,& erudiendum in variis idiomatibus,ac potissimùm in musica curavit, in qua miros fecit progressus,& maximâ omnium admiratione modulatè canebat. Vixit ad annum vigesimum octavum.

Puella supernè geminata.

Lycosthenes scribit,anno Christi 1044.Henrici Imperatoris III. quinto, in confinio Nortmanniæ & Britanniæ, monstrum tale fuisse in una,vel potiùs duabus fœminis visum.*Duo erant capita, & quatuor brachia,cætera gemina usque ad umbilicum,inferiùs singula omnia. Comedebat, ridebat,loquebatur: una flebat,esuriebat;altera tacebat: ore gemino manducabatur,sed uno meatu per ventrem ejiciebat: unâ defunctâ supervixit altera penè triennio, mortuam portans,donec & pondere molis,& nidore cadaveris defecit.* Iterum anno 1112. *in Anglia natus est puer geminus, à clune ad superiores partes ita divisus, ut duo haberet capita, duo corpora integra ad renes cum suis brachiis; qui baptizatus triduo supervixit.*

Præterea anno 1234.referente Aldrovando,*in montosis Bononiæ locis ex muliere monstrum non absimile* præcedenti *ad vitales auras egressum est, cujus pars superior duos infantes, & inferior unum solum referebat; sed horum fœtuum unus primâ die obiit,& alter sequenti die interiit.*

Eodem referente,anno 1293.*sub finem Imperii Græcorum, Andronico ultimo imperante, monstrosus puer natus est Bizantii, à pedibus usque ad umbilicum continuus,inde verò separatus,ut duo capita, duo pectora,consequēterq́; duplicem dorsi spinam haberet,cum quatuor brachiis; sed post primum ab ortu diem exspiravit.*

Insuper anno 1310.*Lycosthene* referente,*in agro Florentino puer natus bicorpore effigie,geminis capitibus,circa genitales partes connexus, sic ut non nisi in geminos pedes desineret.Et hic quidem partus diebus,ut perhibent, paucis vixit.* Hujus monstri meminit etiam Petracha in Opere de rebus memorandis; & effigies ejus depicta est Florentiæ in pariete quodam hospitalis ad scalas.

Iterum anno 1494.eodem Lycosthene narrante, *in oppido Germanico Rotvvil, ad Herciniam sylvam sito, infans duobus capitibus, quatuor manibus, duobus pedibus natus est.*Et anno 1498.ut idem refert, *in ditione Werdenberga monstrum fœminei sexus natum est,capitibus duobus,brachiis quatuor, pectore & ventre uno,pedibus duobus.* Præterea anno 1543. *in pago Rinack, non procul à Basilea Rauracorum,mulier geminos edidit concretis corporibus duobus supra umbilicum,quatuor brachiis,tamen à lumbis deinde in duos pedes tantùm desinebant.* Omitto alia exempla. Nonnulla ex his relatis attulimus etiam suprà cap. 2.ubi de monstris bicipitibus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XX.

De monstris humanis bicorporibus secundùm latitudinem conjunctis.

Monstra humana bicorpora secundùm latitudinē conjuncta.

MUlta ex monstris bicorporibus hactenus relatis conjuncta sunt secundùm latitudinem: nunc alia ejusdem generis dabimus; quæ quidem conjuncta erunt variis modis, nimirum , vel juxta partem anteriorem, vel posteriorem, vel lateralem.

Itaq; anno Mundi 3871. ex *Lycosthenis* ratiocinio, *Vulginiis puella biceps, quadripes, quadrimana, geminâ fœmineâ naturâ, mortua nata.* Quâ autem parte fuerint hæc duo corpora conjuncta, antè, retrò, in latere, è diametro; non explicatur. Anno 1063. *Constantiæ ad lacum Acronium, duo infantes, masculus ac fœmella, duobus capitibus, quatuor brachiis, totidemq; pedibus, membris omnibus absolutis, sed circa umbilicum conjunctis corporibus, nati sunt.* Iterum an. 1316. *in pago vallis superioris Arni nomine Tertanio, monstrũ est natũ habens duos pueros uno umbilico ad invicem junctos, cui ab uno latere & genitalia erant membra, & bina quoq; pendebant invalida crura; ab altero verò latere crus solũ exibat imperfectum, vixitq; diem unum.* An. 1493. *Romæ gemini nati, simulq; uno corpore conjuncti adversis inter se manibus ac facie,* ita ut dorsum dorso adhæreret. Vixerunt dies pauculos. Item an. 1494. *Berheldia in ditione Principis Serenissimi Palatini Electoris, in villa non procul ab Heydelberga, decimo quarto Cal. Jan. nati sunt gemini pectoribus sibi affixis, unico umbilici dependentis vinculo constricti.* A. 1495. *prope Wormaciam, ad dextram Rheni partem in villa Burstad, quæ sita est inter Wormaciam & Bensheim, mulier quædam monstrum enixa est, quarto Idus Septembris. Erat duæ puellæ corporibus integra, sed in vertice fronte tenus connexa inseparabiliter, & se mutuo inspicientes.* Münsterus in sua Cosmographia testatur, se has vidisse Moguntiæ annorũ circiter sex. Cogebantur simul incedere, simul dormire, & surgere. Nasi utriusq; sese ferè contingebant; oculi verò non in directum, sed in latera tantùm torqueri poterant, quia paululùm supra oculos cohærebant frontes. Vixerunt usq; ad annum decimum; & cùm tunc una moreretur, illaq; à superstite viva resecaretur, mortua quoque fuit, seu ex accepto in capite vulnere, seu potiùs ex vulneris fœtore & putrefactione corrupta in cerebro. Occasionem huic monstro dedit hujuscemodi eventus. Colloquebantur duæ mulieres, inter quas una uterum gestabat, & superveniens tertia ex improviso, concussit colloquentium capita; unde prægnans terrefacta , fœtui concussionis dedit figuram. Hæc omnia *Lycosthenes* anno citato.

Puellę duæ conjunctæ natæ.

Anno 1503. *in pago Goſſovv, agri Tigurini apud Helvetios, mulier honesta peperit masculos duos, duobus capitibus, uno quidem corpore , umbilici vinculo conjunctos , quatuor manibus , totidemque pedibus.* Similia ferè monstra

Digitized by Google

nata sunt anno 1538. ut retulimus suprà cùm de bicipitibus ageremus. *An. 1541. die 19. Febr. Friburgi Mysorum editi gemelli, juncti totius anterioris thoracis cohæsu.* Eandem historiam refert bis Lycosthenes eodem anno, memoriæ defectu. Anno sequenti 1542. *in Ducatu Wirtembergensi nati sunt gemini, coalitu pectoris ad umbilicum usq; connexi.* Anno 1543. *Octavo Idus Februarii, matutinâ horâ quintâ, eodemq; minuto, Schaffhusia Helvetiorum nati sunt infantes duo, uterq; fœminei sexus, capitibus duobus, brachiis quatuor, totidemq; pedibus disjunctis, uno verò solido corpore à collo ad umbilicũ usq;, umbilici subtus vinculo propendente.* Anno 1544. *Heydelbergæ ad Neccarum flumẽ, die Pentecostes nati infantes duo conjuncti, & masculi, duobus corporibꝰ ventre conglutinatis, duobus capitibus, quatuor manibus, & pedibus; quorũ mater Catharina, pater verò Casparus Besler faber. Baptizati sũt ambo, quorũ unus Joannes, alter verò Hieronymꝰ nũcupatus est. Vixerunt diem unũ cum dimidio. Defunctis verò, à Medicis membra interiora per sectionẽ visa, cor tantùm unum inventũ est. A. 1546. in Ackern oppido Saxoniæ ad Albim, infantes femoribus latere tenus concreti sunt, quà crura subnectuntur coxæ, eo situ, ut dexter sinistrâ manu humero dextero alterius incumberet; sinister dextram thoraci alterius transversim prætenderet.* Hactenus ex Lycosthene.

Heydelbergense monstrum.

Argentinense monstrum.

Schenckius apud Aldrovandum refert, Anno Domini 1106. Januario mense, in Imperiali civitate Argentina ex fabro lignario Stephano nomine, & matre plebeia, fœtum monstrosum bicorpor fœminei sexus, capitibus, collo, pectore, & ventre concretis fuisse editum. Hoc monstrum si juxta partem anteriorem spectabatur, nempe juxta eam, in qua ex duobus conglutinatis capitibus facies effigiabatur, una apparebat facies binis oculis, quatuor auribus, naso & ore non indecẽter formata: at fœtu in faciem procumbente, ubi alterius infantis facies erat formanda, visebantur duo capita in motum utris copulata, nihilq; præter duas auriculas in colli fastigio locatas exhibebatur. Hæ gemellæ, pectore & ventre cohærentes, sese invicem complecti videbantur, nempe brachiis & cruribus vicissim hinc inde decussatis, umbilico utriusq; subtus propendente. Vixit monstrum sesquihoram, & post obitum corpusculo aperto, inventum cor unum, unus pulmo, & unus ventriculus, cum duplici hepate, & quatuor renibus.

Gemellorũ unus niger alter albus.

Recentius est sequens monstrum, editum Regii anno 1615. mense Novembris. Erant gemelli, unus niger, alter albus, conjuncti ventre, thorace, & unico umbilico, cæteris partibus perfecti, qui quodammodò in mutuis complexibus esse videbantur. Tres tantummodò horas vixit.

Bononiense monstrum.

Eodem anno Bononiæ, mense Julii, duæ gemellæ conglutinatæ, in lucem prodierunt mortuæ, & apertæ. Exteriores partes utrique absolutissimæ erant, nec tantillum ab aliis perfectis partibus discrepabant; pectore tantummodò excepto, quod erat unicum & commune; nam hac parte invicem copulabantur. Incipiebat conjunctio ab ore sterni, & in umbili-

cum

Iconismus XIV. Ponatur è regione pag. 609



Fig. XX Monstrum bicorpor capitibus per diametrum oppositis.



Fig. XXII. Fœtus geminatus vultibus oppositis.

Digitized by Google

cum desinebat. Magnitudo corporis utrique eadem erat, sed non eadem figura: puella enim, quæ latus dextrum occupabat, alteri sese quodammodò inserebat, ita ut pectus alterius & tergus incurvarentur. Quæ constitutio corporis in causa fuit imbecillitatis virium; mortua enim prodiit, cùm altera viva egrederetur. Venæ umbilicalis non vulgaris erat structura, quoniam in ipso ventre erat simplex; mox verò ubi jecur ingrediebatur, in duos ramos dividebatur, quorum singuli singulis fœtibus nutrimentum allaturi infigebantur. Jecur erat quidem geminum, sed diligentiùs inspicienti haudquaquam unicum videbatur; nam alterum sub altero veluti occultatum latebat. Folliculi fellis erant duo, in parte superiori hepatis collocati. Ventriculi item duo erant; qui deinde juxta pylorum in intestinum jejunum copulabantur. Renes non conjuncti, sed separati, utrique tamen bini, alter juxta latus jecoris, & alter sub eodem latitabat. Lien erat unicus, & in fœtu sinistro tantummodò conspicuus, figuram potiùs canini lienis, quàm humani referens. Intestinum colon carebat cellulis. Diaphragma duobus in locis erat perforatum, quia duo erant æsophagi, & totidem ventriculi ad quos tendebant. Ossa sterni, ubi fœtus copulabantur, ita invicem nectebantur, ut unicum tantùm os videretur. Pericordium erat unum, quod bina tamen corda amplectebatur, quorum situs à vulgari valde diversus erat: nam cùm in omni homine cuspis cordis deorsum vergat, in hisce gemellis cuspides cordium opponebantur. Hæc omnia *Aldrovandus*, apud quem plura alia exempla antiqua & recentia invenies, quæ omitto, ne lectori fastidio sim.

CAPUT XXI.

De monstris humanis bicorporibus secundùm longitudinem conjunctis.

Monstra humana bicorpora secundùm longitudinem conjuncta.

Icon. XIV. Fig. XX.

Accidit nonnunquam, ut duo fœtus in matrice ita per nates, & perinæum, aliisvè modis coalescant in unum, ut capita per diametrum opponantur, & infantes diametraliter se intueantur. Hujus rei multa sunt exempla, antiqua & recentia. Nam

Anno 1552. *tertio Augusti, inter decimam ac undecimam noctis horam, Mildeltoftoni in Anglia, natus est infans duobus corporibus atque capitibus, quatuor manibus, unico ventre, umbilico, ac alvo ad ejicienda natura excrementa. Ab una parte corporis duobus pedibus justá proportione formatis, ab altero unico pede tantùm, sed ex duobus conflato, ac novem digitis ornato.* Ita Lycosthenes.

Huic non dissimile monstrum muliebris sexus visum alibi fuisse, refert *Schenckius* ex Jacobo Rufo; horumque fœtuum alterum vixisse

Digitized by Google

dies quindecim, alterum verò unico tantùm; rarò lachrymasse, unum fuisse admodum lætum, alterum mœstum, & in somnum propensum; longitudinem ac latitudinem illorum fuisse quinque palmorum.

Anno 1570. teste *Ambrosio Pareo*, Lutetiæ Parisiorum, Julio mense, *in vico Gravillierorum ad Insigne Tintinnabuli, ex patre bajulo Petro Germano dicto, & matre Matthæa Pernella, duo parvuli nati sunt, quos unitas natium, & unus umbilicus copulabat; qui per diametrum sese intuebantur, cum distinctione sexus; Siquidem sacro latice intincti, Ludovici & Ludovicæ nomine fuerunt appellati.* Fuit hoc monstrum Optimatibus & populo monstratum.

Ibidem anno 1572. Februario mense, teste eodem *Pareo*, in Viabani Paræetia, viâ quâ Carnutum Lutetiâ itur, in pagulo cui parvarum Bordarum nomen est, Cypriana Giranda, Jacobi Mercatoris Agricolæ uxor, peperit puellos ad nates copulatos, consequenterque per diametrum sese mutuò conspicientes; quibus pudendum commune fuit, nec non umbilicus, & abdomen: pectora verò duo, quatuor brachia, & crura. Parum supervixit. *Venetiis quoque* (verba sunt Aldrovandi) *anno post Christum natum septuagesimo quinto supra sesquimillesimum, Majo mense, ex muliere Hebræa monstrum admirandum natum est. Erant duo infantes, juxta nates & perinæum coaliti, cruribus invicem complicatis; locis secretis, & naturalibus destituebatur, quorum vices umbilicus supplebat; singulique oppositis inter se vultibus cibum & potum sumebant.* Inspice appositam figuram. Aliud huic simile ibidem natum fuisse anno 1617. intellexisse se ait *Aldrovandus*. Nec dissimile aliud Genuæ Mense Martio anni 1607.

Monstrum Venetum.

Iconism. XV. Figur. XXI.

Demum eodem Aldrovando *teste, in agro Pistoriensi, anno salutis humanæ post millesimum, & sexcentesimum, decimo, Martio mense, ex conjugibus carbonariam factitantibus, nati sunt infantes pariter circa pudenda & nates adeo connexi, faciebus similiter oppositis, ut sexus distingui non posset; quamvis sexum potiùs fœmineum participare viderentur. Erant igitur omnibus membris perfecti usque ad umbilicum, uno solo excrementorum exitu. Præterea alia etiam rima ibi observabatur, cujus interna cavitas duo foramina exhibebat. Horum infantium alter unum tantùm crus possidebat; quamvis manu Chirurgi observantis, ossa amborum crurum optimè persentirentur: præterquàm quòd hujusmodi crusculum in duos pedes mancos desinebat; nam octo tantùm digitis integrabantur. Ambo infantes optimè lactebant, & potissimùm primus qui in lucem prodierat. Interim dum horum alter mammam sugebat, alter plorare visebatur.*


Inspice figuram.

Icon. XIV. Fig. XXII.

CAPUT

Digitized by Google

Fig. XXI. Infantes duo iuxta nates conglutinati.



Digitized by Google

Digitized by Google

Iconismus XVI. Ponatur e regione pag. 611.



Fig XXIV. Monstrum monocephalon binis corporibus.

Fig XXIII Monstrum bicorpor, et monocephalon utriusq; sexus.

Fig. XXV Monstrū monocephalon bicorpor aliud.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De monstris humanis bicorporibus ex perfecto & imperfecto corpore coalitis.

Visa sunt subinde monstra humana talis formæ, ut corpus hominis perfectum adjunctum ac veluti insertum gestaret aliud imperfectum, ut ex sequentibus patebit.

Monstra humana bicorpora ex perfecto & imperfecto coalita. Icon. XVI. Fig. XXIII

In hoc monstrorum genere exhibet *Aldrovandus* infantem bicorporem, marem & fœminam, in quo alterum corpus sub brachio alterius quodammodo latere videtur; & ex una parte monstri tria brachia, ex altera unum tantùm dependet, ut apparet in apposita figura.

Platerus quoque apud eundem Aldrovandum meminit in suis observationibus monstri humani, ex quo pendebat alius homo omnibus partibus absolutus, præter caput. Et quotiescunque fœtus perfectus mingebat, reddebat lotium & imperfectus: podice tantùm clauso, & nullibi apparente.

Amatus Lusitanus refert apud citatum Aldrovandum, anno 1552. puerum monstrosum Illyricum, sex annos natum, & optimè constitutum, venisse Anconam, ex cujus umbilico thoracem versus aliud infantis corpusculum pendebat, cum duobus brachiis, & totidem pedibus, absque capite. Scrotum habebat absque testibus, repræsentans oblongum præputium, per quod lotium stillabat. Quando perfectus puer mingebat, repentè urina per hanc viam pueri imperfecti fluebat. Fuit autem tantæ cunctis admirationi, ut per universam Italiam parentes ejus magnam pecuniæ vim colligerent.

Alium puerum huic non multùm absimilem describit *Benevenius* apud eundem Aldrovandum, dicens: *Mulier quædam nomine Alexandra Mediolano Florentiam venit, quæ geminos mares quæstui spectandos dabat; quorum alter erat integer toto corpore, & membris distinctis; alter verò ita adhærebat alterius thoraci, ut illuc totum caput inseruisse videretur, reliquo corpore ab alio separato, de more infantis mammillam sugentis.*

Marcellus quoque *Virgilius* in comment. ad Dioscor. apud Aldrov. describit monstrum simile, ex Gallia in Italiam delatum. Ait enim, imperfectum corpus sine capite & humeris, quodammodo è regione ventriculi alterius perfecti pusionis emersisse, & ad sensus ac necessitates puelli perfecti fuisse motum.

Joannes Baptista Porta lib. 2. Magiæ Natur. c. 17. ait: *Neapoli vidi virum puerum, ex cujus pectore alius puer foràs exibat integer, retento solùm in pectore prioris capite, cohærebantq; simul in ventre.*

Digitized by Google

Ovidius Montalbanus apud Aldrov. testatur, an. 1515. die undecimo Maij, venisse Bononiam adolescentem Hispanum, qui sub axilla infantem gestabat, omnibus membris absolutum præter caput, quod intra thoracem juvenis perfecti occultari videbatur.

Iconis XVI. Figur. XXIV

Lycosthene referente, anno 1514. *Colmariæ, Imperialis Alsatiæ oppidi ad Illum fluvium siti, natus est infans virilis sexus, ex cujus pectore aliud integri hominis, ejusdemque sexus corpus, omnibus membris absolutum, ad genua usque propendebat, solo capite in alio corpore infixo.* De viro justæ ætatis, viso in Germania anno 1516. cui aliud caput ex umbilico exerebatur, quod cibum quoque ut alterum capiebat, sermonem habuimus suprà inter historias bicipitum, ex eodem Lycosthene.

Anno 1519. *ex Sabaudia in Helvetiam venit quidam justæ ætatis, integrâ formâ, membris benè compactis omnibus, ex cujus tamen ventriculo præterea aliud hominis corpus ita propendebat, ut caput tantùm atque brachia sola deessent. Circumtulit vir bonus hanc molem, magno hominum undequaque confluentium spectaculo & admiratione per regiones diversas, ex corpore miraculoso quæstum faciens.*

Icon. XVI. Fig. XXV.

Anno 1525. *in Hircinia sylva quodam pago, non procul à Kniebis, infans monstrosus natus est, virilis sexus, in cujus corpusculo circa pectus aliud præterea corpus, membris omnibus absolutis, propendebat ad genua usque, solo capite in alio corpore tecto. Pervenit monstrum hominis ad virilem usque ætatem, hinc inde miraculi loco, ac Argentinæ adhuc in nundinis circa Joannis Baptistæ festum anno 1555. ac sequenti, quo hæc scribimus, apud nos Basileæ in nundinis Divo Martino sacratis conspectum est.* Monstrum hoc fortassis non est diversum ab eo, de quo sermonem habet *Jacobus Rufus* in Opere de concept. homin. dicens, visum esse circa annum 1529. & ad virilem ætatem pervenisse. *Pareus* quoque non dissimilis meminit, conspecti Parisiis anno 1530.

Langius tom. 2. Epistol. 8. ait, anno 1556. in pago quodam Argentinæ urbis mulierem inopem, ex seminis ubertate, peperisse masculum, ex cujus epigastrio moles infantis non dissimilis pendebat, ita ut alter infans collo tenus alteri insertus esse videretur, cruribus & pedibus perfectis, sed manibus mancis, cùm in dextra quatuor, & in læva tres tantummodò digiti conspicerentur.

Simile monstrum bicorpor, & monocephalum, oblatum Patavii fuit *Realdo Columbo* Anotomico dissecandum, ut ipse testatur lib 15. de re Anat. Erat infans semestris, cum alio imperfecto, sine capite, illi adgluti nato. Aperto cadavere, in puero imperfecto nonnulla intestina reperta sunt, ex quorum portione vesica & anus construebatur, sed nullum cor, nullum jecur, nullum cerebrum: renes tantùm permagni ibi erant, qui munere fortè hepatis fungebantur: nam ab extremitate jecoris perfecti infantis crassa vena instar arteriæ ad illos magnos renes perveniebat, atque

inde

Digitized by Google

inde aliæ complures venæ per corpus disseminabantur. *Pierius* in carmine ad Leonem X. similis monstri meminit.

CAPUT XXIII.

De monstris belluinis unico capite bicorporibus.

Bicorpora monstra sub capite unico, frequĕtiora sunt inter bruta, quàm inter homines, quoniam illa & multipara sunt, & semine abŭdant, cùm minùs frequenter congressum exerceant. Itaque hoc in genere.

Monstra belluina unico capite bicorpora.

Anno 1496. *in Suntgoia, fertilissima Germaniæ provincia, in pago Langer, porcus uno capite, quatuor auribus, duobus oculis, ac linguis, octo pedibus, corpore à capite ad umbilicum usque conjuncto, ad posteriores verò partes seperato, natus est*, Lycosthene referente.

Aliam monstrosi nefrendis historiam attexit *Aldrovandus* ex *Pareo*, nati anno 1572. postero à Paschate die, Metis in Lotharingia, in hospitio, cui Sancti spiritus imago pro insigni est, octonis pedibus, quatuor auribus, & unico capite quasi canino præditum. *Partes monstri posteriores tanquam gemellorum erant distincta, sed anteriores copulatæ, cum duabus linguis in ore, & quatuor dentibus in superioris, totidemq; in inferioris maxillæ lateribus. Sexus distinctio non satis à Natura fuit expressa, quia num mas, aut fæmina esset, nemo dignoscere poterat: nam exigua tantùm rima sub cauda utriusque corporis erat aperta.*

1552. mense Februario, in domo Ludovici Dheitas, felis domestica inter reliquos fœtus numerosos enixa est catellum vivum, monocephalon, bicorporem, octipedem, utriusque sexus, corporibus invicem complexis, & in unum caput, ut dixi, coëuntibus, sic, ut sese mutuò osculantium speciem referrent, ita Lycosthenes dicto anno. Alterius felis monocephali bicorporis, & octipedis corporibus non tantùm in capite, sed etiam in sterno conjunctis, meminit Aldrovandus. Idem aliam exhibet coloris albi, octipedis, unicipitis juxta partes supernas, & bicorporis juxta infernas, cum duabus caudis. Idem exhibet binas icones canis monocephali & bicorporis, quorum unus octo, alter sex tantùm pedes habet.

In avium quoque familia non rarò occurrunt similia monstra. Nam ut *Lycosthenes* refert, anno 1538. Colmariæ in ædibus Thomæ Eberlini, die Jovis ante festum Paschatis, qui fuit 18. Aprilis, ipso videlicet Profesto salutiferæ passionis Jesu Christi, ex assiduis gallinæ in producendis pullis, laboribus, demum inter cæteros ex ovo pullum eduxit quatuor pedibus, totidemque alis, uno capite ac corpore, sed ex duobus conflato, duplici naturæ exitu. Anno quoque 1551. eodem referente, *in Gallia duplices ex Gallina pulli inventi sunt, quatuor videlicet alis, totidemq; pedibus, sed capite unico.*

Digitized by Google

Circa annum denique 1268. *ex ovo provenit anser monstrosa formæ (quem se vidisse refert Albertus,) cum duplici collo, quaternis pedibus & alis, dorso uno, ut videretur anser unus alium deferens. Sed non diu vixit.*

CAPUT XXIV.

De monstris bicorporibus, ex humano & belluino fætu coalitis.

Monstra bicorpora ex humano & belluino fœtu coalita.

ET hæc aliquando occurrunt. Nam anno 854. *Lycosthene* narrante, *circa finem Imperii Lotharii Cæsaris, qui fuit Saxoniæ dux, quædam mulier edidit partum monstrosum, specie videlicet hominis ac canis integerrimè corporibus conjunctis, dorso connexis, ac dorsi spinâ solidissimè conglutinatis.*

Iterum 1126. *in Albania ignobilis muliercula monstrum bis gemini corporis est enixa, aversis vultibus, & corporibus sibi cohærens: antè quidem effigies hominis integra, corporis membrorumq; conformatione distincta, retrò verò facies canis similiter corporis & membrorum proprietate integra.*

Anno 1494. *Cracoviæ, mense Septembri, mulier quædam in platea, quæ à S. Spiritu nomen habet, infantem exanimem peperit, cujus dorso serpens vivus inhærebat, arrodens ac depascens cadaver.*

CAPUT XXV.

De monstris, quæ à progenitoribus tota specie deviant.

Monstra totâ specie deviantia à progenitoribus.

Iconis. XVII. Figura XXVI.

SUprà lib. 2 cap. 2. §. 2. mentionem fecimus spectri alicujus, quod *Plutarchus* in vita Bruti, narrat oblatum Bruto noctu, ex Asia in Europam trajicere cogitanti. Quod spectrum, ait Appianus, fuisse corpore, mammis, & cornibus hirco simile, rictu canino, alis instar vespertilionum, caudâ vaccinâ, & pedibus avium rapacium; quale videlicet apposita refert figura. Aldrovandus de hoc monstro agens, ait, aliquos autumare ex muliere quadam fuisse natum. Verisimilius tamen est, dæmonem fuisse in assumpto corpore comparentem. Itaque non est inter monstrorum censum accensendum.

Monstrum mirabile.

Anno Christi 601. juxta *Lycosthenis* chronologiam, imperante Mauritio in Oriente, mulier in Thracia partum edidit oculis, palpebris, superciliis, manibus ac brachiis carentem, & ab umbilico deorsum in caudam piscis desinentem, ut suprà suo loco retulimus.

Iconis. XVII. Figura XXVII.

Anno 1511. Ravennæ natum est monstrum cum cornu in capite, cum alis, sine brachiis, pede uno avis rapacis, oculo in genu, littera V & crucis effigie in pectore, & utriusque sexûs signis. Cætera erant humana. Refert hæc *Lycosthenes* ex *Joanne Multivalle*, ac *Caspare Hedione* in Historiæ Synopsi post Sabellicum. Inspice figuram. Hoc idem monstrum, ait Lycosthenes,

Digitized by Google

Iconismus XVII. Ponatur è regione pag. 614.



Digitized by Google

Digitized by Google

Fig. XXX. *Infans cum pro-muſcide, et capitibus ani-malium.*



Fig XXIX. *Vitu-lomonachus.*



Digitized by Google

nes, ab aliis aliter describi, ac depingi, nimirum habuisse caput facie Satyri, cornu, & auribus belluinis deturpatum; brachiorum loco alas instar avis; pedem unum humanum, cum oculo in genu; alterum squamosum, & in caudam piscis desinentem; in pectore tres litteras, nimirum Y, X, & V, & infra V, Lunam falcatam. Inspice figuram. Sed hæc ingens est inter utrumque varietas, quæ meritò rem totam reddat suspectam.

Vide Icon. XVII. Fig. XXVIII.

Anno 1523. natum est Waldersdorfi, uno à Fribergo lapide, pago ditionis Cellensis, villâ rustici cognomento Stecheri, monstrum terribile, quod à figura Vitulomonachum appellant Scriptores: omnibus enim ferè partibus monachum æmulabatur, præterquàm in vertice, ubi tuberculum carneum rotundum conspiciebatur, quod affabrè verticem sacerdotis in orbem tonsum referebat. Deinde carnea quædam substantia à collo in dorsum ita eleganter formata pendebat, ut cucullum monachalem repræsentaret. Crura præterea habebat circumquaque lacera atque discissa. Mentionem facit monstri hujus *Lycosthenes*, Rufus, Pareus, Sorbinus, & alii.

Vitulomonachus. Iconis. XVIII. Figur. XXIX.

Anno 1543. *in die Conversionis Sancti Pauli in Belgio* (*licèt non desint, qui Cracoviæ scribant*, inter quos est Rufus, & Cardanus *lib. 12. subtilit.*) *natus est infans ex honestis & nobilibus parentibus, teter admodum, & horribilis aspectu, flammeis & radiantibus oculis, ore naribusque bovinis, cornu figurâ exertis ac prominentibus, dorso pilis caninis hispido, simiarum faciebus in pectore extantibus quà mammarum locus, oculis felium subtus umbilicum hypogastrio adfixis; tetris ac minacibus canum capitibus ad utrumque cubitum, & pedis utriusque patellam, antrorsum spectantibus* ϛεγανόπυς, & ϛεγανόχειρ, *figurâ pedum cygni, caudâ sursum reflexâ & recurvâ longitudine ulnæ dimidiæ. Editus in lucem, quatuor horas vixisse, & tandem bis emissis vocibus*, Vigilate, Dominus Deus vester adventat, *exspirasse dicitur.* Ita Lycosthenes ex Peucero, Münstero, & Bruschio, & Aldrovandus ex Rufo, & Cardano. Monstri figura est, ut apparet in icone apposita. Itaque loco nasi promuscidem gerebat; oculis rotundis, & alatis; auribus asininis; cum duobus aliis oculis supra umbilicum; pedum & manuum digiti quatuor accipitrinis unguibus erant similes, quorum tres more anseris membranâ quâdam colligabantur.

Monstrum Belgicum. Iconis. XVIII. Figur. XXX.

Anno 1577. die 12. Februarii circa ripas Danubii, prope Budam Hungariæ, visum fuisse dicitur magno incolarum terrore ac damno, monstrum alatum tetrachiron, seu quatuor manuum, facie humanâ, auribus asininis, pedibus & reliquis ad umbilicum usque bovinis atque alatis. Manibus quatuor non paucos jaculabatur lapides, quibus plures accolas occidebat. Unde populi perterrefacti, congregatâ hominum armatorum multitudine, terga hostilis monstri dato signo invaserunt, & tandem magnâ armatorum clade straverunt. Ad quod postea in forum delatum,

Monstrum Ungaricū.

Iconis. XIX. Fig. XXXI.

tum, magna hominum multitudo ſpectatum convenit. En monſtri iconem. Unde natum fuerit, ac unde venerit, neſcitur.

Monſtrum Ægyptiacum. Vide Icon. XIX. Fig. XXXII.

Aliud monſtrum, præcedenti non minùs ferum ac terrificum, appingit Aldrovandus, ut hic apparet, tribus ſcilicet capitibus, aquilæ, draconis, & vulpis; corpore ſquamoſo inſtar ſerpentis, brachio & manu humanâ ab uno latere, aquilino pede ab altero latere. Mammas præterea humanas habebat, caudam leoninam, pedes quatuor omnino diverſos, ſcilicet leoninum unum, humanos duos, & quartum anſerinum cum tribus digitis. Naturæ erant amphibiæ; & homines, reliquosq; animantes devorabat. Verſabatur circa ripam Nili.

Monſtrum oculatum

Anno 1621. natum fuiſſe ait *Aldrovandus* ex advenis in urbe Auguſtarum Aquarum Aquitaniæ, quam vulgus Baionam vocat, infantem; qui quoad membra erat benè conſtitutus, ſed multi oculi totum corpus deturpabant. Argum dixiſſes, centum luminibus non caput tantùm, ſed corpus totum plenum habentem. Vixit dies quindecim; & antequam exſpiraret, clarâ voce fuit locutus.

Quod nunc narro, ex annuis Societatis noſtræ litteris deprompſit *Eusebius Nierembergius*, qui lib. 1. Hiſtor. Nat. cap. 4. hæc ſcribit. *Moguntiæ fœmina hæretica omni naſo & convitio proſcindebat Religioſos mei Ordinis, rabido furore obvios adlatrabat, abſentes mordebat. Accidit illi partus mirus. Puer, horrendum ſpectrum! ſcilicet ſimulacrum vitii, editus eſt fœtus canino vultu, excoriato, præciſis nare, & rictu, opertus pileo quadrangulari, ut noſtri ſunt. Quid clarius? Nemo non intellexit. Ipſi adhuc noſtri Ordinis & fidei hoſtes non negarunt divinæ indignationis interpretamentum.*

CAPUT XXVI.

De rarioribus quibusdam monſtris.

IN hoc caput conjiciam rariora quædam monſtra in ſuperioribus omiſſa. Nonnulla problemata ſcitu digniora dabo alibi.

§. I. Galli gallinacei monſtroſi.

Galli gallinacei monſtroſi.

IN Aula Franciſci Medicei, Magni Hetruriæ ducis, teſte *Aldrovando*, gallus viſebatur adeò monſtroſus, ut intuentibus metum incuteret. Caput non criſtâ carneâ erat armatum, nec paleæ erant carneæ, ſed utræque ex plumis conſtabant æmulantibus conos militum, quibus galeas armare ſolent. Habebat in fronte duas pennas, ſeu potiùs pennarum calamos ſurrectos inſtar cornuum; item duos alios ab utraque parte roſtri prope nares: nec non alium in cervice. Color totius corporis erat ſubfuſcus, & radices pennarum albæ. Prope uropygium unde cauda exit, tuberculum

Digitized by Google

Iconismus XIX. Ponatur è regione pag 616.

Ponatur ante pag 617. è regione pag 116 quæ debet esse 616.



Fig XXXI. Monstrum tetrachiron alatum capite humano aurito.



Fig. XXXII. Monstrum triceps capite vulpis, Draconis, et Aquilæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Fig. XXXIII. Gallus Monstrosus.



Fig. XXXIV. Humana effigies monstrosa in ovo anserino.



Fig. XXXV. Humana effigies in ovo, loco capillorum et barbæ habens colla et rostra anserina.



Digitized by Google

tuberculum habebat rotundum, & subalbidum. Cauda erat carnosa, & subcærulea, pilis nuda, obliqua instar serpentis intorti; in extremitate tamen floccus dependebat. Tibiæ velut ocreis erant indutæ. En effigiem.

Icon. XX. Figur. XXXIII.

De alio Augustæ ætate suâ nato scribit *Stengelius*, adeò monstroso, ut ob mirabilitatem fuerit in æs incisus, & ad spectaculum propositus. *Corpus illi erat unum; capita, colla, uropygia duo; alæ quatuor; totidem pedes. Hic, cùm unius capitis rostello satis granorum edisset, corpus scitissimè versabat, ut & altero se satiaret. Ita vices alternabant edendi. Deprehensum est autem, pullum illum esse ab ea gallina, quæ semper ova cum gemino vitello pariebat. Vitelli igitur geminatio & fœtum duplicabat.*

Gallinarum partus monstrosi.

In historia sua monstrorum refert *Fortunius Licetus*, aluisse se domi gallinam quinque digitos habentem, quæ post multa ova, unum pusillum ediderit sine luteo, in cujus albumine serpens fuerit repertus, luteo scilicet in serpentem converso. *Ambrosius* quoque *Pareus* narrat, Augustoduni, in ædibus Bancheronis Causidici, repertum in ovo monstrum ab ancilla, dum multa ova butyro incoquenda frangeret, facie quidem humanâ, sed capite serpentibus undique horrente, ac tribus item serpentibus ex mento instar barbæ geminantibus, prout apposita figura monstrat. Fuit fortassis gallina, quæ ovum hoc exclusit, compressa à serpente: nam id fieri subinde, testatur Licetus ex observatione ancillæ, quæ non semel gallinam manè domo egredientem, & ad radicem annosæ quercus properantem vidit, ibique crocitatu evocantem serpentem maritum: cujus deinde gallinæ ova non pullos, sed parvos serpentes excluserunt.

Vide Icon. XX. Fig. XXXIV.

Huic non multùm dissimile fuit ovum anserinum in Gallia repertum, in quo fracto humanum caput fuit deprehensum, quod loco capillorum, & barbæ, colla anserina cum rostro & oculis habebat, uti hæc alia ostendit Figura. Causa fortassis fuit imaginatio & amor vehemens anseris erga hominem; nam anseres amare hominem, scribunt Ornithologi.

Anserinus partus monstrosus.

Vide Icon. XX. Fig. XXXV.

§. II. Pisces monstrosi.

Pisces monstrosi.

Anno Christi 1545. mense Octobri, captum fuisse referunt monstrosum cyprinum in Austriæ flumine, in ditione Comitis Julii de Hardegg, prope urbem Retz. Habebat is faciem humanam, & fuit ob raritatem diu conservatus.

Piscis monstrosus miræ magnitudinis.

Anno 1538. teste *Olao Magno*, fuit prope Thitam insulam Septentrionalem comprehensus monstrosus piscis, capite quidem suillo, sed reliquo corpore squamoso, cum figura veluti crescentis Lunæ in dorso, & ternis in medio lateris utriusque oculis. Animal erat incredibilis ferè magnitudinis; quippe longitudinem duorum & sexaginta pedum, & altitudi-

Digitized by Google

tudinem quatuordecim æquabat. Interstitium inter oculos erat septem pedum. Jecur habebat tam vastum, ut quinque dolia impleverit.

Cetus mōstrosus.

Bizarrus pag. 303. refert, in urbe Coula Idibus Maij Anno Christi 1563. ejectum ad littus cetum non solùm mole conspicuum, sed etiam, ad morem Brasilorum, pictissimè variegatum, non hominis penicillo, sed Naturæ artificio. Cernebantur in ejus lateribus plurimæ triremes, velut coloribus scitissimè expressæ, cum suis remis, arboribus, antennis, velis, funibus, nautis, bellicis tormentis, inter fluctuantes undas velut impulsæ. Nonnullæ harum navium, haud exiguâ magnitudine, circa ingentem quandam triremem stabant, undequaque ad certamen quàm optimè instructæ atque armatæ. Quædam aliæ reliquas tanquam harpagonibus injectis jam adoriebantur, & prælii acerrimi imaginem luculentam referebant. Quæ omnia naturali quodam miroque artificio, in pelle & carne piscis expressa, cum eo adolevisse videbantur, itaque clarè & distinctè, ut tanquam spectaculum nunquam antea visum, aut auditum, incredibilem omnibus undique concurrentibus stuporem gignerent. Misit hujus prodigii exemplar ad Hispaniæ regem Licentius Voleranus, urbis Gibelterræ præfectus, per Joannem fructuosum scribam regium, ejusdem urbis civem; qui testimonio sex gravium virorum id verissimum esse dictavit. *Dubitare hîc igitur non de facto licet, sed de modo* (inquit Stengelius, eandem historiam referens.) *Potuit, cùm partum hunc in utero ferret, genitrix ejus, aspectâ in mari compugnantium classe, exterrita, imaginatione quâdam, figuras oculis haustas fœtui imprimere. Potuit DEUS, quod futurum videbat, in piscem, velut in tabellam, inscriptum præmonere. Potuit utrumque simul esse, ut & Numinis bonitas, & Naturæ efficacitas simul hominibus innotesceret. Si enim ars illa naturalis fuit, fuit utique etiam Natura ipsa valde artificiosa, cujus tam miro opere aspecto dici potuit*: Benedicite cete, & omnia, quæ moventur in aquis, Domino.

Piscis mirè monstrosus in Polonia captus.

Anno Christi 1623. die Septembris octavo, in Polonia prope Warsaviam in Vistula captus fuit ejusmodi piscis monstrosus, *Stengelio* narrante lib. de Monstris cap. 1. hunc in modum. *Longitudo erat triginta sex pedum, crassities seu latitudo trium ulnarum cum duabus partibus, altitudo decem ulnarum & itidem semis. Huic tam vasto pisci caput erat, instar hominis, carneum; quin & cætera erant instar carnis humanæ, ac mollia, sed squamis ita duris atque asperis amicta, ut cornu esse putarentur. A capite per collum, usque ad caudam, cruces, tanquam stellæ quædam per cœlum, dispersa cernebantur. Quæ omnia si cui minùs mira esse censentur, audiat magis portentosa. Siquidem nulla unquam Pallas adeò armata, neque ita Mars ipse adamantinâ tunicâ tectus horridè bellum spiravit. Pisci enim huic in tergo tormentum curule, suis rotis nixum, impositum stabat; & antrorsum quidem os porrigebat, ad ignem expuendum; retrorsum autē firma à dorso*

proje-

projectum trahebat, more draconis. In pinnis rotundi hærebant globi, infra supraq; transfixi. Ad latera utrimque longæ velut hastæ suspendebantur. Armamentarium quoddam esse credidisses. Neque deerant bipennes in modum crucis decussatæ, vexillum utrimque secus unfignientes. Atque nè Naturam existimes illiteratam, uni vexillo litteræ A. D. I. H. alteri F. R. F. inscriptæ legebantur, interpretatione spectatoribus relictâ. Præter hæc, gladius & fistula ænea jaculationibus apta, itemque mortui hominis caput, cute & carnibus denudatum, ut in cranio mortis effigies esset, nec non undique tubera, vulnera, cicatrices, exprimebantur. Cauda sanguinei coloris erat, fissa in eum modum, ut prærubra quædam parva spicula in unum fascem viderentur colligata. Multi ea sagittis similia esse dicebant. Habebat hic piscis etiam duos pedes, admodum diversos: alter aquilino, alter leonino similis fuit. Referebatur hoc monstrum non in novis tantùm publicis, sed etiam typis ac penicillo effigiatum videbatur. Quid mysterii indicarit, multa ingenia divinaverunt; clarissimè detexerunt bella atrocia inde continuata, ac fortassis novissimum hoc ipso anno, cuo hæc scribimus, sopitum pace confirmatâ inter Cæsarem Leopoldum, Poloniæ ac Sueciæ Reges, & Brandeburgicum Marchionem: hoc enim bini fortassis pedes, aquilino & leonino similes, portendebant.

§. III. Avis monstrosa.

Avis monstrosa.

ANno 1628. avis exotica ac oppidò monstrosa in Hispania, in urbe Ambgenita, teste *Valentino Pistore* in Mercurio Germanico plumbeis glandibus dejecta, & Comiti Schafgotio missa, viginti pedes longa: quæ in fronte oculum humanum, caput autem bovinum habuit, & verè etiam bovis instar mugiit. Cæterùm in vicem aurium flaccidarum alæ dependebant; vertici cornuta vitta, tergo tuber testudineum, pectori lorica, & his asperi aculei, caudæ gemini enses, collo monile carneum, corallo haud absimile, munimen addiderunt.

PARS II.

MONSTRORUM CAUSÆ.

Causæ monstrorum.

C*Irca monstrorum causas non minor ferè est opinionum varietas, quàm monstrorum; eorumque nonnulla monstris ipsis haud parùm monstrosiores. Est qui stolidissimè dicat*, monstra determinatis causis carere, quoniam monstra non sunt effectus à Natura intenti, sed tantùm per accidens procreantur: quamobrem horum causæ potiùs imaginariæ, quàm legitimæ, in campum erunt afferendæ.

Digitized by Google

Hic tamen idem non longè post eodem loco subjungit, nos monstra tanquam opera Naturæ contemplantis, eorum originem ex quatuor summis causarum generibus haurire debere, materiali videlicet, finali, efficiente, & formali. Alii triplicem causam monstrorum adsignant; priorem, supranaturalem, quando DEUS in ultionem alicujus sceleris hominem devenustat, ut contigit Nabuchodonosori; alteram, infranaturalem, quando malus dæmon sensus humanos ludificat, ut quibusdam hominibus in bruta per maleficium transfiguratis accidit; tertiam, naturalem, quando vitium aliquod principia naturalia generationi & conformationi destinata corrumpit. Alii ad generationem monstrorum causas intrinsecas concurrere dicunt: & inter extrinsecas numerant naturam regionis, & constitutionem aëris; inter intrinsecas verò virtutem formatricem, materiam seminalem, receptaculum fœtus, membranam fœtum involventem, vel distinguentem, aliasque similes. Alii alias vel causas, vel causarum divisiones comminiscuntur. Nos Aristotelem sequentes, rimabimur causam monstrorum materialem, efficientem, & finalem, omissâ formali; quæ alia non est, quàm propria cujusq; monstri forma substantialis constitutiva; & si vis, externa ac prava monstrosi corporis constitutio. Ordinem servabimus, qui sequitur.

CAPUT XXVII.

De causa materiali Monstrorum.

Causa materialis monstrorum.

CAusa materialis monstrorum est, ex qua præexistente fiunt. Hæc alia non est quàm materia seminalis, materno utero infusa; quæ vel ob excessum, vel ob defectum, vel ob incongruam commixtionem, vel indebitam collocationem, vel ob uteri angustiam, vel ob ejusdem in membranas non probam distinctionem (ut aliqui autumant) aliamvè pravam dispositionem aut conformationem, vel ob similia accidentia seminis ac uteri, causam præbet monstrorum formationi & generationi. Et hæc est sententia omnium Philosophorum ac Medicorum rectè sentientium. Hinc *Democritus* apud *Aristotelem* lib. 4. de Generat. Animal. cap. 4. damnabat frequentiores hominum congressus, quoniam ex his propter seminis abundantiam & commistionem, sæpe monstra prodire opinabatur. *Democritus verò* (inquit Arist. loc. cit.) *monstra fieri eâ causâ scribit, quòd duo subeunt semina, alterum antè, alterum postea; quæ cùm in utero confunduntur, eve-*

nit

Digitized by Google

nit ut membra coalescant, atq; dissideant. Consentit Empedocles, qui propter copiam, & defectum seminis, aut ejusdem agitationem partus monstrosos oriri ajebat. *Aristoteles* quoque dicto loco primam monstrorum causam in materiam refert. *Galenus* lib. de Histor. Philosoph. monstra nasci docet, si semen copiosum, si divulsum, si motu immoderato immissum fuerit; aut quia additionem, diminutionem, transpositionem, inflammationem acquirit. Addit, juxta nonnullorum Medicorum sententiam, pravam uteri conformationem, de qua postea. Eadem est sententia *Alberti Magni* lib. 18. de Animal. c. 6. Idem lib. 2. Physic. tract. 2. c. 3. ait, monstra oriri ex materiæ vel diminutione, vel superfluitate, ex prava qualitatum permistione in eadem, & ex malignitate continentis uteri. Similia habet *Cardanus* lib. 12. de Subtilit. *Ambrosius Pareus* in lib. Anatom. *Celsus Mancinus* in Opere de Monstris, *Ludovicus Mercatus*, *Lycetus*, *Weinrichius*, & quotquot ferè de Monstris scripsêre.

Seminis defectus, excessus, confusio, similiaque vitia, causa sunt monstrorum.

Seminis itaq; defectus facit, ut fœtus aut non omnia necessaria nanciscatur membra, efformeturque sine manibus, pedibus, brachiis, cruribus, naso, capite &c. aut eadem membra non pertingant ad debitam magnitudinem.

Seminis superfluitas facit, ut fœtus vel plura acquirat membra, ut sex digitos, tres aut quatuor manus, pedesvè, duo capita &c. vel solitò majora.

Seminis confusio atque permixtio cum alterius speciei semine facit, ut nascantur monstra bigenera quoad externam formam, cujusmodi multa in præcedentibus retulimus. In Peruviana historia legimus, in quibusdam regionis illius locis simios eximiæ magnitudinis cum mulieribus commisceri, indeque oriri monstra capite & pudendis humanis, manibus verò & pedibus simiæ, reliquoque corpore hirsuto, sine voce articulata.

Simii Peruviani cum mulieribus congrediuntur.

Seminis indebita in utero collocatio, monstra, aut monstrosos efficit fœtus, ut experientia docet, & fatetur *Pareus*: nam dum matres toto graviditatis tempore otiosæ domi sedent, dum decussatis cruribus, curvo & prono in genua corpore, telam acupingunt, vel suunt, dum onus subeunt, aut sublevant, dum ventrem fasciis, aut vestibus arctiùs constringunt, ac uterum comprimunt; fœtus obstipos, repandos, gibbosos, pedibus aut aliis corporis partibus distortos eniuntur.

Seminis vitium monstra efficit, dum nimis est grassum ac durum, nimis aqueum ac fluxile; virtus enim genitalis ac formatrix in crassiore spermate ita obruitur, ut formationi fœtûs minùs commodè famulari queat; in molliori verò ossa, nervos, venas, arterias, aliasque partes solidiores efformare non possit. Huc spectat vitium hæreditariæ materiæ semi-

ſeminalis, ratione cujus, ſicut ex leproſis leproſi, ita ex gibboſis naſcuntur gibboſi, ex ſtrumoſis ſtrumoſi, nani ex nanis: quamvis id non contingat ſemper.

§. II. Receptaculum fœtus cauſa monſtrorum.

Receptaculum fœtus cauſa monſtrorum.

AD materialem monſtrorum cauſam reduci poteſt receptaculum fœtus, ſeu uterus maternus, è cujus anguſtia quin monſtra perſæpe originem ducant, dubitare nequit. Ac inprimis dum materiæ pars una, quæ loco ab altera ſejuncta efformari jam cœperat in membrum corporis, aut embryonem ab alio diverſum, ſi poſtea ob loci anguſtiam incrementum capere nequeat, neceſſe eſt, ut aut debitâ careat magnitudine, aut alteri membro adcreſcat, cum eoque confundatur. Atque hoc modo naſcuntur animalia cum pluribus membris, quàm Naturæ curſus poſtulet, aut bicorpora, aut aliter vitiata. Idem enim contingit fœtui quod pendentibus ex arboribus pomis, quæ ſi antequam debitam magnitudinem acquiſiverint, anguſtis vaſculis excipiantur, à juſtis incrementis prohibentur. Nimirum cùm ex Philoſophorum ſententia locus ſit forma locati, neceſſe eſt, ut ea, quæ locis admodum arctis continentur, motionis ſuæ libertate priventur, adeoque mutila ac manca reddantur.

Bicorporum monſtrorum cauſa.

Sunt qui bicorpores fœtus referunt in ruptas matricis membranas; putant enim matricem in plura receptacula, interpoſitis membranis veluti maceriis quibusdam, diſcriminari, atque hac de cauſa mulieres quasdam ſuperfœtare ſolere: quæ membranæ cùm rumpuntur, ſive ex ſeminalis materiæ abundantia, ſive alia de cauſa; ajunt fœtus antea receptaculis diſcretos confundi, & non ſecus ac pyrum pyro, pomum pomo, adcreſcere. Alii tamen hanc cellarum multiplicitatem veritati repugnare ajunt, cùm anatomica inſpectio nullas in utero cellas obſervarit.

CAPUT XXVIII.

De cauſa efficiente monſtrorum.

Cauſa efficiens mõſtrorum.

PRæter DEUM, rerum omnium cauſam primam & univerſalem, multæ ſunt cauſæ ſecundæ earundem, ſive principales, ſive inſtrumentales. Nec tamen eædem ſemper in omnibus conveniunt; ſed nunc hæ, nunc illæ, modò plures, modò pauciores.

§. I. Virtus formatrix cauſa monſtrorum.

Formatrix virtus cauſa monſtrorum.

P*Rima* itaque cauſa efficiens monſtrorum eſt vis formatrix ſemini inhærens (eadem videlicet, quæ aliorum quorumque fœtuum) quæ more

more opificis totum corpus utero conclusum membratim delineat, & effingit. Hæc enim vis, dum fingendo fœtui insistit, subinde ob imbecillitatem ac hebetudinem totum opificium exactè elaborare, & articulatim ac distinctè exprimere nequit. Quò fit, ut subinde membra quædam corpori juxta Naturæ cursum debita desint omnino; aliàs confusa, indiscreta, manca, debilia, atque ad functiones suas obeundas inutilia evadant; nonnunquam etiam deterioris speciei formam induant, eoque pacto homines arietino capite, caprinis pedibus, aliterque deformati enascantur.

§. II. Siderum influxus causa monstrorum.

Siderum influxus causa monstrorum.

SEcunda causa sunt cœli climata, siderumque influxus. Sidera quippe ut in fœtibus probè efformandis, ita in iisdem deformandis vim maximam habere, is solùm negabit, qui eorundem in sublunaria efficaciam negat. Hanc efficaciam aliàs stabiliam auctoritate, ratione, & experientiâ: nunc sufficiat exemplum recens, quod *Laurentius Stengelius* in lib. de Monstris cap. 5. §. 6. narrat his verbis. *Nostrâ enim memoriâ Halæ, in Tyroli, juvenis cætera egregius, sed ibidem patre Judæo natus, nomine Bonaquisius, admirabiliter in ventre monstrosus fuit: quippe crescente Lunâ, inde sic illi quoddam taurinum excrescebat caput, non sine cornibus, ut caliga illius nequaquam satu possent constringi. Qua de causa, semper crescente Lunâ domi se continebat; decrescente autem eâdem, quia & monstrum decrescens sese intra viscera revocabat, aut detumescebat potiùs, foràs prodibat, zonâ jam arctiore. Quod & in alio juvene hic Ingolstadii fuit videre, cui itidem semper Lunâ auctiore, alterâ maxillarum, atque labra oris in immensum turgescebant; Lunâ autem lumen amittente redibat clementior forma.* Quod ergo Luna fecit in his jam natis, atque auctis, utique factitare cœpit in iisdem adhuc materno utero conclusis. Et si Lunæ tantam attribuimus efficaciam, cur cætero siderum cœtui eam denegabimus? Certè quòd alibi olim gigantum, alibi pygmæorum nationes integræ reperiebantur; quòd caninis capitibus, aliisque figuris homines nascebantur, ut libro 3. superiore vidimus, cœlo sideribusque non improbabili sententiâ nonnulli adscribunt, cùm ejuscemodi monstra non, sicut apud nos in Europa, singularia tantùm, & ex prodigio, sed secundùm ipsam quodammodò loci naturam usitatè nascerentur, adeòque nec inter monstra apud nationes illas numerarentur.

Judæus Tyrolensis monstroso ventre.

§. III. Alimentorum qualitas causa monstrorum.

Alimentorum qualitas causa mõstrorum.

TErtia causa est locorum genius, alimentorumq; ratio. Hæc monstrositati conciliandæ vim non mediocrẽ subinde conferre, probant abundè strumosorum nationes, Stiria præsertim, ac Valesia, ubi propter aquarum per salé, per metalla, per lapides labentium atq; serpentium insalubritatem, viri fœmineq; strumas è collo, tanquam carneas quasdã crumenas,

nan-

nanciſcuntur dependulas, cum gutturali & ingratè pingui abſonæ vocis ruditate. Refert *Sebaſtianus Münſterus* lib. 3. Coſmographiæ, in dictis regionibus homines adeò ſtrumoſos eſſe, ut non ſolùm ſtrumæ pondus ſermonem impediat, ſed fœminæ quoque lactantes poſt tergum illas, perinde atque ſaccum, projiciant, ne infantibus ad potum inhiantibus ſint impedimento. Nec fabuloſum fortaſſe eſt, quod narrari à quopiam audivi, ſtrumoſos illos, ſi à quopiam interrogentur, non illicò reſponſum dare, ſed magno conamine poſt moram non modicam tandem verba paucula ex inflato gutture depromere. Quales autem parentes, tales naſcuntur & filii; utique quia monſtroſitatem illam cum alimento intra matris uterum ſuſcepto hauriunt.

§. IV. Imaginatio cauſa monſtrorum.

Imaginatio cauſa monſtrorum.

QUarta cauſa, nec rara, eſt imaginativa parentum, matrum præſertim, quæ ſæpe abſurdas, peregrinas, penitusque monſtroſas formas, quas mente volvunt, dum utero concipiunt, aut fœtum geſtant, eidem fœtui imprimunt. Hæc multorum ac probatiſſimorum Auctorum eſt opinio, quam alio loco accuratè diſcutiam, ac ſtabiliam; nunc ſufficiat paucis eam teſtimoniis atq; exemplis confirmare. Refert *Avicenna* lib. 1. de Animal. gallinam quandam, quòd, dum ovis incubaret, milvi aſpectu perterrita fuerat, pullos milvino capite excluſiſſe. Perſina Charialiæ filiæ regis Æthiopiæ mater, teſte *Heliodoro* lib. 1. de rebus Æthiop. aſpectâ frequentiùs ac ſollicitiùs ſtatuâ Andromedæ, prope torum genitalem collocatâ, albam ex Æthiope prolem edidit, non ſine adulterii ſuſpicione, ut ſuprà cap. 15. retulimus: ubi etiam mentionem fecimus pueri inſtar urſi villoſi, & ungulis armati, nati Romæ ex illuſtri Urſinorum familiæ fœmina, Martini IV. Pontificis Maximi neceſſaria; quod non alia de cauſa contigiſſe narrant Scriptores hiſtoriæ, quàm quòd eo tempore, quo conceperat, & uterum geſſerat, frequenter urſorum imagines (quæ Urſinorum inſignia ſunt) oculis ac mente volviſſet: quâ re motus Pontifex, omnes urſorum imagines è domo tolli juſſit.

Monſtrum diaboli formâ.

Apud *Levinum Lemnium* lib. 1. cap. 3. de occult. nat. mirac. mulier, Orci larvis antea gaviſa, monſtrum eſt enixa, quod poſt primum lucis intuitum conclave ſtridoribus implevit, atque ultrò citroque diſcurrit, latebraſque quæſivit, dignas principe tenebrarum. Quintilianus, referente *Stengelio* lib. de Monſtris cap. 5. §. 9. matronam defendit, quæ Æthiopem enixa fuerat, cùm ejus coloris iconem in thalamo habuiſſet. Et Hippocrates quoque mulierem ſuſpicione adulterii laborantem, quia marito penitus diſſimilem filium pepererat, liberavit, quòd mulier illa in cubiculo picturam fixiùs aſpexiſſet, cui ſimilem infantem genuerat.

Idem

Idem *Stengelius* ibidem ait, novisse se virum bello ac sanguine nobilem, cui in pueritia omnes Angelicum vultum fuisse dictitabant. *Ipse autem solebat dicere*(subjungit Auctor) *matrem suam, cum pregnans esset, scitissima forma Angelum in pyxide depictum identidem secum in manu gestasse, & ad hunc ipsum finem assiduè contemplatam esse. Consecuta est igitur quod volebat. Angelum peperit, sed carne atque corpore indutum; quem & ipse sape vidi, atque hanc causam forma sua affirmare audivi.*

Alia ex larvato viro terribilem soboli formam, & ad Satyri modum contortos introrsum oculos, vultumque prorsus Acheronticum impressit. Historiam, inter alios, scribit *Ludovicus Vives* Comment. in lib. 12. S. Aug. de Civit. DEI his verbis. *Urbs est in Brabantia Buscumducis, in qua, ut in aliis ejusdem terra, stato anni die, quo ferunt maximum urbis templum dedicatum, publicè supplicatur, ludique variis Divis exhibentur. Sunt qui tunc Divorum personas induant; sunt qui damonum. Ex his unus, cùm visâ puellâ exarsisset, domum saltitando se recepit, & correptam, ut erat personatus, uxorem suam in lectum conjecit, seq; ex ea damonium velle gignere dicens concubuit. Concepit mulier, & infans quem peperit, simul primùm editus est, saltitare cœpit, formâ quali damones pinguntur.*

Monstrum instar Satyri.

Isenaci pudica matrona glirem peperit, quia ex vicinis aliquis gliri nolam appenderat, ad cujus sonitum reliqui fugarentur. Is occurrit mulieri gravidæ, quæ ignara rei, subito occursu, & aspectu gliris ita est conterrita, ut fœtus in utero degeneraret in formam bestiolæ. Suprà cap. 6. mentionem feci pueri nati in Bilsen Bohemiæ oppido, similis imagini crucifixi, ideo utique, quòd mater gravida crucifixi imaginem fuisset identidem intuita; tametsi *Stengelius* loc. cit §. 13. existimet, id contigisse in pœnam matris hæreticæ, ut quod in crucifixi imagine irriserat, in filio proprio intueri cogeretur. Similis pœna peccati elucet manifestiùs in illo, quod loco cit. scribit citatus Auctor, perscriptum sibi à viro erudito & fide digno, videlicet *Anno Christi 1599. die 29. Octob. matronam alioquin honestam Venetiis unâ partione gemellos edidisse, quorum non tantùm corpora invicem concreverant, sed etiam cancellatis cruribus ita juncta erant, ut ægrè sexus discerni posset. Diu fuerat à medicis & chirurgis inquisitum, quâ dissolvi possent; sed opera omnis lusa, omnes artes, omnes industria in irritum ceciderunt. Mortuo uno, alter quinque dies supervixit. Pudendi partus pudenda causa fuit, sed qua meritò terrere potest conjuges illos, qui existimant, nihil obesse, si thalamos suos suspensis undique obscœnis imaginibus exornent dicam, an dedecorent? Repertum est enim, Veneta illius domûs dominum propudiosam quandam in conclavi suo imaginem exposuisse: quâ complexus sponsorum exprimebatur.* Pareus refert, *mulieris febricantis ranam palma manûs fuisse alligatam aliquando, & deinde gravidam factam edidisse fœtum cum facie rana (ut suprà etiam retuli.) Wirtemberga civis erat facie cadaverosa, quòd mater*

Glirem peperit mulier.

Digitized by Google

gravida ex conspectu cadaveris fuerat territa. Mulier pregnans, cum maritum in pectore vulneratum ex improviso conspexisset, fœtum edidit eâdem parte vulneratum.

Innumera alia exempla omitto, quæ alibi referam, quando imaginationis vires in corpus tum proprium, tum alienum discutiam. Interim scio, verissimum esse, quod D. *Isidorus* scribit, *hanc fœminarum esse naturam, ut quales perspexerint, sive mente cogitaverint, in extremo voluptatis æstu, dum concipiunt, talem sobolem procreent. Etenim anima in usu Venereo formas extrinsecas intus transmittit, earumquè satiata typis rapit species earum in propriam qualitatem.* Eadem est D. Augustini, & D. Hieronymi, aliorumque innumerorum sententia.

Imaginationis vis in mulieribus.

Aldrovandus in Monstrorum historia putat, quoties mulieres cum bestiis congressæ pepererunt fœtum bestiis similem, monstra illa ex bestiarũ semine cum muliebri permisto minimè prodiisse, cùm ex Aristotelis doctrina bestia ex humano & belluino semine generari non possit, quòd semina illa qualitate vehementer dissideant, & bestiæ tempus gestationis in utero diversum ab homine requirant; sed asserendum esse censet, animalia illa ex humano orta semine vi imaginationis vehementis alterato, dum mulieres bestias admittentes apprehenderint atque timuerint, similes fœtus se genituras. Quod verum esse crediderim, si præter bestias viros admisere.

Mulier ex bestia quare pariat bestiam.

CAPUT XXIX.

De causa finali monstrorum.

Causa finalis monstrorum.

MOnstra tametsi Naturæ errores sint, fine tamen nequaquam carent, quidquid Stagyrita contrà sensisse dicatur à nonnemine. Certè à sapientissimo rerum omnium moderatore DEO nec frustra, nec unum solum ob finem permittuntur. Duos recenseo, atque exemplis confirmo. *Adeste ergò (verba sunt* Stengelii*) impatientiæ pupilli, qui Naturæ legem dicitis, & in cœlum os ponitis, atque arma in ipsos Superos movetis, quando infantuli adeò informes nascuntur, ut non homines, sed abominationes videantur.*

§. I. Monstra sunt signa DEI, monere, aut sanare volentis.

Monstra sunt signa Dei volentis monere, aut sanare.

PRima itaque finalis monstrorum causa est, ut sint signa DEI, volentis incautos mortalium animos monere, aut sanare: sicut enim per somnia, per Prophetarum oracula, per varia prodigia; ita & per monstra atque monstrosa præmonere solet, non probos modò, & cultui suo addictos, sed improbos quoque: nec singulos tantùm homines, sed integras etiam

Digitized by Google

etiam nationes, & gentes. Sunt qui nullum unquam monstrum sine præsagitione natum esse pronuntient. Sic, ajunt, tempore Xerxis regis vulpem ex equa natam, dissolutionem regni ejus portendisse: tempore Alexandri Magni, monstrum ex muliere natum, quod superiores partes hominis, sed mortuas, inferiores diversarum bestiarum, sed viventes habebat, repentinum regis interitum, & omnia in pejus ruitura, significasse. Ex eorundem mente infans ille, de quo suprà cap. 6. ore gemino, quatuor oculis, dentibus binis, barbâ, & duabus brevissimis auriculis, natus anno Domini 308. apud Daphnen Antiochiæ suburbium, Constantii Imperatoris temporibus, Rempublicam in statum deformem verti significavit propterea, quòd sæculum succedens obscœnissimis moribus fuerit deturpatum, cùm mala penè innumera Ecclesiam Christi, sævientibus undique hominum perditorum insultibus, invaserint, & Imperator Constantius, fraudulentis Arrianorum imposturis illaqueatus, à vera pietate recesserit. Mauritii Imperatoris ætate, anno nimirum 578. puer alius in Thracia natus sine brachiis, & ab umbilico deinceps in piscem desinens, canis insuper capite leonino, & fœtus quadrupes, infelicem Mahumetis adventum præmonstravit, quippe qui audaci illecebrâ, & vanissimis commentis hominum mentes decipiens, terrâ marique dominari cœpit; quod, monstra illa partim terrestria, partim aquatilia significasse autumant. Fœtus humanus canino capite in lucem editus anno 914. mores Christianorum illius ætatis prædixit, qui mutuis morsibus se lacerantes, fuêre tandem à reliquiis impiarum hæresum Anthropomorphitarum & Manichæorum defœdati. Monstrum bicorpor, ex homine & cane integratum, Albaniæ in Epiro natum anno 1233. civitatem illam caninis morsibus, & clandestinis proditionibus divexandam ostendit. Aliud triceps apud Samnites anno 1255. tres Imperii Romani competitores; Puer biceps & quadrimanus, anno 1293. Bizantii natus, imperii Bizantini ruinam ac perniciem; Puellus quadrimanus & quadrupes, natus circa annum 1389. Schisma Benedicti XIII. qui antea Petrus Luna nominabatur, portendisse dicitur.

Monstrarum variorum præsagia.

Monstrum illud horrendum, quod anno 1496. in Tyberi repertum fuisse scripsimus suprà cap. 25. corpore humano squamoso, capite asinino, manu dextera humanâ, sinistrâ ad instar pedis elephantini, pede dextero aquilino, sinistro bubulo, ventre fœmineo, pectore mammis turgente, cum capite ad podicem barbato, alioque draconem æmulante; hoc inquam monstrum tam varium; aut varias hæreses tempora illa secutas, aut perditos temporis illius mores denuntiavit. Alterum anno 1512. Ravennæ natum capite cornuto, pede rapacis avis, genu oculato, alis loco brachiorum instructum, & sexu utroque deforme, excepit bellum funestum inter Julium II. Pontificem cum universâ penè Italia, & Ludovi-

cum XII. Galliarum Regem. De hoc cùm *Surius* in Histor. anni 1512. verba fecisset, addit, *Interpretationem quidam ejusmodi esse voluerunt. Superbiam, levitatem, virtutum inopiam, Sodomiticam labem, amorem rerum labentium, Dei oblivionem, inexplebilem avaritiam, Gallico flagello castigatum iri. Quod & factum est. Eodem enim anno Gallorum rex Ludovicus, rupto cum Pontifice & Maximiliano fœdere, Ravennam obsedit; & tandem deditione receptam urbem, contra fidem datam, diripuit, & magnâ clade affecit.* Ex tribus litteris, X, Y, & V, in illo altero, de quo eodem cap. divini flagelli declinandi rationem aliqui didicerunt. Nam X Christi crucem, Pythagoræ litteram Y virtutem designasse asserunt, ideoque si homines (ajunt) pro arcenda DEI ira, ad Christi crucem, & virtutes confugissent, procul dubio cœlum Lunæ penetrantes, ad sedes usque empyreas penetrassent. Concinna, nec ne, interpretatio sit, prudens Lector judicet. Omitto præsagitionem ex Vitulo-monacho in Saxonia, ex monstro Cracoviensi in Polonia, aliisque alibi natis, de quibus eodem capite; quorum interpretationem qui volet, adeat *Sobrnium* & *Aldrovandum*.

Cæterùm verum esse, quod diximus, monstra nimirum signa esse, impendentem DEI iram, ac scelerum ultionem portendentia, vel ipse malus dæmon est fassus. Refert enim *Strozius Cicogna* in Theatr. univers. nat. part. 1. lib. 3. cap. 1. atque ex eo *Henricus Kornmannus* de Mirac. mortuor. part. 4. cap. 13. historiam mirabilem de spiritu incubo, *qui Polycriti formâ Ætolorum princeps creatus esse, & juvenculam Locrensem uxorem duxisse, legitur, cum qua tribus exactis maritali consuetudine noctibus, subitò disparuit, gravidam uxorem reliquit: quæ postea hermaphroditum monstrosum valde partum edidit. Mulieris parentes attoniti, monstrum in forum detulerunt; ubi convocato senatu, vocatisq; aruspicibus, deliberatum fuit, quid monstro illo faciendum esset. Consuluerunt alii, ut partus flammâ aboleretur: alii, ut mater cum partu Ætolorum finibus exigeretur. Hic Polycritus nigro vestitu amictus repentè apparuit; & precibus primùm, deinde minis filium reposcit. Recusantibus Ætolis, in medium prosiluit, & infantem apprehensum totum deglutivit, capite excepto, statimq; disparuit. Ætolis ingenti stupore perculsis, & de legatis ad Oraculum Delphicum mittendis consulentibus. Infantis caput in medio foro jacens loqui cœpit, & gravi oratione magnam cladem prædixit; quæ non multò pòst secuta est, prælio inter Ætolos & Acharnanenses commisso.* En monstrum monstrans, & præsagiens: en dæmon, monstri pater, Dei lictor, & mali denuntiator.

Monstrum ex dæmone incubo.

Monstra igitur, cùm à mundi gubernatore DEO in finem tam eximium ordinentur, sine carere sine impietatis nota nemo imposterum asseret. Pergo.

§. II. Mon-

Digitized by Google

§. II. Monstra sunt à Deo inflicta, ob scelera hominum.

Monstra à Deo permissa ob hominum scelera.

NOn signa tantùm, sed supplicia quoque sunt monstra, à DEO scelerum ultore, vel in ipsos monstrosos, vel parentes, vel magistratus, vel communitates inflicta; idque variis modis, ob varia peccatorum genera. Hoc adeò cæca agnovit gentilitas. Hinc tot homines pœna dignos, in monstra conversos, decantaverunt Ethnicorum Theologi Poëtæ. *Hinc* (verba sunt Stengelii, hoc ipsum argumentum pertractantis) *Actæon in cervum, Iphigenia in cervam; Scylla, Aglauros, Daphnis, Anaxarete, Niobe, Aconteus, Atlas, Lycas, Olenus, Prætus, in saxa; Lycaon in lupum, Achelous in taurum, Æsacus in mergum, Antigone in Ciconiam, Atalanta in leanam, Arachne in araneam, Alcithoë in vespertilionem, Diana in felem, Cadmus in anguem, aliique in alias formas monstrosissimâ metamorphosi feruntur conversi. Ita enim unius curiositas, alterius crudelitas, tertii impietas, & alia crimina aliorum castigata significabantur.*

De Nabuchodonosoris regis in bovem transmutatione, ob animi elationem à DEO inflictam, egimus libro 3. superiori cap. 20. Nota est historia *Genes.* cap. 19. de uxore Loth, *quæ respiciens post se, versa est in statuam salis*; utique in pœnam curiositatis. Suprà cap. 25. retuli ex annuis Collegii nostri Moguntini litteris, prolem ex fœmina hæretica pileo Jesuitico tectam, ob matris in Jesuitas odium atque procaciam.

Monstrum dæmoniforme.

Mirabile est, quod in Geldria circa annum Christi 1575. contigisse scribit *Wierus* lib. 4. cap. 18. de præstigiis Dæmon. his verbis. *Quidam non obscuri nominis, Regi Hispaniarum apud Geldros militans, cùm è familia nobili honestam duxisset conjugem, quam & duriùs tractabat, intelligeretq́; tandem, ipsam uterum ferre; indignanter, veluti sinistrè precatus, ait illi: Tu infernalem gestas dæmonem, quem gladio confodiam. Non longè pòst filiolum genuit, dimidiâ corporis inferioris parte benè formatâ; verùm superior pars lituris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotundo, nigro, tetro, ut Satyrus; auribus longis, veluti canis venatorius; in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus contrectata reddebantur sanguinea.* Talem nimirum huic marito partum edidit uxor, qualem optavit, & monstra pœnam peccati quandoque esse ostendit.

In Historiæ Aquitanicæ fragmentis ex *Pethæi* collectione editis, & apud *Petrum Damian.* Epist. ad Desiderium Abbat. Cassin. legimus, Robertum Galliarum regem propinquam sibi copulasse in uxorem, ex eâque suscepisse filium, anserinum collum & caput habentem. Alio monstro punitum refert nobilem Teutonem *Thomas Cantiprat.* lib. 2. Apum cap. 49. §. 17. Hic adeò captus amore venandi erat, ut etiam Dominicis festisque diebus templo & missæ sacrificio adesse negligeret, nec piæ uxoris monita in animum

Monstrum cum capite canis venatici.

in animũ demitteret. Quod igitur fœmina non emendavit suâ pietate, punivit Deus Naturæ errore. Siquidem innocens uxor, post multos felices partus, tandem peperit puerum abortivum prodigiosi capitis, quod canis venatici speciem habebat: erat enim molossico rictu, & auribus flaccis ac dependulis, braccorum more. Erubuit partu mater, & inito cum præsentibus matronis consilio monstrum mox terrâ obruit, ne à superveniente marito videretur. At is domum veniens è venatione, & de partu inquirens, cum rescivisset tumulatum, stricto gladio retegi coëgit, & tam deformis monstri aspectu ita mutatus fuit, ut negligentiam lacrymis ac seriâ pœnitentiâ elueret.

Libro 3. superiore cap. 11. ubi de hominibus caudatis, exemplum retulimus ex Joanne Majore de Anglis quibusdam caudatis, in vindictam injuriæ irrogatæ Augustino Monacho. Similem historiam refert *Polydorus Virgilius* lib. 13. Histor. Anglicanæ. Postquam enim D. Thomas, Cantuariensis Episcopus, ob impias Regis Henrici voces, jam passim velut hostis regis haberetur, ac vulgò negligeretur, contemneretur, & in odio esset, contigit *ut cùm venisset aliquando Strodum (qui vicus situs est ad Meduciam flumen, quod flumen Rocestriam alluit) ejus loci accolæ cupidi bonum patrem ita despectum ignominiâ aliquâ afficiendi, non dubitarint amputare caudam equi, quem ille equitaret; seipsos perpetuo probro obligantes: nam postea motu Dei ita accidit, ut omnes ex eo hominum genere, qui id facinus fecissent, nati sint instar mutorum animalium caudati. Sed ea infamiæ nota jam pridem unà cum gente illa eorum hominum, qui peccarant, deleta est.* Quod ultimum an ex vero ab Historico sit affictum, ait *Delrius* lib. 2. Disq. Magic. q. 14. Deo notum esse.

Caudati quidam in Anglia nati.

Formidabilis est historia, si quæ alia, quam refert *Stengelius* libro de Monstris, ex Jansonio, & Michaële Isselt lib. 12. Mercurii Gallobelg. in anno 1595. his verbis. *Baccharach oppidum est in ipsa Rheni ripa, inter Confluentiam & Moguntiam situm. Ajunt, olim Bacchi aram, ob vini ibi nascentis præstantiam fuisse nominatum. Ibi homo degebat mortalium & immortalium contemptor, cujus DEUS venter, templum popina, patronus cantharus. Hic anno Domini 1595. die 14. Martii, ipsa Dominicâ Quinquagesima, ne moris sui oblivisceretur, in cauponam se conjecit, usque ad vomitum potaturus, lusurus usq. ad paupertatem. Uxor, postquam eum è domo elapsum amisit, facilè conjecit, ubi locorum quærendus esset. Quia igitur partui vicina, verita est ne totum peculium puerperio suo imminenti necessarium abligurriret maritus, secuta eum, rogare, & nitibus verbis monere cœpit, ut tandem finem imponeret commessationibus, & secum redire domum vellet antè, quàm omnia degularet. Ebrios faciliùs est ducere, quàm ebriosos. Hinc & iste nõ satiatus, facessere uxorem, & in malam rem ire jussit; monere pergentem, & jam accensiùs obloquentẽ, verberibus abegit, jussitq; cum vivo suo malo dæmone, quem in utero gereret, quique illi in partu pro Lucina futurus sit, domum, unde malũ pedem attulerat, rebitare: ni pareret, se gladium summ illi capulo tenus in ventrem immersurum. Illa verò: Eja, inquit, mi vir,*

Monstrum Baccharacense.

Digitized by Google

mi vir, ergonè ego vivum in utero gero dæmonem? Esto igitur. Nec plura locuta, acerbè lacrymans ad ædes reversa est, relicto inter edones & combibones aleatoresq; marito. Vix domi appulerat, cùm dolores partus sensit; sive quòd injuriæ acerbitas, sive quòd divina vindicta, sive utrumque, partum ante tempus maturavit. Vocatur obstetrix, adsunt vicinæ mulieres, editur in lucem fœtus, o qualis! quàm horribilis: quàmq; prodigiosus: Anteriore superiore parte homini, inferiore posterioreq; parte per omnia serpenti similis. Trahebat autem post se caudam tribus ulnis longam diversicoloribus maculis variegatam. Hoc tam horrendum monstrum, tanquam stellio Cereris, non diutiùs vixit, quàm quoad munere suo perfunctum esset. Munus autem erat, non tantùm formidinem injicere iis, qui aderant, & (velut olim curiosa illa

Erichthonium prolem sine matre creatam,
Infantemque vident, apporrectumque draconem,)

monstrum biforme conspexerant; verùm etiam ut reducem ex hospitio parentem pro merito plecteret, ostenderetquè quàm sint imprecationes efficaces, redeuntibus per jugulum auctoris, unde malè exierunt, diris. Phaax igitur ille, cùm libidinem suam potando ludendoq; satis explesset, vino & somno plenus domum rediit. Vix ingressus est cubile, in quo & puerpera, & partus jacebat; & ecce monstrum recens natum instar falconis in eum illatum est, horrificèq; sibilans hominem caudæ suæ spiris implicatum, venenosis ictibus eum in modum pupugit, flagellavitq;, ut toto corpore tuberibus pleno, paulò pòst infelicem animam priùs, quàm crapulam exhalârit. Conjuge defuncto, puerpera quoque extincta est. Sed & monstrum vivere desiit, quo Deus punivit viri in pragnantem uxorem inclementiam & crudelitatem; ut alii discant & linguam frenare, cohibereq; ab increpando, & manum abstinere à conjuge uterum ferente, &c.

Hactenus Stengelius, qui eodem loco narrat ex *Gastio* pag. 13. historiam aliam de Morindo Britanniæ rege, qui post superatos, & crudelissimè enecatos inimicos, tandem fuit à monstro immani devoratus. Venit enim ex Hibernia formæ longè monstrosissimæ, & inauditæ feritatis bellua; quæ primò maritimos incolas invasit, eosq; lacrymandum in modū laceratos absumpsit. Narratâ clade Morindo, advolavit is armatâ suorū manu comitatus, cum ea certaturus, & immanitatis suæ mercedem accepturus. *Omnia tela emissa in irritum ceciderunt, siquidem ea sine noxa hausit monstrum. Pharetris omnibus evacuatis, monstrum ad regem acceleravit, eumque diductis faucibus pisciculi instar devoravit.*

Monstrum Britannicum.

Ex dictis hoc capite patet, tantùm abesse ut DEUS sit iniquus, si non modò bestias, sed homines quoque informes nasci sinit, ut summam potiùs sapientiam, bonitatem, ac justitiam in iisdem ostendat; quandoquidem id vel in pœnam ut judex, vel in medicinam ut medicus, vel alios in fines sapienter ac providè ordinat. Utut Natura (Philosophorum more loquor) erret, & à præstituto sibi fine aberret; DEUS ubique & semper certo fine agit, maximèque ordinatâ incedit viâ, secundùm abditissimas divini

Deus cur monstra nasci permittat.

vini

vini consilii rationes. Natura autem mutabilis (ut piè ac doctè philosophatur *Cornelius Gemma* in Cosmocriticis) illi obtemperans, etsi juxta inferioris mundi seriem à solita lege deflectat, rapitur tamen divini spiritus vi, jam seipsâ prope divinior facta: quippe quæ legi antiquiori & sanctiori Dei porrigens manum, toti se subjicit totam, & vel deerrando ad destinatum à DEO collimat finem.

CAPUT XXX.

De nonnullorum monstrorum causis in particulari.

Monstrorum causæ in particulari.

QUæ de monstrorum causis hactenus diximus, communia sunt omnibus monstrositate aliquâ affectis; nunc aliquorum in particulari causas rimabimur, omnium enim non possumus, ob materiæ vastitatem.

§. I. De causa monstrorum acephalorum.

Monstrorum acephalorum causa.

DE his egimus cap. 1. Causa eorum non est petenda à parentibus mutilis (nisi in locis, ubi tota aliqua natio acephala foret) quoniam id experientiæ repugnat, cùm nullum ex dictis citato capite, in Europa saltem natis, ortum ab acephalis parentibus fuerit. Nec causa eorundem monstrorum petenda videtur ab inopia materiæ, aut ab imbecillitate virtutis formatricis, aut ab angustia receptaculi fœtus: quia cùm materia principio indifferens sit, ad suscipiendas dispositiones cuicunque membro corporis futuri necessarias, non est credibile, virtutem formatricem disponere atque elaborare illam ad aliorum potiùs membrorum, quàm ad capitis, cùm hoc sit omnium præcipuum, & ad animæ susceptionem maximè necessarium. Veram itaque causam acephalorum hominum (de his potissimùm loquor) existimo esse, quòd vel portio materiæ capiti destinata, & jam aliqualiter disposita, ex aliquo accidente corrumpatur; vel quòd caput jam formatum, & reliquis membris legitimè cohærens, casu aliquo intra uterum ante partum avellatur, seu id contingat naturali causa, seu supranaturali. Confirmat, quod dixi, historia memorabilis, quam legisse me memini, mulieris gravidæ, quæ postquam vidisset in erecto pegmate amputari nescio quorum reorum capita, peperit paulò post infantem acephalum.

§. II. Causa monstrorum polycephalorum.

Monstrorum polycephalorum causa.

DE his egimus cap. 2. & 3. Bicipitum causam putant aliqui esse copiam materiæ seminis. Nam si materia destinata formationi capitis, dividatur in duas partes vi facultatis formatricis, ajunt duo in uno corpore

Digitized by Google

pore reſultare capita: quæ quidem materia ſi exigua eſt, & unius tantùm capitis formationi ſufficiens, parva admodum procreantur capita: ſi autem copioſa, & duobus ſufficiens, juſtæ magnitudinis evadunt. Materiam porrò ſpermaticam capitis formationi à Natura deſtinatam exiſtimant eſſe illam, quæ ex ſuperfluo alimento nutritionis capitis parentum remanet; quæ cùm ſit abundans, interdum à facultate formatrice in duas diſcriminatur partes, & fœtus bicipites procreat.

Alii non in copiam, ſed in defectum materiæ cauſam bicipitum monſtrorum referunt. Nam quando materia in matrice contenta minor quidem eſt quàm ut pro gemellis ſufficiat, major verò quàm ſimplex fœtus exigat; tunc, inquiunt, Natura primùm incumbens in capitis formationem, ob materiæ copiam caput geminat, reliqua verò membra, deficiente materiâ, ſimplicia efformat. Et hanc arbitrantur eſſe rationem, cur tam frequenter hujusmodi bicipites fœtus reperiantur, tam in hominibus, quàm in beſtiis.

Alii tam capitis, quàm quorumvis aliorum membrorum geminationem ſuperfœtationi attribuunt, dum tantum novæ materiæ ſeminalis utero ingeſtæ priori applicatur, quantum novo membro conſtituendo eſt ſufficiens. Alii eundem effectum adſcribunt effuſioni ſeminis materni citra ſuperfœtationem. At neutrum approbat *Aldrovandus*, quoniam alioquin membrum ex nova materia ſuperveniente generatum unà cum priori ad debitam perfectionem pertingere minimè poſſet.

Alii cauſam prædictæ capitum geminationis referunt in uteri materni anguſtiam. Ubertas enim materiæ in loco anguſto, inquiunt, formatis partibus præcipuis pro generatione gemellorum, ſcilicet capitibus, in reliquas partes geminatas non poteſt converti, quia illas locus arctus non capit, ideoque tunc ex duplicato unum tantùm fit corpus, & monſtrum biceps generatur. Addunt, hoc caſu partes inferiores monſtri ſolere eſſe juſtò craſſiores.

Alii in parentum imaginationem atque timorem conjiciunt cauſam, dum vehementer apprehendunt ac timent ſimile monſtrum à ſe generatum iri.

Hæ ſunt præcipuæ opiniones, quas reperi. Ingenioſus Lector eligat quam judicaverit convenientiorem. Prima, ſi per materiam uni membro efformando deſtinatam, intelligat materiam à virtute formatrice jam ad unius certi membri conſtitutionem diſponi cœptam, omnium probabiliſſima mihi videtur. Quamvis & aliæ quoque ſubinde concurrere queant. Quâ explicatione admiſſâ, jam facilè redditur ratio, cur tam capita, quàm alia quoque membra, non ſolùm geminentur, ſed etiam multiplicentur. Item cur aliqua monſtra, præter caput, aliaque membra

naturali loco constituta, alia alienis locis gestent, ut caput in ventre, brachium & manum in latere, oculos in pectore, &c.

§. III. Causa Monstrosorum capitum.

Monstrosorum capitum causa.

DE monstris hujus generis egimus cap. 4. 5. & 6. Horum causam non unam esse reor cum *Aldrovando*, qui inter eas primum locum dat debilitati generantis. Quæ debilitas cùm latitudinem habeat, varios etiam effectus sortiri potest. Unde sic discurrit. Genitor debilis cum virtute formatrice in firma tantùm matrice dominante, fœtum masculum quidem generat, at in figura non prorsus similem, sed defectu aut monstrositate aliquâ deformem. Si augetur languor utriusque, genitoris inquam, & virtutis; non marem sibi in forma similem, sed fœminam dissimilem procreat. Si cū virtute sexus imbecilliori, vis individui sit valida, fœmina procreatur in extremitatibus corporis dissimilis. Tandem ex imbecilli virtute seminis emergit fœtus, nō homini, sed bestiæ similis vel secundùm partem, vel secundùm totum. Hinc, ait, optimè colligunt viri eruditi, languescente virtute maris, ex mulieribus procreari partus monstrosos, eò magis minusvè, quò major fuerit dictæ virtutis debilitas. Et monstrositatem quidē modò oriri in capite, modò in manibus, pedibus, aliisvè membris, prout nunc hæc, nunc illa portio seminis malè est affecta, quæ constitutioni capitis vel aliorum membrorum erat destinata. Quando autem hic languor ultimum attigerit gradum, non animal procreatur, sed mola, aut semen purum infœcundum effunditur. Hæc Aldrovandus. Causa igitur, cur nascantur aliquando homines cum capite non humano, aut belluæ cum alterius speciei capite, aut quæcunque monstra fœdam capitis constitutionem habentia, ex Aldrovandi mente est præcipuè imbecillitas virtutis formatricis in semen agentis.

Aliam causam ut adsignet idem, ait, quando virtus totius seminis alienam naturam induit, redduntur fœtus adeò monstrosi, ut referant speciem animalis diversi à natura generantium: quando verò portio tantùm seminis alienam naturam sortitur, tunc solum caput, vel alia pars fœtus, degenerat in alienam formam. Et hoc non de homine tantùm, sed de aliis quoque animalibus intelligendum esse asserit. Hinc constare dicit, cur interdum ex congressu legitimo nascatur animal alienæ à genitoribus speciei, aliquando verò homo cum capite belluino, aut bellua cum capite animalis à generantibus distincti. Cum his consentiunt, qui dictorum monstrorum causam in malam dispositionem materiæ fœtuum rejiciunt Sicuti enim (inquiunt) generans minimè languidum, neque à propria natura degenerans, dum materiam perfectè dispositam nanciscitur, effectum sibi simillimum, hoc est, juxta conditiones naturæ genericæ, specificæ, & individualis

vidualis formatum producit; ita è contrario si in materiam minùs idoneam incidit, minùsque aptam ad dotes individuales excipiendas, effectum similem quidem in essentia specifica, at non in individuali procreat; si autem in materiam adhuc minùs idoneam incidit, & ad specificas naturæ conditiones recipiendas ineptam, animal diversæ speciei producit. Quòd si portio tantùm materiæ imperfecta modo prædicto fuerit, partus habebit membrum illud à propria specie alienum, cui materia illa destinata fuerat: si autem plures portiones ita se habuerint, plura procreantur hujusmodi membra.

Alii causam, cur membra à specie aliena sortiatur fœtus, virtuti nutritivæ attribuunt, non potentis alimentum aut ex toto, aut ex parte, ad debitam perducere perfectionem. Alii verò in ipsum elementum conjiciunt causam.

Dubium non est, quin sæpe mónstra cum capitibus aliisque membris à specie alienis nascuntur ex causa primo & secundo loco adsignata: puto tamen, præter DEUM prædictas monstrositates subinde ob fines peculiares permittentem, causam potissimè & ordinariè in imaginationem genitorum, præsertim matris, & in vehementem appetitionem, aliamvè animi passionem, esse referendam, dum aut imaginantur, aut immoderatè appetunt, timent, refugiunt similia membra à specie sua aliena. Bononiæ, teste *Aldrovando*, uxor pharmacopolæ gravida cùm sæpiùs angues excoriatos, & aëri expositos in vicinis ædibus per fenestram observasset, ac vehementiùs appetivisset; puerum anguino capite peperit. Alia in Sicilia, *Liceto* referente, cùm astacum seu cancrum marinum in manu piscatoris è mari recenter captum conspicata fuisset, ac desiderasset impotentiùs, astacum marinum prorsus similem, unà cum fœtu enixa est. Mater, quæ peperit puerum illum, de quo cap. 6. in fine ex Schenckio, multis annis aversata fuerat capita illa ovina, quæ in macellis exertâ linguâ publicè venalia exponuntur. Hujus autem aversionis causa fuerat, quòd caput hominis publicè decollati cum lingua exerta aliquando viderat. Ita testatur citatus Auctor.

Quòd si uterque, aut alteruter saltem genitorum simili aliquâ monstrositate est affectus, non dubium est, quin fœtui quoque eandem aliquando imprimant. Hinc cynocephali à cynocephalis, sciopedes à sciopedibus, caudati à caudatis, in aliquibus locis nascebantur; & etiamnunc in Africa, ubi major est copia monstrosorum animalium, frequentiùs similia generantur monstra, à genitoribus videlicet monstrosis.

Accedit nefaria hominis cum bestiis commistio, aut ferarum diversæ inter se speciei concubitus: tametsi enim existimem, ex solo congressu bestiæ cum muliere nasci non posse prolem humanam; si tamen præter

virum admittat mulier bestiam, fœtum humanum cum membro aliquo belluino progignere potest: & si bestia præter bestiam admittat virum, edere potest fœtum belluinum cum membro humano: si eadem bestia cum sola alterius speciei bestia commisceatur, fœtum belluinum suæ speciei cum membro alterius speciei effundet; non enim ex tali commistione semper oritur tertia quædam species, sed tunc tantùm, quando genitores non admodum discrepant quoad naturam, & semine utriusque congruâ proportione coadunantur, ut fit dum ex equo & asina, aut ex asino & equa nascitur mulus, ex cane & lupo lynx.

Incredibile quoque non est, dæmonem aliquando, permittente DEO, semina humana in utero fœmineo ita debilitare atque corrumpere, ut vel bestia, vel homo cum membro aliquo bestiæ inde nascatur. Nec ultra dæmonum vires est, fœcundum ac prolificum brutorum semen utero fœmineo ingerere, ex quo deinde bellua oriatur.

§. IV. Causa monstrorum cum brachiis nullis, mutilis, transpositis, multiplicatis.

Monstrorũ cum brachiis nullis aut mutilis causa.

De his monstris egimus suprà cap. 7. 8. & 9. Nunc causas breviter damus. Quòd nulla, aut mutila nanciscantur brachia fœtus, causa sine dubio est materiæ defectus in principio, aut corruptio ejusdem in utero, aut uteri angustia, aut parentes brachiis carentes, aut mutila habentes, aut matris imaginatio. Hoc ultimum confirmat exemplum, quod refert Illustriss. Comes *Dygbæus* in præclaro Libello de pulvere Sympathico, de muliere, quæ cùm, gravida licèt, prohiberi non potuisset quin visum iret infantem cujusdam peregrinæ sine brachiis nati, expleto tempore ad pariendum peperit simile monstrum. Contigit in Oppido S. Maxentii.

Quòd transponantur subinde brachia, causa præcipua, ac fortassis unica videtur esse, prava uteri conformatio, sive naturalis ea fuerit, sive adventitia. Etenim si propter obliquitatem matricis, vel propter tumorem ejusdem, aliudvè vitium, materia ad formationem brachii destinata in proprio loco non potest crescere ac dilatari, delata in alium locum adglutinatur collo, aut capiti, aut alteri parti, ibique formam brachii obtinet, perfecti aut mutili, prout magis aut minùs copiosa fuerit materia, & prout majus aut minus ibidem sortita fuerit spatium. Potest quoque ob motum & agitationem nimiam matris post conceptionem contingere, ut pars materiæ, quæ brachio formando destinata fuerat, aliò transferatur, ibique ultimam perfectionem nanciscatur.

Quòd brachia subinde multiplicentur, causa non est nisi abundantia materiæ pro brachiorum formatione disponi ab initio cœptæ: sicut enim

ex

Digitized by Google

ex abundantia materiæ pro fœtu integro multiplicando sufficientis, oritur illius multiplicatio; ita ex abundantia materiæ pro solo aliquo membro fœtus multiplicando sufficientis, illius solius multiplicatio resultat.

§. V. Causa manuum vitiatarum, aut truncatarum.

QUæ de brachiorum defectu diximus, applicanda quoque sunt manuum defectui in hominibus cum illa monstrositate natis. Plerumque tamen quòd manus non sint integrè formatæ, & in omnes digitos atque articulos distinctæ, attribui debet debilitati virtutis formatricis. Digitorum multiplicationi occasionem præbet materiæ digitis destinatæ abundantia.

Monstrorũ cum manibus truncatis aut vitiatis causa.

§. VI. Causa monstrorum cum prava ventris & genitalium constitutione.

DE his egimus cap. 11. Causæ solent esse variæ. Aliquando est matris metus vehemens, ne fœtus in utero damnum intentatum incurrat, ut contigit matri illius infantis, de quo *Schenckius* loc. cit. Aliàs est matris prægnantis casus, aut motus alius vehementior.

Monstrorum cum prava ventris constitutione causa.

N*E longior sim, aliorum monstrorum, de quibus à cap. 12. usque ad 25. inclusivè egi, causas omitto, quoniam ex dictis hactenus de causis in genere ac particulari facilè colligi possunt. Plura qui volet de monstris, legat Auctores initio hujus Libri citatos.*

APPENDIX
Ad
LIBRUM QUINTUM,
DE MIRABILIBUS MONSTRORUM.

MOnstra quia rara, curiosorum sunt cibus. Horum appetitui ut faciamus satis, quoniam hactenus non alia, quàm ex animalium genere in medium produximus monstra, humana videlicet & belluina, (ne extra limites in libri hujus quinti initio nobis ipsis præscriptos evagaremur)

addemus nonnulla ex aliorum quoque entium genere, plantarum dico, metallorum, lapidum, & aliarum rerum. Vagantur enim monstra per omnium rerum classes, quoniam in omnibus Natura à consueto operandi modo deviat, & insolita profert. Ne tamen existimet Lector, finem nostrum unicum esse, curiosorum pascere desiderium; addemus, aut interseremus quæ ad cognoscendam atque laudandam DEI sapientiam, bonitatem, justitiam conducere judicabimus. Sit itaque

CAPUT I.

De monstris Plantarum.

Monstra plantarum.

PLantarum monstra vocamus plantas, in quarum productione vel Natura, vel Ars deviavit à consueto aliarum sui generis plantarum modo & ordine. Possunt enim monstrosæ reddi plantæ vel naturâ, vel artificio: unde plantarum monstra alia sunt naturalia, alia artificialia Artificio redduntur monstrosæ aut per insitionem, cùm una arbor duplex vel triplex florum aut fructuum genus producit; aut tenelli illarum fructus ita deligantur aut comprimuntur, ut consueta figura mutetur, & in insolitam deviet. Naturâ verò monstrosæ redduntur eædem, quando hæc in radicibus, caulibus, foliis, floribus, fructibus, aliquo oppressa impedimento, errorem committit notabilem. De utrisque agemus.

§. I. Afferuntur varia plantarum monstra.

Plantarum monstra varia.

P*Linius* lib. 17. Natur. Hist. cap. 25. refert, natas arbores sine foliis: vitem & malum Punicam stirpe fructum tulisse, non palmite, aut ramis: vitem uvas sine foliis: oleas amisisse folia baccis hærentibus. Item olivam in totum ambustam revixisse: in Bœotia derosas à locustis ficus iterum germinasse: Leodiceæ adveniente Xerxe, platanum in oleam mutatam esse: Idem lib. 18. cap. 18. refert, Publio Ælio, & Cn. Cornelio Coss. quo anno superatus est Annibal, in arboribus nata esse frumenta. Idem aliàs quoque contigisse, docet Lycosthenes ad annum Mundi 3831. & 3841. Eodem Plinio teste libro 17. cap. 25. Neronis principatu arbores dicuntur sedem mutavisse: Trallibus, in æde victoriæ, palma viridis, sub Cæsaris statua, inter coagmenta lapidum justæ magnitudinis enata est. Hoc tamen ultimum, tametsi rarum, monstrosum non est, nisi apud superstitiosiores, qui omnia rara atque insolita in omen trahunt, & inter prodigia ac monstra numerant. Visitur in horto Principum nostrorum Herbipolensium,

lensium, sito ad Mœnum in pago S. Viti, betula justæ magnitudinis, cujus truncus virile brachium adæquat, enata ex ipso ficcissimo muro palatii ex lapidibus quadratis constructo: nemo tamen unquam arborem illam, tametsi raram, vocavit monstrosam. Sed hæc lis est de nomine. Redeamus ad historias.

Gualterius, referente Aldrovando cap. 12. de Monstris, Sigibertum citat auctorem, sambucum quandam præter consuetudinem uvas protulisse. Advertit tamen Aldrovandus, hallucinatum fortassis fuisse, illâ sambuci specie deceptum, quæ fructus uvis simillimos producit, & hodie in Viridariis ab Herbariis sambucus muscatella vocatur, quoniam fructus degustati, uvæ apianæ (quæ vulgò muscatella dicitur) saporem refert.

Inter arbores prodigiosas seu monstrosas referunt nonnulli ulmum, quæ, ut scribit *Philostratus* in Vita Apollonii, præcipiente Theopetione Gymnosophistarum duce seniore, salutavit Apollonium, inclinato cacumine, & susurrantibus frondibus. Sed hoc, si verum est, non Naturæ, nec Artis humanæ ac licitæ, sed dæmonis opus fuit.

C. Epidius apud *Plinium* lib. 17. cap. 25. testis est, arbores locutas. Idem Plinius alibi refert, in quodam luco Junoni sacro prope Nuceriam tempore belli Cimbrici, ulmum veterem ad terram prostratam, fastigio cæso, sponte erectam denuò frondes emisisse: indeque Augures collegisse, populum Romanum ærumnis, quibus tunc premebatur, liberandum fore. Hæc si vera sunt, idem de his arboribus sentiendum est, maximè de prima, quod de arboribus Dodonæis stygiâ arte loquacibus, ut vidimus suprà in Appendice ad lib. I.

Venio ad alia veriora, & quæ magis ad rem nostram faciunt. Anno Christi 1546. Basileæ Rauracorum, in quodam viduæ agro, ut testatur *Lycosthenes*, in D. Albani suburbio habitantis, stipula siliginis decorata septem spicis inventa est; inter quas spica eminentior reliquas magnitudine superabat. Eodem anno Carolus V. Imperator, copiis Hispanicis stipatus, in Germaniam irrupit, ut Septemvirorum unum ad obsequium cogeret. Eodem Lycosthene teste, Anno 1541. in Germania, propè pagum Malsch, non procul à Spira urbe Imperiali, absque ulla satione inventus est culmus quindecim spicarum, aristis suis perbellè munitarum. Subsecuta est magna rei frumentariæ copia.

Idem *Lycosthenes* refert, Anno salutis nostræ 1541. vindemiæ tempore repertas fuisse in Germania, propè Alberschweiler, non longè à Landavio oppido, uvas barbatas; quæ primùm ad Ludovicum Bavariæ Ducem dono missæ fuerunt: deinde à Ferdinando Rege, & Principibus Impe-

Imperii, miraculi loco conspectæ. Uvas depinxit, & vivis coloribus expressit, Henricus Vochter, insignis pictor. Iconem vide apud Aldrovandum cap. 12. Operis de Monstris.

Anno 1553 ut citatus Lycosthenes scribit, in pago quodam non procul à Norimberga zu dem Thon nuncupato, in agro villici Hofeleri, inventum est caput brassicæ, cui sex alia capita supra decem ex uno & eodem caule, suis distincta foliis, accreverant. Quæ brassica tanquam prodigiosa, ad Dynastas illius loci delata, & multis aliis ostensa fuit. *Aldrovandus* citato proximè loco ait, vidisse se Bononiæ in horto cujusdam olitoris brassicam capitatam immensæ molis, ad quam conspiciendam multi concurrerint. Addit, olitorem curiositate ductum circa radices brassicæ fodisse, ac reperisse calceum veterem terrâ obrutum, ad quem radix brassicæ pertingebat: indeque collegisse, coria vetera huic herbæ esse grata. Omitto multa alia ejusdem generis quæ occurrunt.

§. II. Arbores statuis, rebusque aliis prægnantes. Statua Beatæ MARIÆ Virginis Foyensis.

SÆpe aliqua Naturæ monstra putantur, quæ aliunde ortum habent; inter monstrosa tamen seu prodigiosa numerantur, quia causa ignoratur.

Arbores statuis, & rebus aliis prægnantes.

Megaris, teste *Plinio* lib. 16. cap. 39. diu stetit oleaster in foro, quæ arbor fatalis habebatur excidio urbis præmonitæ oraculo, cùm arbor arma peperisset; quòd succisæ accidit, ocreis galeisque intus repertis, quia olim viri fortes illi sua affixerant arma, quæ cortice ætas longa ambiente occultaverat. Ni priùs ibi suspensa fuissent, nunquam arbor illa arma peperisset.

Ad eundem modum credibile est, imagines quasdam sacras arboribus appensas, aut intro absconditas, corticibus successu temporis involutas, & à tempestate atque imbribus servatas, in pietatem posterorum, quorum tempore detectæ fuerunt. Unum aut alterum exemplum appono.

Foyensis statua & lapilli.

In agro Foyensi, Dionantinæ regionis (ut refert P. Joannes Burgesius libro de Patrocinio B. MARIÆ Virginis) *quercus erat annosa & procera, cujus in octo pedes se se diameter explicabat, quam vix suo complexu bini homines cingerent: quæ indicio trecentis abhinc aut quadringentis annis stetisse credebatur. Hæc dum in frusta ceditur, pabulum ignis futura, in ipsius trunci meditullio ac corde reperta fuit, paulò major pedali, statua sanctissima Virginis Filium DEI gestantis, fictilis quidem illa ac testacea, sed eleganti formâ, mira totius oris ac corporis venustate, ad cœlestem quandam majestatem composita. Credibile est, jam olim ante aliquot secula, cùm primùm illa quercus adolesceret, caso apertoq; cortice, statuam illi impositam atq; affixam, post excrescente paulatim robore, interceptam atq; inclusam in illius*

illius visceribus tamdiu delituisse. Cui rei fidem faciunt quoq; reperti clathri ferrei, vetustate propemodum exesi ac consumpti, quorum septo inclusa tenebatur. In alio item ejusdem quercus fragmento, velut ad DEIPARÆ pedes, ritè compositum puellare capillamentum, virginitatis, uti conjectura est, Virgini Matri dicatæ monumentum. Deniq; vulgares cærulei quidam lapilli, & ipsi senio obsoleti: quos qua de causa Reginæ cœli consecrârint, haud facile est divinare.

Suspicio quoque est, à prioribus illis sæculis B. Virginem hoc loco coli solitam à peregrinis, ut non nova, neq; recens orta, sed vetusta, & postliminiò revocata & redintegrata videatur hæc religio. Nā ex itinere quadā est vallis, & depressa planities, quæ ante omnium hominum, qui supersunt, memoriam à peregrinantibus nomen invenit.

Cùm aliquandiu domi seposita, & sine cultu & honore jacuisset imago hæc DEIPARÆ, jussu Toparchæ alteri propinqua affixa quercui, miraculis clarescere cœpit, ac peregrinorum ex omni vicina regione concursantium multitudine frequentari, dum aliquando ejusdem curâ Toparchæ Sacellum eo loco construeretur, quo prior stetisset illa quercus, cujus in trunco tot annos imago sacra latuerat. Ad id Sacellum Serenissimi quoque Belgarum Principes, Albertus & Isabella Austriaci, peregrinationem instituerunt, miraculorum famâ permoti; ac pro ea quâ sanctissimam Dominam nostram colunt pietate, multis locum muneribus exornârunt. Inter cætera tabellam affabrè factam, in ara principe locandam donârunt: quam Dionantenses nostri Discipuli agmine pulcherrimo supplicantium ritu detulerunt, oblatoque per singulas classes cereo, ac brevi carmine sanctissimæ Matri recitato, dedicârunt.

Ab eisdem quoque Discipulis nostris primùm est observatum, quod à cæteris deinceps magno plausu celebraretur. Ager est proximus Sacello B. Virginis. In eo levi terræ conversione splendentes gemmarum in morem effodiuntur lapilli, tantâ colorum varietate ac venustate, ut Natura, vel Naturam supergressus Deus, in iis mirificè lusisse videatur. In his adamantis candidus nitor, in illis onychius pallor arridet; in istis pyropi micat ignis, in aliis crystalli lux effulget; quidam chrysolithi aurum, alii smaragdi virorem, lac alii galactites, alii opali rosam, aliqui amethysti purpuram, alii hyacinthi violam, nonnulli coralli coccum, alii hæmatitæ sanguinem æmulantur; nonnulli saturum ruborem amant, aliis dilutus rubor gratiam conciliat: denique videtur in hunc agellum Beata Mater omnium gemmarum colores ac pretia transfudisse; quodq; magis mirandum, diviniorem quandam vim iis indidisse ad salutem mortalibus impertiendam: nam plurimi solo lapillorum attactu gravissimis levati sunt doloribus, ac periculosis erecti morbis: febricitantibus verò passim haustus pulvisculus lapillorum, aut potionis cui fuerit iniectus sacer lapillus, segminum denique utriusq; quercus saluti fuit &c. Hæc & alia Burgesius. Locum ipsemet non procul Dinando, oppido ad Mosam sito, adivi, Sacellum vidi, agrum lustravi, lapillos collegi, & etiamnum in veneratione habeo.

Neminem porrò existimo cum eodem Burgesio, & omnibus rectè sentientibus, adeò rudem esse, qui nesciat, in fragmentis quercus aut la-

pillis istis nullam inesse vim naturâ insitam miracula patrandi; sed quod iis DEUS supra Naturæ cursum ac vires effecta quædam edat miranda, id pro arbitrio clementiæ suæ facit, ad memoriam sanctissimæ suæ Matris in animis nostris exsuscitandam, aliosque ob fines, ipsi soli notos.

Surius in Historiis suis narrat, Anno Domini post sesqui millesimum quinquagesimo nono, Martio mense, in regione Angliæ, quam Prisci Cambriam, & Nuperi Walliam vocitârunt, annosam quandam fraxinum per medium immani tempestate dissectam, effigiem Dominicæ crucis affabrè repræsentasse; eamque ibidem pluribus annis remansisse ad imprimendam humanis cordibus Crucis memoriam.

Plurima alia hujus generis, quæ adduci possent, omitto, & cum *S. Augustino* lib. 12. de Civit. Dei cap. 25. concludo, hæc omnia, & alia cuncta à summo DEO originem ducere. Nam quælibet (ait ipse) sive corporales, sive seminales causæ gignendis rebus adhibeantur, sive operationibus Angelorum, aut hominum, aut quorumcunque animalium, sive marium, fœminarumque mixtionibus, quælibet etiam desideria, motusque animæ matris valent aliquid lineamentorum, aut colorum aspergere teneris conceptibus, ipsas omnino naturas, quæ sic vel sic in suo genere efficiûtur, nô facit nisi summus DEUS, cujus occulta potêtia cûcta penetrâs impenetrabili præsentiâ facit esse, quidquid aliquo modo est, in quâtûcunq; est, quia nisi faciête illo, ut tale vel tale esset, prorsꝰ esse nô posset.

§. III. Alia monstrosarum plantarum exempla.

Monstrosæ aliæ plantæ.

VAria in plantis subinde simulacra apparent. Hæc si semper & omnibus ejusdem speciei plantis occurrant, monstrosas illas minimè constituunt, ut contingit in antyrrhino sylvestri, in andraclo seu androcelo, in mandragora, in variis Satyriorum speciebus, quarum vel flores, vel fructus, vel radices repræsentant vel hominem, vel calvariam hominum, vel apum figuram, aut leonum, aliorumve animalium. Si verò hæ eædem, aliæque similes formæ, aut aliarum rerum simulacra in illis occurrant, meritò monstrosæ dici debent, quoniam Natura in earum formatione à modo & via ordinaria deviavit.

Jonstonus in Thaumatographia Classe de plantis refert, prope Harlemum An. 1585. rhabarbarû eruditû, humanâ manû cû unguibus, & distinctissimis digitorû lineamêtis referens; & se picturâ Leydæ apud Dn. Bodarciû vidisse.

Aldrovandus cap. 10. de Monstris, ait, inventam aliquando Bryoniæ albæ radicem cum aliqua effigie humana, & Bononiæ adhuc in publico Museo asservari. Aliam quandam radicem ait sibi dono datam, in qua Natura artificiosè simulacrum hominis figuraverat. Iconem vide apud ipsum. Ibidem exhibet iconem radicis serpentiformis, quæ in eodem Museo spectatur. Itê rami quem vocant ophiphyston, sive ophixylon, quoniam serpentem perfectè exhibet, & tamê ramus est, seu lignum, nô radix.

Exhi-

Digitized by Google

Exhibet præterea frustum trunci arboris Guaiaci, in quo duæ figuræ ad vivum expressæ conspiciuntur; una avis aquaticæ, nempe ardeæ marinæ, quam Totam nuncupant; altera fungi, quem vulgus in Italia galletto vocitat.

Omitto variarum plantarum, arborum, fructuum monstrosas historias, quas loco citato habet Aldrovandus, solùmque noto cum eodem ex Aristotele, rariora occurrere monstra in plantis, quàm in animalibus, tum quia semen plantarum est siccius, tum etiam quia major partium numerus animantium constitutioni, quàm plantarum competit, quarum partium una aut altera cùm deficit, monstrum exoritur.

ANNOTATIO.

Egimus toto hoc libro solùm de monstris, quæ in terra & aqua occurrunt, cujusmodi sunt monstra hominum, animalium, plantarum. De monstris in aëre & in cælo occurrentibus, agetur partim libro sequenti de Prodigiis, partim infrà, ubi de Mirabilibus Meteororum erit sermo.

CAPUT II.

An fœminæ sint monstra in specie hominum.

Fœminæ an sint monstra.

MOnstrum in genere animalium, & specie hominum est, uti ex præcedentibus constat, cui vel ad perfectionem ordinariam à Natura tribui solitam aliquid deest, Naturæ errore, ut manus, pes, caput &c. vel ejusdem Naturæ errore aliquid superfluit, ut dum quis duo aut plura capita, tria aut plura brachia, crurave, sex aut plures digitos habet. Ex his rectè inferri videtur, fœminas, tametsi verè homines sint, monstra tamen revera esse, quandoquidem vel ipso Aristotele insinuante in conformatione corporis fœminarum committuntur verè παρεκβάσεις καὶ ἁμαρτήματα τῆς φύσεως, id est, *prævaricationes & errores seu peccata Naturæ*. Nam Natura (inquiunt) semper intendit quod optimum est; & dum propter impedimenta id assequi non potest, producit id quod imperfectius est: vir autem perfectior est fœminâ (inquiunt iidem cum Aristotele Probl. 11. Sect. 29.) illum ergo in cõformatione corporis humani intendit Natura, & dum propter impedimenta, ut propter seminis vitium aliquod, aut virtutis formatricis debilitatem, aut aliâ de causa virile corpus effingere nequit, effingit fœmineum. Hac de causa *Aristoteles* lib. 2. de Generat. Animal. cap. 3. (quem locũ ipsi citant) dixit, fœminam esse *marem occasionatum*, videlicet ex defectu virtutis formativæ in semine inductum præter intentionem Naturæ.

Antonius Deusingius in Vindiciis fœtus extra uterum Sect. 1. & in Secundinis fœtus Mussipont. Sect. 3. concedit quidem, *in conformatione corporis fœminæ verè esse* παρέκβασις & ἁμάρτημα τῆς φύσεως; negat tamen, fœmi-

Digitized by Google

nas propterea monstra esse, dum disertè præmonet, *non omnem à perfectissima idea conformationis recessum, licèt permagnum, si modò secundariâ intentione ab ipsa Natura proficiscatur, monstrum dici debere*: atque adeò, *cùm Natura ipsa, dum per impedimenta non potest producere id quod simpliciter optimum est, καὶ δεύτερον πλοῦν, secundariâ intentione producat fœminam; utique hanc ipsam monstrum nequaquam* appellandam esse. Idem jam antea docuerat idem Auctor in Microcos. Genesi par. 2. sect. 1. §. 22. Favet huic sententiæ, de imperfectione fœminarum quoad corpus, *Scotus* in 2. Hist. 20. & alii.

Alii, & meliùs, contendunt, fœmineum sexum nec monstrum esse, nec Naturæ vitium seu errorem, ac proinde nequaquam esse imperfectionem, sed potiùs perfectionem, licèt minorem quàm sit virilis perfectio. Quomodo enim vitium & imperfectio dici potest, quod est natura & conditio naturalis? quomodo peccatum Naturæ, quod Naturæ Auctor sapientissimè ordinavit? imò & ipsemet in prima rerum molitione fecit? Fœmina necessaria est ad propagationem sobolis, & ad humanæ speciei conservationem, & in hunc finem fuit primùm à DEO solo in statu innocentiæ producta. Quare si vitium est sexus fœmineus, aut imperfectio Naturæ; aut in Paradiso & statu innocentiæ non extitisset, aut DEUS vitii imperfectionisq; auctor fuisset, quando ex viri costa fœminam efformavit.

Non nego tamen, fœminam esse imperfectiorem viro, sed solùm nego, eam esse absolutè imperfectionem, aut Naturæ vitium: siquidem in formatione corporis fœminei DEUS & Natura per se intendunt fœminam producere ex tali semine, ut per ipsam & marem genus humanum propagetur. Neq; verũ est, Naturã primariâ intentione intẽdere semper quod optimũ & perfectissimũ est in specie: haud rarò enim intendit producere id quod minùs est perfectum; nam intendit infantẽ, non virum gignere ex matre.

Respondet ad hæc Deusingius, *& distinguit inter Naturæ propriam privatamque ἐνέργειαν, quam à rerum Conditore tributam, sibi relicta, nec à causis quibuscunque præpedita, exercet; atque ejusdem Naturæ operationem, quam ex certa hypothesi concursus aliarum secundarum causarum, quantumvis consimiliter à Natura Parente ordinati, exercere deprehenditur.* Unde infert, sicut fluxus ac refluxus maris aquis ex propria aquarum natura non obtingit, sed còntra propriæ naturæ inclinationem fit, tamen à Naturæ Parente sapientissimè ordinatus fuit, ejusque impulsu fit; ita in corporis fœminei productione, Naturam Parentis sapientissimi impulsu, per impedimenta quæcunque privatæ ipsius operationi objecta, à scopo primario, ad quem non impedita constanter collimaret, utcunque divergere, *sicq; aberrare potiùs, seu παρέκβασιν committere, si in se spectetur, quàm ut consilio vel certâ intentione diversum quid agere à primario sibique genuino instituto, dici aut censeri mereatur.* Hæc ille. Concedit ergo, aut concedere debet, quòd sicut fluxus ac refluxus maris non est naturalis aquæ, nec naturæ ejus propriæ conformis; ita productio

ctio corporis fœminei ex tali semine, & cum tali virtute formatrice, non sit naturalis illi semini, nec naturæ ejus propriæ conformis: cujus contrarium nos probavimus.

CAPUT III.

Historia mirabilis de puero nato ex femore viri: & an baptizari debuerit.

Puer natus ex femore viri.

P. *Bertrandus Lot*, è S. Dominici familia, Tract.15. Casuum Belgic. mirabilem narrat historiam, ut sequitur. *Rem aggredior à sæculis inauditam, creditu difficilem, & planè prodigiosam; quòd in femore viri productus & formatus sit infans, eo temporis tractu, quo solet formari proles in utero mulieris. Id tamen verè contigisse in Belgio nostro, satis compertum est. Res ita fertur accidisse anno circiter 1330. in pago de Vlasloo, prope Dixmudam in Flandria, quæ non procul distat ab urbe Neoportuensi & Ostendana. Quidam Ludovicus Roossel, ridens dolores uxoris suæ parturientis, quasi eos simularet, & optans eos experiri, ex imprecatione uxoris, & ultione divina, diu dolorem maximum in femore dextero pertulit, spatio scilicet novem mensium: quo tempore completo, inde excisus fuit infans masculus, qui nomen patris sortitus est.*

Hæc citatus Auctor; qui art. 1. citati Tractatus probat multis, historiam esse veram.

Deinde art. 2. quærit, an puer iste contraxerit peccatum originale: articulo verò 3. an debuerit baptizari. Respondet, ex doctrina D. Thomæ certò constare, talem puerum nec contraxisse originale peccatum, nec indiguisse baptismo ad illud delendum.

P. Franciscus Bonæ Spei Ordinis F F. B. V. MARIÆ de Monte Carmelo, Tomo 6. Operum Theolog. Tract. de Baptismo, Disquisit. 4. Dubi. 3. supponendo prædictam historiam esse veram, *Ait primò*, si anima istius pueri fuit una ex inclusis in pacto inter DEUM & Adamum inito, contraxisse peccatum originale; sin minùs, non contraxisse. Secundum supponit ut certum, quia non nisi inclusi in dicto pacto contraxêre originale: ideo enim nec Christus, nec Christi Mater illud contraxerunt, quia in pacto illo comprehensi non fuêre. Primum probat confirmatque auctoritate D. Thomæ, & respondet objectionibus. Argumentum ejus unicum est, quòd ut quispiam peccatum originale contrahat, necessarium non sit, ut viâ seminali ab Adamo procedat; licèt hujusmodi processio sit signum, quòd anima, quæ corpori sic procedenti unitur, fuerit inclusa in pacto, ac per consequens originale peccatum contraxerit. Mihi videtur, assertionem prædictam, stante hypothesi factâ, verissimam esse, nec indigere probatione.

Ait Secundò, prædictum puerum habuisse omnino peccatum originale. Probat, quia ejus anima fuit inclusa in pacto prædicto. Nam de fide est, inquit, omnes homines, exceptis speciali privilegio præservatis, in Adamo

 pec-

Digitized by Google

peccasse, ac per consequens omnium hominum, illis exceptis, animas in peccato originali fuisse; ergo & puer iste habuit originale peccatum, cùm non constet fuisse exceptum.

Ait Tertiò, puerum prædictum eguisse baptismo ad delendum peccatum originale, ac proinde baptizari in illum finem debuisse.

Summa igitur disputationis hæc est. Puer ille fuit verè homo, ut supponitur; ergo si habuit peccatum originale, debuit baptizari: habuit, si fuit in pacto inito inter DEUM & Adamum: fuit in pacto, ut probatum; ergo &c.

CAPUT IV.

An monstra, quæ humanam formam præ se ferunt, baptizari possint, ac debeant.

Monstra an, & quæ, baptizari possint.

QUæstionem tractant Theologi Scholastici, & Morales, in materia de Baptismo. Ego respondeo brevissimè ut sequitur, supponendo, subjectum capax baptismi esse solum hominem vivum ab Adamo descendentem (sive viâ naturali, sive non naturali) nondum baptizatum.

Primò. Quando certò constat, monstrum sub humana forma, quantumvis monstrosa, animâ rationali esse præditum, baptizari potest, ac debet: est enim capax gratiæ baptismatis, & peccato originali fœdatum.

Secundò. Quando dubitatur, num rationali animâ sit informatum corpus, id est, num monstrum habens humanam figuram, sit verè homo; nonnemo judicat, baptizandum non esse, ne, si homo non sit, sed bestia, periculo nos exponamus reputandi bestiam inter cœtum fidelium. Relinquit tamen aliis judicandum quod volent. Communis opinio, & utique vera est, baptizandum sub conditione esse, dicendo: *Si es homo: Ego te baptizo* &c. Ratio est, quia si homo est, & baptizatur, nulla committitur irreverentia contra Sacramentum, sed verè baptizatur monstrum, consequiturq; gratiam baptismatis, ac liberatur à peccato originali: quo tamen beneficio fraudatur, magno suo & æterno damno, si non baptizatur. Si autem non est homo, nec baptizatur & fidelium unioni aggregatur, nec irreverentia ulla committitur.

Tertiò. Quando monstrum est bicorpor, & certò constat, esse duos homines, duplicique animâ rationali informatum, uterque baptizari potest ac debet. Ratio est, quia uterque indiget & capax est gratiæ baptismatis. An autem uterque simul & unâ formulâ baptizari possint, dicendo; *Ego vos baptizo &c.* an verò quilibet separatim, dicendo bis; Ego te baptizo &c. disputant Theologi.

Quartò. Quando dubium est, an monstrum bicorpor sit duplex homo, bis baptizari debet, semel absolutè abluendo illum, de quo certò constat esse verum hominem; & semel conditionatè abluendo alterum, de quo dubitatur, an distinctus à priori sit homo, dicendo: *Si es homo, & non es baptizatus, Ego te baptizo &c.* Ratio patet ex dictis Assertione secundâ.

Ad

Ad cognoſcendum porrò, num monſtra bicorpora duo ſint homines informata duplici animâ, difficulter præſcribi poteſt regula aut ſignum univerſale. Probabile tamen eſt, ſi duo adſint capita, duo pectora, ac conſequenter duo corda, duos tunc eſſe homines. Si verò duo capita non ſint benè diſtincta, aut duo capita uni ſoli ſuperſtent pectori, aut pectus duplex uno dependeat à capite; dubium eſt an duo ſint homines, ideoque bis adhibendus eſt baptiſmus, modo dicto in aſſertione quarta. In dubiis caſibus recurrendum eſt ad peritos Medicos & Anatomicos, aut alios viros doctos ac prudentes.

COROLLARIA VARIA.

EX dictis patet, quid dicendum de variis monſtris in particulari, tum apud nos in præcedentibus, tum apud alios Auctores.

Ac *Primò* quidē, Androgyni ſeu Hermaphroditæ (de quibus l. 3. c. 10.) ſine dubitatione baptizandi ſunt, quia ſunt ſine cōtroverſia veri homines.

Secundò. Homines caudati, ſive Naturæ errore, ſive DEI punitione ita nati (de quibus lib. 3. cap. 11. §. 1.) eadem de cauſa baptizari debent. Idem dico de hominibus longas aures habentibus, ſi qui ſunt (quod examinavimus ibidem §. 2.) & de Aſtomis, Brachyſtomis & Elinguibus (de quibus §. 3.) & de Monoculis, Acephalis, aliarumque formarum (de quibus § 4.) Certè ad Acephalos illos, de quibus citato §. 4. profectus eſt S. Auguſtinus, aut quiſquis eſt Auctor Sermonis 37. ad Fratres in Eremo, ut eis ſanctum Chriſti Evangelium prædicaret.

Tertiò. Major difficultas eſt de illis Acephalis monſtris ſub humana figura, de quibus ſuprà hoc lib. cap. 1. Probabile eſt, non fuiſſe veros homines, quia præcipuorum ſenſuum, internarumque materialium potentiarum organa, ac proinde præcipua ad animam rationalem diſpoſitio, eſt in capite. Ergo niſi aliunde conſtet, prædita eſſe animâ rationali, aſſerendum eſt illâ carere. Alia eſt ratio de illis Acephalis, de quibus paulò antè: Si enim integræ alicubi nationes fuêre, & ad ætatem adultam pervenerunt; potuit ex eorum operationibus colligi, fuiſſe rationali animâ præditos. Hoc autem in Acephalis, de quibus citato cap. 1. egimus, locum non habuit, quia ad ætatem adultam non pervenerunt.

Quartò. Omnia illa bicipitia monſtra, de quibus hoc eodem lib. cap. 2. §. 1. excepto ultimo, fuêre meo judicio veri homines, & baptiſmi capaces. Et alia quidē unâ, alia duas, ut mihi quidē videtur, habuêre animas rationales; vel ſaltem dubium fuit de aliquibus, num unâ aut duas habuerint.

Quintò. Homo ille cum capite humano altero in ventre, de quo citato cap. 2. §. 2. fuit unicus homo, quia ſolum caput adnatum homini non conſtituit alium hominem.

Sextò. Monſtrum triceps, de quo §. 3. non videtur fuiſſe niſi unus homo.

Digitized by Google

homo. De septicipite cum cruribus & pedibus bubulis, de quo ibidem, idem sentiendum. De Satyris, Faunis &c. postea erit sermo.

Septimò. Aut omnia, aut pleraque monstra, de quibus cap. 4. hujus libri, habentia nimirum in corpore humano capita belluina, fuère veri homines, quia ut aliorum membrorum, ita capitis quoque fœda constitutio, non eximit monstrum, quod habet cætera omnia membra humana, & rectè constituta. Idem dico de monstris adductis cap. 6. hujus libri, saltem plerisque.

Octavò. Cynocephali illi, de quibus lib. 3. cap. 6. si qui tales sunt, aut fuerunt, veri homines sunt. Ratio est eadem, quæ proximè antea fuit allata.

Nonò. De Monstris cap. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & 16. dubium non est, quin fuerint veri homines, & quidem simplices, non geminati.

Decimò. Monstra de quibus cap. 18. 19. 20. 21. 22. similiter dubium non est, quin fuerint veri homines. An autem aliqua ex illis, & quænam duplices fuerint homines, decernendum est ex regula suprà allata, vel recurrendum ad Medicos & Anatomicos, doctosvè ac prudentes Philosophos.

Undecimò. Centauri, Hippocentauri, Onocentauri, Satyri, Tritones, Nereides, Sirenes, aliaque similia anthropomorpha monstra, & quæcunque ex commixtione viri cum fœmina bestia, aut mulieris cum bestio masculo nascuntur, ex nostra sententia baptizari non possunt, cùm veri homines non sint. Quia tamen dubium est, an sint veri homines, saltem aliqua, & aliquibus in casibus; putat *Possevinus* de Officio Curat. cap 6. num. ult. baptizari posse ejusmodi monstra sub conditione. Ego existimarem, si aliquando adulta ejuscemodi monstra tales actiones ederent, ut rationabiliter dubitaretur de vera humanitate illorum, non peccari si sub conditione baptizarentur.

CAPUT V.

Monstra humana varia in præcedentibus omissa.

MOnstrorum humanorum exempla plurima in præcedentibus adduximus. Addo nunc pauca alia, & peculialiter examino.

§. I. Exemplum primum Gemellorum sibi invicem congenitorum.

Gemelli sibi invicem congeniti.

GEmellorum congenitorum plurima exempla dedimus cap. 20. 21. & 22. Aliud extat apud *Bartholinum* Histor Anat. Cent. 1. referente *Deusingio* in Histor. fœtus extra uterum sect. 1. num. 17. *in Lazaro Colloredo Genuensi, cujus pectori fraterculus erat adnatus, osse xyphoide (ut indicat D. Barthol.) cohærente. Pes sinister solus illi dependebat, duo brachia, tres in manibus singulis tantùm digiti. Vestigia pudendarum partium comparebant. Manus, aures, labia movebat. In thorace pulsus. Excrementa nulla minor frater excernebat nisi per os, nares, & aures: nutrie-*

nutriebaturque eo quod major assumebat. Unde partes animales & vitales distinctas habere, non sine ratione indicat D. Barthol. cùm & dormiat, sudet, moveatur, quando major vel quiescit, vel siccus est: naturalia verò viscera, ut hepar, lien &c. utrique fuisse communia. Utrumque suo nomine ad baptismatis fontem insignitum fuisse, majorem Lazari, minorem Joannis Baptistæ. Refert idem D. Bartholinus, oculos clausos ferè Joanni Baptistæ, respirationem minorem: admotâ enim plumâ exilem halitum calentem se deprehendisse: Patulum ferè illi & hians os, dentibus prominentis, salivâ perpetuò ferè madens. Caput videbatur solum omne alimentum in sui augmentum obsumere: prægrande enim & majus quàm Lazaro, sed deforme, capillis supino situ dependentibus. Barba utrique crevit, sed Baptistæ neglecta, Lazaro compta. Erat autem Lazarus justa statura, corpore decenti, moribus humanis, & ad aulæ morem ornatus. Inducto pallio fratris tegebat corpus, fovebatque, nec monstrum intus condi primo alloquio diceres. Animo ubique præsenti videbatur, nisi quòd de fato subindè sollicitus, mortem fratris timebat, quòd se fœtore & putredine extinguendum quoque præsagiret. Hinc magis in curando fratre, quàm se laborabat. Hactenus Deusingius.

§. II. Alia Gemellorum sibi invicem congenitorum exempla.

Gemelli alii sibi congeniti.

LUdovicus *Mercatus* lib. 3. de Mulier. affect. c. 7. inter multa monstrorum exempla quæ affert, ait, contigisse ut duo in utero matris ita concreverint tergoribus, ut uno communi tergore uti viderentur pro duobus. Addit, illos viginti annorum tractu moribus plurimùm differentes vixisse; tandemque alterum mortuum, alterum verò supervixisse tamdiu, donec emortui germani corruptione ac fœtore extingueretur.

Bartholinus loco citato præcedenti §. meminit fœtus cujusdam monstrosi, quem ipse novit, & prodiit in lucem Anno 1627. die 7. Februarii, Udenhusæ in Hassia Præfecturæ Grebenavensis, cum duobus capitibus, tribus brachiis, duobus pedibus, decem digitis in manu una, quinque in altera, pene comparente sub umbilico, in dorso apparentibus quatuor scapulis, inferiùs verò duplici ano, & sub hos ipsos in conspectum veniente membro virili alio, planè tamen annexo.

Deusingius in Historia fœtus extra uterum meminit horrendi cujusdam monstri, inventi Anno 1654. à cohortibus Don. Joannis ab Austria, non procul à Catalonia, ac Madritū ad Hispaniarum Regem deducti. *Formâ id mirabili erat; humanis septem capitibus dissimillimis constabat; quorum medium præstabat cæteris, uno oculo & facultate videndi in ipsa fronte super nares donatum: reliqua capita suis quoque oculis prædita erant, sed sine omni videndi usu. Idem illud medium caput longis & hircinis quàm simillimis auribus erat instructum; ac per ejusdem os cibos capiebat, reliquis nihil recipientibus. Septem capitibus respondebant septem brachia humana, septemque manus, quæ suum singulæ peragebant officium. Totum illud monstrum, à capite ad ventriculum huma-*

Digitized by Google

nam præ se ferebat speciem, reliquum autem corporis inferioris formam habebat hircinam & planè pilosam, quemadmodum in Figura, cum addita descriptione, permissu ac privilegio Regis excusa Anno 1655. ac postmodum ad imitationem expressa Lutetiæ Parisiorum, videre est; ubi additur; Horrendum est dictu, quàm ferox & immane illud sit naturâ, & non nisi catenis continuis contineri potest. Ad præsentem diem in Metropoli Regia spirans & æstuans cernitur.

Hæc Deusingius, nescio ex quo. Quæ prorsus conveniunt cum illis, quæ de simili monstro scripsimus suprà cap. 2. §. 3. ex Aldrovando. Unde vehementer suspicor, citatum citato loco monstrum septiceps fuisse à quodam Gallicæ linguæ gnaro, lucri causâ Anno 1655. æri denuo incisum, ac typis excusum, addito mendaciter anno & loco in quibus repertum. Auget suspicionem, quòd imperitissimè additur, dictum monstrum repertum *in montibus Sardiniæ, non procul à Catalonia finitimis locis Hispaniæ.* Quòd quàm sit ineptè dictum, nemo non videt.

§. III. Quâ animâ pars corporis utrique gemellorum connatorum communis, sit animata.

Gemellorũ conjunctorũ pars communis quâ animâ vivat.

GEmelli connati, quacunque ratione conjuncti sint, habent partem corporis utrique communem, illam nimirum in qua conjuncti sunt. Sic illi, qui in tergore conjunguntur, tergum aut totum, aut ex parte saltem commune habent. Reliquas partes habent sibi quique proprias. Patent hæc experientiâ: nam habent suas sibi peculiares actiones ac functiones, ut uno vigilante alter dormiat, uno ridente fleat alter, uno puncto aliterve læso alter nihil omnino sentiat, nisi quando læsio aut punctio fit in communi illa parte, quâ conjunguntur.

Quæritur igitur, quâ animâ pars illa communis vivat. Dubium movit primus, quod sciam, eruditissimus Dn. Marcus Marci. Dubitandi ratio est, quia si unius solius animâ est animata pars illa, ille solus sentiet puncturam; quod est contra experientiam. Si utriusque animâ est animata, erunt duæ formæ totales in eodem subjecto; quod Peripatetici non admittunt.

Deusingius existimat, absurdum non esse, dicere utrumque gemellorum connatorum suâ peculiari animâ sensitivâ instructum esse, illasque in communi parte corporis recidere in unam communem. Ad animam verò rationalem quod attinet, ait, à ratione quidem alienum non esse, posse utrumque talium gemellorum rationali animâ præditum esse; & ita contigisse videri in illis, quorum suprà ex Mercato meminimus, qui tergore uno pro duobus corporibus fungentes, viginti annorum tractu vixisse referuntur, moribus admodum differentes: at in illis Bartholini gemellis cõnatis putat solum Lazarum rationali animâ instructum, ac verè hominem

fuisse,

Digitized by Google

fuisse, alterum verò, cui Joannis Baptistæ nomen inditum erat, *non verè hominem fuisse, sed duntaxat humanum animal, seu corpus sensitivum humanum, rationali anima, ob organica structura ineptitudinem, carens, in quo adeo quidquid functionum animalium observabatur, à sola sensitiva anima, citra ullam mentis directionem, pendebat.* Ex his deducit, perperam huic ultimo baptismi sacramentum fuisse collatum.

Sed hæc neque admittuntur facilè in Scholis, neque solvunt difficultatem propositam de duabus formis substantialibus in eodem subjecto. Ego rem Philosophis nostris decidendam relinquo.

CAPUT VI.

De fœtu Mussipontano extra uterum, in abdomine retento, tandemque lapidescente.

Mirabilis sanè est historia, & digna quæ pluribus viis in omnium notitiam veniat, quæ abhinc quinquennio circiter, Anno videlicet 1659. contigit Mussiponti in Lotharingia. Rem totam priùs proponam iisdem verbis, quibus ab oculato teste Mussiponto ad nonneminem perscribitur: deinde nonnulla cum Deusingio circa eandem expendam.

Mussipontanus fœtus extra uterum in abdomine.

§. I. Historia fœtus Mussipontani.

R*Em planè novam* (inquit. qui illam Mussiponto perscribit) *& in tota Physiologia (quod sciam) hactenus inauditam, curiosa nostrorum disceptationi repentina Mussipontana muliercula clades nuper obtulit: quæ ut Academicorum ingenia non parum exercuit, sic vicinis in urbibus Medicorum opiniones judiciaque distraxit. Illa igitur mulier, annum ætatis sexagesimum prætervecta, exili corpore, & exiguâ admodum staturâ, jam pridem orbata conjuge (ex quo aliàs non semel prolem susceperat) sex propè lustris cælibem agebat vitam. Ast sexto Calendarum Augusti, nescio quo abrepta impetu, sese è superioris cubiculi fenestra, in subjectam planitiem, horâ ante meridiem sextâ, egit præcipitem, cùm vix ullum antea dedisset pravium aut phantasiæ, aut rationis aberrantis argumentum. Ex tam violento casu graviter saucia, duas circiter post horas extincta est. Sed quoniam, dum in vivis ageret, non rarò apud Medicos conquesta fuerat, se lapideam utero gestare molem (sentiebat enim tribus infra umbilicum digitis pondus & permolestum, & grave, ex quo & injussæ alvi dejectiones, & invitus plerumque urinæ fluxus, imò & ipsius ani procidentia sequebatur), placuit exinspicio rem totam diligentiùs indagare. Itaque Dn. Pollement, Medicæ Facultatis Decanus, ac Primarius in hac Alma Universitate Pontimussana Professor, demortuæ cadaver secare jussit. Et resectis quidem communibus abdominis integumentis, adactoque omentum usque scalpello, emersit illicò moles, quæ quadrimi infantis capiti magnitudine nihil cederet. Totam hanc molem Natura in orbem ferè conglomeraverat,*

verat, & durissimo involucro obtexerat, quod bubuli ventriculi tunicas colore referret, & crassitie. Bajula mulieris corpori quinque firmissimis retinaculis cohærebat: & quatuor quidem vincula ex totidem peritonæi lateribus orta, pendulam molem fulciebant; quintum verò eandem tenuioribus intestinis incumbentem, iisdem etiam tenacius annectebat; sive id ad majorem firmitatem ita Natura providerat, sive ut inobservabili meatu chyli inde refluentis aliqua portio per arcanas lactearum valvulas posset ad latentis fœtus alimentum derivari. Ubi primum tegmen illud duriusculum immissa removit novacula, stabulantem in medio fœtum facilè deprehendimus, decussatis in crucis formam brachiis, & utrâque tibiâ communem aliis in utero situm retinentem. Illa tamen eadem membra, nullis distincta intervallis, ita cum reliquo corpore coaluerant, ut inspicientium aciem oculosque propemodum subterfugerent. Quamvis nec hanc, nec alias hujusce corpusculi partes ulla in re mancas, aut mutilas ipsa formatrix vis reliquerit: Nam cerebri veram germanamque substantiam utraque tunica, & obducta insuper cranii compago, eaque durissima, coërcebat. Claudebantur etiam sub epigastrio & hypogastrio reliqua viscera, ad vitæ operationes necessaria, cor nempe, pulmo, jecur, ventriculus, lien, renes, diaphragma, fellis folliculus, vesica, intestina; nec defuit etiam uterus suus quoque, omnibus numeris absolutus, quoque uno indicio infantis sexus innotuit. Servatur etiamnum apud me integer in domestica pharmacopœia, superfuso salis spiritu arcente putredinem. Neque verò illud prætermissum oportet, quòd jam aliquatenus lapidescere cœperat, vultu præsertim in gypseam quandam duritiem abeunte; nec ultra eam magnitudinem excreverat, quam juxta consuetas Naturæ leges semestris fœtus assequitur. Cæterùm uterus mulieris, quæ intra abdominis latebras hocce prodigium complexa tot annis gestaverat, tam illæsus intactusque repertus est, quàm qui maximè, nullo prorsus obducta cicatricis vestigio.

Hactenus Historia, prout habetur in fine Collectaneorum de Diuturna graviditate, editorum Amsterodami Anno 1662. Eandem retulit antea Clariss. *Deusingius* in Consideratione Physico-Anatomica circa illam, edita Gröningæ 1661, missam ad se ab Excellentissimo Dn. Joanne Dan. Horstio Med. Doct. atque Landgravii Darmstadiensis Archiatro, mense Decembri anni 1660. qui ab amico Gallo eam acceperat. Judicium de casu tam mirabili tulerunt, præter Deusingium citatum, ejusque collegam Dn. *Eyssonium*, *Laurentius Strausius* Med. Doct. Illustrissimus Comes *Digbæus* Lutetiæ Parisiorum, *Guido Patinus* ibidem Regius Professor, *Jo. Henricus Pents* ibidem Legatus, *Conringius* Helmstadii, *Bartholinus* Hafniæ, *Faustus* Heidelbergæ, *Sebizius* Argentinæ, Weibelius Dusseldorpii, *Sponius* Monspelii, *Hoffmannus* Altorfii, *Riemschneiderus* Quedlenburgi, *Felor* Schinfurti, *Segerus* Basileæ, *Wepferus* Schaphusii, *Bilgerus* Coloniæ, *Graba* Erfurti, alii alibi: quorum omnium judicia collegit citatus Dn. Strausius. Fœtum

ipsum

ipsum vidisse se, & contrectasse manibus, asseruit mihi, dum hæc ipsa scriberem, Vir eruditus Dn. *Joachimus Alence Gallus*, Secretarius Regius.

§. II. Utrum prædictus fœtus fuerit filia gestantis mulieris, an soror gemella.

Mussipontanus fœtus an fuerit proles mulieris gestantis.

REpertus est fœtus prædictus, ut ex historia patet, non in utero mulieris, sed extra uterum salvum planè, ad quem locum semen virile pertingere non potuit. Quæritur ergo, utrum fuerit prædictæ mulieris filia (fœminini enim sexus fuit:) an verò gemella soror, eidem in utero materno olim connata, aut innata. *Dn. Deusingius* putat, fuisse filiam, non gemellam sororem. Colligit id *Primò* ex ipsa historia, seu ex casus ratione, in qua dicitur, mulierem sensisse molem illam tempore viduitatis suæ, per sex propè lustra, & non antè. *Secundò*, quia ubi connascuntur fœtus (sive ex uno coitu id fiat, sive per superfœtationem,) *necessum utique est, gemellos illos non modò per membranulas quasdam, seu ligamenta vel vincula alterum alteri connecti, nec alterum planè intra alterius corpus concludi (ut in casu nostro res habet;) sed verè partibus exterioribus quibusdam, seu continentibus, sibi invicem esse connatos. Etenim conceptuum materiam, ex qua gemellos, vel plures fœtus progignere instituat natura, divulsam esse utcunque necesse est, ut saltem unius fœtus materia non sit permixta materia alterius, nec altera intra alteram contineatur.* Omitto reliqua, quæ pro explicatione & confirmatione ejusdem rei doctè affert. Cùm itaque hic fœtus noster *durissimo involucro obtectus* intra mulierculæ abdomen fuerit repertus, & mediantibus vinculis quibusdam partim ex peritonæo ortis, partim cum tenuibus intestinis connexionem habentibus, corpori mulierculæ fuerit connexus; id liquido arguit (inquit idem) fœtum illum non fuisse ipsius sororem, sed filiam in abdomine ejusdem conceptam.

Opponit nonnemo, potuisse fœtum prædictum fuisse innatum mulieri prædictæ, & tamen esse ipsius sororem. Nam teste Aristotele (inquit) reperti sunt mures recentissimè nati prægnantes; & ex corpore humano expulsum lumbricum scatentem aliis lumbricis; & ovum inventum intra ovum, & limonem intra limonem. Sed hæc futilia esse, & nihil probare, solidè ostendit *Deusingius* in Vindiciis fœtus extra uterum, Sect. 1 Manet tamen explicandum, quomodo prædictus fœtus extra uterum in abdomine potuerit concipi, augeri, & ferè ad perfectionem perduci. Pro quo sit

§. III. Quomodo prædictus fœtus extra uterum, in abdomine mulieris bajulæ, potuerit naturaliter gigni.

Mussipontanus fœtus quomodo in abdomine conceptus.

RAtio dubitandi est, quia locus naturalis & ordinarius fœtus est uterus fœmineus, ad quem communiori sententia, semen virile trahitur, cum muliebri semine ibidem miscetur, fovetur, fœcundatur, coagulatur,

 forma-

formatur in embryonem, animatur, ac perficitur usque ad tempus partus. Fœtus autem Mussipontanus fuit repertus in abdomine, quo virile semen nullâ ratione pervenire posse putatur, naturaliter saltem. Nec dici posse videtur, procidisse ex utero in abdomen: quia repertus ab Anatomicis fuit uterus planè integer ac sanus, sine ullius cicatricis vestigio.

Ait nonnemo, potuisse fœtum ex utero procidere in abdomen, & spatio tot annorum, quo mulier à morte conjugis eum gestavit, obduci cicatricem uteri; *præsertim cùm intus & extra uterum quotidie materno calore & liquore foveretur.* Bartholinus in judicio ad præsentem casum ait, Anatomicum forsan in tuba uteri reperturum fuisse cicatricem, si particulam illam observasset.

Sed hæc non satisfaciunt *Deusingio*, ut credat, fœtum fuisse conceptum in utero, atque inde devenisse in abdomen. *Si enim*, inquit, *perrupto vel utero, vel tubâ, in abdomen devenisset, funiculus umbilicalis cum vasis inclusis vel fuisset abruptus, vel integer mansisset, ac placentæ in utero conclusæ connexus: Si posterius, id equidem in ipsa sectione fuisset deprehensum, ac funiculus ipse per locum rupturæ exsertus in abdomen, rupturæ locum manifestè monstrasset: Si verò funiculus fuerit abruptus, excidisse placentam necessarium fuit, vel computruisse in utero, ac tum varia mulieri excitâsse symptomata, tum putrilaginem ipsam per uterum effluxisse: id verò Medicus historiam scribentibus constare potuisset, fuissetque relatum in casus descriptione, non minùs ac refertur non rarò apud Medicos conquestam fuisse mulierem gravidam, se lapideam utero gestare molem.* Addit Deusingius, si fœtus in abdomen ex utero prorupisset, non potuisse ibidem obtectum fuisse durissimo involucro; insuperque bajulæ mulieris corpori quinque firmissimis retinaculis cohærere.

Respondere posset Bartholinus, funiculum umbilicalem non fuisse ruptum, sed in sectione non fuisse animadversum ab Anatomicis. Respondere alter ille posset, fuisse abruptum, & mulierem sensisse symptomata illa in principio, sed non fuisse relata in historiam casus, quia nulla ampliùs memoria illorum extabat. Possent etiam ad id, quod additur, respondere; sed non urgeo.

Deusingius ut suam depromat sententiam, supponit primò *ad conceptionem seu ipsam conceptus constitutionem, nequaquam corpulentiâ seminis masculini opus esse, sed hujusce virtute fœcunditatem duntaxat corpori fœmineo, ejusdemq; semini subnascituro, ad conceptus sedem illapsuro, communicari* Ita scribit in Historia fœtus extra uterum sect. 3 §. 67. Quomodo autem fiat fœcundatio illa, explicaverat in præcedentibus, & ulteriùs explicat in sequentibus.

Supponit secundò, *conceptum ordinariè quidem in utero muliebri, post maritalem congressum, sensim subnasci ovi instar, quemadmodum sensim ovum sub-*

subnascitur in gallina: fieri tamen fortassis posse, *ut ipsa seminalis in fœmina materia (vi seminis virilis fœcunditatem nacta) dum sensim ad uterum confluere debet undecunque, fortasse in viis intermediis hæreat, ob impeditos meatus; aut aliorsum divergat; sicque in loco minùs consueto Natura in conceptum confluat, ibidemque convenienter satis conservetur, foveaturque.*

Supponit tertiò, ex receptissima Anatomicorum sententia, per ipsas *uteri tubas*, ab aliis dictas *vasa asservantia, deferentia, excernentia, ejaculantia*, & à nonnullis cornua, licèt impropriè, *per illas inquam uteri tubas potiorem seminis muliebris fœcundi partem ad uterum confluere; quæ nimirum à testibus, per tenues venisque lacteis similes meatus, ad ipsas tubas feratur, ac perfectionem in iisdem ultimam (ut existimant) consequatur.*

His suppositis, ait §. 84. frequentes fieri in tubis illis obstructiones, ideoque contingere procul dubio, ut quandoque conceptus fiat in illegitima sede, *dum nempe in hisce ipsis tubis, præpedito ad uterum transfluxu, seminalis materia fœcunda reddita affluens in conceptum coagmentatur. Et quamvis hoc rarum & insolens sit, contingere tamen aliquando testari* Kiolanum *Animad. in Veslingii Anat. pag. sibi 476. ubi ait, in mulieris uteri tubis humanum aliquando concipi fœtum, idque esse certissimum, & multis experimentis comprobatum. Idem observasse se propriis oculis, ait Harveus de Gener. Animal. Exercit. 65. pag. 300. & 301.*

Hæc si vera sunt, *quidni* (ait Deusingius §. 88.) *in muliere nostra Mussipontana consimilem conceptionis rationem sedemque liceat concipere? Sanè ipsum* uteri ligamentum latum, uteri tubæ *(in qua fœtus forsan conceptus fuit) connexum, vincula quinque divulsa quasi ob molem fœtus repræsentare potuit &c. Durissimum illud involucrum quod universam molem dicitur obtexisse, ventriculi tunicas colore & crassitie referens, fuisse ipsam tubæ substantiam, verosimile est &c. Quinimò quidni potuère forsan in illo subjecto vascula quædam seminaria, seu tenues nonnulli lacteisque venis consimiles meatus, qui naturaliter sive ad uterum, sive ad uteri tubas tendere debebant, aliorsum divergere?*

Omitto alia, quæ circa Mussipontanum fœtum exagitari possunt, ac solent, ut cur tanto tempore in abdomine retentus non computruerit, cur lapidescere inceperit, & alia similia. Omitto præterea alia multa, quæ de Monstris afferri possent, & ad alia transeo.

LIBER

LIBER SEXTUS
De MIRABILIBUS PORTENTORUM.

PROOEMIVM.

Portentorum mirabilia.

PORtentum, sive Ostentum, sic dictum quòd porrò, hoc est, prorsum seu antrorsum tendat, & futurum aliquid ostendat, est factum aliquod rarum atque insolitum, ad futurum aliquem eventum, seu prosperum, seu sinistrum, significandum, à causa naturali aut præternaturali productum. Possent hæc & Monstra dici, nisi monstrorum nomen ad aliud significatum ex usu hominum jam esset detortum, ut libro superiore vidimus. Prodigia tamen nihil prohibet vocari, tametsi Fronto id nominis ad malos tantùm eventus significandos coarctet. Multa porrò contigisse olim, & etiam num hodie evenire, queis portenti explicata ratio & nomenclatura conveniat, in dubium vocari non potest, uti ex dicendis manifestò constabit, & Libri integri hac de re ab aliis conscripti demonstrant. Nos ex innumeris illustriora solùm, & de quibus dubitari nequit, quin Portenta sint, in medium adducemus, eorumque & causas, & significationes rimari conabimur. Plura qui volet, legat *Julium Obsequentem*, *Conradum Lycosthenem*, *Julium Cæsarem Bulengerum* lib. 5. de Divinat. *Cardanum* lib. 8. de Variet. à cap. 69. *Cornelium Gemmam* in Cosmocrit. & alios. Aliqua etiam habet *Henricus Farnesius Eburo.*

CAPUT I.

De militum & armorum simulacris in cælo comparentibus.

Militum & armorum simulacra in aëre cōparentia.

TRia præcipuè circa hujusmodi simulacra ac spectra discutiam: primò an sint; secundò quid sint, & quæ eorum causæ; tertiò quid portendant seu significent. His discussis, cònstabit inter portenta esse referenda, nec illorum significatio latebit.

§. I. In

§. I. In cœlo seu aëre appararere vera subinde simulacra militum, armorum, similiumque rerum, probatur exemplis.

Visa ea sæpius diversis locis ac temporibus, dubitare non sinit sacrorum ac profanorum Scriptorum auctoritas. Nonnulla exempla refero.

Lib. 2. Machabæorum cap. 5. ubi Jasonis primùm ex Ammonitide reversi, deinde Antiochi Epiphanis Ægypto exclusi tyrannis atque grassatio sævissima in cives Hierosolymitanos, cæterosque Judæos narratur, hæc præmittuntur. *Contigit autem per universam Ierosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes, armatos, & cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri cominùs, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis districtis, & telorum jactus, & aureorum armorum splendorem, omnisq; generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti.* Hæc ibi.

Antequam Titus & Romani obsiderent & caperent Jerosolymam, die vigesimo primo Mensis Maji, ait *Josephus* lib. 7. de Bello Judai. cap. 12. *post dies festos ante solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & civitati circumfusæ.* Idem accidit Romæ tempore *S. Gregorii Pontif. Max.* cùm Longobardi invaderent Italiam, ut ipsemet testatur Homil. 1. in Evang. dicens: *Priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cœlo acies vidimus, ipsum, qui postea humani generis fusus est, sanguinem coruscantes.*

Julius Obsequens Lib. de Prodigiis ad Augustum Cæsarem cap. 7. & 9. refert, L. Opimio & Q. Posthumio Coss. Consæ arma in cœlo volare visa: C. Mario ac Horo Coss. Arimini arma cœlestia ab ortu & occasu visa pugnare, & ab occasu vinci: L. Scipione & C. Norbano Coss. per Syllana tempora, inter Capuam & Vulturnum, ingentem signorum sonum, armorumque, horrendo clamore auditum, ita ut viderentur duæ acies concurrere per plures dies: Pansâ item & Hirtio Coss. cùm adversus Antonium dimicaretur, armorum telorumque species à terra visa cum fragore ad cœlum ferri.

Eutropius lib. 6. Historiæ refert, cùm Cæsar adversus Pompejum dimicaret, tantum in aëre armorum strepitum fuisse, ut Antiochiæ quasi adventu hostium in muris concurreretur. *Plinius* lib. 2. cap. 57. ait, *armorum crepitus, & tubæ sonitus auditos è cœlo Cimbricis bellis, crebrosq;, & priùs & postea: tertio verò Consulatu Marii, ab Amerinis & Tudertibus spectata arma cœlestia, ab ortu occasuq; inter se concurrentia, pulsis quæ ab occasu erant.* Hæc Plinius. *Appianus* lib. 4. Civilium, de signis Cæsaris cædem præcedentibus

 loquens,

Digitized by Google

loquens, ait, hominum immanes voces, armorum ſtrepitum, equorum curſus inſpectante nemine auditos.

Portenta Belgica.

Similia multa portenta recenſet *Seneca* in Quæſtionib. Natur. *Auguſtinus Niphus* in Meteorologicis, *Cornelius Gemma* in Coſmocrit. *Philippus* quoque *Melanchthon* lib. 2. Meteor. ait, plurima in Germania viſa ab anno 1524. usque ad 1548. *Willebrordus Snellius* Libello de Cometa anni 1618. refert, circa id temporis ab Hollandis Amortsfortii, & alibi, & quidem haud altè ſupra ipſa culmina tectorum, viſa *tormenta, tubas, ſclopetorum disploſiones, caſtrorum metationes, atque alia id genus quàm plurima. Quin adeo* (addit) *priusquàm claſſis Hiſpanica noſtro & Britannico Oceano, inſtar Xerxis cujusdam, vincla & virgas injectura videretur, anno 1588. memini me admodum puerum à notis & familiaribus, qui etiamnum in vivis ſunt, audiviſſe viſas Amſtelodami in ipſo aëre, paulò ante ſolis occaſum, navium conflictus maritimos, impreſſiones hoſtiles; hos victos, illos victores abire, tanquam in puerili naumachia, idque unius aut alterius horæ ſpatio, multis hominum millibus inſpectantibus.* *Cornelius* quoque *à Lapide* comment. in cap. 5. lib. 2. Machabæor. ait, meminiſſe ſe, cùm puer eſſet, in Belgio ſimilia in cœlo oſtenta fuiſſe ſibi oſtenſa ſub initium bellorum Belgicorum; ex iisque ſapientes jam tum prænunciaſſe, quæ Belgio inſtarent; eventumque docuiſſe, prænuntiationem fuiſſe veriſſimam.

Ex hiſce hiſtoriis indubitatè conſtat veritas prædictorum phasmatum. Tametſi enim de nonnullis fortaſſe dubitari poſſet, omnes tamen in dubium revocare ſine DEI offenſa non licet.

§. II. Aliis exemplis idem probatur.

Portenta varia in Germania viſa.

SEd placet hanc eandem veritatem confirmare aliis admirandis narrationibus, quas refert *Majolus* continuatus tom. 2. Colloq. 4. & poſt ipſum *Joannes Jonſtonus* Claſſe 3. Thaumatographiæ cap. ult. his verbis. *Anno 1532. non procul ab Oeniponte mira viſa ſunt imagines. Camelus erat prima, flammâ circumdatus in orbem: altera, Lupus flammam evomens, & flammeo orbe ſeptus. Sequebatur hunc Leo; cui vir cataphractus, in montium ſtans aditu, blandè contrectabat jubam; blandiri hic viciſſim videbatur.*

Joannis Ducis Saxoniæ & Electoris mortem hæ præceſſère picturæ. Arbor primò erat marcida & everſa. Expeditus hinc eques, truncatam ramis geſtans arborem: tum magna & atra crux in denſa nube: tandem ex ea fulmen viſum excuti horribile, ingenti cum ſonitu.

Anno 1534. tertiâ die Julii, in oppido Schlesvvich, à meridie, cœlo ſereno, conſpecti in aëre Leones, ex locis diverſis ad conflictum concurrentes. Cataphractus his asſiſtebat haſtam quatiens. Jacuit non procul ab equite humanum caput ſine trunco, imperatorio ornatum diademate.

Modi-

Digitized by Google

Modico pòst intervallo, apri caput aculeatum visum, & duo dracones ignem vomentes. Unicæ deinde & amplissimæ urbis effulsit imago ad lacum positæ, classeque & terrestribus obsessæ copiis. Crux super hanc sanguinei coloris, conversi paulatim in atrum. Prodiit item alius eques, igneo flagrans colore, Imperatorium in capite diadema gestans: quem insecutus sine sessore equus. Postea in ampla planitie duæ ardentes enituerunt arces, alto vicinæ monti; ad quam grandis Aquila, dimidium sui corporis post montis abscondens latus. Aliquot ibidem pulli aquilarum, candido nitidi colore apparuêre: item Leonis supini caput, insigniti coronâ: Gallus gallinaceus, rostro feriens fodiensque caput tantisper, donec à trunco corporis delaberetur solutum, & evanesceret, corpore diu conspicuo. Adstiterunt & alii Leones, & juxta apri caput Monoceros, paulatim in draconem conversus, aliaque plurima inusitatæ figuræ & magnitudinis animalia. Arsit & in celsa rupe arx duobus cincta exercitibus; & visa est integra regio, frequentibus oppidis, arcibus, & vicis referta. Sed mox totus tractus, in quo hæc steterant, igne conflagravit correptus, & ruinas vastæ terræ stagnum amplissimum obruit, extantibus tantùm turribus in eo loco, in quo antea magna illa urbs apparuerat. Ad ripam lacûs grandis camelus, bibenti similis, constitit.

Anno 1545. altero post Pentecosten die, visæ hæ in Silesia imagines. Duxit ab oriente instructam Ursus aciem, cui ab occasu armatâ manu Leo occurrit. Intra exercitum utrumque lucidissima emicuit stella. Mox inter sese congressi, dimicârunt acriter, ut distillare ex sauciatis sanguis, & exanima corpora decidere viderentur. Inter præliandum Aquila sese supra copias Leonis, de alta rupe, alarum libravit remigio. Dirempto quasi certamine, Leo inter suas fulsit cohortes; nullum Ursi vestigium, sed prostrata jacuerunt cadavera, quà alter constiterat exercitus; quibus canitie venerandi adstiterant senes. Finito prælio, reduxit exercitum ad occasum Leo. Quo aliquò usque progresso, quidam albo & ornato vectus equo, ad pugnæ locum à copiis rediit, atque in eum equum juvenem cataphractum ibi stantem collocavit, & versus ortum procedentem comitatus, cum cæteris speciebus evanuit.

Hactenus *Jonstonus*; qui ex *Mercurio Gallobelgico* addit, anno 1627. duos in Pomerania visos confligere exercitus, septentrionalem evasisse victorem, eumque procedentem secutam esse trabem igneam. Præterea anni 1629. mense Martio, duas in Misnia in infima aëris regione concurrisse acies, easque ex nebula ita formatas fuisse, ut videri vultus & ora potuerint: minorem obtinuisse victoriam, cæsam fugatamque majorem. Multa alia hisce adhuc recentiora apud Neotericos Scriptores inveniuntur; multa quilibet nostrum audivit, ac fortassis etiam vidit. Certè hoc

 ipso

ipso die, dum hoc scribo, ex Austria, ob Turcarum ingentem exercitum imminentem nonnihil consternata, affertur novi similis phasmatis ibidem visi Schema; quod licèt differentis sit nonnihil formæ ab illo, quod paucas ante septimanas indidem missum fuerat, ac proinde de falsitate vel alterutrum, vel utrumque suspectum, placuit tamen ambo apponere, ac seræ posteritati transmittere. En igitur Schemata.

Icon. XXI. Fig. I. & II.

CAPUT II.

Quid sint prædicta phasmata; & quæ eorum causa.

Militum & armatorum simulacra in aëre quid sint.

SUpposità prædictorum phasmatum veritate, hoc est, quòd verè existere soleant, & non sint oculorum ludibria; superest, ut quid sint, indagemus.

§. I. Non sunt res alibi existentes, & in aëre velut in speculo apparentes.

SUnt qui existiment, prædicta phasmata nihil aliud esse, quàm similes res alicubi in terris existentes, ac suas species in nubem, aut vapidum aërem, tanquam in speculum evibrantes, indeque ad intuentium oculos reflectentes: Vel, ut more Catoptricæ imperitorum loquar, esse imagines rerum in prædicto aëreo speculo apparentes. Hanc sententiam *Fromondus* lib. 4. Meteor. c. 4. art. 1. & ex ipso *Cabeus* Comment. in lib. 3. Meteor. tex. 29. q. 2. tribuunt atheis suorum temporum, negantibus DEI & Angelorum existentiam. Sed tametsi hic sentiendi modus tam sit futilis & ἄλογος, ut seipso corruat, nec indigeat refutatione; lubet tamen uno aut altero eum argumento convellere. *Primò* igitur, si milites, equites, exercitus, aliaque similia objecta, alicubi in terræ aut maris superficie existentia, radiant in nubes, aut aërem vapidum, indeque ad intuentium alibi constitutorum oculos reflectunt species suas; ergo videntur ipsa illa objecta in se per radios reflexos, prout in speculis fieri assolet. Vel ergo sunt admodum remota ab intuentibus, vel sunt propinqua. Si valde remota, non possunt videri, aut non nisi sub exiguissima forma, tametsi prorsus giganteæ forent magnitudinis; cùm constet, eò minus apparere objectum, quò magis distat, donec tandem penitùs evanescat. Si propinqua sunt, ergo dum in cœlo apparent exercitus integri, & cruenti conflictus, facilè sciri potest, eodem ferè tempore, quo videntur hujusmodi phasmata, aut non longè pòst, fuisse alicubi conflictum illum, qui in cœlo apparuit; quod tamen nunquam hactenus fuit deprehensum. *Secundò*, si dicant imperitè, per visionem reflexam non videri objecta in se, sed imagines

Iconismus XXI. Ponatur è regione pag. 660.

Spectrum aëreum An. 1661. visum hoc; vel ut alij, sequentis Fig. II. schemate.




Fig. I.




Fig. II.

Digitized by Google

Digitized by Google

gines rerum in ſpeculo: Sit ita ut volunt, at diſtent nubes, in quibus apparent imagines illæ, aliquot milliaribus à terra, ut fieri aſſolet; quantas oportet eſſe imagines illas, ut à nobis percipiantur? at objecta exigua in terris exiſtentia, ut ſunt homines, equi, currus, gladii, & ſimilia, non poſſunt nubibus ſpecularibus tantas imprimere imagines, & tam diſtinctas, uti experientiâ conſtat in veris ſpeculis admodum ab objecto radiante remotis. *Tertiò*, ſi vel objecta ipſa, vel imagines objectorum in aëreo ſpeculo videntur; ergo dum apparuit Camelus orbe igneo circumdatus, & Lupus flammam evomens, & Leo adblandiens cataphracto, cataphractusque Leonem demulcens; item dum Urſus & Leo inſtructos exercitus contra ſe mutuò duxerunt, & conflixerunt, finitoque prælio Leo exercitum reduxit &c. alicubi terrarum ejusmodi cataſtrophæ fuerunt exhibitæ: at quis hæc credat? quis unquam vidit, audivit, legit, urſum aut leonem ductores eſſe exercituum? *Quartò*, ſi res, quarum imagines è nube in terram reflectuntur, exiſtunt alicubi in terra; ergo & voces clamoresque hominum, clangores tubarum, crepitus bombardarum, qui è nubibus ad nos deferuntur, fiunt etiam alicubi in terra, & ad nubes delati reflectuntur ad nos; quod eſt contra experientiam, & omnem bonam Philoſophiam, ex quibus conſtat, voces & ſonos, quò magis provehuntur, eò magis deficere, ac tandem evaneſcere. *Quintò*, dum ſimilia in nubibus apparent, manifeſtè nubes ipſæ, aut earum partes, in ſe mutuò incurrunt, & locum mutant, ac proinde non easdem, quas antea, ſuperficies ad nos in terram vertunt; ergo & anguli incidentiæ ac reflexionis mutantur; ergo non ex eodem loco, quo antea, poſſunt videri res; & tamen aliquando ad multas horas durant hujusmodi phaſmata, & in diverſis locis videntur. Omitto alia argumenta, ne tempus & chartam in expugnandis affaniis, quaſi in re ſeria, conſumem. Faciliùs credam, quod nonnulli vulgi errore decepti ſcribunt de ſpeculo arcanâ adeo arte conſtructo in turri Brigantina Hiſpaniæ, ut naves vel longiſſimo ſpatio diſſitas repræſentet, quàm ut tam imperitæ perſuaſioni adhæream.

Dicet aliquis, poſſe ac ſolere variis in locis apparere varias ac prodigioſas paraſtaſes ſeu repræſentationes, uti nos ipſi demonſtravimus in *Magia noſtra par. 1. l. 4. Syntag. 1.* exemplo mirabilis Morganæ Rheginorum, & aliarum ſimilium in aëre vaporoſo repræſentationum, ex Scipione Mazzello, Cornelio Agrippa, Pomponio Mela, Plinio, Haithone, Herrera, Fazello, aliisque Scriptoribus relatarum: cur ergo ſimile quid fieri nequeat in nubibus, & in aëre vapido ac craſſo nubibus vicino? Reſpondeo, tametſi concederetur, poſſe ſimilia ſpectra in nubibus, aut in loco nubium contingere ad eum modum, quo inſinuata contingunt variis in locis prope terram; illa tamen, de quibus ſermo eſt, & quæ §. I. relata ſunt,

Digitized by Google

nequaquam contigerunt, neque contingere potuerunt prædicto modo. Nam prima illa, de quibus in Magia tractavimus, non nisi certis ac determinatis locis & temporibus contingunt, nec nisi ex certis & determinatis locis videntur, nec durant nisi ad breve tempus: at alia, de quibus nunc sermo est, fiunt variis in locis, durant sæpe multis diebus, videntur à variis ex locis à se valde dissitis. Stet ergo, non esse res alibi existentes, & in aëreo speculo apparentes. Quid ergo sunt? & quænam eorum causæ?

§. II. Sunt vapores, exhalationes, partes aëris addensati, effigiatæ in formam equorum, hominum, similiumque spectrorum, non casu, aut Naturâ, sed bonorum Geniorum operâ.

ITa sentit *Fromondus, Cabeus, Cornelius à Lapide*, locis suprà citatis, & alii communiter, qui de hac materia scribunt. *Horum causa materialis* (inquit Cabeus lib. 1. Meteor. tex. 24. q. 1.) *ex qua fiunt hujusmodi spectra, nemo negabit esse evaporationes, tum crassiores, tum tenuiores, quæ diverso modo formata, & accensa, diversos illos colores, diversas ostentant formas. Causam verò efficientem, nudam esse Naturam, vel casum, omnino puto esse desipientis affirmare: quis enim dicat casu contingere, ut equorum & hominum formas imitentur apparentia illa? & frequenter id contingere? ad multos dies durare? omnibus sese ostentare? & quod majus est, præcurrere bellorum strepitum, & quasi bellicum canere?* Hæc Cabeus. Similia habet lib. 3. Meteor. tex. 29. q. 2. dicens: *Quæritur ergo, quid sint hujusmodi apparentia? Et respondeo, quoad materiam esse res meteorologicas, & vapores, ac fumosos halitus, sic efformatos. Si enim fiunt nubes diversarum figurarum, quæ si aspiciantur, repræsentant nobis sæpe diversas figuras, & monstra, prout etiam quisque aliquando sibi fingit; cur non etiam illi halitus ita possunt efformari, ut nobis & equites, & homines, & exercitus, & classes repræsentent? Et si diversâ lucis temperie alios ostentant colores, cur non etiam auratas vestes, & splendentes umbones, & galeas nobis potuerunt repræsentare? Si fulmina, tonitrua, & alii fragores resultant ex vaporum & spirituum agitatione; etiam strepitus armorum, & bombardarum poterunt imitari. Non ergo dubium est, hujusmodi ostenta ex halitibus posse fieri. Difficultas est, à quo formentur. Nam quòd casu confluant & conjungantur halitus, ut repræsentent homines armatos, & classes instructas ad pugnam, imò & præliantes; videtur non solùm casu dictum, sed absq; ulla mentis advertentia. Et ut ut in aëre isto adsint spiritus omnium rerum naturalium, in quibus est virtus formatrix navium, curruum, phalerarum, armorum, quæ sunt res arte facta; omnino nullus sanæ mentis dicet, aut casu, aut à Natura id contingere posse. Dicendum igitur est, id à Deo ministerio Intelligentiarum efformari, ut istis ludicris spectandis nos erudiat ad impietatem debellandam, &* det metuentibus se significationem,

nem, ut fugiant à facie arcus, & liberentur electi. *Quare efformatio harum imaginum necessariò est à Mente & Intelligentia, qua res quidem naturales movet, sed ad certum sibi finem ita disponit.* Hactenus Cabeus, cui jam antea præiverat Fromondus loco suprà citato.

Ex his constat, quænam sit causa materialis, quæque efficiens cœlestium portentorum, de quibus est sermo. Dicet tamen aliquis, tametsi casu non fiant, non ideo tamen ad causam primam DEUM, aut ad Intelligentias recurrendum, cùm aliæ suppetant causæ naturales, sidera nimirum & constellationes cœlestes: posset enim dici, figuras navium in aëre formatarum pendere à constellatione Archinavis; figuras gladiorum & gladiatorum ab Orione & Orionis ense; figuras militum, equorum, leonum, ursorum, & similium, ab Hercule, Perseo, Pegaso, Leone, Ursâ utrâque, & similibus aliis asterismis. *Christophorus à Castro* in Comment. ad Prophetas.Minor.lib.1.cap.17. tribuit hanc sententiam *Augustino Nipho* lib. 1. Meteorol. ubi tamen ipsam sub his terminis non invenio, tametsi velit, causas dictorum phasmatum esse naturales. Nam cùm primò dixisset, causam illorum materialem esse aliquando solam exhalationem, aliquando exhalationem subtilem vaporibus permistam, aliquando vaporem crassum ad exhalationis naturam accedentem, aliquando aerem à frigido addensatum; subjungit causas efficientes, dicens: *Ex parte verò agentis sunt tres; caliditas elevans materiam, vel illam comburens; secunda est frigiditas media regionis aut noctis condensans aut vaporem, aut exhalationem, aut aërem, aut commiscens exhalationem cum vapore; tertia est lumen à lucidis stellis missum, & à tali materia refractum, aut emissum à sole & similiter à tali materia refractum &c. Quo verò modo hac generentur, dicamus. Cùm enim circa medium materia illa fuerit densior, lumen ab illa refractum apparebit nigrum. Cùm verò circumferentiales partes fuerint rariores, lumen apparebit album in circumferentia, quod ab illis refrangitur &c. Ex quo sequitur, phasmata posse esse tot, quot modis album & nigrum possunt invicem constitui. Non est ergo ab ratione, in cœlo videri posse equos, vel armatos milites, vel naves, vel arma, vel talia id genus. Quoniam cùm multis modis album & nigrum contingant proportionari, etiam multa phasmata possunt videri. Narratum fuit nobis, in cœlo apparuisse tres montes, & intra illos equum magnum, & nigrum. Cujus phasmatis causa est, quia erant tria alba, & circa quodlibet illorum erat nigrum, & ita videbantur tres montes. Equus autem niger apparuit, quia materia erat sic figurata ut equus: nam ubi erat equus, materia erat densa, circa equum rara, & sic equus videbatur quasi intra montes albos collocatus.*

Hæc est sententia Niphi. Illa verò altera de imaginum illarum à variis stellis & asterismis effigiatione, est prorsus ridicula & puerilis: nec enim asterismi illi sunt ab antiquis Poëtis dicti Leones, Ursi, Hercules,

Persei,

Digitized by Google

Persei, Archinaves &c. quòd sint naturæ leoninæ, ursinæ, Herculeæ, navifactoriæ &c. Sed ob memorabiles aliquos casus, aut in gratiam principum, aliorumvè famosorum; non secus ac hoc ipso sæculo novi illi planetæ, quos comites Jovis appellant, fuerunt à Galilæo dictæ stellæ Mediceæ, in gratiam Magni Hetruriæ Ducis è Medicea familia, & non ob naturam medendi. Deinde si stellæ vim habent producendi in aëre effigies armorum, navium, similiumque rerum; utique vis illa determinata est ad effigiandas has, & non illas armorum ac similium rerum figuras; cur ergo olim alia arma, alterius figuræ naves, & res alias effigiabant, quales tunc in usu erant, nunc autem alterius omnino formæ? Certè ut olim, ita & nunc, rerum istarum formæ ac figuræ pendent à libero artificum beneplacito, cui causæ naturales ac necessariæ non se accommodant. Si olim ergo fundibularios, hastatos, arcu & sagittis armatos repræsentabant; non poterunt nunc repræsentare sclopetarios, alteriusvè armaturæ milites temporum nostrorum.

CAPUT III.

De prædictorum portentorum significatis.

Portentorum aereorum significatio.

PORtentosa esse explicata hactenus armorum & armatorũ in cœlo spectra, & signa à DEO mortalibus proposita ad futuras plerumq; calamitates iræ suæ indices præsignificandas, unanimis ferè omnium est consensus, & manifestis sæpè deprehensum experimentis. Prodigia Jerosolymis visa ante Antiochi adventum quid portenderint, ex Machabæorum libris citato loco liquet. Alia, ut ex dicto §. 1. patet, obsidionem ac devastationem Jerosolymorum ac Judææ per Romanos; alia irruptionem Longobardorum, Cimbrorum, aliorumque barbarorum in Italiam; alia Cæsaris mortem; alia tumultus varios Germaniæ ac Belgii; alia alias præsignificarunt calamitates.

Portentum ante captum Byzantium visum.

Anno Christi 1453. antequàm Byzantium ab immanissimis Turcis terrâ marique oppugnaretur, compertum est apud Comum Italiæ urbem, vergente ad occasum die, ingentem canum multitudinem per aëra videri, post quam diversorum pecorum armenta, species peditum primò levis armaturæ, deinde hastatos scutatosque subsequi, equitesque in turmas diversas ingenti instructâ acie prosecutas, horis ferè tribus imaginem adventantis exercitus præbuisse. Prodigium refert latè *Alexander ab Alex.* lib. 3. cap. 15.

Portentum Poloniæ.

Anno 1462. in Polonia minore, quadam die, cùm sol ad occasum vergeret, plus quàm duabus horis imago Christi crucifixi cum gladio ab occidente ad meridiem in aëre tendere visa est. Secuta sunt gravia latrocinia

cinia in Polonia, duce Borivoio Scrinio; & prælium cruentum à Polonis ad Pascum factum; & alia mala quamplurima. *Lycosthenes* lib. de Prodig. dicto anno.

Anno 1478. in Helvetiæ variis locis visæ sunt in aëre pugnantium magnis viribus acies. Post aliquot deinde menses, diversi generis cruces, ac globi ignei, qui in terram cadentes rerum vestigia conspicientibus multis reliquerunt, visa sunt, ut ex Basileensium Annalibus refert *Lycosthenes*. Eodem anno Helvetii contra Ducem Mediolanensem, qui peditum equitumque selectissimorum 15000. eduxerat, circa D. Martini festum, ad Ticinum amnem manus conserentes, interfectis Mediolanensium 1400. victores non tantùm evaserunt, sed prædâ opulentissimâ potiti sunt. Multa alia, quæ in Assertionis propositæ confirmationem afferre ex variis Auctoribus possem, omitto, quoniam præter atheos vix est, qui de veritate hac ambigat.

Portentum Helvetiæ.

Solere Deum his similibusque prodigiis præmonere homines de futuris cladibus, agnoscunt non Christiani tantùm, sed Ethnici quoque Scriptores. *Herodotus* lib. 6. ait: *Cùm Deus puniturus est gentem, vel urbem, prodigiis id priùs solet significare.* Consentit *Ammianus Marcellinus* lib. 21. ubi ait: *Amat benignitas Numinis, seu quòd merentur homines, seu quòd tangitur eorum affectione, his quoque rationibus prodere quæ impendent.* Omitto alios.

Portentis Deus præmonet homines.

CAPUT IV.

De variis portentis ac signis, mortem aliquorum, aliosvè notabiles casus præcedentibus.

LOngâ omnium sæculorum experientiâ constat, mortem aliquorum instantem, seu naturalis ea sit futura, seu violenta, signis quibusdam editis præsignificari; quæ quin inter portenta numeranda sint, dubitari non potest. Referam primò nonnulla: deinde eorum causam indagabo.

Portenta hominum mortem præcedentia.

§. I. Varia signa atque portenta, quæ mortem aliquorum, aut casus infelices, præcedunt.

IN Magia nostra Universali par. 2. lib. 3. Syntagm. 5. Prodig. 4. mentionem fecimus campanarum nonnullarum sponte sonantium instante quorundam morte. Refert enim Joannes Lupus Episcopus Monopolensis apud *Eusebium Nierembergium* lib. 1. de Miraculosis Naturis in Europa, cap. 12. campanulam in Monasterio Camorensi Patrum Prædicatorum, triduo ante obitum alicujus Religiosi, sponte suâ solitam pulsari, etsi nemo tunc temporis decumberet lecto. Idem Episcopus prodit,

Portenta campanarum sponte sonantium.

Digitized by Google

similem campanulam fuisse in Monasterio S. Dominici Cordubensi, quæ ultrò insonans portendebat aut Fratris illius Monasterii, aut insignis alicujus viri ejusdem Ordinis fatum. Meminit quoque Angelus Rocha, eodem *Nierembergio* teste, alterius campanæ in Italia in Cœnobio Salernitano Dominicanorum, quæ mortem Fratrum pariter prænuntiabat. Gobelinus etiam in Vita S. Meinulphi Mense Octob. scribit, in Monasterio Bodekensi in Germania, quod dictus Sanctus ædificavit, aliam hujusmodi campanam fuisse, præmonentem spontaneo pulsu alicujus Monialis discessum ex hac vita. Nihil hîc dico de campana Villillæ Hispaniæ oppidi, quæ sono spontaneo adversos casus impendentes præsignificat; nec de simili alia in Japonia, quæ tumultus futuros prænuntiat.

Portentum piscium mortem aliorum significantium.

In quodam Monasterio Galliæ (inquit Nierembergius loc. cit. cap. 53.) *Sancti Mauritii appellato, tot sunt in quodam stagno pisces, quot Monachi; quorum aliquo ægrotante, supernatat aliquis piscis infirmus; morituro, præmoritur piscis.* Eandem rem narrat *Vairus* lib. 2. de Fascino cap. 14. eamque se accepisse scribit ab Antonio Cardinale Granuellano teste oculato, & ab aliis fide dignis, ut rem locis illis notam, atque omni fide testatam. Monasterium ait esse ad flumen Rhodanum, in Sequanorum finibus.

Portentum fontis mortem prænuntiantis.

Portenta alia mortis prænuntia.

Ex *Philippo Camerario* Oper. Subcisiv. cap. 73. habemus, quibusdam Nobilium familiis quandam notam esse, quæ certissima suorum mortis indicia habeat, si fons quidam naturâ suâ valde limpidus, ab incognito quodam verme turbetur. Alteri signum esse, si terra quædam arci ipsorum vicina in voraginem subsidit. In Bohemia spectrum fœmineum vestitu lugubri apparere solere in arce quadam illustris familiæ, antequam una ex conjugibus Dominorum illorum è vita decedat. Memini me legisse apud *Cardanum* in lib. de Variet. Rerum, de nobili quadam familia Parmensi, quoties quis ex ea moriturus est, conspici sub camino vetulam quandam. Hæc cùm tempore quodam, decumbente puellâ illius familiæ comparuisset, & puella nihilominùs convaluisset; alius interea incolumis ejusdem familiæ subitò exspiravit.

Portentum B. Beatricis.

Scardeonus lib. 2. Antiq. Patavin. Classe 6. fol. 120. narrat, post obitum B. Beatricis Atestinæ per longum temporis spatium observatum fuisse, quòd quoties aliquid novi familiæ Atestinæ, ex qua fuerat orta, immineret, toties multis ante diebus, in Sacello ejus prægrandis strepitus fuerit exauditus, & corpus ejus, quod de more supinum jacebat, repertum revolutum in alterum latus.

Portentum Vesuvii.

Petrus Damianus Epist. ad B. Dominicum Loricatum, loquens de monte Vesuvio, & de Pandulfo Capuano, ait: *Quandocunque in illis partibus reprobus dives moritur, ignis erumpere de prædicto monte videtur, & tanquam sul-*

phurea

Digitized by Google

phurea resina congeries ex ipso Vesuvio protinus fluit, ut torrentem faciat, atque decurrente impetu in mare descendat.

Herodotus lib. 8. scribit, quando olim, Amphiensibus sinistri aliquid publicè eventurum erat, solitam sacerdoti Minervæ subitò promissam enasci barbam.

Portentum barbæ.

De familia Serviliorum scribit *Plinius* lib. 2. cap. 65. nummum illis fuisse æreum, quem auro & argento cibarent, qui ad futuros familiæ prosperos eventus crescebat, ad infelices minuebatur.

Portentum nummi ærei.

Delrius lib. 4. Magic. Disquisit. cap. 2. 4. 7. Sect. 2. narrat ex Dietmario, Erasmo Stella, & Petro Albino in Chronico Misnensi, de fonte quodam Germaniæ, qui quando lætus pace & annonâ annus subsecuturus erat, tritico, avenâ, & glande refertum se ostentabat; quando pestis imminebat, cineribus; quando bellum, sanguine plenus fluebat. Idem asserit, alibi in Germania fontem esse, dictum Hungerbrunn/ qui quando decrescit, gravem annonam; quando exarescit, diram famem portendit.

Portentum fontis.

Idem *Delrius* ibidem ait, in Monasteriis non rarò accidere, ut in templis, ubi sedilia sua habent Religiosi, morituri trunco capite conspiciantur. Sæpe etiam in Curiis observatum est, ut Senatore aliquo morituro, fragor juxta sedile ejus, in quo sedere in Senatu solet, audiatur, aut pulvinar dejiciatur, aut pensile sedile antea elevatum reperiatur demissum, aut aliud futuræ mortis signum notetur. Hoc in Curia Bambergensi ordinarium esse dicitur, & hoc ipso anno, quo hæc scribo, contigisse. Idem in Ecclesiis quibusdam Cathedralibus & Collegiatis circa Canonicorum sedilia accidit.

Portenta varia mortem aliquorum præcurrentia.

Josephus lib. 6. signa ac prodigia referens, quæ Hierosolymitanum exitium antecesserunt, inter alia hæc habet: *Sidus supra urbem fuit rhomphaa non absimile, & Cometa toto anno perseverans. Die Azymorum, octavâ Aprilis, horâ noctis nonâ, cùm populus convenisset, tantum lumen circa templum & altare emicuit, ut dies clara esse videretur; quod per dimidium horæ perduravit. Eodem festo bos ad sacrificium perducta, agnum in medio templo peperit. Porta orientalis interior area, & firma, quæ sub vesperam agrè à viginti viris claudi poterat, vectibus fulta ferro vinctis, & altissimos habens demissos in limen, quod è perpetuo ac solido lapide fuit, horâ noctis sextâ sponte aperta est. Templi custodes propero cursu rem nuntiârunt duci; qui cùm ascendisset, vix eam claudere potuit. Post festum Azymorum, vicesimâ primâ Maij, spectrum divinum fide majus visum est. Ante solis occasum per omnem in ambitum regionem in aëre visi currus, phalanges armatæ exsilientes è nubibus, ambientes urbem. Die festo Pentecostes, de nocte Sacerdotes in interius Sacrarium de more progressi*

Portenta excidium Jerosolymitanum præcedentia.

ad ministeria sacra, primùm motum & sonitum perceperunt; tum vox frequens audita: abeamus hinc. Et quod terribilius est, Jesus quidam filius Anania rusticus, quatuor annis ante bellum, summâ urbis pace & felicitate, cùm ad festum venisset, quia moris est, ut omnes tabernacula DEO faciant, derepentè in templo exclamare cœpit: Vox ab Ortu, vox ab Occasu, vox à quatuor Ventis, vox super Hierosolyma & templum, vox super sponsos & sponsas, vox super universum populum. Hoc interdiu & noctu per omnes angiportus circumibat vociferans. Cùm à viris aliquot illustribus flagris casus est, ille neque quidquam pro se dixit, neque privatim ad cadentes, sed easdem quas priùs voces clamare pergebat. Ductus à Magistratibus ad Præsidem, flagellis usque ad ossa sectus, neque supplex fuit, neque collacrymatus est, sed voce quàm maximè miserabili ad singula verbera respondebat: Væ, Væ Hierosolymis. Albino interrogante, qui Præses erat, quis esset, unde domo, cur ista loqueretur; ad postulata nihil respondit, sed complorare urbem ac lamentari non destitit, donec Albinus eum insania damnans absolvit. Ille autem belli tempore neque quenquam civium adiit, neque visus est loqui, sed de die quasi preces meditans lamentabatur: Væ, Væ Hierosolymis. Neque alicui eorum, à quibus vapulabat quotidie, quidquam imprecabatur; neque bene precabatur iis, à quibus cibum accipiebat, unum autem ad omnes asperi ominis responsum, maximè diebus festis, exclamabat, idque per septem annos, & quinque menses, neque vox ejus hebetata est, neque labefacta; donec urbe obsessâ videns omnia re compleri, quievit. Circumiens enim in muris, Væ, Væ rursus urbi, & populo & templo, enixè vociferabatur: Ut autem addidit: Væ, Væ etiam mihi; lapis è catapulta missus, eum percussum subitò oppressit, animamque emisit omnia illa infausta murmurantem. Hæc si quis reputaverit, inveniet DEUM curare homines, & omni ratione iis salutis viam aperire: qui tamen præ amentia & malitia voluntaria pereunt.

§. II. Alia signa atque portenta ex Antiquis, aliquorum mortem, bella, clades, aliosque tristes eventus præcurrentia.

Portenta varia ex antiquis.

ANtiqui, Græci præcipuè ac Romani, adeò religiosi, vel meliùs superstitiosi fuêre in observandis ac interpretandis portentis, prodigiis, ostentis, & quibuscunque signis, bella, clades, eventus infaustos, hominum interitum præeuntibus, ut meritò suspecta alicui videri queant, quæ libris ea de re commiserunt. Quoniam tamen indubitatum videtur, non minùs antiquis, quàm nostris ac Patrum nostrorum temporibus, similia evenisse signa; nefas fuerit omnia in dubium vocare. Ex innumeris igitur, quæ *Bulengerus* longo ordine recenset libro de Prodigiis, pauca excerpam.

Lucanus

Digitized by Google

Lucanus lib. 1. Belli Pharsal. ait, ante bellum civile Cæsaris & Pompeji, de nocte stellas ignitas visas, in aëre ignes, & faces volantes, sidera crinita, & comata, tonitrua die sereno, jacula ignea, lampades, caput Jovis Latialis de cœlo ictum, stellas deciduas de die, defectionem Lunæ plenæ. Ita enim canit:

Spes saltem trepidas mentes levet addita fati
Pejoris manifesta fides, superique minaces
Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum,
Ignota obscura viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, cœloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno,
Et varias ignis denso dedit aëre formas,
Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emicuit, cœlo tacitum sine nubibus illis
Fulmen, & Arctois rapiens de partibus ignem
Percussit Latiale caput, stellæq; minores
Per vacuum solita noctis decurrere tempus
In medium venêre diem, cornuq; coacto
Jam Phœbe toto fratrem cùm redderet orbe
Terrarum subitâ percussa expalluit umbrâ.

Signa cladis esse ait *Virgilius* lib. 1. Georgic. insolitos canum latratus, dirarum avium cantus, Ætnæ incendia, voces terrificas per lucos, simulacra horrentia de nocte, bruta hominis voce locuta, fluviorum defectiones, terræ hiatus, simulacrorum lacrymas, & sudores. Ejus verba sunt.

Tempore quanquam illo tellus quoque, & æquora Ponti,
Obscœnìq; canes, importunæq; volucres,
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumq; globos, liquefactaq; volvere saxa?
Armorum sonitum toto Germania cœlo
Audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgò exaudita silentes
Ingens, & simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis, pecudesque locutæ.
Infandum. Sistunt amnes, terræque dehiscunt,
Et mœstum illacrymat templis ebur, æraque sudant.

Ante excidium Trojæ sequentia portenta contigisse scribit *Quintus Calaber* lib. 12. *Victimæ adoleri, & sacra uri non poterant; ignis vis extinguebatur,*

gucbatur, quasi imber cum sonitu desuper rueret: fumus sanguine lentus sursum ferebatur; femora & carnes omnes cadebant humi trepidantes; aræ sponte corruebant; libationes vertebantur in sanguinem; è simulacris Deûm fluebant lacrymæ; templa rigabantur tabo; suspiria ex inopinato referebantur; mœnia urbis longa succutiebantur, & turres ingentem sonitum dabant, quasi ruinam verè minarentur; vectes, repagula, & seræ portarum aperiebantur cum tristi clangore; dirum autem lamentabantur nocturnæ aves solitarium clamantes.

Plutarchus in Pyrrho refert, *Cùm boves mactata essent, earum capita jacentia visa sunt linguas seorsim protendere, & allambere suum vulnus. Aquila autem, quæ in prælia cum Pyrrho ire consueverat, evanuit. Ei mors denuntiata.* Idem in Timoleonte ait, Adranitæ nuntiatum Timoleonti, instante prælio *sacra vestibula templi suâ sponte patefacta, visam Dei hastam summâ cuspide vibrare, faciem ejus largo sudore fluere.* Idem in Coriolano, *sudantia simulacra visa, lacrymantia, & sanguine fluentia.*

Dio lib. 43. loquens de pugna inter Cæsarem & Pompejum, ait: *Ante pugnam Mundensem DEUS cladem Pompejo clarissimè prænuntiavit: nam & sudores simulacrorum, & sonitus in aëre exercituum, multi animalium monstrosi partus, faces à cœli facie in occiduam partem percurrentes, quæ eo tempore per Hispaniam prodigia edebantur, non apertè, utri minarentur exitium, sciri poterat. Verùm aquilæ exercitus Pompejani alas suas concutientes, fulminaque, quæ aurea nonnulla pedibus gestabant, projicientes, Pompejo perniciem palam prænuntiabant, ipsæque ad Cæsarem avolabant.*

Innumera alia prodigia, portenta, atque ostenta, cladium, insignium mutationum, aliorumque sinistrorum successuum prænuntia, enumerat ex diversis Scriptoribus *Bulengerus* loc. cit. cujusmodi sunt, prodigiosæ eluviones, sudores sanguinei statuarum ac simulacrorum, motus spontanei & mutationes situs eorundem, monstrosi partus, androgyni, prodigiosi nuntii, voces & cantus nocturni, variæ species simulacrorum, bruta loquentia, procellæ, tonitrua, fulmina, nimbi, defectiones Solis ac Lunæ, ignes cœlestes, aliaque his similia; quæ omitto.

Portentum ante pestē Neapolitanam.

Unum addo, atrocissimam illam pestem, quæ paucis ab hinc annis, nimirum anno 1656. Neapolitanam urbem populosissimam miserandum in modum devastavit, absumptis intra semestre temporis spatium trecentis ferè hominum millibus (horrendâ sanè, & vix ab omnibus sæculis auditâ strage) anno integro & ampliùs antè luculentissimo prodigio fuisse prænuntiatam, cùm S. Francisci Xaverii imago eâdem in urbe Neapolitana publico loco in sumptuosissimo ac splendidissimo Societatis nostræ templo, quod à salutifero JESU nomine nomen habet, exposita, sæpe

Digitized by Google

Iconismus XXII. Ponatur è regione pag. 671.



Digitized by Google

sæpe ac diu, inspectante totâ urbis nobilitate ac populo, vultum ostendit subtristem, & lacrymantes oculos in omnem vertit partem. Fuit prodigium ab Eminentissimo Archiepiscopo Philomarino, aliisque Viris doctissimis atque integerrimis severissimè examinatum, & ab omni fraudis suspicione liberum pronuntiatum. Nescio an simili prodigio lues eadem, quæ anno eodem Romanæ urbi illata, eam miserandum quoque in modum est depopulata, fuerit prænuntiata Anno 1655. cùm adhuc Romæ degerem, quando ejusdem S. Francisci Xaverii imago exposita alio in loco, fuit à multis non semel simili vultu & oculis spectata.

Hujus anni 1661. quo hæc scribo, venti vehementissimi magnâ ubique per totam ferè Europam cum strage grassantes, tempestates maximæ variis in locis Oceani exortæ cum damno increbidili, tonitrua ac fulgura insolita hyemali tempore exaudita, spectra aërea non uno in loco visa, Cometa inter Delphinum & Aquilam spectatus; uti & ignes anno præterito, eodem die, festo videlicet corporis Christi, diversis Germaniæ locis, die clarâ, & cœlo sereno, ex aëre in terram evibrati, quid portendant, dies dabit. Mala avertat qui propter hominum impietatem ea minatur DEUS, & in fines pellat Thracios. Placet hîc apponere figuram & situm Cometæ, prout die octavo Februarii styl. nov. fuit pluribus in locis observatus.

Vide Iconismi XXI. Figuram I. & II.

Vide Iconismum XXII.

CAPUT V.

De causa efficiente prædictorum Portentorum.

ENumerata hactenus portenta cùm futura præsignificent, eaque talia plerumque, quæ aut à libera hominum dependent voluntate, aut à solo DEO illa immittente, vel permittente; non possunt habere causam casualem, aut naturalem necessariò agentem; quoniam ab his in finem prædictum ordinari nequeunt. Intellectualem ergo habeant necesse est. Patet autem per se, hominem eam non esse, cùm pleraque ex enumeratis effectibus humanam superent facultatem: consequens ergo est, ab Angelis fieri, seu bonis, seu malis, idque DEI ordinatione, aut permissione, præmonentis homines, non bonos tantùm, sed impios etiam, adeoque ipsos Ethnicos, ut mala impendentia vel effugere nitantur vitæ improbæ mutatione, vel ad ea æquiori animo toleranda se præparent. Et ea quidem portenta, quæ hominum mortem certè ac manifestè denuntiant, ut sunt campanarum pulsus spontaneus, piscium languor ac mors, Beatricis cadaver in latus revolutum, aliaque similie, crediderim habere semper auctores Angelos bonos, iisque à DEO manifestari casus

Portentorum mortem aliquorum præcurrentium causæ.

infal-

infallibiliter impendentes. Reliqua, præsertim quæ apud Gentiles aut impios contingunt, utroslibet habere possunt auctores; utros verò hæc, utros illa habeant, difficilius esse judico, quàm ut ab homine definiatur.

Quæ futura præcognoscant, ac prænuntiare queant Dæmones naturali sagacitate, diximus suprà libro 1. & in Magia nostra par. 4. lib. 6. Syntag. 1. cap. 3. in Crisi.

CAPUT VI.

De sono, strepitu, ac tumultibus nocturnis, mortem aliquorum portendentibus.

Soni ac strepitus, aliquorum mortem portendentes.

MOrtem aliquorum lecto decumbentium, aut etiamnum integrarum virium, sonos quosdam, strepitus, ac præsertim nocturnos tumultus præcedere, ac præsignificare, frequens docet experientia. Hæc generali vocabulo præsagia mortis appellari possunt, & sunt vel mortis propriæ, vel alienæ. De his agemus hoc capite. Afferam primò nonnulla exempla: deinde, quænam illorum sit causa, inquiram. De solis autem sonis, nocturnis tumultibus, aliisque similibus hîc agimus.

Non multis abhinc annis magnus quidam Princeps cùm morbo lethali decumberet, sonum supra cubiculi tabulatum seu fornicem inaudiit quasi ponderis ingentis in tabulatum decidentis. Cùm soni causam ab adstantibus exquirens, nihil à quoquam auditum intellexisset; actum igitur de vita mea est, reposuit, & animo forti atque quieto non diu pòst adventantem mortem excepit.

Annus vix effluxit, cùm è Societate nostra sacerdos vir decrepitus, & nullo præter senectutem morbo afflictus, sedens in cubiculo audit ad ostium non semel, sed post interpolatas vices, iterum ac tertiò pulsum: at cùm nuspiam auctorem deprehendisset, intellexit ad vitam se vocari alteram: paravit ergo se, & pro piorum more Sacramentis Ecclesiæ munitus, ex hac vita intra dies paucos migravit.

Alii dum morbo lethali decumbunt, deambulantem quempiam per domum audiunt: alii fores vel fenestras aperiri, & rursus claudi: alii ascendere aliquid per scalas, ac per domum vagari.

Ludovicus Lavaterus lib. de Spectris par. 1. cap. 17. ait, fuisse sibi notum Parochum, virum honestum & pium, qui grassante peste præsciverit, si quis in Parœcia sua moriturus esset ex peste. *Noctu enim*, inquit, *supra suum lectum sonitum audivit, ac si quis saccum frumento plenum ex humeris super tabulatum deponeret. Hæc audiens, dicebat: Iterum quidam mihi valedicit.* Idem testatur, cùm in quibusdam Cœnobiis Monachi, servi, aut alii incidunt in lethalem morbum, noctu audire multos parari ipsis loculum, non aliter quàm postea ab arculariis paratur.

In

Digitized by Google

In pagis (pergit idem) cùm aliquis moriturus est, sub vesperam, vel noctu in cœmeteriis aliquando audiuntur, qui palis sepulchrum effodiunt: postero die non aliter effoditur, quàm antea quidam audierant. Aliquando noctu, lucente Lunâ, visi sunt, qui funus pro more gentis cum pompa deducerent, aut ante ædes consisterent, acsi aliquis efferendus esset. Multi suam imaginem se putant videre, vel ut dicunt, suam animam. Detinentur vincti in carcere, de quibus sumendum est supplicium: noctu, in arcibus, auditur magnus tumultus, acsi aliqui carcerem effracturi essent, & liberaturi captivos: accurrentes neminem vident vel audiunt ampliùs; captivi quoque nihil se audivisse affirmant.

Idem *Lavaterus* eodem lib. par. 2. cap. 16. ait, in ditione Tigurina, non multò antè quàm hæc scriberet, cùm quendam Præfectum itineri se accingentem aliquot jentaculum sumpturi exspectarent, visos sibi esse audire cultrum decidentem è superiore tabulato hypocausti, in quo erant, nihil tamen vidisse: mox cùm de ostento inter se colloquerentur, iterum visos sibi idem audire: hoc cùm interea venienti Præfecto narrarent, tertiò cultrum decidere audivisse omnes: post diem unum aut alterum, cùm negotio confecto domum rediret Præfectus, in torrente, subitò imbribus aucto, equum collapsum, ac sessorem miserè periisse.

Non rarò soni ac strepitus audiuntur eâ ipsâ horâ, quâ absentes procul amici cum morte luctantur, aut ex hac vita migrant. Exempla aliquot narrat *Cardanus* lib. 15. Variet. cap. 84.

CAPUT VII.

De causa efficiente sonorum ac tumultuum, quæ mortis solent esse indicium.

Sonos, strepitus, ac tumultus mortem aliquorum præcedere ac prænuntiare, liquet ex relatis historiis. Eos ab aliquo fieri, dubitari nequit, cùm sui ipsorum causa esse non possint. Hæc vel corporea est, vel incorporea, quoniam præter has alia esse nequit. Incorporea entia sunt DEUS, Angeli boni malique, hominum spiritus tam viventium, quàm defunctorum. Ex his omnibus quænam sonorum ac tumultuum prædictorum causa sit, nunc inquirimus.

Sonorum ac tumultuum mortem aliquorum præcedentium causæ.

§. I. Non est DEUS, immediatè per se & solus, nec animæ ipsorum moribundorum.

AC primò quidem nec DEUM per se solum & immediatè, nec animam eorum, quorum mortem prænuntiant soni ac strepitus, causam illorum esse, extra controversiam esse debet; DEUS enim cùm aut omnia, aut ferè omnia, quæ in Mundo aguntur, ministerio causarum secundarum agat; cur dictorum sonorum excitationem sibi peculiariter reservet? Et cùm anima hominis eodem tempore corpus animare, & extra corpus vagari, ac tumultus illos ciere nequeat; non est cur id ita fieri dicamus.

Digitized by Google

§. II. Non sunt homunculi inter homines & bestias medii.

SUnt qui homunciones quosdam, medium inter bruta & homines, sub humana tamen pusillæ admodum staturæ forma, animantium genus constituunt, ut vidimus suprà lib. 1. cap. 38. Hos putant nonnulli præoccultis in locis quarundam ædium latitare, ac varia nocturnis temporibus ministeria in hominum utilitatem peragere, quæ citato capite recensuimus; & cùm instare mortem domesticorum cuipiam præsentiunt, tumultus ciere, asseres secare, componere tumbas, deducere funus, aliaque similia agere, quæ hospites suos in mortis appropinquantis cognitionem deducant. At cùm ex citato loco constet, homunculos illos aliud non esse quàm dæmones humanâ formâ vestitos, concidit sponte hæc opinio. Sed ut demus, esse in rerum natura homunciones illos, inter bruta & homines medios, mortem tamen ægrorum lecto decumbentium præcognoscere ac prænunciare nequeunt, cùm nec homines ipsi, qui homuncionibus illis perfectiores sunt, id queant. Multò ergo minùs præscient illorum obitum, qui violentâ morte, & in locis remotis sunt perituri; quorum tamen obitus sæpe, ut ex relatis historiis constat, similibus sonis ac tumultibus præsignificantur.

§. III. Non sunt animæ defunctorum.

SPiritus hominum jam vitâ defunctorum, tam beatorum, quàm damnatorum, & pro commissis in vita peccatis adhuc pœnas luentium, ad vivos quandoque redire, dubium nullum est, ut ex dictis lib. 2. constat. Eosdem ipsos, præsertim primi & tertii generis spiritus, plurima officiorum genera apud vivos exercere, ex eodem liquet libro. Arbitrari igitur quis posset, dictos humanos spiritus suprà dictorum tumultuum causas esse atq; autores. At quàm infirmo aut nullo fundamento, paucis ostendo cum *Petro Thyræo Libello de nocturnis tumultibus*. Primò enim animarum post hanc vitam non illa propria conditio est, ut DEI apud homines sint ministri atque internuntii, saltem ordinarii, aut frequenter, sed Angelorum id officium est, qui *omnes sunt administratorii spiritus, missi in ministerium eorum, qui hæreditatem capient salutis*: Spiritus autem vitâ defunctorum, vel laborum suorum fructus percipiunt in cœlo, vel perpetuas pœnas solvunt in inferno, vel temporales in loco inter cœlum infernumque medio; nec sine singulari DEI providentia ac dispensatione, idque raró admodum, vivorum rebus adsunt. Certè cùm dives Epulo è flammis infernalibus Abrahamum peteret, ut Lazarum mitteret, qui fratres ejus periculorum ac miserandę conditionis moneret, responsum tulit, Moysen illos habere ac Prophetas, à quibus instruerentur. Deinde cùm tumultus hi ac strepitus, de quibus loquimur, mortis appropinquantis indicia sint, nec cognosci à defunctorum animis sine singulari DEI revelatione

tione queant; æquum non est, ut Deus damnatorum spiritibus id revelet; nec credibile est, id revelare beatorum aut purgandorum spiritibus, cùm ipsorum non intersit. Adhæc cùm beatorum ac purgandorum animæ quandoque, permittente DEO, hominum rebus intersunt, conspectui eorum se exhibent, & eo habitu se exhibent, ut facilè dignoscantur: at tumultuum illorum auctores nuspiam apparent. Omitto alia, quæ in eandem rem adduci possent argumenta.

Thyræus libello cit. cap. 4. discutit, an animæ puerorum, & eorum adultorum, qui cum solo peccato originali, vel etiam cum veniali hinc discesserunt sine originalis peccati remedio, ideoque cœlo exclusi sunt, dictorum tumultuum sint auctores. Sed non est quòd ea in re tempus teramus, cùm non credam, ullum unquam fuisse qui id sibi persuaserit. Ad Angelicos igitur spiritus gradum faciamus.

§. IV. Angeli, tam boni, quàm mali, sunt dictorum tumultuum auctores.

Angeli sunt auctores sonorum ac tumultuum mortem aliquorum præcedentium.

ANgelos esse auctores, ex dictis concluditur, cùm spiritus esse necesse sit, & præter humanos quos exclusimus, alii præter Angelos non supersint. Dubitari tamen potest, num boni sint Angeli, an mali, an utrique.

Thyræus lib. cit. cap. 5. loquens de nocturnis tumultibus ac terrificationibus, multis probare nititur, bonos Angelos non esse illorum auctores, ordinariè saltem (capite enim 9. fatetur, in rarioribus quibusdam casibus bonos quoque Angelos id sibi officii assumere.) Rationem adsignat, *Primò*, quòd si finis dictorum tumultuum ac terrificationũ est, ut mortis homines admoneantur, opus non sit tot tumultibus, tanto strepitu, tam funestâ pompæ funebris exhibitione, aliisque sexcentis modis, cùm multò facilioribus modis id præstare queant. *Secundò*, quòd certum ex eo strepitu argumentum subsecuturæ mortis peti non possit, cùm sæpe mors non sequatur. *Tertiò*, quòd tametsi detur esse certissima mortis signa, nesciatur tamen cujus mortem in domo & familia aliqua integra portendant, ac proinde frustra ab Angelis ob dictum finem excitarentur. *Quartò*, quòd aliquando etiam aliis in locis, ubi, quorum mortem prænotant, non sunt, ut in dominorum prædiis, ii strepitus contingant; quibus proinde absentes non monentur, ut ad mortem se præparent. *Quintò*, quòd sæpe eo ipso tempore, quo animam moribundi exhalant, contingunt; non ergo fiunt ab Angelis bonis hoc fine, ut homines ad mortem se præparent. *Sextò*, quia etiam scelestissimorum hominum, imò & infidelium mortem præcedunt, qui tamen indigni sunt, ut ab Angelis bonis de instante morte moneantur. *Septimò*, quòd nulla suppetat ratio, cur DEUS bonis Angelis id muneris demandet, & quòd nulla hujus muneris iisdem commissi mentio fiat in Scri-

Digitized by Google

ptura Sacra, & Patribus. *Octavò*, quòd non pauca levitatis argumenta cum iis tumultibus sunt conjuncta, quæ nefas fuerit bonis Angelis tribuere.

Ex his concludit Thyræus, solos malos spiritus auctores esse dictorum tumultuum; quod capite 6. confirmare nonnullis rationibus nititur, ut; quòd id possint, quòd præsentes sint iis locis in quibus fiunt, quòd ex naturalibus signis probabiliter colligant moribundos morituros, quòd percupidi sint hominibus molestias exhibere, quòd lucrum inde aliquod sperent &c. Capite deinde 7. statuit, tumultus sive terrificationes mortis prænuntias excitari à dæmonibus inferioris ordinis, & qui extra inferni carceres in variis sublunaris Mundi locis degunt. Rationem præcipuam adsignat hanc, quòd levioris momenti res sint, & indignæ ad quas sublimiores Spiritus sese demittant. Octavo capite statuit, ab illis inferiorum ordinum dæmonibus excitari dictos tumultus, qui singulorum hominum quasi proprii sunt, & qui Dii domestici sive Lares olim vocabantur, à nobis autem in lib. 1. descripti fuêre sub nomine virunculorum, & à Germanis Hänsemännlein appellantur.

Ego existimo I. Angelos tam bonos, quàm malos, dictorum hactenus sonorum ac tumultuum esse auctores & causas. II. Difficile tamen esse, statuere in omnibus casibus, utri illorum sint causa, bonine, an mali. III. Nocturnorum tumultuum ac terrificationum, præsertim insolentiorum, auctores esse dæmones; minùs insolentium, ut sunt casus ponderum, pulsus & apertio portarum, aliique similes, si proborum mortem præcedunt, probabilius est, solos bonos Angelos esse auctores; si improborum, tam bonos, quàm malos. Ratio *primi* est, quia effectus dictorum sonorum sæpe optimus est, præparatio videlicet ad felicem mortem; quem effectum secuturum esse cùm non lateat dæmones, ob diuturnam experientiam ejus rei, non est credibile, illos, utpote humani generis hostes infensissimos, velle eum procurare, aut ut sequatur, occasionem præbere. Bonis ergo Angelis tunc adscribendus est & sonus, & soni effectus. Ratio *secundi* est, 1. quia utrique efficere illos possunt. 2. quia boni Angeli, maximè tutelares, non bonos tantùm, sed impios etiam ad bonum excitant. 3. quia dæmones quoque ad bonum quandoque excitant homines, quamvis alio fine nobis occulto, ut ex dictis lib. 1. patet, maximè cap. de dæmonibus familiaribus. Contingere ergo potest, ut ea, quæ bonis tribuuntur Angelis, à malis sint profecta; & quæ malis adscribimus, orta sint à bonis. Ratio *tertii*, quia nocturni tumultus ac terrificationes ad solum terrorem incutiendum hominibus videntur instituti; ergo non à bonis, sed à malis proficiscuntur Angelis. E contrario verò minùs insolentes soni solum eò dirigi videntur, ut homines mortis appropinquantis conscii, salutari timore concutiantur, seque ad illam piè obeundam præparent; ergo si probis exhibentur, à bonis Angelis proficisci est credibile; si improbis, ab alterutris.

Posse porrò dæmones quoque vel certò, vel probabiliter saltem, præcognoscere mortem hominum, tam naturalem, quàm violentam ab extrinseco inferendam, patet ex dictis lib. 1. de cognitione Angelorum ac Dæmonum.

Neque est necessarium, ut corpora priùs assumant Angeli vel Dæmones, quàm sonos ac strepitus excitent, cùm id facere queant etiam sine corporibus, ut ex eodem lib. 1. constat.

Atque hæc sufficiant de Portentis, ac de tota prima parte Physicæ nostræ Curiosæ; cætera quæ desunt, dabimus parte secunda sequenti, & in Opusculo de Origine fontium ac fluminum.

Finis partis primæ Physicæ Curiosæ.

PHYSI

AG I 1155979

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C 102.

Digitized by Google